FONTES RERUM AUSTRIACARUM.

ŒSTERREICHISCHE GESCHICHTS-QUELLEN.

HERAUSGEGEBEN

VON DER

HISTORISCHEN COMMISSION

DER

KAISERLICHEN AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN IN WIEN.

ERSTE ABTHEILUNG.

SCRIPTORES.

VI. BAND.

GESCHICHTSCHREIBER DER HUSITISCHEN BEWEGUNG IN BÖHMEN.

THEIL II.

WIEN.

AUS DER KAISERLICH-KÖNIGLICHEN HOF- UND STAATSDRUCKEREI.

1865.

GESCHICHTSCHREIBER

DER

HUSITISCHEN BEWEGUNG IN BÖHMEN.

HERAUSGEGEBEN

VON

Dr. K. HÖFLER,

PROFESSOR DER GESCHICHTE ZU PRAG UND CORRESPONDIRENDEM MITGLIEDE DER KAISERLICHEN AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN IN WIEN.

THEIL II.

WIEN.

AUS DER KAISERL. KÖNIGL. HOF- UND STAATSDRUCKEREI.

1865.

☞ Die Einleitung zu vorliegendem Bande, eine Reihe von Nachträgen und Berichtigungen, endlich ein alphabetisches Register werden die Sammlung husitischer Geschichtschreiber als III. Band derselben beschliessen, und den VII. Band der I. Abtheilung der Fontes bilden.

I.

Wilhelmi decani Wissegradensis vita Arnesti Archiepiscopi Pragensis.

(Cod. Bibl. Metrop. Prag. O. 4. Fol. 65—77. Perg. 4°. Saec. XIV.) [1])

Vita venerabilis Arnesti primi Archiepiscopi ecclesiae pragensis.

Apparuit gratia dei salvatoris nostri diebus istis novissimis in servo suo Arnesto, quem pater misericordiarum numinum tam larga dulcedinis benedictione praevenit ut esset coetaneis suis in speculum et posteris evidens in exemplum. Sicut enim hunc sibi amabilem nobisque imitabilem reddidit, ita et mundo per consequens admirabilem reliquit. perfectis etiam virtutum praerogativis et meritis celebrem et preclaro circa eum extenso miraculo insigniter demonstravit illustrem. Ad hoc videlicet ut, qui sanctorum vestigia sequi mundi concupiscentia probibente non possumus, bujus saltem, qui noviter nos praecessit, conversationem laudabilem, bonestos mores, benignitatem et patientiam imitari pro viribus studeamus. Hic enim quasi stella in medio nebulae. claris vitae pariter et doctrinae fulgoribus micans. et super commissum sibi gregem solerter invigilans, non solum hunc viam veritatis edocuit, sed et ab eo quibus partim involuebatur, errores et negligentias sollicitudine, mercedem [2]) repressit. Non hunc et [3]) *magnatium terror* pro justitia supprimenda continere [4]). non thezauri oblati corrumpere. Sed nec

---

[1]) Cfr. Cod. Univ. XIV. D. 23. Fol. 52 (XIII. D. 20).

[2]) praecedente. Cod. Univ.

[3]) deest in Cod. Univ.

[4]) concetere. Cod. Univ.

partium aut affinium amor. suam in hoc potuit constantiam obtruncare. Maluit enim obtrectantium linguis culpa non subeunte redargui quam ob defectum justitiae ante tribunal superni judicis dura propter hoc sententia condempnari.

Pater ipsius Arnesti de Pardubitz miles qui tunc castrum in provincia Glacensi ex commissione regis Boemiae obtinebat. hunc in Glacensi oppido liberalibus tradidit studiis imbuendum. ubi dum sub aetate tenera. scolas cum suis condiscipulis frequentaret, ymago B. Mariae virginis sibi coram ea genua flectenti dorsum avertit, quod quidem *miraculum* ipse quam diu vixit subticuit, sed in agone laborans propria manu conscriptum ad aedificacionem fidelium publice revelari mandavit [1]). verum dum hunc in aetate tam debita constitutum. ad honores ecclesiasticos clementia vellet divina provehere, primo ipsum *decanum pragensem* constituit et demum sede vacante ad episcopalis dignitatis apicem benignius elevavit. Erat autem idem Arnestus vir longae staturae venusta facie omniumque morum praeditus honestate. A tempore quoque sui regiminis sicut erat discretus silencio. ita et utilis mansit verbo ut nec tacenda proferre sed nec quidem vellet proferentia tacere. Sciebat enim quod sicut incauta
Fol. 66. locucio in errorem protrahit, Ita et indiscretum silencium hos qui erudiri poterunt in errorem perducit. Nempe cottidiana ipsius familia nunquam audivit ex ore suo verbum iniquum aut dolosum procedere. quo aut inferre vellet cuiquam injuriam aut reprimere conaretur illatam. quod si quempiam ex sua familia verbo quantocunque hoc se offendisse persensit, mox poenitentia ductus ab eo veniam verbis humilibus postulavit. Ex adverso vero dum ei aliquis injuriosum aliquid seu displicibile loqueretur, mox digitum ori supposuit et pronum ad inferendas vindictas animi [2]), tamquam verae humilitatis discipulus effectualiter mitigavit. recurrens ad illud propheticum. Pone domine custodiam ori meo et hostium circumstantiae labiis meis. Nimirum ad hoc ut in anima sua. virtutum posset structura consurgere studuit vir deo dilectus. in corde suo verae humilitatis fundamentum locare. Qui licet in *Bononiensi* et *Paduano* studiis per *quatuordecim annos continuos* morari [3]) continuans licenciari

---

[1]) Cfr. Cod. J. 40. Fol. 100, 23. Lit. Arnesti Archiepiscopi.
[2]) animum. Cod. Univ.
[3]) moram. Cod. Univ.

promeruit, tamen cor ejus ut plerumque fit acquisita scientia non inflavit, quin omnino se petenti benivolum et ejus auxilium invocanti se redderet innata pietate mansuetum. Ineratque sibi mos et consuetudo laudanda. ut quociens coram ipso divina peragerentur officia, ipse cum praelatis et capellanis et clericis tento coram ipso missali officium missae perlegeret ac demum horas de beata virgine ordinatis et morosis attentibus [1]) ruminaret nec audebat hunc quispiam pro re quantumcunque gravi quamdiu missa legeretur, accedere seu cum ipso de negociis etiam arduis publice aut secrete conferre. Qui tamen officio expleto publicam procedens ad salam tam pauperibus quam divitibus audientiam praebuit, facti quoque circumstanciis pensatis ad debitum ipsos sine intervallo temporis benignius expedivit. Quidquid autem propter absentiam propriam vel negotii qualitatem per se ipsum expedire non potuit, id ipsum a praelatis sibi assistentibus cum omni celeritate terminare mandavit. Quid ultra? Ex fructu arbor cognoscitur et fructus ex arbore comenter [2]) (sic). praecessit in radice divina copia muneris ut in ramusculo sequeretur habundantia honestatis. Tanta etenim deus excelsus instrumentum suum condescensione respexit, ut sicut hunc vidit de virtute in virtutem proficere, sic commissam sibi ecclesiam ad laudem propriam et boemici regni honore voluit magnifice sublimare. Procurante namque serenissimo principe domino *Johanne* Boemiae rege et ejus primogenito *Carolo* Romanorum Imperatore semper Augusto et Fol. 67. Boemiae Rege anno domini MCCCXLIV Pragensi ecclesia in Metropolitanam erigitur. et a subjectione Maguntinensis ecclesiae, qua eidem tenebatur obnoxia, per sanctissimum in Christo patrem dominum Clementem Sacrosanctae Romanae universalis ecclesiae Summum pontificem absoluta, duas suffraganeas ecclesias Olomucensem videlicet et Lutbomislensem. felici dispositione sortitur. Recepto quoque per eum pallio sibi ab apostolica sede transmisso in quo nomen et plenitudo Archiepiscopalis dignitatis extistit. Juribus etiam et canonibus praescriptis rationalibusve quae pro lege habentur, consuetudinibus recollectis, attento nihilominus quia diversitatem temporum diversitas sequitur animorum *Statutis Moguntinensis ecclesiae* quae cum propter abusum. cum etiam propter inconvenientiam modicum aut

[1]) accentibus. Cod. Univ.
[2]) commendatur. Cod. Univ.

nullum fructum afferebat [1]) *suppressis*, nova et utilia statuta edidit, *provinciali* propter hoc *concilio* celebrato interferens [2]) statutis ipsis de jure canonico. multa utilia presbyteris quoque ipsis ecclesias parochiales regentibus summe necessaria. et hiis praesertim quos interdum a studii cura paupertas prohibet non voluntas. Inerat et huic viro talis judicii futuri memoria. ut qui de talento sibi credito rationem districto judici reddere tenebatur super commisso sibi grege. adeo sollicitas observare studeret excubias, ut nunquam corpus sompno reficeret, nisi eum aut violentus sopor opprimeret aut languor insolitus vigilare per amplius prohiberet. Sciens quoque quod humana natura sicut laboribus duris instruitur, ita nihilominus per otia torpentia fatuatur ad hoc ut juventutem sollicitam cottidianis virtutum incrementis instaura [3]) (sic) lectione hanc continua refovebat. habensque in subsciente [4]) veste saccutum ab utroque latere dependentur [5]). certos in eo libellos et memoralia deferebat et nunc in cursu pergens nunc etiam a Caezaris consilio. quociens inibi minus utilia tractarentur. se abstrahens, tam ad suam quam aliorum aedificationem in eisdem aut pro se legit aut legi per alios verbis intelligilibus procuravit [6]) a bono prosequendo otia detestanda retrahere quia instar potius supernorum in scala Jacob aut ascendebat in dominum. aut descendebat ad proximum. Die autem ad occasum solis vergente dum hunc cubile consuetum eximeret, sibi fecit vitas
Fol. 68. patrum aut alium codicem aedificativum tam diu praelegere donec ipsum ingens sopor lectionem non sineret auscultare. Noverat enim de cujuslibet sermone legentis elicere quod animae prosit. Sciens non minoris esse prudentiae de rudi quacunque spina florem decerpere quam fructum de arbore nobili manducare. Capto quoque sompno. sed modico dum hunc crederet cubicularius in lecto sibi praeparato recumbere. ipse mollem lectum declinans interdum in humo. interdum vero super vili repertus est matta cubire [7]). Media autem nocte dum aliorum oculi concepto gravantur a sompno, iste pastor sollicitus

---

1) afferebant. Cod. Univ.
2) interserens. Cod. Univ.
3) instauret. Cod. Univ.
4) subteriori. Cod. Univ.
5) dependentem.
6) Nunquam hunc poterant.
7) cubare. Cod. Univ.

quem nec vincere accidia nec frangere potuit torrens ignavia, proprio consurgere a lectulo secum manentes advocat capellanos cum quibus tam horas canonicas quam B. Virginis devoto corde distincta quoque voce complevit, postquam vero iidem capellani fessa menbra. solitis adibant refovere cubilibus, ipse in oratione pervigil et invictus manebat et si erat de mane missam celebraturus devotas se dabat in lacrimas ut tunc venas divini sussurrii furtive susciperet, quando sopor ceteros occupabat. Ad hoc quoque majora seminare studuit semina fletuum ut majores tandem fructus perciperet gaudiorum. Solitus eciam erat a promotionis suae tempore usque ad obitus sui diem in quodam libello defectus suos spirituales propria manu conscribere. ut et eisdem deinceps virili mente resisteret et ea quae fragilitate ipsum impellente commiserat per satisfactionem debitam emendaret, in quo etiam conscripsit injunctas sibi poenitentias et consilia confessorum. Aderat et eis praecordiis divinitus veridica quaedam ad participes [1] misericordia liberalis quae secum ab infantia crescens tanta cor illius benignitate repleverat, ut merito dici posset hanc cum ipso ex eodem naturae utero processisse. Nimirum evangelii non surdus auditor omni se disposuit petenti tribuere et ei presertim, quem audivit amorem divinum ferventius allegare. Sciebat enim quod dives elemosyna suis amatoribus hereditatem prebet inmarcessibilem et coelestis curiae dignitatem. Sed neque hunc latuit miranda misericordiae virtus. quae peccatorum Fol 69.
omnium rubiginem purgat. frementium viciorum incitamenta mortificat et splendore coelestis gratiae tenebrosas hominum mentes illustrat. Hanc igitur per effectum amplecti desiderans *multos in Bononiensi et Padwano studiis* pauperes tenuit *clericos*. quibus de libris singulisque vitae necessariis providebat. quos etiam in adipiscendis beneficiis ecclesiasticis propriis consanguineis praeferebat. transiensque per viam elemosynam pauperibus quos obvios habuit largitus est. Singulis etiam diebus duodecim pauperes pavit et eorum cuilibet duos parvos denarios currentis pro tunc monetae donavit. et nihilominus singulis annis LXX stamina panni grisei inter pauperes dividebat. ut ad divinae legis imperium nudum operire carnemque suam nequaquam despectum [2] videretur habere. Constat igitur in

[1] pauperes. Cod. Univ.
[2] despeclui. Cod. Univ.

ipsius archano pectoris plantatam fuisse arborem miserationis, cujus dum fructus reficit animam, praebent exterius folia medicinam.

Certum est etiam hunc fuisse vestigiorum gloriosi pontificis beati scilicet Nicolai fidelem et sollicitum sectatorem. Sicut enim ille auro virginum incestus, auro patris inopiam, auro utrorumque detestabilem ademit infamiam: sic et iste fidelis servus et prudens rem sub silentio tegens per duos presbyteros ad hoc specialiter deputatos virgines pauperes dote competenti oblata matrimoniali disposuit foedere copulari, ne paupertate premente in dedecus honoris virgines admittere cogerentur publicos amatores. Similiter et eos quos natura nobiles et casus fecit sinister egenos quique prout apparet ad oculum non valent fodere et erubescant verisimiliter mendicare ne ipsos aliena per furtum aut rapinam insequi bona contingeret, competenti pecunia relevabat. Quibus etiam aut aliis ad hoc ydoneis expresse commisit ut hospitalia infirmorum visitare, defectus quoque inibi degentium ejus sumptibus debeant utiliter reformare. In anno quoque MCCCLXII° dum in Regno Boemiae caristia magna saeviret in tantum, ut propter defectum victualium multos fames exhorrenda comprimeret, multas fecit elemosynas in pane pariter et frumentis per quas civitatum et oppidorum incolae ab iminentis sunt mortis periculo liberati. Ad aedificationem quoque tam propriam quam etiam aliorum *multos libros scribi* et de *alienis partibus* procuravit afferri, quos etiam monasteriis et aliis piis locis juxta necessitatis eorum indigentiam tradidit et donavit. Advertant hic desides clericorum sacerdotumque rectores illi nimirum qui ad corrigendum subditorum excessus deputati ceteris praeminent et inconsiderato silentio peccandi subditis licentiam praebent. Audiant inquam et prudenter intelligant, quantam hic presul sollicitudinem *in correctione cleri* sibi commissi adhibuit et circa hoc studiosis laboribus desudavit. Hic etenim inter cogitationum varietates innumeras, quibus animum suum cura officii pastoralis involvit, praecipue *correctoris et inquisitoris* officium censuit exercere. ut videlicet alter eorum nunc salutaribus monitis nunc persuasionibus atque minis, nunc etiam poenis
Fol. 70. inflictis *cleri petulantiam* et ipsius errores reprimeret et alter *haereticorum perfidiam* et ipsorum doctrinam detestabilem realiter et efficaciter confutaret. Fuit enim bene agentibus per humilitatem consocius. contra delinquentium vitia per justitiae zelum erectus.

Bonis se in nullo praetulit et cum pravorum culpa subfuit, potestatem protinus sui prioratus agnovit.

Nimirum clerus illius temporis *modice proh dolor legi subjacuit* atque ideo se ipsum *carnis voluptatibus* rigore deficiente subegit. Alius enim *concubinis adhaerens* et nec tonsuram seu coronam deferens. turpi se ipsum polluit foeditate. *quorum tamen insania sub ipsius regimine conquievit penitus.* Hic etiam judicia peregrina videlicet candentis ferri et aquae frigidae, quibus Boemi usque ad ipsius tempora utebantur exercere prohibuit et eandem [1]) totaliter *Baronum resistentia non obstante* suppressit. Similiter et vagos [2]) homines quos vulgus flagellatores appellat quique sub ovina pelle conscientiam norunt vulpinam abscondere, non solum a tali praesumpcione compescuit sed et a suae dioecesis finibus eliminare curavit. Ut autem pluribus modis negotiator hic evangelicus lucris insisteret ac totum praesens tempus conflaret in meritum, non tam praeesse voluit quam subesse nec tam praecipere quam parere propter quod in monasterio canonicorum regularium in Glatz quod ipse de novo extruxit et tam redditibus sufficientibus libris et ornatibus pretiosis quam etiam *picturis variis* adornavit. archiepiscopali dimisso fastigio eandem voluit regulam profiteri. ut eo liberius possit praeconium transitoriae laudis contempnere. tumentis jactantiae fastum comprimere. fraudulentae simulationis mendacium confutare. Nimirum tempus sibi concessum ad meritum dividere sic prudenter didicerat ut aliud proximorum lucris laboriosis impenderet. aliud contemplationis tranquillis processibus dedicaret sicque factum est ut arrepto itinere ad ipsum monasterium in comitiva unius tantum familiaris perveniens seque *Romam* aditurus consurgens [3]) in cella quam pro se ipso construxerat omnipotenti deo et ejus genitrici Mariae pensum suae servitutis exsolveret et occulte ac latenter matutinali tempore solus ecclesias circuiret. Etenim tanta pervenire hunc deus dignatus est gratia. ut mentem ipsius intrinsecus incendio delectionis adureret et absintio compassionis impleret. Et licet protunc quibus in solitudinem advolare posset dispositas pennas haberet. a deo tamen erant nexibus praeceptorum astrictae ut absque ipsorum

---

[1]) eadem. Cod. Univ.

[2]) Cod. Univ. XIV. D. 23. Fol. 151 *b*.

[3]) fingens. Cod. Univ.

Fol. 71. permissione libere non possent habere volatum. Et ideo subsequentes romanos pontifices videlicet Clementem Innocentium sextum Urbanum quintum sive *modernum*[1]) nunc per se nunc etiam per legales ac et ydoneos nuncios de danda sibi cedendi licentia humiliter requisivit. Qui videntes hunc de culmine velle pontificali descendere, nec causam quo ad hoc cognoscentes subesse, ipsum ab ejus vinculo absolvere minime curaverunt. Videbant etenim quod in ipso vigor devotionis et fidei etiam corpore senescente non periit sed vergente deorsum. conditione corporea fervor spiritus sublimiora conscendit, non (sic) oportebat hunc in regiminis pastoralis labore persistere. creatori suo deinceps cum martha sollicita ministrare. in signum tamen. desiderii sui praefati coram ymaginibus dei et beatae virginis Mariae quas *in vitris et aliis coloratis picturis* fieri procurabat se ipsum deflexo in terram poplice archiepiscopalia vero insignia ante pedes suos jacentia tamquam per ipsum abjecta et ob amorem dei procurabat dimissa depingi. Hic etiam monasteria in Saczka in Jaromir in Rokyczana dicti ordinis de novo erexit et sumptuose fundavit hospitalia in Broda boemicali, in Przybramo et in Lybano construxit et munivit necessariis appendiis competenter. Hic reaedificavit omnia castra sui Archiepiscopatus quae erant eximia vetustate collapsa et in Przybramo de novo unum castrum construxit. Oppida suae ecclesiae videlicet Brodam boemicalem Thyn Horssow et Rudnyz muris munivit, piscinas multas praesertim Kygye. villam Rykyczanum Tyn Horssowiense Przybram Rzeczytz Zercycz et Chynaw cum magnis expensis de novo exstruxit. Mediam Baroniam in Rozental datis plurimis redditibus ad vitas ecclesiarum personarum archiepiscopali mensae acquisivit. Hic omnes libros Pragensis sacristiae nimia vetustate consumptos ligari et meliorari, chorales vero libros videlicet Gradualia et Antiphonaria in multis voluminibus pulchriora quam unquam in ecclesia visa fuerant pro magnis pecuniis scribi fecit. aliosque pro studio sacrae scripturae condonavit et ipsam ecclesiam plurimis ornatibus preciosissimis decoravit. Dedit etiam suae ecclesiae in mortis articulo pro structura ipsius de proprio patrimonio mille marcas et unam capellam proximam et quae est in fronte chori novi a fundamentis usque ad perfectionem suis sumptibus struxit et fenestras vitris exornari procuravit. Item dedit centum

[1]) 1362—1370.

marcas pro panibus altaristis pragensis ecclesiae ut una cum vicariis canonicorum perceptione panum gauderent pro quibus empti sunt redditus perpetui in *talibus villis* etc. (Desunt.) Fol. 72

Hic in eadem Pragensi ecclesia lectorem in sacra theologia suis pecuniis instituit, pro quo emit certos redditus in villa Zlatnyk prope Pragam, ut *Canonici* et *alii clerici Pragensis ecclesiae amplius studeant verbi pabulo* victuram in perpetuum mentem reficere. quam ventrem moriturae carnis terreno pane satiare. Et quid plura? Comparavit namque pauperibus clericis duodecim sexagenas redditutuum in villa: ut bis in anno habeant tunicas ut liberius in divino officio ac sedulius in choro nocturnis et diurnis vacent in divino officio.

Huc accedit quod inter cetera carismatum dona quae a largo datore Arnestus obtinuit quadam speciali praerogativa excrescere promeruit in divitias justitiae observandae. Haec quidem justicia sicut priscis temporibus ob judicum ignorantiam quae plerumque est innocentium calamitas quasi pedibus calcata subsiluit sic et sub ipsius felici regimine tam in consistorio publico quam etiam privatis judiciis suas fimbrias dilatavit. Constans enim hic vir contra biformes fortunae eventus uniformi mentis constancia praemunitus in judicio, non contempsit pauperem, non oppressit viduam. personam divitis non recepit, in omnibus operibus justitiam reservavit, verum ne coelestis hujus benedictionis vena *quae tunc in Boemiae regno scaturiit,* infra breves terminos occludatur, sic eam divina providentia derivavit in amnem ut fluminis impetus caput orbis Romanam letificet civitatem. Spargitur in curia summi pontificis et cardinalium fama tanti viri omniumque tenet assertio neminem huic in *Germania* fore similem in conservando legem excelsi. Quanto autem favore idem Romanus pontifex et ejus cardinales ipsum prosecuti fuerint experientiam loqui et convenit me tacere[1]). In legationibus enim Caezaris Romam transmissus et ab ipsis singulari honore susceptus commissa sibi negotia tam fideliter quam etiam legaliter expedivit. Saepe hunc Romanus pontifex in altum erigere et in majori voluit dignitate locare. Sed qui commissam sibi ecclesiam dimittere divino ipsum amore impellente disposuit ad majores dignitates per eum assequendas minime anhelavit. Mortuo quoque Innocentio hujus nominis papa sexto (1362). poscentibus ipsius *moribus* atque *virtutibus* per certos

[1]) Ipsius — experientiam, loqui me convenit, non tacere.

cardinales fuit *in summum pontificem* nominatus et fuisset indubitanter
electus *ab omnibus si promotionem suam non impedisset natio
aliena.* Quamquam autem de laude tanti viri multa per me adhuc
Fol. 73. possent interseri et praesertim ea quae ego *Wilhelmus* decanus
Wissegradensis non relatione testium sed *per me* ipsum cuncta
cognovi, malo tamen prosecutione ulterioris famae suae manum simul
ac stilum retrahere quam in ejus et meum opprobrium linguas detrahentium excitare. Nimirum scio quod nulla est tam modesta felicitas
quae possit malignitatis dentes vitare, alienis malis sicut suis bonis
detractores laetantur. alienis jacturis sunt divites calamitatibus completes et funeribus immortales. nunc igitur mens mea nube moeroris
obducitur, finis quoque gaudii luctibus sequentibus occupatur. Qui
enim laudabilis viri famam simplicibus sed veridicis verbis et hilari
quidem mente transcurri. nunc ad referendam mortem ipsius fletu
singultuoso perveni. Sub anno domini MCCCLXIV iste venerabilis
pater pro expediendis arduis suis et ecclesiae suae negotiis ad imperatorem pro tunc in *Budyssin* moram trahentem proficiscitur et tam
ab eo quam aliis curiae suae magnatibus honorifice suscipitur et
benignius pertractatur. Die quoque sancto penthecosten facto sermone *vulgari* ad populum ipsius quoque festi sacris missarum celebratis solempniis mox febrium supervenientium atrocitate gravatur
artubus quoque suis morbo invalescente detritis nova cumulatur
debilitas. quae et proximam vocationem ad dominum indicat et dissolutioni irrevocabili viam parat. Propter quod ab Imperatore obtenta
licentia et negotiis propriis expeditis ad votum se jubet ad castrum
Rudnycz languidum deportari cumque a suis inibi esset delatus,
coepit paulatim corporis virtute destitui et languore ingruente gravius fatigari. Egit enim circa eum divina clementia. ut qui sanus
dotatus fuerat meritis operum, infirmus dotaretur meritis passionum.
Facto igitur per eum prout sibi ex concessione apostolicae sedis licebat provido testamento. dum adhuc in eo ratio nativa vigeret. multis
familiae suae impensis muneribus non sine magna devotione cordisque
contritione anima in dei manibus commendata die ultima mensis
Junii. quae fuit dies dominica in festo commemorationis sancti Pauli
apostoli hora quasi completorii feliciter obdormivit.

Transiit autem iste venerandus antistes ex hujus mundi naufragio anno pontificatus sui XXII et in ecclesia parochiali sanctae
Mariae in Glacz in qua dudum sepulturam elegerat ubi etiam sibi

gloriosae virginis Mariae ymago prout superius tactum est dorsum averterat, ante majus altare sepultus ad cujus reverentiam et honorem diebus singulis in aurora missa solempnis cum antiphona Salve regina ipso procurante cantatur. Quantus autem luctus hominum, quanta praecipue ob ipsius mortem lamenta fuerint clericorum mihi non expedit sed nec consultum apparet particularibus debere verbis describere nec sermonem meum in hoc diucius protelare. Hoc solum pro conclusione inferenda sufficiat quod illo irrevocabiliter sublato. mater amaritudinis mors nobis non ex alia causa pepercit, nisi ut nos in antea crudelius laniaret. unicum tamen nobis hujus aegrae separationis datum est ab alto remedium, ut qui corporalem nobis exhibere presentiam prohibitus est vivus. nobiscum tamen remanet jam defunctus. *Discant* igitur *praesules* ad instar hujus viri mores animi sub debito pacto componere, litium flammas extinguere veramque concordiam cum suis proximis efficaciter observare. Scriptum est enim: quisquis corpus affligit et concordiam deserit deum laudat in tympano sed non laudat in choro. Incussum quoque corpus atteritur si inordinatis motibus dimissa mens vitiis dissipatur. Super iracundiam eorum nequaquam sol occidat sed nec cum eis ad inferendam vindictam duritia concepta senescat. Fervidam enim vindictam aequi non potest justitia temperata. Discant orationibus sacris sincera devotione insistere divinisque laudibus animam jugiter occupare. justitiam in suo vigore non habito ad personas respectu confoveant. subditorum excessus condicione ipsorum pensata recorrigant et de facultatibus ecclesiae suos consanguineos non extollant. Discant in pauperes Christi largas manus extendere sibique per virtutem elemosynae thezauros in coelesti patria congregare. Haec est enim illa peramabilis suffragatrix quae velud fluentum fontis irrigui et peccatorum inguinamenta detergit et aestuantium vitiorum flammas extinguit. Discant in se ipsis vitiorum motus comprimere. ut possint subditis lucis exempla monstrare. Tunc enim summus locus bene regitur dum is qui praeest vitiis potius quam fratribus dominatur.

Fol. 71.

Sequitur visio Arnesti. Cfr. Balbini Vita ejusd. Fol. 26 Palacky, Formelbücher II, p. 183.

II.

Johannis de Genzenstein Archiep. Prag. relatio de se ipso.

(Ex cod. MS. Bibl. Vatican.)

A. Libellus de fuga mundi. (Scriptus circa 1398.)

Nobili viro, compatri dilecto Nicolao de Contarenis Joannes, quondam Archiep. Pragensis.

Saepe mecum vir nobilis, compater carissime cum pariter sederemus Venetiis, de contemptu mundi, vitaeque praesentis incertitudine, et fugiendo saeculo contulisti, et a me quid de his sentirem, inquirebas et — (exponit hic fuse juxta S. scripturam et SS. patres — tum subdit sequentia, ubi totam vitam et fata exponit etc.):

Porro haec non de viris probatis et insignibus astruo, quos paucos reperio. ast de illis dictum est reor qui se arbitrantur. perfectos, aliorum facta exponentes judicio. cum semel convenire non possit ut carnalis spiritualem judicet, sic quoque qui spiritualis est, carnalibus se curis turpiter immiscent. quos cum lugeo, me lugeo non minus carnalem illis, nam ut cum rubore dicam, ne lacrymarum suffusione inferam retroacta tempora.

Adolescentia meae floridae deduxi annos continuos citra vel ultra XII. foede, proh pudor! et luxuriose, residuum tempus infructuose, temporalibus mersus curis heu flebiliter consumpsi; ab infantia delicate nutritus, crapulose vixi.

Puer cum essem, nec mereri possem, septem successive beneficia aut verius mihi veneficia babui, inficiebantque animam meam, orare dum nescirem nec pro me, nec pro mortuis, quorum tamen stipendia et elemosynas edebam et bibebam. Superflue et sumptuose induebar, ac denique adhuc puer ad libros traditus fui, competenter liberalibus artibus eruditus, coepi girare mundum gratia studiorum, Pragam primum, Paduam deinde, Bononiam, Montepessulanum, Parisios denique, ubi mala et bona vidi, didici et feci, nescio si profeci, quando in moribus defeci; perversissimam (in) quibusdam locis currebam viam, nec proderat discere scientiam ac peccando cadere in ignorantiam. Tamen ego necdum plene XXVI annorum, nullo praevio labore vel merito per Gregorium Papam XI ad Ecclesiam fui

Mysnensem promotus, me in scamno dormientem meridie nuncio excitante ut surgerem et nova recitantem ut audirem, quae dum percepissem jacens, fingensque me dormire (intra me tamen pensabam quantos mihi deus jugiter augeret honores, quamque nihilominus indignus et ingratus essem), attamen quia vanus excitanti nuncio improperare coepi, dicens: quare me dormire non sinis? qui respondit: Domine, deo et hominibus es ingratus, nonne tibi sollempnem Ecclesiam sine labore apporto, quam, ut haberet alter, vasta orbis spatia laboriose peragraret. Cui Ego rursum: numquid somniari illa? tacitus tamen rem considerans, deo in corde gratias referebam.

O deus meus! quam saecularis, quamque inutilis tunc eram Episcopus. confundor erubescentia enarrare; nec ob hoc divina mihi largitas defuit, quin infra paucos annos amplius sublimavit. me. Nempe nescio, meisque parentibus, Caesareque Carolo imperatore ac rege Bohemiae, ignorantibus, per Urbanum papam VI fui ad Pragensem metropolim motu proprio translatus, Praedecessore meo et patruo in Cardinalem presbyterum tit. Basilicae XII. Apostolorum promoto. (1378.)

Quod mihi cum miraculose innotuisset per B. Virginem circa quandam ejus Ecclesiam, carnalis quamvis adhuc essem, tamen in corde meo vitam in melius emendare statui.

Sic paucis interjectis diebus fui per eundem Imperatorem Serenissimi Wenceslai Regis, filii sui, cancellarius institutus. Quantos vero honores et divitias fui consecutus in mundo, nescio praesentibus enarrare: nam tres Papas, et novem Reges, vidisse me memini, et Principes innumeros, a quibus secundum ambitionem saeculi non modicos tuli proventus et honores. Erant similiter gloria et divitiae in domo patris mei (Pauli de Gentzenstein).

Haec autem singula ideo praemisi ut magis confunderer; et ingratitudo liqueret, et quantis hujus saeculi vanitatibus me inservi, constaret. diligebam igitur mundum cum vitiis et concupiscentiis suis, et ab eo similiter diligebar.

Ast ne me sic linqueret deus in peccatis putrentem, cum nec spiritualibus flecterer donis, ut ad se traheret renitentem, compelleretque intrare, tam persecutionibus gravissimis affecit et infirmitatibus multis, quarum amaritudine mundus vilesceret, et in deliciis suis dulcesceret Christus. non aqua tamen laude vicem rependi, coelestia jamque patris gratuita quandoque dereliqui dona, et incipiebam

iterum reverti ad pristina et caduca. astne denuo errarem sicut ovis, quae periit, posuit frenum in maxillis et hamum in naribus meis, traxitque potenter post se, et afflixit plagis multis, gravissima me febre decoxit, et paene mortuum dereliquit, a medicis paene desperabam. Vix tamen misero vexatio praebuit intellectum, et infirmitas gravis sobriam fecit animam. tandem intelligere coepi mysterium, et de retroactis peccatis poenitentiam agere. et quanto plus sapiebat deus, tanto amplius displicebat mundus, ac magis displicebam mundo, fortioribusque angebar persecutionibus, et quum multipliciter attritus sub annis quibus Ecclesiam Pragensem regebam, cum dinturno labore nihil proficerem, sed deficerem et de die in die rebellio et inobedientia in clero, et populo augeretur, et malitiam eorum minis et blanditiis avertere non possem, *saepiusque morti expositus* sub periculo vitae meae et meorum, *prout est notorium*, superbia eorum ascendente semper; rationabilissimis et efficacissimis de causis meam conscientiam moventibus, malui potius dilectissimam matrem et sponsam meam, Pragensem Ecclesiam, in manus summi Pontificis resignare, *quam eam male regere, aut destruere* et quia alteri non teneor quam Vicario Christi, et sanctae dei Ecclesiae elucidare defectus meos ut adjuvarer, et ea de causa vice altera exulavi, nec tamen proinde remedium inveni, morbum igitur quo languebam, ipsi detexi, vulnera quibus saueiabar, ostendi, circumstantias infructuosi regiminis denuntiavi, atque successorem, qui aptus esset, ipsi indieavi, ne forte Tyrannus succederet, vel alius inutilis et indignus. (1397.)

De Patrum igitur suorum cousilio Pontifex a nexu, quo adstrictus Ecclesiae Pragensi fui, sua me benignitate absolvit, et eundem, pro quo rogavi, successorem instituit, Principibus magis acceptum, Ecclesiae Pragensi forte magis aptum. Quod cum factum esset, hoc ipsum in caritate detractabant Viri clarissimi, et praecipue cordialissimus praeceptor et dominus meus Reverendissimus in Christo Pater in Terris Angelus, re et nomine ita dictus, dei gratia Patriarcha Constantinopolitanus, cum pluribus Episcopis, et religiosissimis viris, Tu quoque cum illis. Sed habet papa chartulam meam, propria manu scriptam, rationabiles causas continentem, cui se papa conformat in bullis, affirmans in causis rationabilibus se hanc resignationem admisisse, et novam alteri provisionem fecisse.

B. Ejusdem Joannis Archiep. epistola apologetica ad nobilem virum D. Henricum de Rosenberg.

(Ex eod. Cod. MS.)

Cordialissime; cur amicorum amice admiratione percelleris? ingenue; cur vir et Nobilis, mente turbaris? Multis qui de causis legitimis, deifico et sincero monente me coelo, ad anteriora conversus frugem cupio vitae consequi melioris, an te latet vita prava, quam post crepundias pueritiae vagâ adolescentiâ flebiliter peregi? an dispendiosa vitae mora, quam tot illectus illecebris in hac mundi miseria noxie protraxi? an non nosti etiam innumeris, quibus in peccatis degentem, et post flagitia me evexerit honoribus, respexeritque donis deus, ob quae necdum aliquantulas gratiarum utcumque actiones persolvi. nec te similiter adversa latent mala, quae in hoc nequam saeculo pertuli, sanctae Pragensi Ecclesiae quamdiu praefui, qui sine intermissione, aliis quiescentibus, lacessebar injuriis, labefactabar infamiis, angebar pressuris, nec dabatur lasso requies. operabar terram et non dabat fructum suum, sed spinas et tribulos germinabat, plantavi vineam, et exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas; adversum me loquebantur qui sedebant in porta, et in me psallebant qui bibebant vinum, dicentes: *tantae Ecclesiae regimini aptum me non esse*, hospitalitatem nescire, inordinate vivere, pro defensione Ecclesiae multa negligere, in justitiae exhibitione remissum, in negotiorum executione tardum. Haec famabant populus, et domestici inimici qui edebant panes meos, amici similiter, et proximi mei qui dulces mecum capiebant cibos. non advertentes quantas jacturas bonorum, pressurasque tulerim, quotque impedimentis a toto tempore quo Ecclesiam gubernavi, involvebar; nam magnis sumptibus conquisita, pecoribusque et frugibus repleta horrea, sub una Principis ira tollebantur. hinc damnis perceptis, debitis crebrescentibus, egere oportuit. nisi forte improvidentiae meae imputandum sit, quod census libere repetere non potui, debitum egentibus remisi, culpas delinquentium parcissime exegi, mortuorum devolutiones sumere nolui, in hoc autem si improvidus dicar, animae tamen meae providi. denique de modico tantum censu vixi, meae familiae, et ecclesiae, exinde satisfaciendo, castra aedificiis sumptuosis construxi, nec pro uno quidem teruncio ab Ecclesia abalienavi, et ut aliis sileam causa praemissorum alia non existit, quam quod propheta sine honore esset

in patria sua. Ceterum, ut de cleri mei inobedientia de multis pauca perstringam. *cum diligentissime Collegia, conventusque visitassem, omnium volens mores et vitam corrigere, nihil proficere potui,* quin imo cum omnia crederem jam stabilita, majora mala et discordiae sequebantur, quae jam ad Regem aliosque principes accedebant, et ut in errore permanerent, potenter efficiebant. Sicque de die in diem obedientia decrescebat, et crescebat rebellio, diu quoque negotiis sic durantibus, eo res devenit, ut nihil amplius proficerem. Novissime autem cum exulare me contigisset e patria pro Ecclesiae meae libertate, subsidium caritativum postulassem, informatus in curia Romana quod in hoc casu mihi competeret; turmatim in me per omnes fere Archidiaconatus consurgentes et contumeliosis verbis restiterunt, et contra me conspirantes appellationem formarunt. Ecce quomodo filii exurgunt in parentes, de quibus Ysaias dixit: filios enutrivi, et exaltavi illos, ipsi vero spreverunt me.

O popule meus! quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi; quia pro te in mortibus fui, pro libertate tua strenue pugnavi; te virtutibus quasi monilibus decoravi; cur ingratitudine moveris? cur indignatione absumeris? an quia nondum ad sanguinem restiti, sudores tamen pro te sanguineos desudavi. vires meae juventutis consumpsi, substantiam meam pro tua libertate impendi, et pro uno aureo centum de meis pro te solvi? cur ingrati me contemnitis, et praesulem recentem habere diligitis? En vestro desiderio parui; En cessi illi, quem vestra potior pars desiderabat mihi successorem fieri. Quod si forte adhuc exprobrare velint, carnalitate me motum dicant, quod in hoc nepoti potius faverim quam alteri, fortasse verum dicent: sed hunc ab infantia novi, scio qualis sit, in laudibus ejus me non laxo, quia suspectus forem; id tamen caro et sanguis non revelavit mihi, sed pater meus, qui in coelis est. scripsit insuper *Rex* pro illo, et intercessit. nec me criminent quod provisionem, prout moris est, receperim ad vitae meae dumtaxat tempora, mihique hanc non competere, ex eo quod talibus servi dei non indigeant, qui omnia debent pro Christo relinquere. at noscant non pro me eandem sumpsisse, sed Christo, eamque sine reprehensione velle impendere. Porro, qui a supremo gradu ad novissimum me descendisse autumant, decipiuntur, nam secundum dignitatem idem semper maneo; per unctionem quippe caracter impressus est, quem si velim linquere, non valeo, nec papa hunc tollere, nisi forte in manibus ejus

resignare vellem dignitati, quod non aliud esset, quam quod non uterer pontificalibus actibus et insigniis, quod nondum feci. Castra ergo, civitates et temporalia dimisi, inutilemque laborem quo invanum laboravi, gradum vero dignitatis Episcopalis non minoraro potui, magisque sic me credo mereri, pia alia opera faciendo, quam in aerumnis et laboribus tantis nihil. numquid non merui qui XX annis et amplius Episcopus et Archiepiscopus rexi; debeone idcirco meritum perdere? multi certe Ecclesias suas resignasse leguntur, et forsitan ob causas minores. Rex noster plurimis annis cupiens hoc fieri, Papae Urbano, et nunc Bonifacio scripsit; Papa annuit, Ecclesia consensit, ut quid et non mihi placeat?

Habes hanc causam resignationis meae potissimam, amicissime amicorum, sume epistolam Tibi utique scriptam, et disces me potuisse sine reprehensione cedere et cessisse. Cupio Tibi in domino cum consorte tua et filio, salutem mentis et corporis. venissem utique ad praeceptum serenissimi Domini nostris *Regis Ungariae* ad vos, sicut mihi scripsistis: sed stantibus sic negotiis consistit in me modicum, praescietis tamen adventum meum si fuerit fructuosus.

Ex copia.

III.

Conradus Waldhauser, Milicius et Matthäus Parisiensis, evangelici praedicatores.

A. Apologia Konradi in Waldhausen.

(E cod. Bibl. Univ. XIV. G. 17.)

1.

Haec sunt quae praedicavit frater Conradus praedicator et plebanus de laeta curia publice in ecclesia et in foro contra religiosos Fol. 43 minorum religionum et specialiter in mendicantium verecundiam et destructionem coram omni populo. Incipiens a tempore quo venit post pascha cessare non curavit ab hiis usque in hodiernum diem ut probat praedicationum suarum finalis scandalosa conclusio. Et dimissis omnibus quae antea praedicavit solum ea quae post festum S. Michaelis in confusionem ordinum publice hic in aliqua parte et valde modica sunt scripta.

Incepit namque primo de Simonia dicens: *quod omnes qui dant vel recipiunt filios vel filias cum pecunia vel pro pecunia, sint aeternaliter dampnati*, et melius esset quod puellae sic traditae vel receptae reciperentur de monasteriis et traderentur tortoribus quia parentes earum emerent suis pueris sic infernum et sibi ipsis ex consequenti. Et subjunxit si aliquis est qui praesumat contradicere, veniat ad me et ego ostendam sibi in scriptis et probabo, quod totum per omnes religiosos non fuerit curatum quousque se Reverendus pater magister ordinis ex compassione de hiis motus (se) intromisit ex hoc quod idem praedicator nominavit ex nomine monasterium *S. Annae* seu *S. Laurentii*, in quo quidem monasterio essent tales puellae simoniace receptae, specialiter filia unius viduae quae nisi de monasterio reciperetur una cum matre perpetuo esset in inferno crucianda. Et dixit ad illam viduam ex parte domini Papae bullam super hoc habere. Et adjunxit ille idem, puellae toto anno protrahunt dicentes: Nos habemus magistrum ordinis patrem nostrum et allegavit derisorie illud evangelicum, patrem habemus Abraham et audivi quod ille sit hic, veniat ad me si potuerit in aliquo informare quod non credo, tunc ab hiis cessabo. Haec et alia multa talia dixit et manifeste conclusit in sermone dicens: Karissimi, in multis monasteriis tales sunt *qui frequenter per monachos decipiuntur*, propter quod reverendus magister ipsum petivit arrestari, quia dixit coram populo se velle recedere ut oviculae etiam suae possent lingere de suo sale. Et hoc totum factum est prima dominica in adventu propter quam arrestationem feria tertia die S. Barbarae ad praedicandum surrexit et dixit: sciatis karissimi homines. Ego volui recedere sed aliud venit mihi inter manus quia sum arrestatus de quo plus gaudeo quam in vita mea quia nunc volo veritatem defendere et propterea paratus sum mori. Item dixit in alio sermone; sciatis quod nullus est in ista civitate. veritatem [1]) (sic). quidam sunt in collegiis monachorum qui nesciunt dicere quia non studuerunt. quidam sciunt sed non dicunt, quidam non praesumunt; idcirco est quia timerent perdere plenas stiuras suas quas ex hoc habent. Item in eodem dixit: quod jam non invenirentur ita reverendi viri antiqui in ordinibus sicut prius quia jam essent *nimis crapulosi*. Item dixit in eodem: vos non vultis dare pauperibus et datis monachis qui sunt fortes et qui plus

---

1) confitens? praedicans?

habent quam habere debent. Nolite talibus fortibus dare quia modicum meritum ex hoc habebitis quia videlicet in quolibet collegio esset nec unus qui mereretur illud stipendium quod omnes devorant in guttura sua. Item quando surrexerunt homines, dixit: quod esset truffa de cursu, quem homines faciunt ad caput S. Barbarae quia non esset hic sed in Prussia. Item in sequenti sermone dixit: vos boni homines, ego volo vobis in brevi dicere quibus debeatis confiteri monachis vel saecularibus sacerdotibus, et subjunxit: ipsi sunt fatui, qui ex eo quod habent bonum sanctum qui instituit eorum ordinem, *se sanctos reputant.* bene credo quod sit iste sanctus, sed sub cappa illorum qui sunt in ordinibus, magni et grossi locutores inveniuntur. Eadem verba in pluribus sermonibus replicavit.

Item feria VI quando de S. Johannis Baptistae vita praedicavit, dixit: O ubi sunt tales religiosi? Sciatis quod non sunt christiani. quod unus frater dixit in curia Archiepiscopi qui frater debet etiam esse religiosus ad unum probum virum qui possit esse magister meus, quod pes socii sui et magistri plus sciret quam ipse, et publice invocavit scabinos in testimonium, super quo reverendus magister publice fuerit appellatus symoniacus et frater raptus [1]) male tractatus et post eum sicut hereticum clamatum. Nihil a modo [2]) praedicavit ymo extollens vocem clamavit: o qualis est ille religiosus.

Item dominica secunda in adventu coram omni populo quibusdam fratribus in publico magistri (sic) ab eis missis ibidem existentibus multa replicavit et dixit: sciatis quod omnes receptae cum pecunia nisi de monasteriis recipiantur una cum illis, qui eas tradiderunt, aeternaliter in inferno dampnabuntur et melius esset quod traderentur tortoribus quia de illis esset spes, istis vero nulla spes superesset. Item dixit die S. Johannis evangelistae quod etiam convertisset unum juvenem et nominavit eum.

Item in eodem die fratres cum publico notario a quibusdam testimonialem memoriam petentes verbis pessimis fuerunt affecti et nisi subito recessissent, verberibus fuissent male tractati et pro ipsis tanquam post hereticos clamor fuit factus.

Item in eodem sermone dixit: attendatis karissimi, cras erit terminus in quo debeo cum magistro ordinis pro veritate disputare

1) Ropertus?
2) Nihilominus.

et ideo omnis qui vult audire vel nescit veritatem, ille veniat quia veritas vel omnino suppeditabitur vel ad lucem deducetur.

Item in eodem die in cena ubi sedit, misit pro aliquibus ut protestarentur et querimoniam fecit quod fratres fuissent missi ad ipsum occidendum, quapropter etiam feria secunda in mane haec publice in sermone dixit: karissimi homines. multae inveniuntur mihi minae, tamen non obstantibus illis hodie vadam sicut heri dixi ad curiam Archiepiscopi et ibi cum quibusdam totam communitatem contra magistrum reverendum concitavit et quum cum illa magna multitudine virorum et mulierum atque aliquorum civium hinc inde ipsum vallantium ante monasterium S. Clementis transiret, multi virorum et mulierum fratres videntes in ipsorum facies exspuerunt ipsos pejores quam haereticos exclamantes. Hanc contumeliam populus ibi in eundo et redeundo et super fratres et super monasterium spuentes continue inferre non cessabant sed dicebant, *omnes fratres esse cremandos* quia pejores essent quam haeretici. Tales contumelias usque in hodiernum diem fratres sustinent a multis in multis locis, quum in multis domibus clauduntur hostia, cum fratres intrare volunt ad petendum elemosynam et si intromissi fuerint confusibiliter multis malis verbis invasi inde expelluntur. Item approbavit hoc quod et multos fratres haereticos esse dixerunt. Item dixit, quod omnes clericos qui reciperent sic puellas pro pecunia pejores esse quam haereticos, quia ille arianus (Arius) haereticus fuisset illius opinionis quod pater et filius generassent spiritum sanctum propter quod esset eorum servus, sed isti tales non solum facerent ex eo servum sed etiam *vendunt ipsum.*

Item idem praedicator publice coram populo in sermone nominavit unum probum virum et dixit: *vos domini mei scabini, vobis cum dolore conqueror quod talis coram familia sua mihi oblocutus est. peto vos quod ipsum, solum non occidendo, bene disciplinetis.*

Item in die S. Stephani dixit: Sciatis quod multi obloquuntur mihi eo quod non sicut pastor respicio oves meas. usque huc arrestatus sum, sed nullus aliquid dixit contra me, quia omnes sciunt, quod verax sum. quem deus mittit nuntium suum, certe sunt multi contra ipsum. Ubi sunt vel est illi vel ille qui praesumunt loqui contra me. Adhuc non video et quando diu a me aliud non percipietis credatis verbis meis quae dixi de symonia monachorum et monialium.

Et iterum dixit de illa vidua quae haberet bullam et subjunxit: ipsi sunt pejores quam haeretici et allegavit illud actorum VIII de Simone mago et dixit: Karissimi. Ille Simon humiliavit se licet ficte, sed isti nullo modo permittunt se flectere cum tamen sciunt se stare contra veritatem et dixit: Ille pessimus Nero antequam ille Symon venit ad eum aliquot annis fuit valde bonus sed postquam venisset, fecit ita malum quod matrem suam scindere fecit.

Dixit quoque quod multi adhuc essent tales. Item die S. Johannis evangelistae dixit: Sciatis quod volui recedere, sed jam nolo eo quod circa parochiam meam non possum necessitatem habere duabus de causis. Una est quod ibi sunt duo monasteria monachorum et qui klinkuant (sic) [1] contra se et pulsant hinc inde et abstulerunt parochiae meae communem populum. Alia causa est quod cives plus regunt parochiam quam plebanus. Et postea dixit: Karissimi homines. Vobis cum dolore conqueror quod quidam frater monachus ibidem surrexit et dixit quod omnia quae vicarii mei dicerent, essent mendacia et levatis oculis ad coelum suspirando dixit: o deus hoc hodie sit tibi conquestum, ex quo magna multitudo populi ad maledicendum monachis fuit mota.

Item in eodem sermone dixit: *multi ante XIIII annos traduntur ad ordines qui postquam ad annos perveniunt, libenter essent foris ad recipiendas uxores nec ibi tales possunt salvari.*

Item dixit quod vellet probare circa dominum papam quod pitancia (pecunia) quae in receptione pueri datur, esset simonia.

2.

Hic secuntur articuli fratrum Augustinensium de S. Thoma contra praedicatorem. Fol. 45.

Primo quod status religiosorum mendicantium non esset salubris.

Secundo dixit: ideo plures in Romana curia fratres minores fuisse crematos quia praedicassent Christum mendicasse.

Tertio false impegit in dictos fratres S. Augustini maculam simoniacae pravitatis et dixit, se hoc probaturum.

---

1) Cfr. pag. 32.

Quarto suasit quibusdam fratribus dicti ordinis S. Augustini quod apostarent.

Quinto per suas praedicationes omnibus monachis quibuslibet [1]) dirumpit pacem Christi filiis commendatam, unde videtur missus non per Christum sicut multa Christi dicta contestantur.

Sexto videtur quod evidens ratio convincat ipsum esse apostatam ordinis regularium si non alterius ordinis sit apostata. Nam contra votum et regulam S. Augustini attemptavit curam suo monasterio non incorporatam et nulla interveniente dispensatione legitima sequestratum a sua communitate proprium possidet. Ergo attendat veritatis amator sub quanto periculo ecclesia Pragensis permittat populi communitatem laborare.

3.

Responsio fratris Conradi ad praedicta.

Zelus domus tuae comedit me et opprobria opprobrantium tibi. non solum mihi ceciderunt super me. Psalm LXVIII. Quia igitur domine Jesu Christe. tu dixisti primariis praedicationibus tuis. Math. V. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam quoniam ipsorum est regnum coelorum. Beati eritis etc. Vos estis sal terrae etc. [2]) — —

Igitur in nomine Tuo gaudenter et exultanter respondebo exprobrantibus mihi ymo verius tibi quia speravi in sermonibus tuis etc.

Fol. 45. Hinc est quod omnes Christi suaeque veritatis amicos per *Austriam* constitutos ad ejusdem mei salvatoris gloriam cupio non latere quod cum ego Conradus in Walthausen professus ordinis S. Augustini [3]) canonicorum regularium in Luthmeriz Pragensis dioecesis plebanus verbum dei in civitate Pragensi quod per annum continuum praedicassem juxta S. Galli ecclesiam in foro coram omni populo quia in ecclesia licet magna locum habere non potui, in dominica secunda adventus domini exigente materia inter cetera ea quae tanquam speculator providus [4]) in scripturis sanctis vidi fidelius ut potui pericula animarum futura praecavens pronuntiavi videlicet loquens de signis inter cetera secundi adventus periculosissimi

[1]) Omnibus modis quibus valet.

[2]) Omittitur prooemium.

[3]) Palat. duc.

[4]) Ezech. 12 cap.

dicente domino Math. XXIV: tunc surgent multi pseudoprophetae, ut ab eisdem lupis oviculae Christi simplices sibi attendere et diligenter cavere et ab eorum fructibus cum venerint, vel si qui jam venissent, eos cognoscere possent et cognita talium nequitia scilicet quomodo erunt voluptatum amatores plusquam dei et ut ultra proficere non possent sed et ipsimet salvarentur, facta eorum insipientia omnibus manifesta propriissime prophetaverat apostolus ostendens qui sint eorum fructus a quibus cognosi possent etc. [1]).

Ex hiis sunt qui penetrant, domos et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis quae ducuntur variis desideriis *semper discentes* et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes quemadmodum yanes et mambres resisterunt moysi, ita et hi resistunt veritati sed ultra non proficiunt. Insipientia eorum manifesta erit omnibus etc. Tales enim inveniunt subtilissimi modum acquirendi divicias etc.

Cum etiam [2]) maximam fieri animarum stragem pravitate simoniaca in civitate Pragensi non ignorarem, contra ejusdem hereticae pravitatis fautores ferventius exacui stimulum verbi dei *domino Archiepiscopo* prius ad ipsum significato quod talibus, ne fierent, remedium adhiberet opportunum. Qui respondit, quod monasteria *monialium* fere omnia essent ab ejus cura in civitate Pragensi exempta sed sub alis fratrum ordinum mendicantium ut communiter essent. Cum igitur arcum verbi fortius non contra eosdem sed in genere contra fautores et fotores talis pravitatis intenderem, videntes saepedicti ordines scilicet praedicatores, Minores, Augustinenses et Carmelitae ab omnibus auditoribus suis derelictos abeuntes inierunt consilia quae utique (contra) veritatem nunquam potuerunt stabilire. Gens utique in hoc facto absque consilio et sine prudentia utinam saperent et intelligerent (ac) novissima sua propter clericorum conatum impediendi animarum fructum, quem viderent. Cum enim caput hujus negotii esset magister generalis ordinis praedicatorum pro tunc in Praga constitutus et apostolicae sedis ut dicebatur legatus, a fratribus suis et aliis ordinibus mendicantium quos contra me convocaverat in hoc contra veritatem meae doctrinae eo modo quo quisquis contra accusatum salvatorem et judicandum legitur et intelligere potest sicut dicitur Luc. XXIII. cap. Fol. 46.

[1]) Timoth. c. 3 etc.
[2]) Fol. XXXV. b.

propter veritatem ab eo praedicatam, duo magni hostes fuerunt sibi mutuo reconciliati coadunati, coamicati qui, ut ab omnibus in Praga dicitur, communiter nunquam se prius dilexerunt alterutrum ymo stupende quod (sic) cadaveribus humanorum corporum tanquam famelici volucres saepe certaverant. Ad hoc inductus ut reor cum ipse esset praesens Gallicus et informatus, XXIIII articulos infrascriptos confinxerunt et conscripserunt credentes me tanquam pusillanimem fugacem Christi militem de sui testimonio proelio posse terreri. Ut tantum loquens placentia non tanquam pungentia ceteros vel omnino similem vel saltem nulla talia futurorum ypocritarum vel praesentium si qui forent et simplicium oculorum omnem deceptionem tangentia juxta sacrae scripturae testimonium tractarem et eosdem articulos coram domino Archiepiscopo per modum denunciationis nulla tamen amonitione canonica praemissa praesente quodam alio legato et pluribus honestis et literatis viris praesentibus et etiam me praesente in scripto dederunt. Quibus ex superhabundanti, quia tali denunciationi respondere non debui, infra triduum scriptis eorundem falsitatem detegentibus, ita respondi, ut usque hodie non vidimus unius articuli responsionem a praedictis fratribus infirmatam. Sed cum duminus Archiepiscopus sub manu publica et suo sub sigillo scripsisset, ad hostia monasteriorum mendicantium mittens easdem literas affigi ut quisquis esset qui aliquid haberet querelae contra me et doctrinam meam, tali die in curia sua Archiepiscopali hora tertia compareret, quo termino venientes publice profitebantur quod nihil eorum quae scripsissent, possent contra me protestari sicut canunt instrumenta publica super hiis conficta. Et quia ego praedicavi convocato totius civitatis populo eo die quo magister Albertus cum domino duce Austriae venit in Pragam, promisi me publice articulos praefatos ad scandali quod in cordibus simplicium et infirmorum sibi credulorum qui tamen numero pauci et quasi nulli sunt elucescente veritate remotionem pronunciaturus dicens sicut quondam Jeremias propheta cap. XVII divina affectus justitia (— —) dixit: tu scis etc. ipsi statim procuraverunt quod fui potente prece rogatus ut talia obmitterem, ista vice timentes amplius odiri a quo (sic) sua exigente hujus meae indebitae vexationis culpa diligenter sicut lupi, quam tamen manifestationem feci feria secunda in pentecoste, intimans et demandans ipsis omnibus fratribus die pentecostes de vespere si vellent venire ad audiendum me articulos pronuntiaturum praesentibus multis viris

honestis et literatis nec non publicis tabellionibus per me ad hoc rogatis, qui omnes mihi testes sunt eorum falsitatis. Nunc vero ad eosdem articulos volens occurrere scandalo quod divinae veri(tatis inimic)us credo juxta suum antiquum morem in *Austria* per suos fautores et Christi veritatis hostes seminaverit, dum praesentibus medendum cum correctione cujuscunque melius sentientis cujus saepissime in principio meae praedicationis sum et etiam postea protestatus et hodie protestor videlicet ut quicunque me de opposito dictorum meorum et responsione quam in Praga rescribendo contra praedicatorum fratrum objectiones latius feci, informaverit verbaliter vel scripto, paratus revocare sicut etiam saepius dixi magistro praefato et suis fratribus sciens magnae esse scripturae. Sicut ait B. Augustinus etc. [1]).

Quidam eorum de numero stultorum quorum infinitus est numerus aperuerunt super me sicut leo rapiens et rugiens (ora), dicentes, simplicioribus auditoribus meis volentes quoque ipsos per hoc a sermonibus meis retrahere quod XXIV articulos in quibus haeretice dixissem, scripsissent contra me, merito nunc induuntur sicut dyploi (sic), de confusione sua ad ipsa objicientium insipientia condolens cogor respondere quamvis responsione vix digna et hoc exemplo mei salvatoris quondam sicut legitur marci cap. VII pro infidelitate pharisaeorum sicut dicit glossa interlinearis ibidem conquerentium cum eo et veritatis suae doctrinae querentium signum spiritus ingemiscentis.

In *primo* igitur articulo scripserunt, me dixisse quod quicunque recepit aliquem puerum seu masculinum vel femininum pro pecunia vel cum pecunia ad aliquem ordinem, sit aeternaliter dampnatus et quod puellae sic traditae monasteriis cum minori periculo animae tortoribus traderentur. Ad quem articulum respondi et adhuc respondeo quod in hoc quod dicunt: *cum* pecunia, imponunt mihi falsum. Sed dixi quod recipientes pueros *pro* pecunia et cum pacto, sint aeternaliter dampnati et etiam pueri sic monasteriis dati, nisi legitime super tali pravitate simoniaca dispensentur et melius esset quod puellae sic religionibus traditae prius quam monasteriis et religionibus traderentur, fuissent matrimonialiter quibuscunque tortoribus datae. — — Primam partem hujus articuli probare necesse non habeo, Fol. 47. cum haec pateat cunctis sapientibus quamvis praedicti fratres adhuc

[1]) Sequitur textus.

oblatrarent non palam sed in angulis me insufficienter et minus bene in hoc dixisse ad quod tamen probandum sufficientius ut potero semper obtuli et offeram me in futurum quocunque vel ubicunque ego fuero requisitus. Item dicunt ibidem quod nominaverim Magistrum ordinis derisorie. Non est verum, sed quodam die post sermonem, cum audissem magistrum praefatum in Pragam venisse et quod quaedam moniales dicerent nulli nisi in hoc tantum se credituras, ad populum dixi: ecce vos scitis quod quaestio satis prolixa vertitur inter nos de simonia quia quidam religiosi verbis meis (sic), consulo bona fide, nec quoscunque, ex parte puerorum suorum sic monasteriis per eos traditorum tangit hoc negotium; adeant ipsi. Sciebam enim plurimas virgines sicut et hodie scio ad monasteria ordinum mendicantium simoniace receptas esse et in eis esse quaerentes ab eo de remedio oportuno, etsi dixerint oppositum verbis meis una nobiscum sibi credam, qui respondit: quod bene diximus sed insufficienter, quia postea determinavit illam quaestionem in hoc residens quod monasterium puero recepto de pecunia per eum danda pacisci posset etiam ante professionem adducens Hostiensem hoc dicentem sicut et verum est. — —

Secundus articulus fuit iste quod dixissem, quod nullus esset in civitate Pragensi qui praedicaret omnem veritatem, quidam essent qui nescirent dicere quia non studuissent; quidam scirent sed non dicerent, quin timerent perdere suas plenas stiuras quas ex taciturnitate haberent. Ad hoc respondeo quod haec omnia sunt vera et si necesse est possum probare omnia. — Nullus enim fratrum praedicatorum ante adventum meum in Praga munierat (monuerat) simplices homines ibidem quod caverent sibi emere ex pacto locum sepulturae ab eis quem contra deum et justitiam in suis monasteriis simoniace vendebant et hoc sine cujuscunque pallio excusationis faciebant in periculum animarum suarum et aliorum, et ne cognita hujus avaritia bonos morsellos perderent ex hujus modi veritatis manifestatione, et subjunxi: Nec ego licet diu vobis praedicaverim adhuc omnem, quamvis tamen libenter dicerem, veritatem exemplo Christi qui scribis et pharisaeis usque in finem praedicationis suae si tempore oportuno plurimam servavit veritatem dicendam sicut cuilibet patet, verba evangelica perpendenti dixi. — —

Tertio me scripserunt dixisse quod non invenirentur ex ordinibus ita reverendi viri sicut quondam quia jam homines essent nimis

crapulosi. Respondeo quod in hoc articulo omnino scripserunt sicut dixi. si. Ey. Reverendi. dematur quod false apposuerant et addatur ad Ey: in ordinibus et in mundo quod malitiose tacuerunt.

Item me scripserunt dixisse ad populum: vos non vultis dare pauperibus et datis monachis qui sunt fortes et plus habent, quam habere debent, nolite talibus dare quia modicum meritum ex hoc habebitis, quia utinam in quolibet collegio esset saltem unus qui mereretur illud stipendium quod omnes devorant in guttura sua. Respondeo quod falsum mihi imposuerunt in hoc quod dicunt me eos nominasse et prohibuisse ne eis elemosyna daretur. — —

Ad *quintum* articulum ubi me scripserunt dixisse: in die Fol 48.
S. Barbarae quod truffa esset currere ad caput S. Barbarae quia esset in Prussia et non in Praga, respondeo quod dixi: quod homines saepe decipiuntur per reliquias, cujus signum esset, quod in Prussia diceretur esse caput S. Barbarae, et etiam quidam dicerent se in Praga habere, cui dicto in *responsionibus* hoc addidi et nunc addo quod sicut heu verum est quod propter lucrum diliguntur sanctorum corpora saepe plus quam diligatur propter coeleste regnum eorum vita, cum tamen sancti non fecerint sanctitatem sed sanctitas sanctos. — —

Sexto scripserunt me dixisse, quod monachi erant fatui ex eo quod, quia habuerunt unum sanctum qui instituisset ordinem eorum, crederent se sanctos et tamen adhuc sub cappa eorum laterent grossi locutores. Respondeo quod imponunt mihi falsum, sed bene verum est, quod dixi in quodam sermone tractans illud quod dixit Johannes baptista pharisaeis i. e. falsis religiosis Judaeorum qui gloriabantur de patre suo Abraham credentes se posse per hunc beari, nolentes tamen ipsum imitari in bona vita. Marc. III° Genimina viperarum. — Nullus religiosus debet sperare quod propterea salvetur quia institutor ordinis sui fuerit vir sanctus. Ut si ego vellem sperare ad B. Augustinum quod me sua sanctitate sine propriis bonis salvaret. Etiam verum est quod quadam vice loquens de simonia dixi, quod illi, quorum interest intercipere maximam monialium quae in monasteriis committitur, simoniam, et non faciunt, decipiunt homines sub specie religionis in periculum animarum suarum et omnium a se deceptarum.

In *septimo* articulo scripserunt me dixisse cum loquebar de humilitate Johannis Bapt. qua dicebat: non sum dignus, ubi sunt

modo tales religiosi, modo rari sunt quia heri unus dixit de ordine mendicantium quod pes magistri sui esset literatior quam unus valens et doctus vir quem etiam digito demonstravit sicut scabini audiverunt. Respondeo quod haec sunt verba quae scribunt in loco quia dixi omnia ista et adhuc dicerem si talia per eos dicerentur. Factum enim fuit quod cum primo citassent me praefati fratres coram domini Archiepiscopi Pragensis officiali et ego cum scabinis et juratis civitatis mihi coassumptis comparuissem, coepi causam inquirere quare essem a Magistro ordinis praedicatorum et fratribus suis citatus. Tunc unus de fratribus quia magister praefatus ibi non erat, inter caetera vanae gloriae verba dixit ea verba praescripta ad illum valentem et literatum virum quem duxeram mecum qui est consiliarius domini Imperatoris et protonotarius civitatis Pragensis qui bene se vindicavit de eis quia dixit eos publice audientibus omnibus, omnes simoniacos esse una cum magistro suo. Illum igitur fratrem quia pro tunc et superbe et manifeste locutus fuerat ego in quodam sermone publice praedicato audientibus scabinis qui suam vanam gloriationem audierant, ipsum tamen non nominans ut de caetero talia non faceret ad memoriam reduxi tanquam nitentem confundere ubi dixi veritatem.

In *octavo* articulo scripserunt me dixisse quod omnes qui cum pecunia monasteriis traderentur sunt dampnati et melius esset tales puellas tortoribus tradi. Respondeo quod hic inserueram: commiserint conjugationem, quia idem quod in primo articulo est objectum et solutum in eisdem verbis hic objecerint.

In *nono* articulo scripserunt me dixisse quod convertissem unum juvenem et nominaverim eum. *Respondeo* quod in hoc omnino verum quamvis captiosa mente dicunt. Accidit enim quod multi Judaei visitarunt sermones meos inter christianos scil. viri et mulieres manifeste stantes et sedentes cum christianis et in turba dictum fuit mihi quod quidam christiani male tractassent judaeos et prohibuissent judaeos et judaeas de caetero transire ad sermonem. Igitur super hoc facto dolens quodam die cum populus surrexisset post sermonem dixi: etenim ego audivi quod quidam ex vobis repulerint judaeos a sermone quem intente audierunt, hoc de caetero rogo non faciatis quia appropinquavit dies novissimus ante quem omnes Judaei juxta Ysaiam sunt convertendi. Forte ex eis aliquis ministrante deo convertetur. Quod si fieret non esset mirum quia *Hankpayer* modo

est conversus. Ubi sciendum quod iste Hank est unus curialissimus jnvenis et mirabilis valde, multum in Praga portus mulierum qui in praga dicuntur Hellemprecht Stelzer, nobiscum in Austria Gamerati. Ille fuerat valde indisciplinatus ante adventum meum in Pragam Fol. 19. ita qund quum Civissae quibus honisabat vel quaecunque aliae sedebant in quadragesima in praedicatione, jaciebat super eas lapillns et etiam in principio adventus mei in Pragam fuit mihi aliquando diu ingratus. Postea fuit conversus cum multis aliis cnmplicibus ejusdem vanitatis qui valde devote met (mente) sedebat in quadragesima ad sermonem quamvis adhuc alias sit homo mundi et mulierum amator et alias tantum quantum prius secundum cor. De hoc juvene jocose dixi arguens per locum (jocum) amicorum sciens quod non egre ferret quia bonus meus amicus est et de hoc gaudebat. Ex quo conversus est ille, posset etiam judaeus converti, unde hunc articulum sicut et alios plures bene obmisissent sed invidia stimulati non potuerunt. — —

In *decimo* scripserunt me cum quadam vice publicum notarium misissent ad sermnnem meum et idem notarius memoriam testimonialem petierit a quibusdam laycis qui sedebant in sermone quod tunc notarius eornm fuerit male tractatus, ipse et fratres de ordine qui venerant secum et nisi *evasissent, verberibus* fuissent male tractati et post eos fieret quod essent haeretici clamatum: *Respondeo* sicut eisdem fratribus in Praga respondi, quare de hoc contra me causentur, agant contra illos qui eis talia quae antea scribunt, intulerunt, cum deo teste ex mea ordinatione non sit perpetratum. Sed mirandum est omnibus lectoribus scripturae praesentis quod ille publicus notarius de quo hic scribunt cum nnminaretur, fuit inventus purus *Bohemus* et ego praedicaveram *teutonice* et scripserat tantum ea quae captiosi fratres suggesserant, sed postquam non modica innotuit insipientia praefatorum fratrum et per consequens illa quae scripserat merito fuerant falsa.

Undecimo dixerunt quod dixeram in quodam sermone post citationem: karissimi, cras erit terminus in quo debeo cum magistro ordinis disputare, ideo qui vult audire vel rescire veritatem, invenietis qund veritas vel omnino subpeditabitur vel ad lucem deducetur. Respondeo quod hic omnino dixerunt falsum. Si ita verum esset sicut est valde falsum quamvis ipsis nil etiam inconveniens sit

impossibile dicere, non credo quod possent dicere erroneum vel haereticum nisi vellent astruere valde falsum.

In *duodecimo* articulo scripserunt quod cum debui comparere, concitaveram totum populum contra eos et praecipue contra magistrum ordinis et quod cum tali turba virorum et mulierum pontem transiturus ecclesiam fratrum praedicatorum transierem quae est ibi in via, multi de turba videntes fratres in ipsos exspuerunt et pejores quam haereticos esse dixerunt et hoc fecerunt eundo et redeundo et dixerunt omnes fratres esse cremandos. Super illo articulo respondeo quod in hoc imponunt nihil falsum quod quemquam concitaveram contra ipsos, sed ipsi sibi ipsis causa horum obprobriorum praeteritorum et interea secutorum et infuturorum per suam invidiosam et malitiosam mei vexationem, quae utique non modicum dedit mihi ad eorum obviandum maliciis intellectum. Cum enim die quo secunda vice comparere deberem, praedicassem, dixi in ambone ad scabinos civitatis: vos semper verba mea audivistis, duo ex vobis propter cautelam et testimonium vadant mecum, quia de nullis aliis sum necessarius. (N)ullo modo timeatis, ego bene defendam me ab eis quia dudum dixi vobis, qui vellet multum loqui de veritate, statim pateretur adversitates. Tunc statim sine omni sponte mea ivit mecum et cum scabinis populus valde multus virorum mulierumque quem nec ego nec magister Bernhardus civitatis Pragensis Protonotarius potuimus prohibere. Contumelias vero quas se passos dicunt, nisi devote (?) resipuerint videlicet meae et cujuslibet praedicationis sibi populum rapientis vexationis indebitae et veritatem praedicantis, plures utique patiuntur quam ipsi in civitate Pragensi utique vel nesciunt vel non possunt vel non audent vel quocunque alio impedimento dato interveniente longe a zelo Moysi facti quondam dicentis cum zelo sed non secundum scientiam etc. — — Sed hoc totum quod sibi dicunt illatum sine cumordinatione mea deo teste fuit factum.

Fol. 30. In *tredecimo* articulo scripserunt me dixisse quod recipientes puellas cum pecuniis essent pejores quam haeretici, quia Arianus haereticus fuit illius opinionis, quod pater et filius generaverant spiritum sanctum propter hoc quod esset eorum servus, sed isti tales non solum faciunt ex eo servum sed etiam vendunt ipsum. Respondeo quod dixi, quod Macedonii haeretici magis sunt tolerabiles simoniacis. Illi enim scilicet Macedonii creaturam et servum dei patris et

filii spiritum sanctum delirando fatentur; isti vero eundem spiritum sanctum efficiunt servum suum. Glossa, quia vendunt ipsum. Quod si adversarii non credant, videant decretum q. j. capitulo: eos. Alia vero omnia in hoc articulo posita sunt falsa, quia et hunc canonem dum hanc materiam pertractarem, audientibus pluribus et solempnibus viris et literatis et juris canonici peritis allegando adduxi. Ex quo apparet quod hujus confictores et conscriptores citaverunt nescientes etiam per aures retinere allegatas scripturas ego multo minus (possum?) personaliter scire.

In *quartodecimo* articulo scripserunt quod nominaverim unum probum virum qui esset mihi oblocutus et doctrinae meae et jusserim eum a scabinis disciplinari. Respondeo quod si probus fuerit nescio, sed ipsis fratribus quilibet est probus, licet esset maximus mundi usurarius vel alias criminosus si tamen diligeret et promoveret ordinem non advertentes aeternae dampnationis Ve. — — Fuit in F. 30 b. principio praedicationis meae in Praga fautor eorum sed nunc bonus amicus meus quia nescivit me intelligere. fuit enim bohemus. Unum scio quod publice in alia domo quam in sua dixerat: ego praedicarem de antiquis rebus, quia quasi in omnibus sermonibus meis argui *superbiam* Pragensem, *avaritiam* et *luxuriam* saltem in thematibus per prophetas. Ego quando minus crederem, jactarer in flumen in sacco. Quod cum cognovissem, statim manifeste coram omni multitudine civitatis et scabinis in sermone proximo denuntiavi ipsum, rogans publice scabinos, ut ipsum ad verbum ponerent et productis testibus quos eis nominarem, quia audiverant contra ipsum, in terrorem aliorum et praesertim monachorum, quorum fautor erat, bene disciplinarent. Sed in hoc mihi falsum imponunt qui dicunt me ipsum nominasse publice. hoc enim non est verum. Hoc igitur statim cognito quod feceram personaliter, venit ad me humilime confitens culpam suam ac propter deum rogans plurimum angustiatus ut parcerem sibi, quod statim gaudens feci, lucrans fratrem meum, non enim peccaverat in me solum sed in multos. Igitur licet dixissem ecclesiae(?), statim adii magistrum civium et sibi omnimodam indulgenciam absque omni correctione impetravi.

In *quintodecimo* articulo scripserunt me dixisse in quodam sermone: sciatis quod nullus dicit aliquid contra me, quia sciunt, quod sim verax et quando deus mittit nuntium suum, tunc multi sunt

contra ipsum. Ubi sunt illi vel illae qui praesumant loqui contra me. Neminem enim video et quia diu aliud non percipietis, credatis verbis meis quae dixi de simonia monachorum et monialium. Respondeo quod in hoc quod dicunt, quod dixerim me veracem imponunt mihi falsum. Sed bene dixi cum audirem eos in angulis contra sermonem meum et doctrinam meam murmurare et per begninas [1]) suas homines inducere ad oppositum doctrinae meae et in publico foro declamavi: nulli credatis de mundo seductori nec seducenti, aliud quam vobis praedico dicenti, nisi illud manifeste in ambone hujus loci in quo ego sto, per eosdem fuerit reclamatum quia alibi neque in suis monasteriis populum nullum sed quatuor beguinas vel quinque in suis sermonibus *teutonicis* ut hodierna declarat evidentia habere potuerunt, quod hodie libenter admitterem ut magis ac magis clarescerct insipientia fratrum praedicatorum et per consequens ultra juxta vaticinium apostoli ubi supra. perficere non possent, quia nunquam aliquis a me ante ipsorum mihi factam publice per suos objectiones falsas resistentiam audiverat eos, de quibus christus venturus loquitur etc.

Fol. 51. Item scribunt in eodem articulo me dixisse simoniacos esse pejores haereticis et allegavimus illud dictum VIII de simone mago. — — Simoniaci nostri moderni nullo modo permittunt se flectere cum tamen sciunt se stare contra veritatem. Respondeo quod omnia illa dixi tanquam vera et adhuc constanter dico, quod si nolunt me dicere affirmationem oppositionum si possint et ego licenter retractabo quae dixi. *Quaedam alia* scribunt in eodem articulo quae omnia sunt falsa vel *saltem ponderè nullo, de quibus capto otio plenius scribam.*

In *sedecimo* articulo scribunt me dixisse in quodam sermone: causa quare circa parochiam meam non residerem, esset, quia ipsam duo monasteria fratrum mendicantium ibidem attenuassent et essent ratio quia abstulissent sibi populum suum et sibi attraxissent et *clinkvarent* jugiter illa duo monasteria alterutrum, ut relicta parochia per populum, visitarentur et subjunxerim: Karissimi. Ego cum dolore conqueror vobis quod non fit immerito quia unus monachus seu frater publice subtraxit(?) dicens quod quaecunque loquerentur ibi de

[1]) beguinas.

vicariis parochialis ecclesiae omnia essent falsa et elevatis oculis dixerim: ego conqneror deo, quousque habuero judicem contra ipsos, populus Pragensis ad maledicendum monachis fuerit motus. Respondeo quod omnia ista sunt vera, propter[1]) hoc quod dixerunt esse hoc praecipuam causam, sed bene fuit concausa et utrum populus eis maledixerit, de hoc nihil mihi constat, sed ad hoc dicendum fui sic motus habens tractare die Johannis evangelistae illud: cum Petrus quereretur ad dominum etc. Sed quia multi praefatorum fratrum private murmurabant dicentes ego deberem esse in parochia mea, libenter habentes populum in sermonibus suis, quos tamen etiam me recedente non multum curassent, cum omnes facti sunt quasi canes muti non valentes latrare, sicut de ipsis ysaias LVI prophetaverat ac pro parte sunt(?) sicut patet intuenti et hoc loquor de certa scientia de fratribus Pragensis civitatis. De aliis pro ista vice non curo, quia si ad ecclesiam meam venero, non credo quod amplius sinam seduci per ipsos oviculas meas, sed dabo eis de sale verbi dei sicut potero ad lingendum quae non curabunt infructuosa et forte noxia pascua aliorum, sed suum pastorem audientes ut spero vocem ejus sequentur tanquam sal non infatuandum etc.

Decimo septimo scripserunt me dixisse, quod multi ante annos Fol. 51.
discretionis traderentur monasteriis qui postquam (cum) ad annos discretionis pervenerint, libenter essent foris, et nunc sic talea non possint salvari. Respondeo quod spero cum sapientium et melius scientium correctione quod hoc dixi. — Et ad hoc dicendum fui motus quia (per) homines civitatis Pragensis audiebam per praedictos fratres ut pueri adhuc in uteris matris existentes suis ordinibus voverentur, procurari et nomen sanctorum vel sanctarum sui ordinis nominari et quod ne fieret ut potui publice prohibui nisi sub hoc pacto, si pueri voluissent hoc votum cum ad annos discretionis pervenerint, suo libero arbitrio ratificare; alias animabus puerorum votorum et parentium voventium esset periculosum.

In *decimo octavo* articulo scripserunt me dixisse, quod vellem probare contra dominum papam quod pitantia quae pro receptione puerorum datur esset simonia. Respondeo, quod etiam non aliter adhuc dico quod mihi non videtur cautum, quod pitantia pecunialis, quae

---

[1]) praeter.

in receptione puerorum cum certo numero postulatur alias non recipiendorum a quocunque detur, quia hoc probibuit dominus papa. Quod si quis non crederet, debet videri canonem. Extr. de simonia, capitulo Jacobus.

Et in hoc criminantur articuli per fratres praedicatores et sibi adhaerentes, aliorum ordinum nescio fratres contra me Conradum. Nunc praemittitur scriptum cum brevibus responsionibus pro ista vice ad eosdem.

Incipiunt articuli per fratres *Augustinenses* in Praga singulariter contra me scripti, quibus respondebo juxta stultitiam suam, ne videantur sibi sapientes, ad gloriam dei et futurorum Christi praedicatorum contra eorundem insultus in domino et in potentia virtutis ejus confortationem.

1. *Primo* scripserunt me dixisse (ut supra in articulis fratrum Augustinensium p. 2). Respondeo quod in hoc plene mihi imposuerunt falsum, sed per contrarium dixi quod status bonorum religiosorum est perfectissimus. — —

Fol. 53. Video in plerisque monasteriis tantam intemperantiam in commessationibus potationibus et construendis aedificiis vanitates ac superfluitates percepisse et concessisse. Miror enim unde inter monachos ubi hoc studiosius voluptuosius atque effusius fuerit ibi ordo melius teneri dicatur, ibi major putetur religio (Bernhardus).

2. *Secundo* scripserunt (ut supra). Respondeo quod hoc in ambone nunquam dixi nec vellem hoc tunc dixisse ad confusionem ordinis fratrum minorum sine magna necessitate. Sed bene verum est quod disputans de paupertate seu mendicitate Christi cum quibusdam fratribus in privato, cum dixissent Christum omnino pauperem fuisse nec quidquam proprii habuisse: respondi, hoc non dicatis, cum dicatur Christum loculos habuisse quia ut audivi fratres ordinis vestri qui hoc irrationabiliter tenebant et dicebant, fuerunt in curia cremati, quod tunc non credebam ab eis adverti, alias non dixissem, sed ut postea certius comperui omnino fuit verum. Bene enim habeant meam positionem. contrariam defendere possunt[1]. — —

---

[1]) Cum primo anno in Praga praedicassem aliqui valentes viri de ordine mendicantium mihi in faciem dixerunt: vere regratiamur vobis quia aperuistis nobis oculos. Sed postea statim secundo anno dixerunt sicut et hodie dicunt, ego absciderem eis bursas et loculos evacuaveram. (Fol. 53.)

Hoc promitto fratribus ordinis mendicantium per praesentes sicut in publico consistorio archiepiscopi ecclesiae Pragensis omnium ordinum fratribus praeter Carmelitas publice lectis articulis dixi, quod quicunque fuerit ex eis primus qui ostenderet mihi ex scripturis canonicis Christum mendicasse, cujus rationes solvere non possum, dabo sibi unam sexagenam grossorum pragensium pro cappa panni rudis sicut pertinet ad professionem suam et emolumentum laboris sui. — Fol. 35.

Sequitur necessario quod aut Christus verum non dixerit aut non mendicavit. Cum hoc praemitto cum in Praga ubi hoc praedicavi tunc melius nesciens dicere in hoc casu juxta meam creberrimam protestationem inibi factam sicut debuero libentissime retractabo, cum etiam in hoc mecum resederint, quod omnia mea alia dicta in articulis praefatis et dicendis sint tolerabilia, sed hoc tantum sit contra fidem, de quo tamen certus sum quod hoc nullus homo alicujus nobilitatis in Praga vel etiam simplicissimus credit, nisi sit beguina, unde non credo, quod in hoc, quod saepefati fratres ita ardenter et vere sicut evidens est ut plurimum sine magna necessitate mendicant et pro hac ratione discursuum in contemplacione maxime impediuntur, Christum — imitentur.

3. *Tertio* articulo (ut supra). Quarto articulo quod dixerim ad quosdam fratres ordinis sui quod apostarent, respondeo quod imponunt mihi manifestissime falsum, quia nunquam aliquid talium in ambone dixi, sed contigit, cum primo coepissem contra pravitatem simoniacam pro directione multarum animarum in Praga praedicare, quaedam mulier honesta cum quodam Augustinensi filio suo ad me venit, conquerens quod ipsum eundem filium suum ad ordinem, in quo erat traditus, cum redditibus annuis duarum marcarum alias nequaquam receptandum in ipsum (dederat), etiam filio suo affirmante, tunc quaesivi a fratre si qui tales in ordine essent. Respondit quod sic. Cui dixi: vere mihi videtur quod indigeant dispensatione. Qui respondit: ymo duo e fratribus iverunt ad curiam et priorem coegerunt ad ipsis praesentibus eorundem pecuniam restituendum et literas super redditibus per se datis. Cui respondi: vade et tu, fac similiter et salvus eris. Quod ille ut tunc perpendi, facere recusavit et ut credo ex hoc dicto meo hos duos articulos contra me scripserunt, ut in hoc ostenderent internam paupertatem suam et revelarent etiam ante ultimum judicium pudenda sua. Fol. 36.

Quinto scripserunt mihi haec verba quod (ut supra). Hic inde respondeo quod miserabiliter propria malitia more suae generationis (agunt?). — Plane imponunt mihi falsum, quod si negaverint, producant in medium ad confirmandum dictum suum praedicta Christi quae contestantur me pacis turbatorem. hoc scripserunt consimiliter vocibus pharisaeorum Christum false accusantium coram Pilato consonantes, commovit populum docens per universam Austriam incipiens. Ut verum saltem in hoc dicant a Romae civitate sedis apostolicae scil. anno jubilaeo docens per universam Austriam usque huc scil. in Pragam ex nunc mirabili dispensatione *civitatem imperialem*, sed quia nulla testimonia per dicta Christi hactenus produxerunt, quamvis de hoc publice fuerint requisiti, quod etiam libenter vidissem, respondens eorum calumpniis dico quod nunquam intendi turbare in sermonibus meis vel turbari pacem bonorum sed malorum, quemadmodum Christus pacem scribarum et pharisaeo-
Fol. 58. rum [1]). — —

Sexto scripserunt me dixisse in haec verba: videtur sexto quod evidens ratio (ut supra). — Prius ad ista respondi, quod modo oporteat respondere, quia reverendo domino meo Archiepiscopo Pragensi tanquam de statu meo plenius informato per literas domini Imperatoris et dominorum de Rosenberch et etiam praepositi et conventus mei supplicavi in *libello responsionis* meae coram eo factae quia vim paterer, quod per me respondetur in hoc casu, licet ego possim bene eosdem fratres literis meis quas adhuc habeo, convincere false scripsisse. Sed quia (nec) responsionem domini mei Archiepiscopi suprafati nec etiam meam admiserint sed dixerint simpliciter nil eorum, quae scripserunt probare se posse, — — igitur praefatis objectionibus respondeo per praesentia scripta quorum copiam videbunt suo tempore fratres praedicti ne deplangere possent si velint et possint in hoc magnum errorem suum et salva gratia mendacium satis praesumtuosum cum mendacium tale pro toto mundo non debeat facere etiam homo saecularis.

Primo igitur hujus sui dicti primam ponunt rationem scilicet quod apostata debeam esse quia contra votum et regulam S. Augustini

---

[1]) Sequitur apostrophe ad S. Bernhardum: ex quo tanta de religiosis tui temporis narrans cum tales discursores jam de Boemia in tulam Poloniam mendicando discurrentes non videris, quia nondum fuerant tempore tuo. (Fol. 58.)

acceptaverim ecclesiam, dico quod tanquam stulti et illiterati dicunt in hoc et contra determinationem S. Matris ecclesiae Romanae quae canonicis regularibus admittit ecclesias saeculares regere et possi- Fol. 39. dere et suae professionis monasteriis non incorporatas et hoc si abiles sint ad seminandum verbum dei ymo, non solnm ipsis sed etiam quibusdam aliis religiosis. Et cum (hoc) sit omnibus sapientibus valde plenum, amplius de hoc dicere cesso. — —

Item id quod dicunt quod non dispensationem (babui) ad hanc ecclesiam capiendam, similiter est falsum sicut possum suo tempore evidenter docere cum dominus Archiepiscopus Pragensis rite dispensaverit mecum de consilio valentium virorum et canonistarum.

Item quod dicunt me possidere proprium similiter est falsum, quia proprium non habeo sed rerum ecclesiae meae usum, cujus mihi praesentationem dominus Imperator licet *nunquam me viderit*, qnia tempore meae praedicationis primi anni in Praga non fuerat, Fol. 39. ad partes Austriae per dominum de Rosenberch me inscio misit a nullo homine ad hoc persuasus. O quantum libenter ipsi si hoc fieri posset ipsam caperent propter lucrum pecuniarum, quod licet mihi hoc improperent, quod deo teste feci pure propter lucrum animarum, quia nunqnam praefatae ecclesiae meae usum bene habere possum, quod si non credunt mihi, credant ecclesiae Christi.

Huic vero objectioni ymo verius odiosae detrectationi, qua dicunt, veritatis amatorem attendere periculum populi Pragensis quo sinatnr, subaudi secundum eorum mentem, propter praedicationem meam laborare, respondeo ut licet contradictio et iniquitas teste praesentium videri possit in omni civitate praedicata etiam in plateis reclamante veritate quia perversi difficile corriguntur, nihilominus cum civitas Pragensis de caetero ut spero minori periculo animarum subjacebit, tum quia multis simoniacis virginibus alias in aeternum eorum fratrum taciturnitate perituris succurreretur, pro quarum dispensatione ad curiam Romanam est jam missum et de caetero cavebitur, ne tantae vorago turpitudinis a quoquam homine simplice sicut prius multis annis factum est, miserabiliter ac laetaliter incidadatur; tum quia multi pseudoprophetae visis scripturarum testimoniis si qui venerint de caetero vel si aliqui jam venerint, quamvis induti vestibus ovium, religiosorum verborum blanditiis, e fructibus suis, ne redemptas Christi oviculas tanquam lupi rapaces crudelius

devorent, evidentius cognoscentur; tum quia multae superbae mulieres audito suae superbiae periculo a praedictis fratribus nunquam ut fieri debuit detecto, a tanto diabolici peccati vestigio ad humilitatis yma descenderent; tum quia plures usurarii a malitiis suis resipiscere certa scientia se velle dinoscuntur, quorum unum notabilem ego tanquam suae animae medicus in cura mea praesenter ex commissione domini Archiepiscopi et sui plebani habeo, qui omnibus restituit, quicunque per me fuerint dejurati, quod utique ut credo praedictorum fratrum sollicitudine non fuisset factum, ymo ut firmius existimo, si idem in peccatis suis fuisset mortuus et eam quam restituit debitoribus pecuniam ipsis ad suum sanctum conventum ex devotione et eorum inductu dedisset, ipsi ipsum postposita omni conscientia in ecclesia sua absolutum suo dicto ab omnibus peccatis suis gloriose et cum longa processione fratrum altisone cantando per pontem multaviae apportantium sepelissent, non attendentes quod anima illius ut sic miseri cum divite epulone fuisset in inferno sepulta, et propter hoc ejus cadaver foetidum merito ecclesiastica sepultura fuisset privandum. et quod vere plangendum quia oportet eos, si talia fecissent, sibi in aeternum in flammis ultricibus gehennalis punire consepelire; quod probabiliter veritatem loquens cogor dicere, quia in Alemanniae partibus nunquam comperi aliquem usurarium licet valde manifestum ab eorum monasteriorum sepultura et praesertim si quas pecunias notabiles se inde sperassent assecuturos coherceri, cum quia videntes (sic) quod populi multitudo ipsis cum suis blandis sermonibus derelictis me statim cum in Pragam venissem etiam plurimum corripientem licet sermo meus et praedicatio mea cum apostolo 1 Cor. 1 non fuit in persuasibilibus humanae sapientiae verbis sed prout Christo juvante potuit, in ostensione spiritus et virtutis sic usque hodie secuta, forte et ipsi exemplo hujus et (ad) arguendum peccatores induantur spiritum veritatis plurimi peccatorum mortua corda increpando vivi-
Fol. 60. ficantes. — — Nunc facti sunt temporalium mercatores qui cum dolore cogor dicere querendo sibi ad pluriora (sic) ut fatear obtinenda munera amicus nescio si juxta amicos vel amicas — — (verbum deest), cum enim ad colligendum (pecunias) — exierint, secum tanquam institores avaritiae quae est ydolorum servitium legitime facti vel bursas vel cultellos vel coclearia et acus et consimilia, de quibus modo non est dicendum, per singula mulieribus virginibus et ancillis coquinaribus precantes praesentant, ut acceptis cum multis verborum blandiciis hiis

munusculis ab eisdem largius remunerentur in elemosynarum donis; semper in omnibus suis sermonibus interpellationem inserentes, date nobis et orabimus pro vobis, cum tamen Christus suis praedicatoribus non legatur nec percepisse nec permisisse ita venalem super exhibere orationem. — Licet omnem suam pecuniam in cibos pauperum et non fratrum divitum erogarent praedicatoribus obstinatis et non contractis (?) offerrent ut si non esset filius pacis in domo hujusmodi, reverteretur in se ipsos et comedere et bibere simplices cibos, qui apud illos essent et non seorsum cum magnis piscibus et begwinis pingwibus aliisque hospitibus in abditis aedicularum in mensis splendidis diversisque ferculorum alias etiam a saecularibus invisorum epulis et optimi potus copia vinique peregrini cum epulone quasi quotidie convivando, dominus suos praedicatores veros non mandaverit collocari sed timeo quod pereant cum mercibus illis. — Sed heu isti fratres gloriantur cum Fol. 61 insipiunt neminem se neque dominum Papam, quem tamen omnes praelatos mundi licet maximi et virtutes et potestates principum saecularium — metuunt et tremunt, neque dominos cardinales vel episcopos prohibere posse.

Mirandum est etiam quod balaam licet mercede iniquitatis conductus sicut legitur numeri XXIIII° dixit se sermonem domini praeterire non posse nec aliquid mali ex ore suo proferre, quod nihilominus isti fratres nescio a quo conducti tanta mala contra me et me quantum (?) praedicatorem, dei nuntium non solum locuti esse sed etiam conscripsisse videantur et per consequens contra ipsum, ipso dicente: qui vos spernit me spernit, quaerentes experimentum ejus qui in me quoad veritatem loquitur Christus, volentes tamen multo meliores esse balaam et religiosi, cum tamen ut scribitur Jacobi cap. I°. Quisquis putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, hujus vana est religio et sicut dicitur ibidem: summa et munda est immaculata religio haec, hoc est visitare pupillos et viduas in eorum tribulatione per fraternam compassionem et ab hoc saeculo se custodire immaculatum. Amen.

Expliciunt articuli contra dominum Conradum praedicatorem ecclesiae S. Galli per fratres Augustinenses.

B. Militius.

Ex MS. Mathiae de Janova.

De praedicatoribus qui revelant antichristum et de multitudine ipsorum successiva.

Bibl. Mus. Bohem. II. C. 12. pag. 199.

Quantum ad praesentem inquisitionem attinet, alius Helias, id est vir habundans spiritu Heliae, requiratur, qui diutinum rupit silentium, de adventu Christi ultimo et antichristi. Etsi vultis accipere, quantum notitia gestorum in asserendum inducit, ipse est Myliczius venerabilis presbyter et praedicator potens in opere et in sermone, cujus verbum tamquam facula ardebat et similiter *Conradus Walthauser*, homo utique religiosus et devotus, qui dictis suis et scriptis principales metropoles sanctae ecclesiae repleverunt, utpote Romam et Avinionem, ubi papa, et Bohemiam atque Pragam, ubi ecclesiae imperator et unus ipsorum sc. Conradus in Praga occubuit, ubi caesar, alter Avinione est mortuus, ubi papa et ambo in extremis articulis pro Christi Jesu veritate et justitia in medio tribulationis pessime occubuerunt usque ad mortem decertantes contra bestiam et gentes dilaceratas et divulsas videlicet gog et magog et obsecro hic virum quemque lectitantem, ne mihi indignetur, si testimonium probibeo his, quae oculis vidi et meis auribus audivi et manus meae tractaverunt, quamvis pro eo passurus contemptum et plurimas derisiones, tamen scio, quod nihil novum vel inopinatum mihi eveniet, cum omnibus, qui volebant vivere in Christo, a saeculis similia acciderunt, pati risum, tribulationes multas, professibus veritatis. Illud est semita regia et publica omnibus orthodoxis Christianis a principio usque finem. Mihi iterum dominus Jesus Christus crucifixus erit requies in saeculum saeculi, et gloria mea testimonium conscientiae meae. Nunc ad narrationem de probissimo Myliczio remeabo. In quo quidem *Myliczyo*, quod nomen latinum in sermone translatum sonat carissimus, ego vidi ejus omnem dilectionem et viscera miserationum et ad omnes homines et ad inimicos et persecutores redundare, ut nullus erat, nisi forte spiritu antichristi agitatus, qui cum ipso habebat loqui vel agere, qui amorem et gratiam atque suavitatem spiritus ab ipso non hauriret, nullusque non consolatus ab eo recedebat. Iste veluti alter Helias in omnibus se prorsus exhibuit. Nam inedia cilicio et onere multaque austeritate incessanter corpus atterens laboribus continuis in salute populorum insudabat, in tantum, ut secundum

cujuslibet spectantis judicium, labores sui omnem valentiam hominum et robur carnis excedebant; nam continuus erat in confessiones audiendo, in visitando infirmos et in carcere et infirmatos mestos et peccatores consolando et convertendo. Hic nempe dimissa curia imperatoris Caroli tertii (IV), in qua erat singulariter famatus et dilectus, relictis insuper omnibus, quae possedit et beneficiis atque officiis honestis in pragensi ecclesia cathedrali perfecte Christum Jesum est secutus eligens obprobrium Jhesu crucifixi portare exeundo extra castra et esse abjectus in domo dei magis, quam divitias et gloriam filiae pharaonis in tabernaculis peccatorum commorando et ita omnia impendere et super impendi pro salute animarum paratus se totum et expedite obsequio pauperum Christi et verbo Dei praedicando destinavit; quapropter stupenda et a seculis inaudita illi dominus Jesus donavit, qui ipse in brevi tempore prope ducentas meretrices ad poenitentiam convertit notorias et publicas, exceptis aliis peccatoribus sexus utriusque, quae latenter poenitentiam assumpserunt. Adolescentularum autem virginum et viduarum non erat numerus, quae miro modo igne caritatis Jesu a verbo ipsius inflammatae usque hodie per universam Bohemiam perseverant. Ipse vero Milicius filius et imago domini Jesu Christi, apostolorumque ipsius similitudine prope expressa et onerosa predictas meretrices poenitentes suis sumptibus fovit, ipsas a fornicatione suis pecuniis magnis redimens, quasi pater dulcissimus et plenus miserationum domini ad curam suam assumpsit vestiendas, nutriendas et informandas, modoque mirabili fovit eas, quasi gallina pullos sub alis suis, et quasi aquila provocans ad volandum, et super eas volitans, cum quantis lacrimis, cum quanta pietate, cum quanta sollicitudine, ne iterum relabantur, cum quanto labore et fletu personaliter eas requirendo reducere, quas recidinare contingebat et quanta patientia cum quanta compatientia infirmitati ipsarum viscera meretricium ad easdem effundebat et operamina exercebat, quis posset digne exarare vel stilo commendare. Ego quippe confiteor me decimam partem non sufficere ad dicendum solum eorum, quae cum tempore brevissimo sibi commorans egomet oculis vidi, auribus audivi et manibus meis contrectavi; in hoc siquidem loco apud me optime est verificatum illud vulgatum poëticum, quod copia me facit egenum et de virtutibus Myliczii ad scribendum. Ego vidi ipsum, cum nihil prorsus possideret, quia, ut pridem dictum est, omnia reliquerat

propter Christum, tamen ducentas personas de mulieribus poenitentibus sua sollicitudine nutrire et vestire et habundantor omnibus procuravit quotidie ministrari; propter quod tum omnibus libris, quos solos pro docendo habuerat et paucos, obligatis, vendiditis et expensis, tunc mutuando a divitibus et rogando non sine magnis contumeliis et repulsa discurrendo, quia tota die cum fatigatione utique procurans, quod prefatae pauperculae et in fine sine defectu sacientur, sicque sine ullo tedio imo cum magna dulcedine agonizans omni die et per omnia laboravit cum ipsis multos annos semper plures et plures suscipere dulciterque ad se confugere et ad Christum Jesum non negabat, sed et ad mortem usque in eo perduravit. Tanti autem zeli ad modum Heliae fuit hic dignus Deo presbyter pro lege Jesu et ipsius veritate et virtute, quod quasi incessanter ac infatigabiliter cum multitudine pseudoprophetarum, religiosorum, sacerdotum alias legisperitorum atque clericorum infinita concertando fuit fere quottidie in articulo mortis pro veritate constitutus.

Hic praelatos summos, archiepiscopos et episcopos corripuit viriliter pro his, in quibus visi sunt aberrare; hic indutus zelo quasi thorace imperatorem praedictum aggressus digito indicavit et dixit sibi coram omnibus, quod ille sit magnus antichristus, propter quod carceres et vincula diutine est perpessus. Hic Romae episcopis et praelatis in summo praedicavit, jam antichristum advenisse et quod ipsi hildem, quia contrarie christo faciebant, sint membra antichristi, et pro eo iterum similiter captivitatem et vincula pertulit ab antichristis. Hic papam aggressus et suos cardinales similiter pronunciavit animose, jam antichristum in sanctos dei insanire, pro quo iterum atque iterum fuit abjectus et derisus, devoratusque a dentibus Behemoth et antichristi. Hic Pragam metropolim et imperialem civitatem pro tunc nimis sceleratam et proprie spiritualiter Babylonem ingressus, draconem, quem spiritualiter pro deo inibi colebant, et meretricem magnam, matrem antichristi antiquam et fornicationum simul et bestiam coccineam, cui meretrix spurcata praesidebat, viriliter invasit, et ita constanter expugnavit per multos, donec innumerabilis multitudo ipsius zelo concita insigni secundum christum atque continuis increpationibus, obsecrationibus instantiisque multimodis inportunis, oportunis fatigata et convicta tandem erubuit, et a suis notoriis criminibus et horrendis declinavit. O quam multa vitia et habundantia omnis iniquitatis abierunt retro debellata per eundem, quae nisi

Myliczius venisset, procul dubio suum clamorem ad coelum usque effecissent, quidem prorsus quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomora periissemus. Ast nunc Christo Jesu propitio nutu et labore Myliczii Sodoma rediit in antiquam dignitatem et de Babylone spiritualiter facta est Praga jam Jerusalem habundans omni verbo christi et doctrina salutari; nam vitiis horrendis, praesertim publicis jam expugnatis et post tergum projectis, virtutes in Christi Jesu animabus jam pullulant, caputque erigentes continue atque quotidie invalescunt, sed numerum et gradus Jesu crucifixo ipsis praestante gloriosa incrementa. Istius autem gloriosae victoriae et magnae in Bohemia et late salutis optime figura et exemplar sunt notificata et expressa in conversione praedicta tantarum et tot simul meretricium in praedicta civitate, et id, quod Myliczius non quidem casu, sed dispositione J. Christi perfecit, expugnando verbo Christi et redimendo atque ad fundum destruendo antiquum et famosissimum prostibulum in Praga videlicet vitium illud pessimum et horrendum, quod dicebatur Venetie utique a venere nuncupatae et in linguagio boemico Benatky, atque ibidem scolam et templum et locum omni gloria et virtute fundatum et erectum constituendo et fabricando, qui secundum propositum spiritus Jesu Jerusalem est appelatus, qui usque hodie tali nomine est in Boëmia et in Praga maxime celebriter diffamatus ad designandum illud, quod jam nuper est notatum quod D. J. per Myliczium saltem quo ad primordia de Praga babylonica et confusa civitate ac funesta Jerusalem perfecit, lucidam civitatem supra montem constitutam et amplius perficiet piissimus dominus et deus fidelis, quovis ut supra dictum est modo et successive per suum omnipotentem spiritum in praedicatoribus, cujus spiritus initia carissimo presbytero Myliczio in plenitudine sunt donata. Quis autem non miretur istius Myliczii literaturam exuberantem et doctrinam? Nam cum fuerit ante simplex presbyter et scriptor in curiis principum, tamen cum fuit successive a spiritu Jhesu visitatus in tantum sapientia et omni verbo doctrinae dives est effectus, quod facile erat eidem quinquies in uno die praedicare, puta semel in latino sermone, semel in theutonico et ter in boemico, et hoc publice, et in communi cum clamore et zelo valido atque in singulis nova et vetera de suo thesauro proferendo et in magno ordine pondere et mensura, ita ut potest (posset) hinc elici, quod tota dies cedebat sibi ad praedicandum, clamandum et laborandum, communiter autem bis et ter in die festivo praedicabat,

cottidie vero sine interruptione unum sermonem faciebat; enim vero cum ita praedicabat, ut dicitur supra hominem possibile creberrime, non tamen contingebat ipsum umquam a copia scripturarum deficere bibliae vel doctorum, sed quod est supra modum hominibus altum et mirabile, quamcunque auctoritatem de biblia vel de doctoribus ad suum propositum faciliter producebat et in dicendo inchoata quamdiu necesse fuerit ad materiam ipsam ordinarie secundum textum loquebatur, quasi communiter unam auctoritatem bibliae vel doctorum ad unam columpnam, quando ad duas et amplius expedite declamabat. Sed adhuc ista parva esse aestimabantur, si cum hoc pensentur, quod cum his universis laboribus, confessionibus, sollicitudinibus et pro magna hospitalitate ut presbyter et animi sermocianionibus taliter indefessis, continue magnos libros comportabat et propria manu conscribebat, eosdem multitudini clericorum, vel ducentis, vel trecentis cottidie exportans ad scribendum et hoc sic, quod hodie conscribebat, hoc mox in crastino totum scriptores copiabant et ita omni die, puta pro omni die crastino colligere scribendum bis ducentis clericis oportebat. Libri vero illi, quos sic collegit, sunt maximae quantitatis, scilicet sermones, quos abortivum propter humilitatem vocitavit et postillae omnium evangeliorum sc. de sanctis ac de tempore per totum anni circulum quibus gratiae dei nomen imposuit, in quibus postillis et sermonibus quilibet legens videre poterit, quod non spiritu suo abundant, sed potius scripturis sacris bibliae et doctorum, qui libri, quam sint utiles fidelibus praedicatoribus et auditoribus magis hoc volo ad ipsos libros et ad illos, qui ipsis utuntur, remittere, quam sermone commendare. Cum itaque haec bona opera et multa alia, quae ut dixi non valeo hic explanare, Myliczius carissimus in Praga perfecit, nihil aliud nisi infinita obprobria, vituperia et persecutiones continuas ab antichristianis in Praga eadem reportavit, usque ad de synagoga ejectionem per varias impeditiones et anathematizationes et ultimo expulsionem de patria in exilium; nam Avinione exulans est mortuus. Sed et mortuum quoque sunt persecuti et super dolorem vulnerum ejus addiderunt, maxime autem et solum procurantibus istas fieri religiosis et sacerdotibus cum ceto magistrorum templi, nihil habentes causae contra eundem, nisi opera bona superius, quantum ad pauca eurum expressata, ut siccine Christi Jesu evangelium compleretur, ubi dicitur Mt. 23. Vae vobis, scribae et pharisaei, hypocritae, qui aedificatis sepulcra prophetarum et ornatis monumenta

justorum et dicitis: si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum etc. ubi scriptura tunc infra: Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas, et ex illis flagellabitis in synagogis vestris et occidetis et crucifigetis et ex illis persequimini de civitate sancta, ut veniat super vos omnis sanguis justus etc.

Nunc igitur advertendum, quod ista pro tanto hic duxi inserenda. Nam sic facto medio silentio, de quo supra venit Joh. in spiritu et virtute Helyae et digito suo Jesum Christum demonstravit, ideo manifeste et praesenter clarius, quam aliquis facere potuit eorum, qui eum praecesserunt prophetarum. Similiter ultimo silentio ut praescribitur pertransito, venit Myliczius in spiritu et virtute Helyae adjuncto sibi altero teste praedicatore supra denotato, patulo revelavit filium iniquitatis et denuntiavit inde antichristum jam venisse, non sine magnis tribulationibus a pseudochristianis et iniquis christianis prout possunt videri et probari ex tractatu suo, quem desuper et compegit, et suum prophetiae spiritum scriptotenus exportavit, si tamen hic tractatus habeat judicem, non secundum receptionem personarum, sed justum judicium judicantem lectoremque sine felle et contentione ea, quae in eo in simplicitate scribuntur, compensantem. Tractatum vero illum et revelationem de antichristo decrevi hic inserere dictis meis, quia ipse est, qui me movit de antichristo disputandum; prius tamen hic putavi pro iniquis antichristis esse commemorandum, quod per Isaiam dicitur: Ecce quomodo moritur justus et non est, qui intelligat corde, quoniam semper a principio sint, puta quod babundantia iniquorum et in judici(o) splendorem virtutum in universis globis in vita ipsorum in saeculis obnubilavit ita, licet juste et sancte atque innocenter in medio nationis paternae conversantes tamen maleficiorum poenam et infamiam reportaverunt, veluti Isaiae, Jeremiae et fere omnibus prophetis simul et Christo Jesu contigit et de hinc apostolis et martyribus omnibus. Ita similiter et carissimo Myliczio visum est evenisse; nam nihil aliud nisi magna malitia dierum, in quibus ipse resplenduit, lucidissima ipsius et magna opera obfuscavit. Item natura est illa a principio illius pravae generationis, quod sanctos dudum sublatos extollens, sanctos sibi conviventes cruenter persequitur, quemadmodum potest haberi ex verbis Jhesu modico ante allegatis, in quibus dicitur: Vae vobis scribae et pharisaei hypocritae, qui aedificatis sepulcrum prophetarum, et paulo

post: testimonio in hoc estis vobis ipsis, quod estis filii eorum, qui prophetas occiderunt, subaudi quia similiter et ipsi faciebant, sc. quod prophetas dudum mortuos glorificabant, et modernos suae vitae comites trucidabant, et ideo subditur: Et vos implete et implebitis mensuram patrum vestrorum. Similiter actum est cum venerabili Myliczio et agitur cum aliis usque modo ab iniqua generatione et adultera crudeliter lacessitis.

Item moderni hypocritae christiani in tantum a septem spiritibus sunt obsessi, quod nullius virtutes vel dicta jam acceptabilia volunt habere, licet fuit (fuerint) alias multum utilia et probata, nisi signa et prodigia viderint, et de facto amplius signa petierint, quam judaei, per hoc se ostendentes multo magis generationem nequam et adulteram, quam pro tempore Christi judaei extiterunt, quibus dictum est: nisi et signa et prodigia videritis, non creditis et iterum generatio nequam adultera signum quaerit etc. O miseri caeci et duces caecorum. Latet nos hoc, quod jam signa veritatis dudum cessaverunt et maxime modo in tempore antichristi fieri a servis fidelibus Jhesu Christi propter fidei ipsorum probationem. Prodigia autem et portenta, mendatia in omni seductione concessa sunt operari sathanae et suis satrapis propter eos, quos peremit, quia noluerunt suscipere veritatem caritatis etc. in 2 Thess. ultimo ibidem.

Propter istas causas Myliczius, licet vir probatissimus et spiritu dei habundanter afflatus, usque modo non est authentice a papa et ab imperatore et ab aliis ut dignum est, susceptus. Qui tamen habet discretionem spiritus, facile poterit ex dictis Myliczii cognoscere, eundem et caritative ipsum amplexari; quapropter nunc suum libellum de antichristo incumbit hic consequenter scripturae commendare, unde dicitur in nomine domini etc.

C. Mathias de Janova de sacramento altaris.

E cod. Joh. Pribram. Bibl. Univ. IX. E. 5. Fol. 119.

Ex tractatu de venerabili eukaristia contra Nicolaum de Pelzimov Episcopum Taboritarum.

Parce deus verbis. gens oro parce fidelis.
Dissero protinus. quod crimine dure (dura) picardis
Nec saeviat ensis. tibi praesul Thaboriensis
Qui pius est hostis. rectissima penna Johannis
(*Przibram*). Fol. 95.

Fol. 118. Item ad idem est venerabilis Mathias Boemus dictus Parisiensis in scientia et in fide divinissimi sacramenti praecellens alios

doctor sine pari qui tractatu suo ultimo de corpore Christi c. 3. sic dixit:

Per omnia namque similiter sicut apostoli et judaei in domino Jesu hominem videbant sed deum credebant, hominem tractabant oculis carnis et manibus sed dominum deum adorabant veluti etiam et post resurrectionem B. Thomae dictum est: Thoma vidisti ideo credidisti. Ecce vidit Thomas hominem verum licet et deum credidit. Ita dico nos similiter in hoc sacramento panem et vinum videmus gustamus et manibus corporis contrectamus i. e. species vel accidentia panis et vini. Sed Jesum crucifixum verum deum et hominem adoramus adoratione latriae soli deo propria, fide et dilectione credimus tenemus et in spiritu degustamus sicut scriptum est: gustate et videte quam suavis est dominus. Ergo sicut fuit cum apostolis deus ymagine et similitudine hominis, oculis carnis objectus, ita semper est nobiscum ymagine et similitudine cibi et potus contentus in isto dico plenissimo sacramento et quemadmodum poterat delectari apostolos inspiciendo et tractando dominum Jesum deum suum et doctorem et magistrum dulcissimum in carne humana, ita nos debet consolari et delectari, dum videmus ubi osculamur et amplexamur dominum deum nostrum eundem omnino doctorem et magistrum dulcissimum, quem apostoli tunc viderant, sed nos in speciebus et similitudine panis nostri quotidiani et potus suavissimi et clarissimi nobis praestiti ad manducandum et bibendum. Haec ille.

Item ad idem est idem. Tractatu eudem capitulo finali sic loquitur.

O preciosissimum et admirandum sacramentum et omni suavitate repletum, quid hoc sacramento mirabilius? In ipso namque panis et vinum in corpus et sanguinem Christi *substantialiter convertuntur;* manducatur itaque a fidelibus sed minime laceratur quin ymo diviso sacramento integre sub qualibet divisionis particula perseverat, accidentia autem in eodem sine subjecto subsistunt ut fides locum habeat, dum invisibile visibiliter sumitur, aliena specie occultatum et sensus adeptione reddantur immunes qui de accidentibus judicant sibi notis. Haec ille.

IV.

Tractatus magistri Cunssonis contra magistrum Albertum Ranconis de Ericino de devolutionibus non recipiendis a rusticis ecclesiae vel dominorum.

Cod. Bibl. Univ. VI. C. 21.

Reverendissimo in Christo patri domino Johanni S. Prag. ecclesiae Archiepiscopo A. S. Leg. Cunso custos et canonicus Pragensis vestrae paternitatis indignus vicarius et decretorum doctor minimus obedientiam debitam et pro extirpatione veprium et pravae consuetudinis ab inceptis nullatenus resilire. Vox plangentis ecclesiae: filios nutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. — Quomodo a turpi quaestu et a negotio perambulante in tenebris haec verba sancta theologica scientia potest dicere de quibusdam suis professoribus criminando et conquerendo qui avaritia excaecati scripturas sacras leges et canones exorte (sic) contra pietatem justitiam et misericordiam impertinenter allegant et sub praetextu pravae consuetudinis *bona pauperum sibi usurpare praesumunt.* — Sub colore verbi devolutionum ut eorum verbis utar ad praesens bona pauperum absorbere nituntur. — Sed ut ordo rei gestae latius patefiat, ecce cunctis edico per praesentes; pro extirpanda namque *paganica consuetudine* quam quidam, pauci tamen, in Pragensi provincia defensare et tenere nituntur de mandato paternitatis vestrae legi epistolam in praesentia cujusdam sacri theologi magistri talis continentiae et tenoris:

Joannes etc. Quamvis ad omnes principes saeculi christianos pertineat cunctum populum Christi sanguine praetioso redemptum suis temporibus videre pacatum et debitis libertatibus quas jus et natura concessit, facere consolatum, hoc tamen ex traditae dispensationis officio ad nos praesules et pontifices noscitur pertinere eo quod pasturam tenemus ab eo qui libertatis et pacis est princeps. Sane dudum nobis ad regimen Pragensis ecclesiae, cui auctore domino praesidemus, superna dispensatione vocatis reperimus consuetudinem in bonis ecclesiae sponsae nostrae quam paganicam reputamus, quod *rustici censitae* et *subditi censuales*, quos tamen liberos natura progenuit, si sine liberis morerentur, bona eorum et mobilia et immobilia possessiones et jura *non* ad consanguineos vel heredes sed ad

mensam nostram sine distinctione qualibet veniebant et quod execrabile est, dum tales agerent in humanis, heredes instituere non valebant, ad pias causas quidquam donare non poterant, per modum testamenti, vel etiam inter vivos. Licet autem alias consuetudinis non sit levis autoritas, nos tamen hujusmodi consuetudinem utpote animarum periculum inductivam pravam superstitiosam legibus et canonibus et rationi naturali et juri divino, cui per consuetudinem derogari non potest, contrariam non immerito reputantes, ipsam nostri honorabilis capituli accedente consensu praesentibus *exigente catholica justitia* reprobamus. Statuentes ymo verius declarantes quod de caetero et inantea liberum sit unicuique in vita vel in morte de bonis suos cum ratione disponere prout placet. Et si quempiam ab intestato vel herede non instituto mori contigerit, res suae, quibuscunque nominibus censeantur, ad consanguineos et cognatos proximos libere devolvantur.

Qua quidem notula lecta quidam magister non solum verbis verum etiam et scriptis ac libellis dictam epistolam conviciatus est, dicens, quod *rustici sint ribaldi et servi solum nudum usum* habentes quodque nullus eis deberet succedere in juribus et bonis quam ecclesia. Contra quem cum induxissem tantum numeri XXVIII, ubi statuitur de successione consanguineorum et quod illud debeat esse filiis Israel pro lege perpetua, respondet idem magister, quod ille textus non plus obligaret quam de non concedendo suffocata et alia ceremonialia subdens, quod. qui diceret illud, tenendus esset pessimus videreturque sicut qui circumcisionem vel aliud consimile praedicaret et multa alia dixit et rescripsit quae ad intentionem nihil facere dinoscuntur. Sed quia dicta sua opinio et assertio crudelis et cruda — est contra naturalem aequitatem, contra leges et canones et contra evangelicam pietatem — idcirco etiam per sex parva capitula ipsa reprobando procurabo.

Et primo dicam quod rustici et censuales in Pragensi provincia sunt liberi et non servi.

2. Quod ipsorum liberi et consanguinei usque ad septimam lineam masculi et feminae jure succedant in eorum juribus bonis mobilibus et immobilibus.

3. Quod ex quo succedunt ipsis masculi et feminae liberi et consanguinei etiam donare possunt in vita et in morte.

4. Quod lex illa mosayca non est sublata sed potius recepta.

5. Quod consuetudo in contrarium est mala et corruptela.

6. Et ultimo quod dicta consuetudo praescribi non potest. —

Quod rustici ecclesiarum et aliorum in regno Boemie sunt liberi et non servi est in facto notorium et experientia publica manifestum.

Servi aut nascuntur aut fiunt. Nascuntur ex ancillis et inde veniunt liberti libertini coliberti et vernaculi. — Tales non sunt in provincia Pragensi licet aliquando fuisse leguntur. hoc vero temporibus sanctissimi martyris Wenceslai quem idem magister impertinenter allegat et magnam injuriam sibi facit, quia ipse se dabat sanctae largitati servos emens libertati. Servi nudum usum habent, non autem liberi homines et sunt *rustici partium nostrarum.*

Praeterea filii rusticorum quo ad maxima ejusdem sunt conditionis sicut filii principum vel magnatum videlicet quoad sacros ordines sicut videtur de facto et ita de *jure est de servis non ordinare.*

Praeterea si rustici Boemie haberent nudum usum, essent conditionis pejoris quam conductores vel coloni quia et illi utuntur et fruuntur.

Item rustici Boemiae habent jus vendendi jus suum — et sunt ad instar emphyteoticarum qui habent contractum medium inter venditionem et locationem. Sunt ergo incolae rustici emphyteutici et censitae — et *non sunt servi vel usuarii sed rerum suarum et jurium veri domini.*

Clerici jam dudum ad cor reversi de die in diem minus et minus illi pravae consuetudini innituntur, ymo omnes *civitates* regni Boemiae ex pia dispositione principis illam sanctam catholicam et canonicam legem tenent de successionibus liberorum masculorum et feminarum et etiam consanguineorum ascendentium et descendentium. — S. Wenceslaus dedit tantum quod suum erat videlicet censum solitum et consuetum jurisdictionemque ad merum et mixtum imperium. Fateor tamen rusticos Boemiae jurisdictioni dominorum subesse quoad mulctas et etiam quoad poenas. Sunt etiam culpae propter quas res et jura sua perdere possunt (et) ad dominia devolventur quia plerumque in hoc saeculo filii pro patribus temporaliter puniuntur.

F. 3. Magna ergo temeritas est et audacia desperata tam impudenter pauperes depauperare [1]).

Excerpt.

---

1) Unde simplices domini tales in sublimi positus et eorum doctrines audientes secuntur et credunt per quos status reipublicee et justitia graviter offenduntur. Fol. 1.

V.

Varia carmina.

A. Incipit dolus mundi.
Cod. Univ. VII. F. 5. Saec. XIV.

1.

Viri fratres servi dei
Vos ne turbent verba mei
Sed audite propter deum
Flebilem sermonem meum
Mundum dolens circuivi
Fidem undique quaesivi
Vbicunque fidem quaero
Vel in plebe vel in clero
Vel in claustro vel in foro
Vbi fides sit omnino ignoro
Fides nullibi apparet
Totus mundus fide caret
Filius non servat patri
Fidem neque frater fratri
Heu de sede sua ruit
Fides quae tam firma fuit
Quoniam pro ea dolus
Triumphat per orbem solus
Tam potenter et tam dire
Ne quis posset contraire
Quidquid dolus jubet esse
Hoc implere est necesse
Clerus populusque totus
Dolo subjacet devotus
Dolus papam cardinales
Et episcopos totales
Regit vbique reges
Dolus glosat jura leges
Dolus omnia pro voto
Disponit in orbe toto
Qui cum dolo conversantur
Illi sunt qui principantur

Sed qui vere dolum nescit
Est abjectus et vilescit
Et vocatur ydiota
Nec est dignus una yota.

De praelatis.

Praelati ecclesiarum
Habent dolum valde earum
Nam per eum praebendantur
Et potenter dominantur
Aestimo pro sensu meo
Quod praebendas non pro deo
Pro munere dant sed mos est sibi
Da mihi tunc dabo tibi
Sic ad invicem colludunt
Atque pauperes excludunt
Qui redonat illi datur
De egeno nil curatur
Heu quam ob rem non attendunt
Quod sic bona cristi vendunt
Quae praecipit deus dari
Gratis et non venundari
Simonizant nec est aequum
Quod mercedem sumant secum
Miror quid tunc respondebunt
Ante deum dum apparebunt
Responsuri dare (de re) gesta
Si sit utilis vel honesta
Vbi genus vel honores
Nemini sunt adjutores
Si qui bona hic gesserunt
Illi soli salvi erunt
Advertatis vos praelati
Quanta vos oporteat pati
Pro has vita et peccatis
Hinc quae justa sunt agatis.

De plebanis.

Curati et sacerdotes
Possidentes amplas dotes
De salute animarum
Subditarum curant parum

Nihil quaerunt quam habere
Et hominibus primis placere
Non advertunt ad clamores
Pauperum sed claudunt fores
Sic non subditis ut debent
Formam bonae vitae praebent
Sed per pravos suos mores
Multos ducunt in horrores.

De canonicis.

Canones regulae vocantur
Hinc canonici gygnantur (sic)
Eo quod sub regulari
Vita debent famulari
Cum devotione deo
Modo curat (curant) nil de eo
Sed libentius ad forum
Eunt quam frequentant chorum
Vestes militares ferunt
Nil quam mundana quaerunt
Non partiuntur dignis
Suas opes sed malignis
Quidquid eis superesset
Hoc pro deo dandum esset
Modo habent tam avarum
Cor quod nil dant nisi parum.

De monachis et monialibus.

Item qui in claustris degunt
Juxta normam se non regunt
Quam patres instituerunt
Sed quae rejecta sunt quaerunt
Vestes deferunt claustrales
Sed in mente non sunt sales
Quia sub veste religiosa
Latet mens dolosa
Rixas lites et rancores
Habent inter se majores
Monachi et moniales
Quam personae mundiales
Qui vult satanae servire
Debet claustrum introire

Item fratres mendicantes,
Fere omnes sunt trufantes
Apparent quod sunt devoti
Cum sint nequam tamen toti
Metiunt ubi nunquam aerunt
Semper plus quam aua quaerunt
Ovea alienss tondunt
Et psrochias confundunt
Dantibus applsudunt care
Sed qui nihil possint dare
Vel implere eis manum
Illos mittunt ad plebanum
Pulchre perorare seiunt
Qui credunt, decepti fiunt
Per verborum appsratum
Aures pruriunt magnatum
Valde diligenter notant
Ubi divites aegrotant
Ibi currunt nec cessabunt
Donec ipsos tumulabunt
Sed ad tumulos miserorum
Nullus ire vult eorum
Puto vere quid prodesset
Si in mundo nullus esset
Monachus vel monialis
Sive secta begynalis
Postquam cum accreverunt
Lex et fides perierunt
Et totus mundi status
Est in pravum commutatus
Vtrum culpa sit eorum
Novit conditor conditorum.

De regibus et ducibus et baronibus.

Caesares reges marchiones
Duces comites barones
Omnes principes terrarum
Possident de fide parum
Inter omnes non est unus
Qui nonrespiciat munua
Et justitiam postponat
Pro hiis qui dona donat

Per superbiam et guerram
Dissipant ubique terram
Magis quaerunt christianos
Debellare quam paganos
Non verentur nec formidant
Quod innocuos occidant
Cur tam diu sinit deus
Quod occidit justum reus.

De militibus.

Quondam milites statuti
Erant ut per eos sint tuti
Essent viduae pupilli
Clerici nunc autem illi
Tales minime defendunt
Sed praedantur et incendunt
Cor eorum magis pronum
Est ad malum quam ad bonum.

De civibus.

Cives nobiles communes
Raro dolo sunt immunes
Nobiles munerantur
Cives vero foenerantur
De quibus vir unus
Est fidelis sive nullus.

De mercatoribus.

Item mundi mercatores
Quid sunt quam iniqui fraudatores
Sive emunt sive vendunt
Semper fallere praetendunt
Deum sanctosque perjurant
Et mentiri parum curant
Quando boni nummi vadunt
Statim illos igni tradunt
Et quod manet pagamentum
Storia est et non argentum
Sic confundunt mundum totum
Istud est undique notum
Pondus numerus mensura
Simul omnis mercatura

Sic per illos sunt infectae
Sic quod vix nullus agat recte
Nisi deus opem praestat
Deperire mundus restat
Tot et tanti sunt restus
Quod tam pravus nunc est status
Natus ante annos mille
Vere felix fuit ille.

De falsis testibus.

O quam venenosa pestis
Foeneratur falsus testis
Fur perjurus latro moechus
Homicida tanquam decus
Habent tanquam probi viri
Qui quid possunt vel acquiri
Sive bene sive male
Est hominibus aequale
Nullus devitatur gestus
Quantumcunque sit inhonestus
Nemo facit hoc quod debet
Nemo alteri hoc praebet
Quod habere vult ab eo
Nemo curat jam de deo
Nemo (non) tradit uriam
Nemo vadit rectam viam
Nemo novit misereri
Nemo curat confiteri
Et quamvis confiteatur
Inde parum emendatur
De falsitate omnis status
Jam nec populus nec clerus
Est in suo facto verus
Liquet fratres quod erramus
Tempus est ut redeamus.

De conversione.

Tempus est nunc convertendi
Tempus est nunc poenitendi
Tempus est nunc redeundo
Ab errore et falso mundo
Tempus est nobis emendandi
Vere tempus est plorandi

Scimus quod transit hora
Redeamus sine mora
Redeamus ne tardemus
Vitamque nostram emendemus
Nemo debet desperare
Nemo debet dimenticare
Quod tam misericors est deus
Nullus vivit ita reus
Deus cuilibet miseretur
Quin si veniam precetur
Fiat cuilibet sicut meretur
Et hoc ipse omnipotens donetur (sic).

2.

Dicite plebanis stultis simul atque prophanis [1])
Dicite presbyteris clericis et caeteris
Qui cantaverunt cum majores tacuerunt
Vos irritastis deum quando celebrastis
Contra mandatum propter unumque reatum
Jam viget in terra dolus fraus et mala guerra
Ex satanae flagris cultor rarescit in agris
Vinea non colitur et quodlibet ad scelus itur.
Villa parit cineres furit in patrem suus heres
Non fratri frater parcit nec filia matri
Vim patitur dyna furtum viget atque rapina
Est factus latro qui deservivit aratro
Usque sagittare qui nuper suevit arare
Est ablatum pecus omne quod antea decus
Quod dominus ante dedit raptoribus a modo cedit
Nec sonat ille sonus quem scit cantare colonus
Quando sequens aratrum perspectat pignora matrum
Sed sonat ecce fuge rape percute fuge.
Nam neque mercator nec tectus veste viator
Ambulat in strata quia pax est modo fugata
Ecce posces gladiis et fustibus hostes
Intrant armati non parcentes deitati
Quodque sacerdotum fuit hoc perit undique totum
Presbyter in rure qui placat numina thure
Qui scit ad altare domino missam celebrare

[1]) Cfr. Carmen historicum occulti autoris. V. 1392. p. 51.

Principis ad nutum solvit cum plebe tributum
Scilicet huic testis rasum caput et sacra vestis
Hoc non curatur sed eo magis angariatur
Si quis raptorum res auferat presbyterorum
Vel qui furatur vel eis quod obest operatur
Est quasi de rore coeli gustavit quod in ore
Hoc non egit opus pravus ydolatra canopus.

B.

Cod. Bibl. Univ. I. G. 11.

Olim nostrum ordinem principes amabant
Et Romani praesules ipsum honorabant
Grata privilegia gratis nobis dabant
Et praeter suffragia nihil postulabant.

Nunc est tributarius idem ordo factus
In communem hominum usum est redactus
Servituti subjacet totus est confractus
Et propter gravamina ad usuras tractus.

Plures domus ordinis debitis gravantur
Et ob hoc periculo multa generantur
Nam ut debitoribus debita solvantur
Oportet quod redditus vel prata vendantur.

Item bona ordini tradita jam pridem
Successores filii auferunt eidem
In factis ejusmodi peccant multum quidem
Parentum elemosynis non servantes fidem.

Propter terras etiam vineas et prata
Quae sunt a fidelibus nobis condonata
Nos rodunt nos lacerant dicunt nimis lata
Sunt bona quae possidet gens haec cucullata.

Ipsi non considerant quanto laboramus
Non ut nos tantummodo sed multos pascamus
Supervenientibus bona nostra damus
Et exinde modicum nobis reseramus.

Nos sumus in pluribus similes jumento
Quibus dantur palei excusso frumento
Sustentamur etenim pane et pulmento
Servato hospitibus lanto nutrimento.

Nos sumus agricolae sed nostra cultura
Saepe fit inutilis nobis propter plura
Cum currupti aeris turbatur natura
Modo laedit vineas modo laedit crura.

Sed barones etiam nobilesque terrae
Pacem diligentibus vim imponunt guerrae
Quae dare non possumus laedunt morsu ferae
Et quae nobis inferunt dolor est referre.

Ob haec quae pauperibus solebamus dare
Et in usus varios hospitum aptare
Cogimur de utero nobis reservare
Ne nos haec benignitas cogat mendicare.

Quid nobis prodest tot agros tot vineas habere
Laborare jugiter semperque agere
Mendicis ordinibus melius est fere
Quam nobis qui talia videmur habere.

Papa nihil exigit ab hiis sibi dari
Cum nudus aliquis nequit spoliari
Ob hoc isti ordines solent gloriari
Quorum possessionibus nolunt onerari.

Ipsi nihil possident nec sunt indigentes
Colunt saepe divites frequenter potentes
Aput eos comedunt nihil respuentes
Et quae eis conveniunt dapibus utentes.

Surgentes a dapibus remotisque mensis
Benedicunt dominum manibus extensis
Retributis hospiti gratibus immensis
Recedunt nec computant de factis expensis.

De ista materia plura non loquamur
Sed obmissis omnibus ad nos revertamur
Poenas hujus temporis laete patiamur
Ut bonis coelestibus frui mereamur. Amen.

Quas sacras aedes pietas construxit avorum
Has nunc heredes invadunt more luporum.

VI.

De communione quotidiana.

(Cod. Bibl. Univ. VIII. B. 6. Fol. 165.)

— Sciendum est quod in temporibus quae nunc currunt quaestio multum invaluit saltem inter communes et simplices de communione manducatione cottidiana vel crebra a plebeis corporis et sanguinis J. Ch. Et quidam doctores vel praedicatores concedunt et invitant populos ad cotidianum vel crebrum sacramenti altaris participium corporale cum praeparatione praevia optima et verifica condigna. Alii sunt qui ex adverso reclamant et contrarium nituntur summis conatibus inducere et persuadere, videlicet quod nequaquam sit bonum saepe laicos Christi corpore et sanguine satiari. —

Venerabilis vir Johannes Horlean et magnus doctor in theologia et in jure canonico prout hic relucet ex dictis suis faciat quaestionem, quaeritur an persona layca possit singulis septimanis suscipere corpus Christi. Concludit: quilibet hoc suadere debet quod est pro salute animarum ut deum habeant placatum.

F. 166. Sequuntur dicta pro cotidiana laycorum communione cum sacramento dominico venerabilis viri Mag. Francisci Canonici fratrum ecclesiae sanctae crucis et rectoris parochialis ecclesia in Wratislavia.

Sequitur determinatio M. Nicolai Wendlar decani ecclesiae S. Crucis in Wratislavia viri illustris et devoti. —

Non est dies quo non sit opus hujus escae perceptione cor nostri interioris hominis confirmare.

Determinatio M. Mathaei de Cracovia doctoris in theologia sanctae universitatis Pragensis.

Ratio aliud est habere desiderium, aliud desiderii perceptionem. Equidem nemo debet sine desiderio accedere. Cum autem christianum sic vivere deceat ut semper mereatur accipere, nunquam debet esse sine desiderio, tunc et totiens sumendi quando et quotiens convenienter poterit et crediderit expedire.

F. 167. Determinatio venerabilis Mag. Adalberti Ranconis Magistri in artibus et doctoris in theologia Parisiensis [dilecto suo Martino plebano ad S. Martinum prope hospitale civitatis majoris Pragensis [1])

[1]) Cod. I. F. 9: in vico armificum in majori civitate Prag.

Adalbertus Ranconis Magister in sacra theologia et in artibus Parisiensis licet indignus scolasticus ecclesiae Pragensis salutem in domino et sacrarum intelligentiam scripturarum. Instanter et importune petisti ut tibi scribam aliquid quomodo frequenter communicantium devotio posset firmari et huic contraria opinio posset per scripturas catholicas confutari.]

Determinatio fratris Daniel de ordine minorum professoris sacrae scripturae in libello suo de septem processibus religionis. F. 168.

Determinatio venerabilis viri abbatis fratrum conventus de aula regia qui fuit mirae devotionis ita ut esse abbas resignavit ob devotionem ante mortem.

Determinatio venerabilis viri et illustris praedicatoris Mylycii in sua postilla quae intitulatur gratiae dei.

Excerpt.

VII.

Chronicae Boemiae.

A. Cantus de victoria Chladrubensium super Misam.

1386.

Cod. Univ. IV. H. 25.

Domini in anno
Mileno et trecenteno.
Sex et octaginti
In festo corporis christi.
Mane ex miss
Tumultus velud in reijsa.
Equestres pedestres.
Currus cum armis ducentes
Septingenti numero
Virorum cum duodeno
Venerunt cladruvenses
Ad novae valvae ruinam
Sed fugaverunt
Monastici et plagaverunt
In brevi bello.
Ablato illis vexillo etc.
Cladyz rubij dixerunt
Dum arma planstra tulerunt

Sic festo Christi
Cladrova mysam vicisti
Adjuti pia
Cum prole matre Maria
Pro tunc abbate.
Domino Ratzkone dictoque Czalte.

B.

Cod. Univ. Prag. XIV. C. 26.

A. D. 1397 sub magistro Stephano de Colonia sum intitulatus ad librum universitatis.

A. D. 1412 feria secunda in die S. Dorotheae hora XIII in antiqua civitate Pragensi in domo Bechyne civitatis Pragensis Nobilis dominus Pvota interfectus est in lecto et communiter dicitur quod factum est per filium domini Stefani de Opozna et interfectores cantantes Swate nass Wazlawe exierunt de civitate et facta est magna confusio civitatis nec tale opus contigit in multis annis.

A. D. 1413 feria secunda proxima post divisionem apostolorum Conradinez claudus teutonicus introductus est in Archiepiscopum Pragensem et exierunt contra eum aliquot processiones de civitate antiqua post ecclesiam S. Michelis et ecclesiam S. Nicolai.

A. D. 1417 Episcopus Nicopolensis suffraganeus Pragensis nomine Hermannus detentus est in Broda teutonicali et ductus in castrum Lipnyz et ibi sabato proximo ante Reminiscere fecit ordines in subdiaconis diaconis.

Item eodem anno feria secunda post Reminiscere Petrus monachus doctor bullatus a S. Clemente stetit in cathedra in scolis universitatis Pragensis et dixit in praesentia totius cleri quod non est contra communionem calicis et dixit quod nullum Boemum in suo sermone haereticasset.

(A. D. 1417 Petrus professor de domo S. Clementis Sabbato ante oculi in collegio Caroli coram Symone de Rokyzano et aliis magistris baccalaureis et studentibus nec non consulibus antiquae civitatis revocavit solempniter benivole et sine aliqua coercione quod Boemi non sunt haeretici et alia multa.)

C.

Cod. Univ. Prag. XIV. C. 26.

A. D. 1419 feria quarta — imminente (currente) post assumptionem S. Mariae (16 Aug.) mortuus est Wenceslaus Rex Romanorum semper Augustus et Boemiae Rex qui dedit mibi ecclesiam in Ranow.

A. D. 1426 in festo S. Spiritus Thaborzy civitatem Lypam acquisiverunt depredaverunt et ultimo per ignem consumpserunt.

A. D. 1426 dominica tertia post festum S. trinitatis in qua cantatur: respisce in me et miserere mei domine praedicta dominica Boemi habuerunt bellum cum diversis teotonicis circa civitatem Vsk super albeam et domini Boemi obtinuerunt bellum, quia dominus deus respexit eos suo adjutorio gratiose.

D.

Cod. Univ. Prag. XIII. G. 7.

Anno domini 1405 frater meus Mathias natus est in vigilia S. Petri in kathedra et eodem anno fui in Chremsyer in ordinibus et eodem anno ad diem ostensionem reliquiarum veni Pragam cum Wolffhardo fratre.

A. D. 1412 fuerunt XXIIII anni aetatis meae circa festum omnium sanctorum.

A. D. 1416 Elisabeth [1]) filia nobilis domini Johannis de nova domo nata est dominica ante Petri.

A. D. 1419 feria III ante Urbani Henricus et Johannes gemelli fratres nobil. domini Johannis nati sunt.

Item eodem anno Rex Boemiae obiit in octava assumptionis.

Anno 1420 dominica post omnium sanctorum nobilis dominus Johannes de Nova domo obiit.

Anno 1422 domina Elska conthoralis ipsius obiit feria III post Nicolaum in Presburgk.

Anno 1423 dominica ante Mathiam Apostolum et evangelistam Ziska et Taboritae circumvallaverunt civitatem Telcz.

Item eodem anno copulatus sum feria III post omnium sanctorum.

[1]) Elska.

E.

Cod. Univ. Prag. X. H. 17.

Anno domini 1411 feria VI in die Marcelli Jodocus Marchio Moraviae mortuus est, tunc sequenti feria VI pulsatum est sibi in Praga.

Anno domini 1411 in octava corporis Christi fuit cessatio a divinis et multi auditores fugerunt de Praga.

Anno domini 1412 in die S. Sixti (sabbato) magister Johannes Huss venit Pragam cum magno comitatu clientum et in divisione apostolorum recesserat.

Anno domini 1414 magister Johannes venit ad ostensionem reliquiarum.

Anno domini 1415 VI tertia post octavam corporis Christi (7. Juni) XI hora vel quasi fuit sol obscuratus. (Cod. Un. XI. D. 7.)

F.

Cod. Univ. Prag. X. H. 17. Fol. 69*b*.

Anno domini 1378 obiit imperator Karolus quartus rex Romanorum in vigilia S. Andrea.

Anno domini 1380 generalis pestilentia fuit in diversis regionibus et pater meus mortuus est tunc in die sancti Nicolai.

Anno domini 1390 in festo Paschae omnes Judae Pragae sunt interfecti et cremati et pauci evaserunt.

Anno domini 1393 fuit concessa indulgentia anno jubilaei in Boemia a dominica laetare usque exaltationem sanctae crucis; maxime spoliaverunt pauperes sacerdotes ubi statim dominica judica (23 Mart.) submersus est magister Johanko doctor et aliqui praelati percussi per regem Wenceslaum.

Anno domini 1394 Rex Wenceslaus Romanorum et Boemiae impetravit a Bonifacio nono indulgentiam anni jubilaei in Praga et duravit a nativitate domini usque exaltationem sanctae crucis inclusive et spoliaverunt innocentes sacerdotes pauperes villanos et omnes universaliter.

Item eodem anno 1384 (1394) feria VI in octava reliquiarum in Verona civitate Regia in monasterio Jodocus Marchio Moraviae cum baronibus Boemiae captivaverunt Regem et portaverunt eum in castrum

Pragense et ibi habuerunt eum in custodia usque in octavam S. Viti et nocte media evaserunt timentes Johannem ducem in Crumlow.

[1]) A. D. 1418 feria quinta proxima ante ostensionem reliquiarum Magister Cristannus plebanus ecclesiae S. Michaelis in antiqua civitate Pragensi cum suis vicariis et aliis coadjunctis sibi sacerdotibus domino Petro a S. Nicolao tunc plebano, domino Petro tunc plebano ante laetam curiam et plebano ecclesiae S. Benedicti quo (sic) assumptis sibi multis presbyteris conduxerunt honorifice reliquias, incipientes a ponte transierunt per vicum Celtnericum ad curiam regis et per vicum in foro S. Galli ubi carnes sabbatis diebus venduntur et consequenter usque turrim novae civitatis Pragensis ubi praedictae reliquiae ostenduntur, quod omnibus temporibus, quando inchoata est haec ostensio reliquiarum, hoc idem non est factum.

Anno domini 1418 feria quarta proxima ante festum Tyburcii et Valeriani Nicolaus Chudi cum multis armatis exivit de Praga contra Plawansky ad castrum Hassenstein.

[1]) Item anno domini 1420 in die S. Petri et erat sabatum, Rex Sigismundus cum teutonicis vallavit Pragam et subito in vigilia S. Margarethae pugnavit cum Pragensibus in campo Hospitalensium et de Pragensibus interfecti sunt XII et in crastino pugnavit contra montem Zyzkow et ibi multi Teutonici sunt interfecti et sepulti sunt sub monte et post aliquot dies rex fugit ad montes et teutonici ad propria.

Item anno domini 1419 in die Abdonis et Seneni projecti sunt consules de praetorio novae civitatis Pragensis et hoc die dominica.

Item eodem anno feria immediate post assumptionem S. Mariae Virginis quae fuit III feria Rex Wenceslaus mortuus est in castro novo.

Anno domini 1432 feria secunda in vigilia S. Magdalenae fuit magnum diluvium ex habundantia pluviarum quod tunc eram in Chuatruh et respexi in aquam, modo infra ligna de Praga pertransierunt, molendina, fena bevo (boves?) similiter manipuli siliginis. Et narratur quod in civitate Pragensi multa aedificia ruerunt, primum de ponte lapideo quinque, omnia molendina praeter in parte minori, forte ea causa manserunt quare tunc domus. Sed incepit pluere

---

[1]) Alia manu.

sabbato ante festum Mariae Magdalenae et pluit duabus septimanis integre.

Anno domini 1432 sabbato in vigilia BB. apostolorum Petri et Pauli hora prima noctis ecclesia S. Egidii in antiqua civitate Pragensi per tonitrua combusta est et circa idem festum multi salmones in moltava mortui sunt. quia tunc eram in chwatyerub.

G.

Cod. Univ. Prag. VIII. C. 22.

Post mille tria C simul triginta lege juste
Post et in octavo tot comparuere locustae
Et veluti nubes umbram fecere volantes
Et gramen segetes et avenam valde vorantes
Has neve valde truce stravit lux crastina luce.

Anno domini 1399 in die inventionis S. crucis, quae erat sabbata, combusta est funditus civitas Brodensis.

A. d. 1411 in vigilia pentekostes hora quinta fuit terrae motus satis magnus in montibus Pragae et locis convicinis per moram qua homo pater noster et ave maria potuisset finire non agitando.

Item deposita (—?) exivi Broda die dominico die S. Mathaei.

A. d. 1404 factus sum monachus in Cze (Zelew?) in die S. Francisci.

A. d. 1405 feci professionem in die annuntiationis.

A. d. 1405 in vigilia S. Johannis Baptistae dominus Johannes Zaslawus diem claudit extremum sub quo professus sum et eligitur dominus Petrus in abbatem die S. Pocopii.

A. d. 1409 in crastino ascensionis domini D. Petrus abbas migrat ab hoc saeculo hora 11 et eligitur venerabilis dominus Jacobus in abbatem feria secunda Pentecostes.

A. d. 1410 moritur dominus Johannes de Bono plebanus in montibus in Bononia ibidem missus.

Eodem anno dominica gaudete eligitur dominus Conradus tunc prior in plebanum in montibus.

A. d. 1412 idem dominus Conradus plebanus diem clausit extremum feria VI infra conductum Paschae et factus sum successor dominica quasimodogenitus.

Item eodem anno dominica ecce deus proxima post Jacobi facta est strages pergrandis in Malma et multi Boemi per ignis voraginem et furorem gladii unacum sex sectoribus (vectoribus) ac certis familiaribus monasterii miserabiliter perierunt.

Item eodem anno feria post assumptionis Nova colonia exuritur paucis domibus permanentibus.

Item eodem anno civitas tenaw et multae aliae urbes et villae sunt combustae.

Item eodem anno die S. Katherinae quae fuit VI feria hora quasi prandii supervenit fulgur et tonitru maximum cum impetuosa aura quae multa aedificia subvertit. Et Clara soror mea carissima diem claudit extremum.

H.

Cod. Univ. Prag. VII. G. 14. Fol. 5.

A. d. **1126** Tachowia, prymida, miza constructae sunt.
894 fidem coeperunt bohemi.
929 occiditur S. Venceslaus.
990 S. Adalbertus occisus est.
1004 quinque fratres occisi sunt.
1053 obiit S. Procopius.
1328 locustae venerunt.
1342 pons Pragensis confractus est per glaciem in die purificationis.
1348 civitas Pragensis nova fuit fundata.
1361 Rex Wenceslaus fuit natus in norberga.
1378 natus est Zygismundus rex ungariae.
1378 mortuus est imperator Karolus in vigilia S. Andreae.
1380 fuit maxima pestilentia in bohemia.
1382 fuit magna caristia in bohemia.
1389 coronatus fuit rex Zygismundus in ungaria.
1389 judaei in Praga combusti sunt et eodem anno fuit annus jubilaeus. Etiam eodem anno undatio aquarum magna fuit in die S. Nicolai. Et eodem anno magister Johanko submersus fuit de ponte Pragensi.
1415 Mag. Johanes Hus combustus in Constancia.
1416 combustus est Jeronymus. Eodem anno electus fuit Martinus papa quintus in concilio Constanciensi.

A. d. 1419 obiit Venceslaus rex bohemiae in die assumptionis B. Mariae virginis.

1372 Suburbium in Tusta combustum est.

1416 (1421) omnia monasteria et omnes ecclesiae in terra bohemiae diruptae sunt per hussytarum inefandos fratres tenebrarum et quidam sacerdotes fugierunt alii cruciati alii aquis dimersi aut igne combusti alii ferro peremti alii linguis et membris privati alii carceribus detenti.

1433 ab hussitis fuit circumdata civitas nova Plzna in divisione apostolorum.

1434 Viclefistae recesserunt a Plzna dominico die ante pentecostem. Eodem anno prostrati sunt dominica post festum corporis Christi. Eodem anno fuit magna caristia in bohemia et pestilentia.

1432 coronatus est rex Zigismundus ad imperium in die pentecostes.

1431 die dominica in festo S. Katherinae coronatus est Zygismundus in monasterio S. Ambrosii in civitate Medulanensi corona ferrea couspecta [1]) ad imperium.

Rokyzane bilari occidua arte macer superatus
Ex castro victi doctores sunt maledicti.

In istis metris taoguntur anni domini qun anno victi sant doctores de castro a Rokyzana. Hic tangitur arte anno occidua tangitur dnmini quadriagentesimn ubi pnauntur. 4 C. in prim versu. Sexagesimo tangitur ubi ponuutur L at dun V et hoc erit sexagesimo et quinto qaie solum 5 sant in primn versu.

I.

Cod. Univ. Prag. VIII. B. 4. Fol. 102.

Anno domini 1420 in festo omnium sanctorum mane ante horam tertiarum Sigismundus Rex Hungariae cum suo exercitu non modico atque suo bannerio extenso venit, volens castrum Wissegradense a Pragensibus defendere suisque cibaria ministrare, ubi per Pragenses cives ipsisque nobilibus Johanne Crussyna de Leuchtemberg atque Bozcone de Cunsteth alias de Podiebrad ipsorumque complicibus

1) quae spectat.

assistentibus, per praefatos Pragenses et alios praescriptos divinam juxta dispositionem fuit repulsus realiter, ex cujus exercitu Regis ceciderunt plures quam CCCC viri nobiles diversorum linguagium (sic) quod corpora mortuorum jacuerunt per campos velud solent manipuli jacere in campis post messores, quorum occisorum corpora sunt per Christi fideles sepulta juxta ecclesiam S. Pancratii, caeteri vero ad civitatem Pragensem vivi adducti, ex quibus alii mortui alii vero detenti, Rege fugam misere capiente.

Anno eodem Pragenses oppidum Costelez supra albam acquisierunt unacum munitionibus circum adjacientibus (cives Pragenses).

Anno autem 1421 Taborenses monasterium Gladruviense ordinis fratrum S. Benedicti acquisierunt per potentiam unacum castro solempni Swamberg nuncupato ipsius castri haeredem et dominum in manicis ferreis et compedibus ligneis (sic) imposito nomine Bohuslaum praemissaque sunt facta ante carnis privium. Rex Hungariae modo quo supra aquisitis nationibus innumerabilibus praefatum monasterium Cladrub obsedit fortiter sed deficiente gratia divina sibi et auxilio dei Taborensibus assistentibus abinde confusus cum suis recessit.

Anno autem domini 1421 Taborenses civitatem Plznensem obsederunt et circumvallaverunt dominica invocavit [1].

K. Chronicon presbyteri Pragensis.

Continuator Sicardi episcopi. Cod. Univ. Prag. V. D. 16. Fol. 116.

1374. Hic recepit imperium romanorum Wenceslaus rex bohemorum.

1376. Isto anno dominus Mylicius accusatus fuit coram papa Gregorio XI de XII articulis de quibus se excusavit plenarie quia false et causa odii erant sibi impositi.

1378. Urbanus VI. sedit annos XI. Imperator Karolus IV mortuus est tertia die (cal.) decembris secundo anno pontificatus Urbani P. VI. et isto anno surrexit antipapa Clemens propter quem cessit Petrus de Fondinia qui dicitur Benedictus XIII qui adhuc vivit in Aviniona.

1379. Hic fuit magna pestilentia Pragae.

1380. Hic pestilentia. Isto anno (sic) ventosissimus.

---

[1]) Sequitur Fol. 104 appellatio in causa collegiorum studii Prag.

1381. Isto anno famosissimus haereticus Johannes Wykleff cum suis articulis fuit dampnatus in Anglia lugdoniis in conventu fratrum praedicatorum a XL episcopis et Archiepiscopo canthuariensi et a XXX magistris in theologia.

1385. Hic a papa Urbano VI. privilegiatum est studium Pragense.

1387. Undecimo anno Urbanus VI. instituit festum visitationis S. Marie per actam (annum) celebrare. Morte praeventus (sic) Bonifacius confirmat festum illud.

1389. Bonifacius IX.

1390. Hic obiit frater meus Nicolaus feria VI post festum S. Galli in pestilencia.

1395. Hic ordinatus sum in presbyterum.

1404. Innocentius VII.

1406. Gregorius XII.

1408. Hic Johannes XXIII.

1409. Hic cessavit schisma in ecclesia dei et Alexander V electus est a concilio generali in civitate Pisana in Romanum pontificem et in eodem concilio dominus Wenceslaus Bohemiae confirmatus est in Regem Romanorum et approbatus.

1411. Magister Albicus doctor utriusque juris electus fuit in crastino BB. Simonis et Judae a sacro capitulo Pragensi in Archiepiscopum Pragensis ecclesiae ordinatus.

Hic Albicus diffamatus est a nido Wicleffistarum usque ad mortem et se purgavit.

Die späteren Notizen sind durch Wasser, welches den Codex durchdrang, verwaschen.

L.

Cod. Univ. Prag. VI, D. 4. Saec. XV.

Anno domini 1420 o quam magnum scisma invaluit in terra Bohemiae. Nam plures tyranni Wyklefistae, Hussones, Thaboritae, Pychardi, Czaffwrzy, Syrotzy, Zyzkones, Kassalyczssty, Waldenses ceterique homicidae haeretici scismatici hinc et infra annos X. O quanta mala operati sunt incendia homicidia furta adulteria occulta sub spe hypocrisis ecclesias parochiales monasteria capellas domus possessiones et quam plurima ignis voragine destruxerunt. et quis vivens posset eorum malitias explicando enarrare.

M.

Cod. Univ. Prag. VII. C. 23.

Anno d. 1450 die 14 Julii certi Barones regni Boemiae venerunt in Pelzimow pro ordinandis negotiis regni jam scripti. Ibidem hoc primum et fundamentale erat ordinatum subscriptum et publice pronuntiatum quod ipsi Barones regni Boemiae ibidem praesentes cum ipsis adhaerentibus cupiunt et effectualiter volunt in praefato regno Boemiae domino deo adjuvante pacem habere et unionem ceterisque ad unionem spectantibus providere.

N.

Cod. Univ. Prag. V. G. 25. Fol. 287.

Ingrossata quoque in alma universitate studii Pragensis in collegio reginae ejusdem universitatis annulata per Nicolaum de Zylina [1]) anno incarnationis dominicae MCCCCXX satis magna heu et crudeli in regno Bohemiae Christi fidelium persecutione pro tunc vigente signanter tamen et praecipue legitimam Bohemicae gentis fidem et vitam evangelicam J. Chr. et suorum apostolorum confitentis quam quidem gentem Bohemicam memoratam Rex Sigismundus Ungarorum rex tyrannica pravitate ductus nec non concilio Constanciensi erroneo instigatus cunctis viribus suis nitebatur evellere penitus et extirpare.

Ad finem primae partis dictorum Richardi. Saec. XV.

O. Rosenbergiana.

1.

Cod. Univ. Prag. VI. F. 12. Fol. 80 b.

A. D. 1039 Brateslavus dux transtulit corpus S. Adalberti Pragam.
A. D. 1032 initia coenobii S. Procopii Zazaviensis super idem flumen.
A. D. 1045 Beatus Guntherus heremita et monachus sepultus in Brzwnow monasterio.
A. D. 1053 obiit sanctus Procopius.
A. D. 1140 initium claustri montis Syon.
A. D. 1149 initium Siloensis claustri per Gotscalcum primum abbatem et beatum.

[1]) Der Caplan Nicolaus Zilina kommt 1415 in einem MS. des Collegiums des K. Wenzeslaus vor. Cod. Univ. V. H. 21, Fol. 82 und V. H. 22.

A. D. 1153 obiit sanctus Bernhardus abbas Clarevallensis.

A. D. 1183 conventus sororum Dalimowicz transfertur in Cunycz.

A. D. 1310 Johannes Rex Boemiae filius Henrici Imperatoris de Lucemburg comitis in regem Boemiae receptus.

Zawisse miles anno 1281 a rege capitur et post ante castrum Hluboka decollatur.

2.

Cod. Univ. VI. F. 12. Fol. 79b.

Ab Adam primo homine mundus fuit usque nativitatem J. Chr. quinque millia CXCVI anni (sic).

Anno domini 1310 Johannes Rex Boemiae filius Henrici Imperatoris de Lucemburg comitis ad regnum Boemiae electus.

A. d. 1302 monasterium Rudnyzense est fundatum et pons ibidem lapideus est inchoatus.

A. D. 1346 Johannes R. B. occisus est in bello adhaerens regi Franciae contra regem Angliae.

A. D. 1355 Karolus filius Johannis R. B. ordinatus est in imperatorem.

A. D. 1361 natus est Rex Wenceslaus Boemiae filius Imperatoris Karoli.

A. D. 1367 fundatum est monasterium in Trziebow.

A. D. 1369 obiit dominus Jodocus de Rosemberg.

A. D. 1378 obiit dominus Petrus presbyter de Rosemberg sepultus in Altovado.

A. D. 1389 obiit dominus Vlricus de Rosemberg frater praedictorum sepultus in Altovado.

Eodem anno jubilaeus annus fuit Romae et ventus maximus in die nativitatis Christi silvas evertit.

A. D. 1394 Jodocus marchio Moraviae cum baronibus Boemiae inito consilio captivavit Regem Wenceslaum Boemiae et Romanorum Regem in Verona.

A. D. 1395 Rex Wenceslaus sub treugis coepit Jodocum marchionem Moraviae et dominus Henricus de Rosemberg ante Budwis se locavit manu potenti.

A. D. 1398 obiit domina Barbara conjux domini Henrici de Rosemberg. Eodem anno obiit dominus Wylhelmus de Laynstin.

A. d. 1399 dominus Henricus de Rosemberg duxit in uxorem dominam Elizabeth filiam domini Petri de Plumlow.

A. D. 1402 Rex Wenceslaus Boemiae est secundo jam detentus a fratre suo Sigizmundo Rege Vngariae et deportatus in Wyennam Austriae.

A. D. 1403 natus est dominus Vlricus de Rosemberg filius domini Henrico de R. ydibus Januarii.

A. D. 1404 dominus Henricus de Rosemberg expugnavit Humpolecz.

A. D. 1412 obiit dominus Henricus de Rosemberg zelator pius cleri et divini cultus in die S. Pantaleonis et sepultus in Altovado.

A. D. 1405 nata est Katherina filia domini Henrici de Rosemberg in Trziebon quae nupta est Austriae domino Ramprecht de Wolse.

A. D. 1406 obiit dominus Petrus filius domini Henrici de Rosemberg in vigilia conceptionis S. Mariae in Budweis et sepultus in Altovado.

A. D. 1409 Scisma fuit in Praga inter studentes Boemos et alias nationes sic quod Theotonici et aliae nationes sunt expulsi de Praga. Et tunc mox Wiclefia coepit invalescere et ab obedientia spirituali magister Hus cum complicibus recesserunt cum favore saecularium.

A. D. 1415 Hus haeresiarcha in Constancia condempnatus in haeresi per consilium sacrosanctum et combustus et tunc in Boemia saeculares ex instinctu Wiclefistarum omnes veros christianos plebanos et presbyteros exularunt et monasteria destruxerunt.

A. D. 1419 obiit serenissimus Rex Wenceslaus filius Imperatoris Karoli, post cujus obitum Pragenses multa mala per haeresim Wiclefistarum religiosis spiritualibus in terra Boemiae fecerunt et eorum potentia Taboritae insurrexerunt contra Christianos.

A. D. 1420 in die S. Briccii castrum Przibenicz per pessimum traditorem Corandam presbyterum est expugnatum.

A. D. 1426 infra octavam S. Viti marchio Misnensis cum multis fidelibus christianis habuit magnum conflictum circa Vsst civitatem super Albiam cum Taboritis et Pragensibus haereticis propter fidem Christianorum et multi haeretici interempti.

3. Luctus Treboniensis.

Turbativis heu nimis fluctibus immergimur
Nos plebani cappellani
Per hussitas cogimur
Religionem profanare, laicis dare
Sacrum Christi sanguinem
Si non damus recusamus
Imponunt formidinem.

Rigor grandis
Ut jam audis
Os non potest flectere
Dum prophani christiani
Satagunt subvertere
Blandis verbis post acerbis
Multumque minantibus
Foras pellunt quia nolunt
Sanctum dare canibus.

Christum Jesum rursus caesum
In membris crucifigunt
Dum debiles imbecilles
Sine causa affligunt.

Tu perlege qui in lege
Christum vis imitari
Legis fractor malefactor
Debes scripta notare.

Hospicio nullum scio
Viantem hospitasse
Neque nudum legi dudum
Christum ullum vestiisse.

Sed modelam obsequelam
Languidis exhibuit
Caecis visum claudis gressum
Miserans restituit.

O Conrade [1]) menti trade
Quae Triboni feceris

[1]) Erzbischof Konrad, welcher es mit den Hussiten hielt. Was er in Witingau that, ist uns freilich unbekannt.

Cur non tactum [1]) morbofractum
De domo ejiceris.

Jam est exul summe praesul
Et qui regis sidera
Juste judex culpae vindex
Hunc statum considera.

Atque vide quae pro fide
Tua Christe patimur.
Spoliati exulati
Tamen non dejicimur.

Sic afflicti nec devicti
Sumus jam spectaculum
Toti mundo fac Sigismundo
Qui gubernat saeculum.

Tu quos (sic) marcha plena archa
Auri gravi ponderis
Te expectat ad te spectat
Ista si effuderis.

Curet orbis istis morbis
Poteris succurrere
Fidis pacem para facem
Et festina urere.

En magistros ac ministros
Sceleris pestiferi
Cum destrues tunc cruces
Jam aperta inferi

Multas gentes te trementes
Tibi o Rex subditas
Fawe si nate dei
Qui in coelis habitas.

Jacobellum qui ad bellum
Wicleffistas provocat
Cardinalis Widrgott talis
Hic ribaldos convocat.

---

[1]) tractum.

Hos compesce vel tepesce
Iovalescunt valide
Rebellare o rex care
Volunt gentes pallidae.

Rex serene jam amene
Vultus tui radio
Nos illustra ut ligustra
Cadat igne gladio.

Nimis tardas vis per certas
Hoc malum extinguere
Intelligas, fortes ligas
Non vales sic solvere.

Omnis cetus, juvenis, vetus,
Viscerose plangite
Triste melos jam ad coelos
Dolorose fundite.

Hinc errorem ob honorem
Suum Christus deleat
Et Maria mater pia
Miseris condoleat.

Brevis vita hoc est ita
Concessa homini
Vos treboni fratres boni
Jam compatiamini.

In corpore hoc tempore
Et in rebus pariter
Est oppressus non est gressus
Ut alter Job graditor (sic).

H. Treb.

Anno MCCCCXXXIII proxima feria quarta post dominicam oculi mei natus est Johannes filius Nicolai Slama promogenitus Annae uxoris suae legitimae filiae Johannis Schilhawi horam circa quartam. Tunc temporis haeretici dicti orphani cum multitudine sectarum et spoliatorum jacuerunt in Sweynicz et undique spoliantes et erant aquae magnae. Qui mirabiliter praeparantes pontes in Wessole pervenerunt cum curribus et equis eorum multa dampna conferentes.

i.

Die Version der Rosenberger Chronik, welche in den böhmischen Studien abgedruckt ist, erweist sich schon dadurch als die spätere, dass z. B. ad 1405 hinzugefügt ist: obiit sabato ante Johannem Baptistam anno 1455. Sie stützt sich auf ihre Vorgängerin, so dass die Lücken der früher von mir benützten Abschrift dadurch ausgefüllt werden können. Es folgt noch:

1432 Fuit diluvium maximum in Boemia, Moravia, Austria, Ungaria feria secunda ante Mariae Magdalenae et destruxit villas (et) civitates et in Praga destruxit pontem et molendinum. Et statim sequenti anno fuit caristia annonae sic quod siligo et triticum vendebatur pro 30 grossis albis.

1447 Obiit domina Perchta de Crunwarz et Konopist dominica post Scolasticae die 12 Febr.

1449 Obiit domina Perchta nata d. Ulrici de Rosenberk dominica ante S. Martini. Desponsata est d. Johanni de Lichtenstein.

1450 D. Henricus filius d. Ulrici de Rozenberck cum d. Ulrico filio Menhardi de Novadomo, Joanne Popel de Hluboka nec non aliis baronibus et armigeris Boemiae exiverunt ad campum contra D. Girzekonem de Podiebrad et complices suos husitas in illa sillaba sex et septem. Et reveniunt domum quoque mar. pro. thes.

1450 D. Henricus filius d. Ulrici de Rozenberk exivit de Crumnovia ad expeditionem belli contra Fridericum Caesarem cum III. equitibus et II. peditum cum comite de Czili et aliis Australibus et expugnaverunt Ort et alia quam plurima fortalitia et regem Ladislaum eripuerunt de manibus Caesaris Friderici. Itaque pervenit ad regna et dominia sua.

1457 Feria V die S. Clementis obiit serenissimus et optimus princeps D. D. Ladislaus Rex Boemiae existens *intoxicatus*[1]) per

---

[1]) Diese grelle Beschuldigung Podiebrad's ist dem gelehrten Verfasser der Abhandlung: Zeugenverhör über den Tod K. Ladislaus, Prag 1836, entgangen. In dem Zeugenverhöre erscheint zwar (S. 37) n. 27 die Rosenbergische Chronik, allein nur was ad 1458 gehört, nicht das vorausgehende ad 1457, welches wenigstens eine der Quellen bezeichnen dürfte, aus welcher das Gerücht über die Vergiftung K. Ladislaus entstand.

Girzikonem de Podiebrad gubernatorem ejusdem regni. Et idem filius meretricis electus est in regem Boemiae per communitatem Pragensem per Kostkam et alios sibi adhaerentes. Et alii barones oportebant assentire coacto babuitque in praetorio tres tortores aptos astantes.

1458 Dominica oculi hora tertia noctis captus est Ulricus Eycinger a duce Austriae Alberto qui dux eundem inculpavit quod sit causa efficiens mortis regis Ladislai.

1468 Eodem anno incoeperunt tenere interdictum in toto dominio Domini de Rosenberch die S. Alexii (17 dati).

1529 Turcus magna in potentia obsedit Viennem civitatem in Austria, quater oppugnavit, in quinto vero recessit magno cum dedeocre. Actum in autumno tempore vindemiali.

5. Kalendarium defunctorum.

Cod. Univ. Prag. VI. B. 9. Fol. 1. (Excerpt.)

Januarius. VII id. obiit przibko swatna Cyetbna.

VI id. obiit soror Jarka de dobronicz.

IV id. domina anka.

III id. Eodem die Nicolaus obiit.

XVIII cal. obiit generosa domina Anna de Kamenycz.

Februarius. VI id. obiit soror Elyzabeth dicta de Benessow.

XVI cal. Soror Margareta prima magistra hujus monasterii.

Marcius. IIII. non. Eodem die domina Hyzla commitissa obiit.

II non. Anno domini 1388 domina Barbara contoralis domini Henrici de Rosenberk obiit.

Anno domini 1390 generosus vir dominus Vlricus de Rosenberk obiit.

nonas. A. D. 1366 obiit soror elizabetb de opavia missa pro fundatione et prima sepulta in loco.

III id. A. D. 1387 obiit generosa domina domina Elyzabeth contoralis domini Vlrici de Rosenberk.

XII cal. obiit dominus Thobias.

X cal. obiit Matbias vector. obiit Agnes.

VIII cal. obiit Agnes.

VI cal. obiit domina Judita.

IIII cal. obiit Margareta.

Marcius. III cal. Item obiit Thomas de Meclyna.
Aprilis. VII id. A. D. 1355 domina Katerina prima fundatrix obiit.
XVI cal. Soror Zdenka layca. Reverendus pater frater Petrus minister bohemiae et poloniae.
XI cal. Dominus Wilhelmus de Lantstayn.
IX cal. obiit dominus dyrzkray.
VII cal. Soror Katerina obiit layca.
V cal. frater Johannes custos Pragensis.
III cal. Laurentius et uxor ejus anka servitrix sororum.
Majus. cal. obiit soror Byetka antiqua.
III non. Item obiit Wenceslaus et uxor ejus sobyzlava et filii ejus Marcij et filiae ejus Margaretae et domini Jacobus et Zdenka.
XVI cal. A. D. 1402 domina Agnes contoralis domini judicis (Judocis) obiit.
Junius. III non. A. D. 1396 obiit soror Offka senior.
VI id. A. D. 1369 obiit soror Margaretha de nova domo filia comitis de Maydeburg.
V id. domina Agnes Zboskowycz.
frater franciscus primus confessor sororum in Crumlow.
XIV cal. Obiit soror Margaretha dicta smrzek.
VIII cal. A. D. 1369 nobilis vir dominus judocus de Rosenberk obiit.
Julius. IIII non. obiit generosus ac strenuus miles dominus Henricus de nova domo.
II non. obiit Kalixtus.
nonas domina Margareta de Welesyn.
VII id. dominus Sobesius.
XV cal. Troyanus. Sudka, swyetka. welka. Nicolaus. Petrus. Petrus.
VIII cal. obiit generosa domina Margaretha uxor domini Henrici de nova domo.
V cal. A. D. 1412 obiit generosus dominus Henrycus de Rosemberk.
IIII cal. Margareta Agnes.
Soror Margareta de Temberk.
Augustus. IIII id. obiit soror Przyba.
II id. obiit domina Kerusse de zrzawee.

Augustus. XVII cal. obiit soror Agnes de Hersstayn.
XIIII cal. Clemens obiit.
XII cal. obiit frater Johannes gardianus et confessor cognomento dictus Zachuma.
VII cal. obiit Byeta.
II cal. A. D. 1414 obiit generosa soror anna abbatissa tertia quae primum locum hic recepit cum sororibus et solempniter in monasterium intravit.

Septembris. (cal.) Anno domini 1389 obiit generosus vir dominus Johannes de Rosenberch fundator hujus loci.
IIII non. obiit soror Vuka abbatissa hujus monasterii.
II non. Cunegundis Katharina. A. D. 1369 soror Elyzabet Abbatissa hujus monasterii.
VII id. frater Johannes dictus Muzata. frater Merclinus gardianus de nova domo.
VI id. obiit domina Cunca de Metlina.
V id. obiit venerabilis domina domina Anna uxor domini Zdenkonis de Steremberg fidelissima amica anno 1380.
IIII id. obiit Soror Elizabet.
III id. obiit dominus Johannes Zeleskij.
II id. obiit soror Katherina (dicta purgrabyenka).
(Nicolaus crux recommendat se vivis.)
XVIII cal. obiit elizabet vxor crencerii.
obiit domina elyzabet Zlanlsteyna Soror Przyba.
XVI cal. Soror Margaretha de Perossyn.
o. Henclinus dictus Peter.
XV cal. obiit frater Alexius primus gardianus istius loci a. d. 1359. Obiit domina dyrzyslavowa. obiit Hluvoke dicta Agnes.
XIIII cal. obiit domoslaus piscator.
XIII cal. obiit domina Ratrusye senior dominae mecle.
XII cal. obiit Henclinus pellifex.
XI cal. obiit Przibka filia Martinis pistoris.
X cal. obiit Elizabet filia Alberti.
IX cal. obiit georius penesticus dictus stoycosa.
VIII cal. obiit domina elizabet Welyslaw. Obiit soror Skonka a. d. 1435.
VII cal. obiit frater Henslinus de nova domo.

Septembris VI cal. obiit conversata petrava. Michael Maczek Martinus Margaretha.

V cal. Hodislaw Katrusye dederunt duo talenta. In(!) domina slamena recommendat se vivam.

III cal. obiit Jaclinus pellifex. Item coquus dictus Lynat.

II cal. obiit soror Elyzabeth de moravia.

Octobris cal. obiit Jacobus filius Hostislay Cimka obiit. Obiit soror Ossanna.

V non. obiit soror Przyba filia Wylhelmy. Obiit venerabilis domina domina Clara vxor domini Vlrici de Novadomo anno domini 1380.

III non. obiit soror Angnes de Malowycz.

VI non. Soror Perchta.

nonas obiit soror Anyczka.

V id. Soror stranka.

III id. A. d. 1149 obiit dominus Mathias miles de Dobronycz.

II id. obiit domina Katherina Johannes maritus ejus.

idus A. d. 1347 venerabilis dominus dominus Petrus de Rosenberch pater fundatoris hujus monasterii obiit.

X cal. domicella Mabka. Obiit soror Przyba prima fundatrix.

VII cal. obiit dominus Chwal. Soror Clara novicia.

VI cal. dominus Henslinus zhazenburcha.

IIII cal. frater Jacobus gardianus dictus zu fam (infam?).

III cal. A. D. 1343 domina et soror Sdenka quae fuit de primis sororibus recommendavit animas infrascriptas. Chwalonis qui fuit pater ejus Juditae quae mater ejus fuit. dobess maritus dictus blaha. plebanus in Muta. kaliss. dyetmarus. drzkay fratres. Katherina soror. Jan maritus lokarta Katharina amita. Istis omnibus animabus pro quibus tenetur. servivit et suffragia a nobis petivit et elemosynas dedit. domina Przibka etiam obiit.

Novembris cal. Soror Dorothea novicia.

IIII non. eodem die obiit dominus Hinco de Slew.

III non. Obiit soror clara filia domini Hermanni de bielkow. Testamentum a patre ipsius domini hermanni de Bielkow resignavit domino Petro de Rosenbergh in villa Canizcz in festo S. Galli unam sexagenam, in festo S. Georgii unam sexagenam.

Novembris VIII id. Obiit Jacobus Przibysaus. Obiit soror yohanca novicia filia dominorum de Vsk.

VI id. Obiit generosa soror margaretha de Zleb. Obiit soror anna filia Woythyechonys.

V id. frater Zeclinus de nova domo.

III id. Obiit Marzka de Chocha. Obiit Welen et Marzik de Cbabiczon.

idus obiit frater Martinus dictus brziwa a. d. 1359.

XVII cal. obiit Maua quae est sepulta in ambitu nostro.

XVI cal. A. D. 1384 obiit generosus vir dominus Petrus de Rosenberch fundator nec non praepositus ad omnes sanctos in Praga.

XIII cal. obiit dominus dyetmarus.

XI cal. vytko. vitko.

VII cal. Soror Zdinka.

V cal. obiit soror Agnes novicia.

II cal. dominus Wylhelmus praepositus Wyssegradensis. Venerabilis domina domina Elyzabeth uxor domini Johannis de Rosenberk.

Decembris III non. Obiit Margaretba domicella de Zabornicze.

Obiit dominus dyrscbo.

Obiit generosa domina Etzka conturalis domini Jobannis de Rosumberk.

II non. Obiit Marzyk dictus basta de Methyn.

VIII id. Obiit generosa soror Anna abbatissa secunda hujus monasterii, filia domini Henrici de nova domo a. d. 1380. A. D. 1406 obiit generosas domicellus Petrus domini Heinryci de Rosumberk. Soror Anna abbatissa de Nova domo disposuit testamentum de tribus sexagenis in festo S. Galli. Mediam alteram sexagenam et in festo S. Georgii mediam alteram sexagenam.

Feria IV proxima post adventum domini soror Zdenka layca disposuit fieri anniversarium per sorores et fratres celebrandum cum novem lectionibus et in crastino cum missa defunctorum pro animabus senioris domini Petri de Rosenberch et suae dominae dominae Katherinae et dominae Margarethae de Baworow pro quo fratribus sorores

dabunt ad adventum unam sexagenam et sub vadis fiat anniversarium ut post laetare.

Decembris XIV cal. Obiit soror Margaretha filia dictus Wisnye.

XI cal. Generosa domina Anna soror dominorum de Rosenberk.

II cal. obiit soror Witoslawa layca procuratrix sororum.

Zur Geschichte der Rosenberge gehört dann noch ein lateinisches Drama: Jacobi canteris (Cantoris) Phrysii in libellum qui Rosa Rosensis inscribitur. (Cod. Univ. VI. F. 2.)

Leider ist der Anfang des Titels wie gewöhnlich bei den Manuscripten der Prager Universitätsbibliothek verstümmelt. Im Verlaufe des Dramas erscheinen nicht blos Diomedes, Aeneas, Anchises, sondern vor Allem der trojanische Held mit der Rose auf dem Schilde, ebenso die „Ursini principes Romani" und endlich die Rosenses proceres Bohemi, welche ihre Abkunft durch die Orsini von Aeneas ableiten. Malereien versinnlichen die Sache. Venus und Grazien erscheinen fast nackt, jedoch in rothen Schuhen.

6. Necrologium.

Cod. Univ. Prag. VI. B. 9.

Anno domini 1350 tunc jubilaeo domina Catharina conthoralis domini Petri de Rosemberk cum filiis suis dominis Petro Jodoco Vlrico et Johanne in die apostolorum Philippi et Jacobi. Fundaverunt in Chrumpnow monasteria fratrum et sororum ordinum Sancti Francisci.

Item a. d. 1357 fratres receperunt locum hujus monasterii.

Item anno 1358 consecratum est praedictum monasterium per venerabilem dominum Albertum Episcopum Sarayensem ordinis fratrum minorum et sacrae theologiae doctorem in honore corporis Christi et gloriosae virginis Mariae [1]).

Item 1361 in die corporis Christi fuit celebratum capitulum provinciale; ibi infra idem capitulum sorores ordinis sanctae Clarae ad monasterium eis constructum cum magna solempnitate intraverunt [2]).

---

[1]) Eine interessante Urkunde über den Bau in Witingau findet sich auf der inneren Seite des Deckels (VI. F. 11) vom Jahre 1369.

[2]) Cfr. das sehr weitläufige Mortuar. XIV. B. 15.

Januarius. ydus obiit soror Jarka de dobronicz.
V cal. Octava Agnetis. Obiit soror dorothea dicta Znogemska.
Februarius. V idus. Obiit Mathias de Heothka.
XIIII cal. Soror clara laica obiit.
IIII cal. Obiit Slawata.
Martius. IIII id. Obiit domina hizla comitissa de mohyl.
nonas obiit soror elizabet.
XI cal. Obiit dominus Dominus Dyetoch de Zezlycz.
Aprilis. III non. Obiit Miroslaus civis de Chrumpnaw.
VII id. Obiit domina Katherina de Rosenberch prima fundatrix hujus loci.
VII cal. Soror margareta troiani.
Junius. III non. anno domini 1386 obiit soror Offka.
VII id. Anno domini 1369 obiit soror Margareta de nova domo filia comitis de Magdeburg.
VI id. Obiit frater franciscus primus confessor sororum in Crumlow a. d. 1367.
XVI cal. Obiit perthinus(?) civis de chrwnaw post sepultus.
VIII cal. nativitas S. Johannis baptistae. Anno domini 1369 obiit dominus Jodocus fundator loci.
Julius. III non. A. d. 1362 obiit dominus Henricus de nova domo.
XVII cal. Obiit hostisslay vxor katherina.
Augustus. VI cal. Obiit dominus Johannes rex. Magister Henricus de Rosenberg et dominus Hermanus de myhsery.
V cal. Obiit dominus Czenko de Kamenyz.
Septembris. II non. Anno domini 1369 obiit soror Elizabeth prima Abatissa hujus monasterii.
VIII id. obiit Katherina de Przyesseczen.
VII id. obiit Radna presbyter.
XVI cal. A. D. 1368 obiit d. purchardus comes de Magdeburg.
XIV cal. Obiit Petrus et uxor ejus Magdalena Michael.
XIII cal. Obiit frater Przylyko Krumlowyensis.
XI cal. Obiit Nacossius de dovrokovicz.
X cal. Obiit reverendus pater frater Johannes lector dictus Chmelyk (bohunko de crumpnaw).
V cal. Obiit soror Katherina dicta Dubska.
Octobris. VII id. obiit domina Eva.
III id. obiit dominus Mathias de Dobronicz.

Octobris. II id. obiit dominus Petrus de Rosenberg pater fundatoris.
III cal. obiit Blaha plebanus de muta.
Novembris. idus Obiit domina Scrussya de Wassel (?).
XVII cal. obiit Velissek et Katherina.
III cal. obiit Soror Katherina dicta Wartenbercka.
Decembris. II non. obiit domina Katherina vxor Witkonis.
XII cal. obiit blahner de Lhothka.

P. Census haereditarius Regius civitatum regalium.

Bibl. Univ. I. e. 24.

Pieska	88 β	quem percipiunt loco domini Regis Wenceslai.
Wodnian	54 „	minus 8 gr. quem percipit burggravius pieskon castri una cum robotis 11 β minus 4 gr. Item idem burggravius a judice civitatis percipit 12 β.
Budweis	68 „	quem percipit Henricus capitaneus Wratislaviensis pro castro suo Bechinensi.
Sicca	128 „	quem percipit burggravius castri in Karlsberg.
Slana	90 „	minus 4 gr. quem percipiunt psalteristae mansionarii castri Pragensis et Kobergensis.
Luna	16 „	40 gr. quem percipit Magister Johannes Suevus doctor et lector ordinarius medicinae almae universitatis studii Pragensis.
Zaz	30 „	quem percipit Iwico juxta continentiam literarum majestatis.
Cadan	40 „	quem percipit domina Alsfonissa de Pyrssenstein.

[1]) Notandum quod omnium villarum totius regni Bohemiae sunt XXX millia CCLXIIII. Script. inter 1399 et 1442.

Pons	30 β	quem percipit burggravius castri Pontani.
Ausk	16 „	32 gr. 6 Hlr. qui solvitur pro camera.
Litomierziz	15 „	34 gr. qui solvitur pro camera.
Nymburga	54 „	quem percipit dominus Paulus de Jenstein alias de Stara.
Colonia	40 „	de quo percipit dominus Johannes de Wlassym 20 β et dominus Balileus (?) orator 20 β.
Czaslavia	49 „	quem percipit Magister Johannes Schindl lector studii Pragensis.
Tachovia	45 „	de quibus Petrus Turbowecz nomine dominorum de Swamberg percipit 16 β 5 gr.; residuum deperit in villis propter earundem devastationem.
Misa	30 „	de quibus Baworkoni 20 β et Balileo 10 β.
Glatovia	46 „	quem percipit Marssico de lopata.
Plzna onva	46 „	quam percipiunt domini de Swamberg.
Verona	55 „	minus 20 gr. quem percipit Burggravius castri Karlstein.

Summa omnium censuum cameram domini Regis concernentium ex civitatibus regalibus sunt . 975 β 30 gr. 6 Hlr.

Berna regalis in monasteriis:

Brewnovia	III^c	β
Strahovia	C	„
Sanctus Georgius	II^cXX	„
Beata virgo	III^cXXX	„
Hospitale	CXXX	„
Zderaz	CXX	„
Aula regia	CLX	„
Ostrow	CLX	„
Wylemow	CLXXX	„
Sedlez	II^cXL	„
Opatowecz	II^c	„

Podlaziez	LX	β
Zelew	LX	„
Cuniewicz	LXXX	„
Milowsk	II^{c}XL	„
Sancta Corona	II^{c}	„
Doxan	CXXX	„
Osek	C	„
Tepliez	LXXX	„
Tepla	II^{c}	„
Chotiessow	III^{c}XXX	„
Kladrub	III^{c}	„
Nepomuk	II^{c}LXX	„
Plas	II^{c}	„
Porta Apostolorum	II^{c}LXX	„
Sanctus Procopius	C	„
Gradiz	CXX	„
Summa unius bernae regalis ex monasteriis	V^{m}	β

Berna in civitatibus:

Praga minor	XC	β
Werona	LXXXVIII	„
Plzna	II^{c}	„
Tachovia	CXX	„
Misa	CXL	„
Tusta	LXXX	„
Klatovia	C	„
Pieska	CLXXV	„
Budweis	II^{c}	„
Wodnian	XXX	„
Slana	CL	„
Luna	CXL	„
Zacz	CXL	„
Cadan	CL	„
Peris	CL	„
Vsk super albea	C	„
Lichomirczicz	II^{c}	„
Colonia	CLX	„
Czaslavia	II^{c}XX	„

Guryin	CLX	β
Nymburga	CLX	„
Siza	LXXV	„

Summa bernae regalis ex civitatibus III^{m}XIII β

Summa civitatum et monasteriorum unius summae 8013 β

Deperientiae ejusdem summae:

Sanctus benedictus	200 β
Teplitz	80 „
Opatowicz	200 „
Tepla	200 „
Colonia	160 „
Vsk super albea	100 „
Pieska	3 „ 12 gr.
Tusta	80 „
Werona	1 „ 9 „

Summa deperientiarum istarum 1024 β 17 gr.

Alleviationes hujusmodi summae unius:

Brewnovia	100 β
Misa	40 „
Pieska	80 „
Lithomirczicz	40 „
Czaslavia	120 „
Sicca	21 „
Milowsk	40 „
Chotiessow	66 „
Kadan	40 „

Summa alleviationum hujusmodi 547 β

Indulta ejusmodi summae unius:

Aula regia	160 β
Cuniewicz	80 „
Zelew	60 „
Skalic	20 „

Summa indultorum ejusdem summae unius 320 β

Summa universalis unius summae deperientiarum alleviationum et indultorum est 1891 β 17 gr.

Proscripta unius summae deperientiarum et civitatum firmata sequuntur:

Porta apostolorum domino Alberto Koldiz	180 β	
Osek eidem	100 „	
Doxau domino Wilhelmo de Hasenburgk	100 „	
Ostrow Jankoni Sadlo	100 „	
Ibidem patri Bohussii	30 „	
Plaz, Pomuk, Plzna, Tachowia, Kladrova, Glatovia } Arnesto duci Bavariae	940 „	
Patribus de Janowicz in Pomuk	100 „	
Benessio et Bohunkoni de Horzowicz Plas	100 „	
Dominus Colowrat in Slana	150 „	
Panossze loco domini Regis ibidem	15 „	
Steffano Hamuffmaister in Pieska	20 „	
Marssiconi de lopata in Sicca	80 „	
Praeposito Pragensi in minori civitate Pragensi	1006 „	
Waze in Brevnovia monasterio	200 „	
Bartoskoni in Miss civitate	100 „	
Puchbergero in Sancta Corona	113 „	20 gr.
Doctori Johanni Protonotario Regis ibidem	30 „	
Wlasskoni in lowossicz	20 „	
Eidem id Bystrzicz	10 „	
Domino Henrico Ladzembock in Podlazicz	60 „	
Zacz domino Borssoni Hrabic Rosek	140 „	
Wotkoni de Walsstein Guryim	153 „	
Ibidem Nicolao Kyl	7 „	
Hospitale sorori domini laczkonis	130 „	

Summa hujusmodi proscriptorum 3053 β 20 gr.

Summa universalis omnium proscriptorum praedictorum in una summa sunt . . . . 5659 β 20 gr.

Summa universalis omnium deperientiarum alleviationum et indultorum praescriptorum . . . . 7550 „ 17 „

Proscripta nondum literis monasteriorum et civitatum firmata quae hucusque tenta sunt juxta literas majestatum et mandatum domini Regis:

Magistro curiae	800 β
Magistro Cristanno	50 „
Loew Apotekario	100 „
Burggravio in Neczlin	100 „
Burggravio Cadanensi	100 „
Gregorio magistro machinarum	26 „
Wenceslav Versucber	20 „
Tubicinis domini Regis	60 „
Summa hujusmodi proscriptorum	1256 β

Item sequuntur alia adhuc proscripta:

Domino Michalczoni	200 β
Domino Botzkoni	200 „
Henrico de Plawna	300 „
Domino Kragerio	100 „
Domino Joanni Senioris de nova domo	100 „
Domino Ottokoni Kitlicz	100 „
Domino Bassin	70 „
Domino Henrico Elsterberg	100 „
Burggravio Wissegradensi	100 „
Summa horum	1270 β

Q.

Zu dem bisher einzigen Codex, welcher die Sermones ad Bohemos enthält, die im ersten Bande der Geschichtschreiber S. 540 abgedruckt wurden, hat sich im Cod. Bibl. Univ. X. F. 9 ein zweiter gefunden, der einige Varianten und Verbesserungen enthält, welche ich hier mittheile. Ich kann aber diesen Anlass nicht vorübergeben lassen, ohne zu bemerken, dass der anonyme Schriftsteller eine tiefe Kenntniss der Zustände und Personen seiner Zeit besass und zu deren vorzüglichsten Quellen zu zählen ist.

v. 1. (Quam) quamvis mihi soli
Exilis ingenioli
Constat imperitia
More teneri infantis

Adhuc loqui nescientis
In sua pueritia.

v. 13. Ad objuranda vitia
Consurgam animose.

v. 39. Ad fallaces garrulos
Wiclefistas nugigerulos
Hoc pertinet certamen.

v. 56. Noloque ut lateat
Sunt quae causant heresim
Volo cunctis pateat
Cognosco per sioderesim.

v. 67. Scriptura sacra teste
Vis tractari honeste
Es pauper sine despectu.

v. 97. Papam vituperas
Episcopos Cardinales.

v. 131. Vestimenta diviserunt
Cui detur homini
Et Nerone crudelior.

v. 153. Quid plura de te referam
Dicam sed non offeram
Miras falsitates.

v. 163. Per mulierem maritum
Facit esse prophanum
Mundus nequam est infectus.

v. 217. Foedas istas tergas faeces
Nam innocens laeditur.
Verba Christi:
Clerus sanctus et praelatus.

v. 231. Vade recto tramite
Verba nuncii:
Recepto a te mandato.

v. 243. Jam diu praeterit hora
Verba nuncii ad regem:

v. 213. Nam venani infusio
Regnique mei confusio
Debet examinari.

v. 383. Rzitka kyczka junge Smolijk
Zmrzlik sadlo henrich hahek
Hoc est regis consilium
Sunt hominibus infesti
Erunt demum hominibus molesti.

v. 408. Taxat populos adjacentes in praga.

v. 428. Licite possum inferre
Per magnum spatium terrae
Usque terminos maris
Ad Collegium.

v. 450. Et expectat urere.

v. 472. Zdenick Gyzin se adjungit
Czyzko Rokyzan me punit (pungit)
Jakubko Cardinalis
Haereticus principalis
Petit obmittatur.

v. 483. Fit studium desolatum
Objurgatio.

v. 530. Omnes infelices.

v. 532. Nam sua tyrannide.

v. 555. Viros sanctae spei.
Tunc vadat nuncius ad Czenkonem.

v. 583. Wacha Coranda Mnyaco
Cum hiis plurimos seducens
De Lazystie jaroslaus
De vged Nicolaus
Ribaldus hic immundus
Ambross patiz Rohlyk
Est Mnyssek apostata
Hic de Chotiesan Zigismundus
Ffranko petrollus.

v. 649. Malunt semper perdere
Quam sine sancto piaculo
Contaminare in saeculo.

v. 653. Cave laudis avidus.

v. 789. Ut ipse purget storiam
Reformetque notoriam.

v. 812. In hus et Wycleff viis

R. Angstgedicht

eines böhmischen Mönches bei dem Ausbruche des Hussitensturmes. Geschrieben zwischen 1415 und 1419.

Bibl. Comit. de Thun.

Omnes attendite
Animum advertite
Quid jam sit, plangite
Et mentes avertite
Ab errore tali
Strenue fortiter
Imperator noster
Moderni (temporis?)
Requiescat dulciter
Erat factor mali.

Hic auxit etiam
Sanctam ecclesiam
Quam faciens liberam
Pervenit ad patriam
Imperii veri
Exponens argenti

Copiam aurique
Simul (et) lapidum
Dictum davidicum
Volens adimpleri.

Voluit etiam
Propter clementiam
Heresis dementiam
Romanam ecclesiam
Tueri et augeri.

Post cujus transitum
Felicem obitum
Per manus principum,
Ducum ac comitum
Conatur deleri.

Illis temporibus
Multis honoribus
Tutum floribus
Nunc jam doloribus
Fertur adimpleri

Insurgunt undique
Minae insidiae,
Fides destruitur,
Clerus opprimitur,
Papa deridetur,
℣ Dei laos decrescit.
Fraus dolus succrescit,
Praesulatus vilescit,
Doctoratus tremescit,
Vulgus deum nescit.
℣ Monachis fratribus
Et monialibus
Viduis virginibus
Ceteris fidelibus
Vivere vilescit.
℣ Nam status militum
Clientium civium
Falsis dogmatibus
Et perversitatibus
Nimia invalescit
Et resistere nescit.
℣ Clericuli nonnulli,
Laicales populi,
Facti sunt scismatici
Per libros haeretici
Huss condempnati.
℣ Pastores legales
Modo sont exules
Oves errant debiles
Quas pascont inabiles,
Sic plebs fit orbata.
℣ Ululant claustrales
Plangunt moniales,
Omnes quasi mortales
Facti sunt spiritales
Lex est desolata.
℣ Rex audit et tacet,
Nam sibi hoc placet,
Ach ubi justitia?
Committuntur spolia,
Nec est qui defendat.

℣ Terrarum principes
Duces ac nobiles
Reges ac comites
Nos faciunt exules
Sua e regione.
℣ O mi domine
Tu velis invisere
Tuos nos tuere,
Ne virus vipperae
Intret corda nostra.
℣ Oremus dominum,
Patrem et filium
Sanctum paraclitum
Ut nostrum omnium
Status dirigatur.

VIII.

Des M. Johannes Hus Universitätsschriften.

A. Recommendatio baccalaurei per M. Hus.

Cod. Univ. X. D. 10. F. 114.

Quia lassatus continuis hodie clamoribus loqui diu non valeo, verbis protractionis stilum volo succidere et nostrum determinantem pro futuris contingentibus paulisper amonere non incassum sed ut perstringat vitia, virtutes suscipiat et inter virtuosus (sic) homines recte vivat unde ipsum adhortans brevissima dico.

Recte vivas, Kathonis sunt verba moralissimi qui ut fistula spiritus sancti Wenceslae canit tibi intonans: recte vivas. Nam qui recte vivit, bene vivit, qui bene, vivit sic, si ibi nunquam peribit. Igitur Wenceslae recte vivas, aliena noli appetere, risum lascivum memento devitare, verba inutilia praescinde, veritatem defende, quod bonum est, stude agere et sic recte vivas. Honeste incede, noli majores deridere, nullum velis injuste irritare. Sic recte vivas, mala respice, futura provide ut recte vivas, alios te meliores aestima, tribulationes pro justitia sustine; ut recte vivas, fuge mulieres, quaere artes, exerce virtutes ut recte vivas. Quaere bonos mores, quia, si quaeris, invenis, si non quaeris, etiam, quod habere videris, perdes. Igitur noli otio perdere quod invenisti, sed quaere bonos mores ut recte vivas. Quod

satis est, dormi, plus vigila semper ne sompno deditus esto. Nam diuturna quies viciis alimenta ministrat dicit, moralissimus Katho. Sic recte vivas. Scito quod Kathonis secta et societas regulam tenuit scilicet servare modum finemque tenere.

Naturamque sequi patriaeque impendere vitam
Nec sibi sed toti genitum se credere mundo.

Hanc si tenueris, poteris recte vivere. Recte vivas. Quomodo ut ait Sextus philosophus fidelis sis homo. Nam ait, fidelis homo, electus homo est, electus homo homo dei est, qui deo dignus est, dignus deo est, qui nihil indigne agit studens fidelis deo esse. Ecce quam salubriter te docet iste philosophus, ut sis fidelis et sic recte vivas, doleas de malis commissis, fuge futura mala, gaudium aeternum pensa et poenam perpetuam ut recte vivas, ne cures verba malorum. Arbitrii quidem nostri non est quid quisque loquatur. Tu ergo recte vivas accepto Baccalaurei gradu.

In nomine domini nostri J. Chr.

B. Recommendatio Baccalaurei (Zdislai de Zwyerzieticz) facta per M. Huss [1]).

(1405.)

Cod. Bibl. X. D. 10. F. 115*b*.

Quia noster determinans duplicem statum in sua determinatione succincte tetigit scilicet statum hominis virtuosi quem honor consequitur et statum vitiosi quem vituperium concommittatur (sic), idcirco cuilibet interest famam virtutibus extendere ne dejectus vicio famam constringat debitam et postmodo finem deserat optimum in quo satagit famam propriam laudabiliter ampliare. Quicunque autem hominum vitam secundum rationem rectam in moribus dirigit summo bono pulcherrimo delectabilissimo placere serio opere desiderans, is rectam famam diligit quae ampla honorabilis et permanens super terrarum celsitudinem conscendens coram rege potentissimo dignissimo nobilissimo principatuum militiaque in mirabili in coelorum sedibus resonat placatur ac famatur. Quicunque autem fuerit conditionis oppositae scil. vitam non secundum rectam rationem in moribus dirigens

[1]) Zdislaus von Zwyerzieticz wurde Ende 1404 zum Baccalaureusexamen zugelassen. Lib. dec. I, S. 384. Sechs Jahre später, 1410, wurde er zum Examen für die Magisterwürde zugelassen, l. c. S. 407. Er ward nun baro terrae Boemiae de Zw. genannt, S. 409. 11 die m. Martii dominus Zdislaus licentiatus in artibus incepit in eadem sub Mag. Joanne de Hussinecz.

nec summo bono pulcherrimo delectatissimo (delectatus), is famam constringit propriam, cum secundum considerationem *Boeccii* tota terra sit punctum in consideratione ad coelum, superficies autem terrae secundum artum angulum sit habitabilis et illius anguli propter deserta et mala sit pars habitata modica. Insuper per totam terram habitatam quamcunque strenuus et nobilis non sufficit famam suam defendere, patet famae seculi fortitudo, valor aut famae mundanae pro dispendio computatur, cum tam substantia laudis quam personae laudantes securitatem sapiunt undiquaque et quo ad diuturnitatem, cum tota hora sive tempus saeculi sit hora momentanea, quo ad vitam perpetuam, fama quoque hominis cito extinguitur." Cum secundum Facetum

Fama repleta malis velocibus evolat alis

potius famae mundanae parvitas, fama autem ex virtutibus perveniens sit conditionis omnino oppositae. Nam dicit Gualterus in Alexandreide hoc solum relevamen est:

quod gloria mortem
Nescit et occasu non sentit fama superstes
Si vitae meritis respondet gloria famae
Nulla tuos actus poterit delere vetustas.

Quapropter (ne) velut scurra extollam famam saeculi, volo praesentem nostrum dominum ad famam laudabilem breviter adhortari, pro cujus monitione parvula verba mihi sequentia occurrerunt.

Quaere quid sit virtus et esto exemplar honesti.

Venerabiles patres magistri honorabiles et domini. Verba praeposita scribit optimus poetarum Virgilius in libro Aeneydorum cupiens singulariter quemlibet ad cognitionem virtutis inducere et esse in ejus operibus exemplarem cum dicit:

Quaere quid sit virtus et esto exemplar honesti.

Quare et tibi domine Zdislae proponitur: *Quaere* etc. Si bonus esse cupis, *quaere* etc. Nam virtutem scrutamur non ut sciamus, sed ut boni efficiamur, ipsa namque habentem perficit et opus ejus bonum reddit. Ergo *quaere* etc. Sed dices forte saepe replicans de dicto: magister *Quaere*. Rogo ergo dic quid sit virtus? Audi domine Zdislae quod virtus est vitium fugere et bene agere. Audistine quid sit virtus, ergo esto exemplar honesti. Sed quaeres quale exemplar,

jubes esse certe exemplar bonae vitae. Sis tibi discibilis aliisque magister. Et intus sis tuus extra sed totus alius eris. Majores sectare, pares venerare, minores instrue vel juvenes punge vel unge senes. Sic suadet nobilis *pauper Henricus*[1]). Prius ergo quaere quid sit virtus et tunc esto exemplar honesti. Sed quaeris forsitan quid est virtus ut melius agnoscam. Certe benefacis, animadverte: virtus est summa potestas. Sic ait Virgilius optimus poetarum. Quia quem virtus extollit, habet quod preferat auro, ergo *Quaere* etc. Sed dicit ubi est virtus? utrum in pulchritudine, divitiis, nobilitate vulgi vel scientia magistrali. O Zdislae audi Gualterum in Alexandreide dicentem:

Virtus non quaeritur extra
Non eget exterius qui moribus intus habundat
Nobilitas sola est animus quae moribus ornat.

Ergo quaere quid sit virtus in te, quia virtus non quaeritur extra, sic eris exemplar honesti. *Si nobilis es genere*, esto exemplar honesti, *quia nobilitas sola est quae animum moribus ornat*. Ergo quaere bonos mores thesauros interiores. Sic suadet autor de contemptu mundi: non te extollat sanguis tuus. Audi Boeccium de consolatione, secundo metro VI. Omne hominum genus in terris simili surgit ab ortu, unquam enim omnium pater est unus, est qui cuncta ministrat. Quapropter esto exemplar honesti, humilitatem ostendens, ceteris ne visus arrogans facilius contempnaris. Si alti generis es, videas ne graviorem patiaris ruinam. Si verbo resonas, gemis facto confundis (confusus?). Audi Boeccium ubi supra: Quid genus et proavos strepitis si primordia vestra auctoremque deum spectetis, nullus dignus extat. Ecce omnes generosi summi regis filii, nisi quis crimine proprio deserat ortum, quia ergo es generosus, quaere, quid sit virtus et esto etc. quae fuerint verba in principio proassumpta. In quibus verbis duo breviter innuuntur. Primo praevia dispositio ad vitam laudabilem. Secundo efficax executio quo ad perfectionem, cum dicitur: Esto etc. Primum animum exitat ad bene agendum, secundum vitam clarificat ceteris in Christum Dixi primo, quod in verbis propositis tenetur praevia dispositio ad vitam laudabilem, quae animum excitat ad bene agendum. Virtus namque animum allicit, cum sit de se bonus, ymo qua nemo potest mali (male) uti

---

1) Henricus Septimellensis saec. XII. Cf. Leyser Hist. poetarum et poematum medii aevi p. LXXVII.

secundum philosophum et quae non sinit virtuosum in pigritia volutari propter quam conditionem domine Zdislae, quaere quid sit etc. et respondebo quia qualitas quae animum excitat, ne in pigritia volutetur. Audi ergo hanc conditionem quia dicit *nobilis pauper Henricus*:

Nec te pigritiae consors dilatio tardet.

Videt namque virtus in te, habens in me oculos, quod te inimica virtutis pigrities saepius in delirum posuerat in soporem. Quapropter audi virtutis magistrum Cathonem dicentem: Segnitiem fugito quae vitae ignavia fertur. Nam cum animus languet, consumit inertia corpus. Ne sis ille piger de quo Ganifredus in poetria:

Scisne moram pigri si mane citetur obaudit.

Nare vigil stertit ore lento lingwa monet. Putasne hunc esse Zdislaum? Certe dicerem si non saepius eum excitarem et audio Cathonem dicentem: quod pudeat socios libens (prudens) celare memento. Idcireo tacite pertransiens ad te convertor fideliter monens: *Quaere* etc. et dicam quia virtus est qualitas pauca promittens et plurima praestans. Quaere haec ut nil nisi quid dederis promittas. Nam quod eyragram esse facit linguam saepe eyragra manus, quod dicit pauper Henricus. Manus non implens promissum, lingwam facit mendacem, ergo quaere virtutem, ut pauca promittas, tribuas multa. *Haec namque debet esse nobilium conditio,* prout philosophus ethicus declarat, nec *multum consumas tempus in organis*, sed mentem tento ne (nec) magis corporis solatium quam animi quaeras, *nec nimium comedas,* quia medium tennere beati. Haec praecipit virtus quae facit ut sit praevia dispositio ad vitam laudabilem quae animum excitat moraliter ad agendum. Et tantum de primo.

Dixi secundo quod in verbis thematis tangitur efficax executio quo ad perfectionem cum dicitur: Esto exemplar etc. Revera non cognitio virtutis tantum vitam perficit laudabilem; haec sufficit virtuose agere absconse sed aliis virtutis ope cadere in exemplum. Et cum tanto melius refulget quanto quis major statu virtutibus relucet, patet quod exemplar debet esse honesti. Et hinc docet Galterius in Alexandreide:

Exemplo moveant fortes documenta vigoris,
Exhibeat quicunque regit, sic itur ad astra.

Ergo domine Zdisslae *Esto* etc. Brevis namque vita tuum deseret ortum propter quod *exemplar* etc. Audi Virgilium in Aeneydos:

Stat sua cuique dies, breve et irreparabile tempus
Omnibus (sic) vitae famam extendere factis
Hoc virtutis opus.

Ergo *exemplar* esto honesti et virtuosi operis, quia alia sine virtutis ope vitio suffocantur. Si ergo nobilis esse cupis, exemplar esto honesti. Audi Anticlaudianum:

Non hunc nobilitas generis non gratia formae
Non gazae dejectus amor, non gloria rerum
Non mundanus apex non virtus corporis sudax
Sed solum virtus animi constantia mentis
Fact aque nobilitas, non nata sed insita menti
Interior species virtutum copia, morum
Regula, paupertas mundi contemptus honoris

nobilem et generosum animo recte facit; ergo esto exemplar honesti operis quia sit lucens ceteris virtutis linea, vitam proficies et nobilis nobilitate polissima apparebis. Ut autem haec constantius exequaris, confero gradum in artibus baccalaurei ut valeas etc.

Der Ausdrucksweise nach dürfte auch die recommendatio Baccalaurei Fol. 113 b, welche sich auf einen gewissen Nicolaus presbyter bezieht, Huss angehören.

C. Recommendatio Baccalaurei fabricata per Mag. Huss.

Cod. Univ. X. D. 10. Fol 116 *b*.

Quia loqui bene jam noster determinans ostendit fore laudabile, sed quia tacere magis difficile vestra reverentia ut audivit, quapropter ad utraque urgeor; sed magis cum tremore impellor, ne deviem ad loquendum, quatenus monitione parvula determinanti possim proficere et ejus animum ad felicitatis praemia inclinare. Considero namque ipsum fore hominem et sic alias nobilissimum et altissimum cum secundum philosophum primo de animalibus nobilissimum et altissimum et apud nos notius et magis fixum animal est homo, unde non invenitur facies pulcrior in aliquo quam in homine ut dicit philosophus ibidem et quia secundum philosophum 1° ethicorum homo est dux scilicet rationalis et brutalis. Brutalis qui bruta sequitur in passionibus ipsas secundam rationem non refrenando unde dicit VII ethicorum: dico autem bestialem eum hominem quem dicunt praegnantes rescindentem pueros devorare vel qualibet bestialitate gaudere. Est

ergo homo brutalis qui sensualiter sequitur appetitum et velut brutum animal peccatorum immunditiis se immergit, homo autem rationalis est qui vivit secundum imperium rationis. Et ille bipartitur quia alius divinus sive intelligentialis sive angelicus alius divinus. Angelicus, qui vitam terrenam deserit in terra degens more angelico vivit. Homo vero divinus est qui totus per contemplationem et per amorem in deum se transfundit et vitam ducens heroicam deiformis effectus non cogitat de terrenis. Ut igitur noster determinans fiat homo non brutalis sed angelicus aut divinus restat ejus animum commovere consilio et ad virtutum opera provocare pro quo more consiliarii cathonis moralis philosophi eximii haec assumpsi.

Instrue praeceptis animum. Reverendi magistri et domini. Novit Vestra reverentia perspicue quod omne humanum studium fit propter scientiam secundum philosophum primo physicor. et omnis scientia debet esse propter virtutem et omnis virtus ut boni efficiamur qui virtutem sectamur non ut sciamus sed ut boni efficiamur (2° ethicorum) et virtuosi efficiamur ut beatificemini et sic finaliter pulchritudine delectabilissime et sufficientissime et optime requiescamus, cum beatitudo sive felicitas est quid pulcherrimum et delectabilissimum. Primo ethicorum. Et quia illam impossibile est sine virtutis operatione praevia attingere, cum nemo potest esse beatus sine illa (primo ethicorum), cum enim beatum esse secundum Senecam est habere quidcunque potest velle et nihil mali velle nec posse in aliquo deficere, patet quod tam excellens habundantia non datur deficientibus, tam clara resplendentia non tenebrosis nec summa delectatio voluptuosis carnaliter. Quia non itur ad astra deliciis sed o(portet) tormentis tormenta sequi, ut dicit Ganifredus in nova poetria. Nec clara cognitio ignominiosis. Ergo qui vis superhabundare illa habundantia, virtute habunda, virtute resplende. Fuge criminis tenebras, profice virtute et scientia, mercedem infinitam satagis, fortiter labora, *vis infinitum cognoscere, disce finitum.* Instrue praeceptis animum quia sic itur ad astra. Ne ergo sis homo brutalis de quo supra dictum est, instrue praeceptis animum. Et ut sis homo rationalis rationem ad meliora dirigens, *instrue* praeceptis animum, et ut sis homo angelicus vitam terrenam deserens et more vivens angelico *instrue* etc. Et ut sis homo divinus post contemplationem et amorem in deum te transferens, vitam ducens heroicam deiformis effectus terrena despiciens *instrue.* Nam sine doctrina vita est quasi mortis

imago ut dicit doctissimus Catho. Sed forte dicis: Saepe replicas: *instrue* et quibus instituere debeam non me doces. O Paule! ut Catho loquor:

> Commoda multa feres sin autem spreveris illud
> Non me doctorem sed te neglexeris ipsum.

Ac tu praecepta mea ista legito ut intelligas et intelligendo compleas in effectum. Sacerdos es. Itaque deo supplica, parentes, amici (sic), verecundiam serva, mundus esto, nil mentire, meretricem fuge, libros lege, quos legeris memento, aleam fuge, virtute utere. Plebanus es, aequum judica, diligentiam adhibe, familiam cura, continuum da gratis cui des quia pauperi; videto quod satis est et non plus. Vigila semper ne sompno deditus esto. Quia non opus est sompno syrenes ingredienti nec sibi qui populo mala cavere volet (velit). Blandus esto, plebanus es, irasci ab re noli, minorem ne comtempueris, patere legem quam tuleris, beneficii accepti memor esto, amorem dei et subditorum constanter ferto, stude agere quod justum est et instrue praeceptis animum, quae fuerunt verba in principio praeassumpta. In quibus verbis tria breviter innuuntur. Primum doctrinae exhibitio fructuosa cum dicitur: instrue. Secundo scientiae notitia pretiosa cum additur: praeceptis. Tertio vitae perfectio virtuosa cum subjungitur: animum. Instrue ergo praeceptis animum ut sis pretiosus ex scientiae notitia, fructuosus ceteris ex doctrina, animo perfectus ex vita virtuosa. Praeceptis ergo instrue ut praecepta sint tua scientia, praeceptis instrue animum ut sit ex praeceptis vita bona. Revera cum sis sacerdos nec solum sacerdos sed sacerdos plebanus, tria tibi sunt necessaria, quae in verbis thematis jam sunt tacta scilicet scientia, doctrina et vita. Scientia quae te a malo cohibeat ut ad bonum rationabiliter inclineris. Doctrina qua subditis proficias et ipsos licita instruendo. Vita ut in te existens perfectus ceteris refulgeas ut exemplar. Instrue ergo praeceptis animum ut sis sciens docens et perfectus. Nam scientia sine doctrina nullius est utilitatis. Unde Parisius: Scire tamen nihil est nisi te scire quod sciat alter. Doctrina sine scientia est magnae fatuitatis, quam fatuitatem amiratur Alanus in problematibus dicens: miror et admiror quod iter ducis abrogat ille, quem constat nunquam scisse vel isse viam. Et hinc dicit

> Simpliciter caecus prohibetur ducere caecum.
> Ne caecus caecum ducat in foveam secum.

Tertio scientia et doctrina sine vita est magnae vanitatis. Et hinc Alanus illam vanitatem considerans dicit figurative et specialia ad sacerdotes docentes alios:

Restat ut illa manus perpulcre lavetur
Qua quis presumit vasa lavare dei.
Munda manus mundum vas quod efficit lavat atque
Sordida sordidius quam fuit ante facit.

Et subdit:

Ulceribus plenum primo se liberet ipsum
Postea verucas rideat atque meas.

Et hinc étiam Ovidius deridens vanitatem docentis et non facientis dicit primo de arte:

Quique aliis canit non canit ipse sibi.

Sed quarto vita cum scientia et doctrina est magnae bonitatis dicente philosopho VIII Ethicorum: Optimus est ille qui non solum virtute ad se ipsum sed etiam ad alios utitur scil. scienter docendo virtutes et pessimus est ille qui non solum utitur malitia ad se sed ad alios. Tu ergo *Paule* instrue praeceptis animum ut sis sciens docens et bene vivens, vita integer, doctrina verax, scientia fulgens, primum in se quia dicit Seneca IV declamationum: sacerdos non integri corporis et mali criminis refutandus est. Secundum alios ne inutilitas et vanitas ut dictum est in te appareat, si doctrina verax relinquitur, *formam principaliter intrinsecam sacerdotii retine,* quae est virtuose vivere, qua sacerdotium adornatur, quia lata corona, satis pulchra vestis, mitra rotunda non faciunt clericum sed mens a crimine munda. Audi Facetum quid dicat de sacerdote:

Sit sapiens cautus nunquam spectacula quaerat
Et gravis in incessu non sit eundo vagus
Cumque senex fuerit venerabilis in gravitate
Admoveçit populum semper honesta sequi
Exemplum cunctis tribuat moderamine vitae
Ne secum populus crimina (- ∪) ferat.

Hiis instrue praeceptis animum. Ut autem instrueris ferventius, pro aliquali incitamento confero tibi gradum baccalaurei in artibus, ut instructus praeceptis in animo proficias scientia, doctrina atque vita.

Seq. „quaestio utilis cum declaratione argumentorum ad utrasque partes quaestionis (utrum — licet caritative cleri malitiam arguere, ypocrisin detegere et contra manifesta ejus scelera praedicare").

D. Recommendatio alia (scil. Magistri J. Huss).

1411 (?).

Cod. Univ. X. E. 24. Fol. 306. Als recommendatio baccalaurei angeführt im cod. X D. 10. Fol. 113*b*.

Reverendi magistri et domini. Jam vestris reverentiis lucide innotuit, qualiter venerandus *Magister Jeronymus* proposuit et deduxit, quia habito fine cessat motus, ergo licet nostrum determinantem ad illum finem monitorie inducere, quo habito cessat motus et quia qui finem quaerit, bonum quaerit et qui meliorem finem quaerit, melius bonum quaerit, et qui optimum finem quaerit, bonum optimum quaerit et quanto libentius tanto melius, ergo *bonum optimum per liberum arbitrium est quaerendum.* Cum autem noster determinans funditus se supra dictis sui karissimi socii *liberum arbitrium cuilibet homini attribuit* et ipse est homo, si vult concedere, ergo a se ipso non debet liberum arbitrium removere. Sed quia objectum liberi arbitrii est bonum et malum, ut nostri ambo determinantes concorditer sunt confessi, igitur si praesens noster determinans finem optimum, quo habito cessat motus, vult attingere, liberum arbitrium debet in bonis moribus exercere. Nam sic itur ad finem, quo habito cessat motus, motus dico violentus tractionis, vectionis, impulsionis atque vertiginis. Bona est ista cessatio; certe quies est, aeterna quies motum praerequirit non violentum, sed voluntarium liberi arbitrii ante quod bonum et malum potuit (ponitur), virtus et vicium, vita et mors. Qui uteris libero arbitrio, discede a malo, movearis in bonum, sperne vicium, elige virtutem, fugies mortem et vitam invenies, ibis quo non vis. Qui sapiens es, intellige si vis. Cuilibet dico, in me reflecto et ad te N(icolae?) pro brevi monitione his verbis brevibus me converto:

Quaere bonos mores.

Venerabiles magistri dominique venerandi. Verba praeposita scribit Bernardus autor de contemptu mundi parvulorum instructor generalis dicens: *Quaere* etc. Ejus ergo fretus doctrina et facultatis artium officio quae quemque alumnum suum ad mores virtutum invitat, ita praesentem nostrum determinantem alloquor: *Quaere* etc. et si quaeris invenis et si non quaeris etiam quod habes, perdis, igitur noli otio perdere quod invenisti, sed quaere bonos mores, aperi oculos, palpebras contine, quod satis est dormi. Plus vigila semper ne sompno

deditus esto. Nam diuturna quies viciis alimenta ministrat, dicit Katho moralissimus. Igitur noli diuturne quiescere sed *quaere* etc. Iram cela, praescinde nochos (sic), tolle otium, quia otia si tollas

Pieriae cupidinis arcus
Contemtaeque jacent et sine luce faces.

Dicit Ovidius in de remediis. Igitur *Quaere* etc. Sed forte dicis ubi quaeram? Quid quaeram? Et quare quaeram? *Mathaee* [1]) respondeo: quaere in te, ecce ubi. Quaere bonos mores, ecce quid. Quare? propter te quia ut salves te, ecce quaere, aut in te. *Quaere* etc. quia virtus non quaeritur etc. extra, virtus decor est animi, igitur non quaeritur extra. virtus thesaurus est interior, igitur non quaeritur extra. Audi thema et quod conjunctum est themati quia thesauros interiores. Sic enim dicit autor Bernardus: *Quaere* etc. thesauros interiores, non aurum nec pecuniam non copiam rerum. Haec namque plus aufferre quam afferre solent virtutes. Testatur Alexandreidis primo Galtherus dicens: aufferre pecunia mores non afferre solet, igitur nec quaere pecuniam sed potius *quaere* ect. Quia quem morum copia ditat quem virtus extollit, habet quod praeferat auro.

Nec eget externis qui moribus intus abundat.

Ergo *quaere* etc. thesauros interiores. Vince gemmas, sperne aurum. Quia sic colliges verbum thesaurum. Audi auctorem qui themate hortatur:

Collige thesaurum qui gemmas vincit et aurum.

Quaere etc. qui [2]) intra te cognosce te, abjice turpe, pinge pulcrum. Nam sic quaeres bonos mores et invenies thesauros interiores. Ecce quid et ubi invenies quia in te bonos mores, igitur *quaere.* Si habes quaere ultra bonos mores ut ex adolescente vir efficiaris. Tunc enim ad annos morum dimidios vives quia ad robustam aetatem virtutum pertingens ad quam nunquam venerunt, qui in scientiis et in moribus crescere non incipiunt. Sed tu in scientiis crescere coepisti, igitur etiam *quaere.* Si vis ad annorum finem pertingere, festina ad robustam aetatem virtutum quasi ad annorum medium pervenire. Annos dico viriles a virtute dictos, annos meritorum non temporum. Quantum in virtute proficis, tantum crescis, igitur quaere

[1]) Malthias de Pobiczowic Lib. decan I, p. 414?
[2]) Quaere. Cod. X. E. 24.

bonos mores. Qui enim virtutum culmen attingit, medium annorum implevit quia quasi ad robustos meritorum annos pervenit, igitur quaere bonos mores. Sed scito quia crescentibus insidiatur negligentia, adulterum surripit superbia. Igitur cave negligentiam et *quaere*, etc. detestare superbiam. Nam quantum negligis, tantum decrescis et quasi post tergum redis. Qui enim in negligentia deprehenditur, retrorsum procul dubio revocatur. Et quia cito mens in superbiam se erigit, quae se ad virtutis et dignitatis culmen crevisse prospexit. Sed quia quanto quis altius se pro superbia erigit, tanto sub se inferius deo deserente gravius cadit. Ergo ut ista effugias *quaere* etc. cave negligentiam, detestare superbiam, sis humilis mediante modo, quia medio tutissimus ibis, virtus res difficilis circa medium consistit et ipsa regit mores. Igitur *quaere* etc. Si dicis quomodo, ecce modos. Sis homo jocundus, pronus compati, subvenire promptus judicans secundum philosophum: beatius dare quam accipere. Ignoscere facilis, irasci difficilis, ulcisci penitus non acquiescens et per omnia sociorum aeque ut proprias necessitates respiciens, inter oppugnantes pacificus, inter insanos compositus, insanos corripiens, rebelles correptioni animans, pigros concitans, habens pacem cum omnibus quantum in te est et si pacem rumpunt impii, tu tene pacem, ama illos, odio habe illorum vicia, nam si pax tua in pucrorum cordibus inquietem pro pacifica increpatione confundit, pax tua inviolata necesse est ut servetur. Sed forte dices, difficile jubes, graves mihi imponis labores dicens, *quaere* etc. pacem servans cum impacificis quorum infinitus est numerus et bonorum numerus satis est parvus, pauci qui quaerunt bonos mores, pauciores qui alios ad bona trahunt, multi qui male agentes bonos bene agere impediunt. *Mathaee*, verum dicis, difficilima res virtus quia optima rerum, pessima res vicium, igitur fuge vicium et *quaere* etc. nolis mala agere ut te mali in bono impediant, quorum laudes debes contempnere, derogationes non magni pendere, plus velis odio haberi a malis quam venerari. Nam sic quaeres bonos mores qui te producent ad honores, nunc ad dignitatem Baccalaurei, postmodum ad magisterium et praecipue ad regnum virtutum.

In nomine etc.

E. Recommendatio inceptoris in artibus. Per M. Joh. Huss ut videtur.

Cod. Univ. X. E 24. Fol. 307*b*.

Audistis venerabiles magistri et domini nostri inceptoris sapientiam, qua duplicis naturae hominem fore asseruit, scilicet corporalis naturae et spiritualis secundum quas homo varie ymo contrarie ad res planabiles inclinatur, quia secundum naturam corporalem ad infima et secundum spiritualem erigitur ad suprema; quarum naturarum una quia spiritualis debet inferiorem convincere et ejus affectum super omnia transitoria ad amorem sui creatoris efficacissime elevare, ut sic vicium deserens, sollicitudinem temporalium excuciens, recto virtutis homo ductus tramite possit ad beatitudinis praemium finaliter pervenire, quae secundum Senecam in epistolis est finis ultimus, in quo homo quiescens habet quidcunque vult et nihil mali vult; in illa etenim beatitudine homo deificatur et per consequens efficitur particeps unitatis, veritatis, bonitatis, potentiae, sapientiae, benevolentiae, nobilitatis, dignitatis, amabilitatis, pulchritudinis, delectationis et laetitiae infinitae, cognoscens intuitive et diligens intime in se, extra se ymo omni quaque (sic) sibi praesentialiter perpetuo assistere, lucem infinite fulgentem illustrantem et illuminantem omnem visionis potentiam (?) et bonitate declarantem delectabilissime et suavissime appetitum, nunquam deerit gaudium in habitatione, passione et dominatione perpetua tanti boni. Ne ergo tam magni et praeclari boni de quo in quaestionibus quas determinavit noster inceptor, mentionem fecerat, expers foret, libet parumper ad tam praeclarum bonum ipsum inceptorem erigere ac ejus animum ad assequendum illud utrumque dabitur concitare. Frustra enim magisterium et cetera attingeret, si non ad finem beatitudinis perveniret, *cum omnia hujusmodi* debent esse media pro beatitudine finaliter consequenda, quae si forent impeditiva, forent absque dubio relinquenda. Pro ejus ergo ammonitione brevissima occurrunt mihi verba principis philosophorum Aristotelis, quae scribit 5° ethic. ita dicens: *Principatus virum ostendit.* Cur philosophus non dicit: vir ostendit principatum, sane potest concipi, quia principatus, hoc est, virtuosa principantia ostendit in effectu, quod se et alios dirigens, non mulier instabilis nec puer debilis nec adolescens lasciviens nec

juvenis inexpertus nec decrepitus, sed animo intuitu puer effectus, sed vir vivens virtute et fortitudine ex principatu ostenditur in effectu. Et quia ad regem et ad quemlibet principantem pertinet primo se ipsum regere dicente philosopho I. de regimine principum, quod summa sapientia est in rege se ipsum regere discrete et honeste, rationem hujus patet Seneca, libro secundo de beneficiis dicens: facilius est, barbaras gentes inpatientes alieni arbitrii regere quam animum suum ab illicitis continere. Qui enim suam animam, quae una est, gubernare non potest, quomodo multorum hominum gubernator erit; quomodo enim potens est, quomodo sapiens, quomodo bonus, qui impotenter sensus compescit, insipienter malum diligit et malivole vicium imitatur. Ergo non aliorum gubernator dignus est effici, qui motus nequit illicitos compescere nec in virtute efficaciter stabiliri. Quomodo talis vir ostendi poterit, qui carnem propriam in minimo non devincit, ergo non vir est, non principans, nam principatus virum ostendit. Ecce audis O. J. O Quia principatus virum ostendit, princeps esto, ymo rex. Si te rexeris, vere rex eris, corrige praeterita, dispone praesentia, provide futura, ratio regat, voluntas obediat, memoria pristina mala et bona quae deus dedit recolligat, quia sic te regens, *rex eris si ista feceris*, regnabis in te, principatus tuus eris ipse et principatus te virum ostendet. Contentus esto de mediocribus, quia medio tutissimus ibis et te *principatus* etc. Acquire possessionem firmam animae virtutem, quia sic te *principatus* etc. Qualis vis esse apud deum, talis nunc esto quia sic te *principatus* etc. Ratio quae in te est, vitae tuae ipsa sit lex, quia sic te *principatus* etc. Vincaris potius vera dicens quam vincere velis menciens quia sic te victum *principatus* etc. quia melius vinci vera dicentem quam vincere mentientem. Omnia suffer ut secundum deum vivas quia sic *principatus* etc. Utere te ipso velut templo dei propter illud quod est simile in te deo, quia liberum arbitrium (sic), quo vivens debite in passionibus animae domineris, quia sic te principatus virum ostendet, mala semper contempne, bona dilige, deum super omnia cole, quia sic te principatus virum ostendet.

F. Iterum recommendatio baccalaureandi [1] (per Mag. Huss).
1409.

Cod. Univ. X. E. 24. Fol. 308*b*.

Quia mens adolescentis in ruinam labitur, si non bonis monitionibus refrenetur et ratio inclinet in deviandum, dum non saepe recipit utile documentum nec dissimili memoria bona et mala praeterita recolit, si doctorum impulsio non effectat, et quia noster determinans non jam puer nec dum vir sed adolescens ut in facie ejus cernitis, nunc existit, videtur consonum. praemissiva eum monitione pungere ut intellectum in ens, rationem in verum, voluntatem in bonum dirigat et memoriam in malum convertat praeteritum quod defleat, in bonum a deo praestitum, pro quo gratias referat deo suo. Nam si intellectum ab ente diverteret in non ens, absdubio declinaret et si rationem a vero detraheret et in falsum cecuciens rueret nec non secundum memoriam recte staret, pro ejus ergo ammonitione utinam solida contentus duceretur recto tramite, verbum imperatum Donati grammaticorum doctissimi istud sumo. Da adverbia.

Ecce per haec audivisti legisti vide si opere complevisti. breviter est dictum in tantum subtiliter et salubriter est mandatum cum dicitur *da* etc. Ecce audis integre ac comple in opere quia tibi imperative dicitur: *da* etc. Da inquit i. e. mente concipe et da i. e. dic voce et da etc. comple in opere ut actum virtutis mente concipias, voce doceas et in opere perficias virtuose. Ergo da i. e. concipe exprime et compleas opere adverbia. Descende ergo ad particularia et da adverbia loci ut hic sis recte obediens, ibi alios erudiens. illuc debite gradiens, inde de malitia exiens intra i. e. intra te singula dimeciens et foras i. e. extra te per opus exiens. O *Petre* da adverbia temporis ut si heri fuisti malus, hodie sis bonus. Nunc te in melius erige, si nuper bonus esse coepisti, si olym *truffator*, jam virtutis amator, cras virtuosior, quia meritum capies aliquando. Petre da adverbia numeri, ut semel sis puer non bis. Nam dicit Alanus in problematibus: bos semel est vitulus, canis est semel atque catellus:

[1]) Wahrscheinlich Petrus von Mladenovicz (lib. decan. I, p. 404), welcher 1409 das Examen machte.

Cur homo fit bis puer quum licet esse semel.

Semel nam homo puer sit per aetatem et secundo per operationem puerilem. Non sic tu. Non bis puer sed ter te ipsum examina, si quaeratur, quatuor cardinalibus virtutibus sis imbutus. Petre da adverbia negandi. Non male cogites neque opereris iniqua. *Petre da* etc. affirmandi ut non vivas quin bene vivas nec cito credas, ni certe fueris, certe doce quod etiam facies. Petre *da* adverbia denuntiandi. En, ecce. En tibi dissuadetur malum, ecce tibi proponitur bonum. *Da* etc. optandi et dic o utinam essem bonus clericus. O si apprehenderem virtutem. Audi. *Da* etc. hortandi. Eya stude fortiter. Age in omnibus viriliter. *Da* etc. ordinis ut demum sis magister, deinceps virtuosus. Petre *da* etc. introeundi ut cur graduaris cogites, quare studes. compenses, quamobrem haec eligis quia praesertim ut salveris. *Petre da* etc. similitudinis; idem *fac bonum quasi bonus. doceas alios sicut philosophus*, vive sicuti licet, age velut teneris, quia sic tanquam justus stabiiieris. Petre da etc. qualitatis ut docte alios instituas, et pulchre converseris. Da Petre adverbia quantitatis, ut multum studeas, parum dormias, modicum bibas. Nam Katho dicit: exerce studium temporis, perceperis artem, quod satis est dormi, vino te tempera. minimum i. e. nunquam ocieris et minime pecces, sed valde deo famuleris. P. audi adverbia dubitandi, forsan malus es, forsitan hodie morieris et fortassis vel fortasse dampnaberis. Petre da adverbia personalia, ut meeum hoc penses, tecum ista disputes. *Petre audi adverbia* respondendi, quia heu si non feceris. malus eris. *Petre audi adverbia* separandi ut vadas seorsum a malis et introrsum in mala ne reverraris. Petre da adverbia eligendi, ut pocius eligas bonum quam malum, ymo mori quam male vivere, sic te docet philosophus tertio ethicorum. Petre audi adverbia congregandi ut similiter bonum diligas, una (sic) mala refutes et pariter haec duo efficialiter amplectaris. Petre audi adverbia prohibendi, ne colas deum alienum. Ne forniceris, ne odieris fratrem tuum. Petre da adverbia comparandi ut magister, magister ergo compara virtutem (non minus) quam scientiam et maxime vitam aeternam, ad quam ut sis comparandam promptior, confero tibi gradum baccalaurei. In nomine patris et filii et spiritus sancti.

G. Ex ammonitione baccalaureandi Mag. Huss ut videtur.

Cod. Univ. X. D. 10. Fol. 110.

— Johannes diceris et sis gratiosus, gratiosus inquam si mala pellendo bonis adhaerebis et sic te laudibus cuncti canent. De Praga es et sic de altero Parisio. Quid enim melius Praga? O Praga *rex* tuus [1]) est speculum quo te speculata superbis, sydus de cujus splendore rutilas. Columpna per quam fulta urges, fulmen quod mittis in hostes; laus qua paene coeli pertingis culmina. Claudam singula: non illo potuit fecisse priorem nec valuit natura parem. Qui enim illius praeconia studet promere, solem fumosis facibus irradiare parat. Quid dicam de te, potero bene illud premere. Praga quasi coelum me transtulit villaque (sic) Pragam tanquam de terris ad coelum et merito. Es enim multitudine stipata magistrorum tanquam multitudine stellarum, toti orbi micantium. Tu venustate mulierum fecundas, prudentia civium ingurgitas, quibus attribuo illud quod olim Romanis Tullius asscripsit dicens: maxime autem romanus populus magnitudine animi ceteros antecedit. Ego autem dico: maxime autem Pragensis populus magnitudine animi antecedit ceteros. Tu *altera Parisius* pascendo nudos in artibus. *Tu secunda Bononia* disponendo panes virium robustis. Tu *Salernum* depellens morbos virtute medica, tu principatu potentissima ranna (Rama?) in divitiis, *tibi par est urbs nulla.* Quid dicam tibi? venisti ad summum ut dicit Oratius propter quod tibi potest appropriate dicere:

Quam bene Praga potens et quam bene gratia prudens
Semideos homines ortulus iste parit.

O felix Boemia quae tam dulcem alumpnam peperisti, cujus laus est diffusa ad coeli culmina. Quia igitur de Praga es, idcirco te laudibus cuncti canent.

Et haec fuerunt verba loco thematis praeassumpta, in quibus verbis primo innuitur specialiter persona nostri baccalaureandi commendabilis, cum dicitur: illum, unde Parisius [2]): At pulcrum est digito, monstrari et dicere hic est. Hic est scilicet pugil noster ut dicitur Ganfredus, quia audacter pugillavit arguendo ut fructu scientiae potiretur; pugillavit dico ut alter miles non solum arguendo sed

[1]) Wenceslaus?!
[2]) Horatius!

etiam quadam nocte ipse et *socius suus acceptis stilis ligneis acutis contra se invicem processerant reptantes contra se in partibus posterioribus* anilibus. Hic quoque doctus determinans graviter impegit contra suum socium ipsum stimulando dona mutua tamen a socio in eadem pugna invitus recepit, propter quod credo clamavit datiamoye [1]), pugillavit et adhuc frequentius pugillat cum sompno, sed equus erectus non potens trahere plaustrum; me namque excitante ipsum ad studium solitus erat dicere gestyae somne royspal [2]), propter quod frequenter tertiam partem diei dormiendo peregit deo gratias agendo. O Dromo mavis sani capitis habere dementiam quam insani peritiam. Haec si facies non te laudibus cuncti canent etc.

II. Oratio inedita ut videtur M. Johannis Huss.

(1409.)

Cod. Univ. Prag. X. E. 24. Fol. 241.

Recommendatio artium liberalium.

Praestantissimi patres magistrique doctissimi dominique singuli et universi vos quoque studentes speciosissimi, in quorum vultibus rosa cum lilio disputare cernitur, cum candidi excititis (existitis) atque rubicundi. Hos vos singulos et universos in uno convolucro permagnopere obsecro ut cum ea, quae ad laudem philosophiae atque matris nostrae, quin ymo ad laudem, honoremque liberalium artium me vel tumultuario sermone narrare contigerit, ne moleste capiatis, si quae ex superhabundanti venerabilem magistrum dominum *quodlibetarium* alumpnum liberalium artium pro meritis commendare contigerit, non egre feratis. Nec me ad contemptum proborum, verum ad laudem bonorum hoc efficere credatis, quod si non omnibus et praesertim *flagitiosis* hominibus in sic faciendo placuero, ex tunc qua potero tolerantia sustinebo, quum bonum est bonos laudare quamvis hinc mali torquerentur et cum in hoc actu precellenti velut chorea plausibili quivis magister qui affuit ad honorem et decorem puellarum sublimium, liberalium artium, ad nutum philosophiae spectantium ut decuit et potuit, suavem cecinit melodiam praefatis virginibus, hoc ipsum considerantibus hincque gratulantibus ideoque pulchritudinem harum, gestum quoque et habitum restat vel pueris describere, ut

[1]) Ich ergebe mich.

[2]) Ich habe noch nicht ausgeschlafen.

earum irritati decore reddantur docibiles matrique earum facultati artium sive philosophiae tanto magis amabiles. Haec (sic) enim speciosissimae juvenculae veluti antigradae excellentissimam reginam philosophiam perdecenter antecedunt et quoque consequuntur.

Prima nomine *grammatica* pallore vultus signa laboris praescribens ignis tamen purpureus ab ore, genis quoque virgineis non extitit relegatus, vberibus vero ejus in multo lactis torrente natantibus (virginis!) quantitate quoque dapem pudoris mecientibus liquido cibat gregem infantium, quos nondum cibos solidos natura parcit digerere, dum lactea aetas lactis pocula delibat. In cujus manu ferula, qua a suis infantulis abusus propellit, quos aetas infantium de suo more conbibit sicque verba asperat verberibus, mollitque verba (verbera?) uberibus ut fere facto eodem pater et mater existat patrem F. 240b. compensans verbere, matrem se ubereis (uberibus) indesinenter ostendit. Haec docet infantes loqui linguasque ligatas resolvit, verba quoque mira sui industria in propriam deducit monetam. Vestis ejus candidata colore liliaco, colori vultus virginei non detrahens, verum sese colores contratinti proprio venerant honore. In cujus vestis parte primaria eleganter descripta sunt grammaticae rudimenta scolari ascensu. Illic primum insertum est, quae notae (nota) elementa quasi sillabae, quae et nomine depingant et qua causa literam elementum tropice vocari poposcit, litera cur simplex cur indivisa vocetur. Quis ordo congruat, quae potestas sufficiat, quique numerus concludat, singulas has species subjecto canone recludit nec ibi causa deficit, cur aliqua elementa tenui sono dejecta in fine vocem poscentia in primis nitescunt. Ast nomen vocalis aperte rursum clamitat, liquidis deorsum euntibus. Qua etiam ratione, hoc non esse literam asseritur, cum sibi et nomen et usum scripturae praetendat, aut cur cyfrae locum iuter literas possideant, cum singulis elementis vocis prebeat spiramina, nec ibi scribi obmissum est, qualiter vocalis propter rixam cum altera suae vocis in metro deperdat honorem, quid etiam proprium litera possideat, quid syllaba, quid dictio, quid etiam proprii nomen proprium appellatumque retineat, quid verbum appareat, quid pronomen adverbium proprium, quid cum ceteris solitarie possideat, qua etiam ratione pars recta quidque totum babeat regendi officium, cur etiam verbi actus quinquies in se revertitur, quidque cum ceteris partibus foedus amicitiae incurrit, cur gravis acutusque in sonando accentusque evenerit. Omnia haec et plura innumera in

parte primaria tunicae virginis grammaticae luculenter descripta sunt. At vero parte alia tunicae virgo decora, aspectu Caesariensem Priscianum Donatumque suae artis artifices rectores patronos heredesque constituit, quos sibi thesauros ampliasse auxisseque gloriatur, propter eos adulta fama beavit. Sic haec virgo exornata philosophiae reginae sequitur vestigia.

F. 241. Sequitur hanc altera, cujus vultus speciesque tanto honore fecundus est ut eam primam contingat debere praecedere, cujus facies quadam macie respersa est aridaque cutis subsidet nudis ossibus, quae tam habitu quam gestu quam macie insompnes et vigilias et secum vigiles vigilare lucernas, in cujus occipite crinis devius contendens quodam litigio secum rixare videtur typum gestans disputationis. Haec virgo mentis penetralia penetrans logi*cen* a graecis, latine *dyalectica* vocatur. Haec sola est quae scire facit scientes, hujus in manibus angues certare videntur, mens vero stare in medio conspicitur, diligenter considerans, quae pars obtineat victoriam. Sed nec haec suo caret mysterio cum pugnam elenci cum proelenco figurat. Cujus vestis bipartita picturam continet non modicam. Illic enim nova arte picturis (picturae) duellum logicae pugnaeque eleuchorum demirantur. Illic virtus logicae facie veri truncata falsa recidit, falsum negans sub umbra veri posse latitare. Illic etiam dinoscitur quomodo pseudologicus, non artista sed artis adulter furtivusque praedo sophista vultum logicae gestare mentitur, temptat quoque quibusdam prodigiis pro vero vendere falsum. Illic etiam depictum est quid sit locus in logica, quid localis congruitas, quae causa loci, quid maxima, quae etiam virtus foret argumenti vel quae solet armare elenchum, nec ibi illud deficit quomodo elenchus in materia deficiens sola facie lacuna praetendit elenchi et quomodo ex praemissis nascitur velut proles conclusio; cur etiam medius terminus, mediator mediorum existens firmo nexu argumentum confibulat; quid etiam genus divisum in specie separat aut quid totum in partes dividat, rursum quae prius sparsae fuerunt renodans cogensque divisas in unum. Illic etiam depictum est qualiter ars logicae veneratur prae ceteris, cum ipsa sit veluti clavis reserans secreta sophiae. Haec enim virgo praeclara elingues instruit, ornat incomptos, torpentes excitat, inermes armat. Haec sola clare noscit vitia ab omnibus quoque sororibus nedum a se ea cogit exulare. Haec mentem humanam veluti quandam incudem diligentissime circumspecteque contendit, ne

fraudulentus sophista in ea falsa argumenta menetet (inveniat?). Haec F. 241 b.
praescripta cum plusquam pluribus vestis logicae in parte superiori retinet depicta spernitque haec virgo logicos garrulos verbalesque qui solo cortice gaudent, quos nequaquam admitteret intus pinguedo medullae, sed foris exposcunt terminos, solo contenti putamine, hos enim vera logica inhabiles praedicat, nuclei libare saporem. *In hujus virginis gremio Zenocrates rex qui primus logicam conscripsit, sedere conspicitur.* Illic etiam *Aristoteles* verborum turbatorum (turbator) adest, *qui turbine verborum usque modo turbat quam plurimos,* qui gaudens latere sic logicam tractaverat ut non tractasse videatur. Non quod in hoc oberasset sed quod verbi velamine sic omnia velat, quod vix labor ipsa revelat. Qui cum idcirco ut estimo sua dicta latebris investivit, ne nude coram vulgo archanam prosternens scientiam tandem plebeitate compellat vilescere, cum res vulgatae plurimum fastidia gignunt juxta dictum poeticum:

Ex re vulgata contemptus nausea surgit.

Illic etiam Porus (Porphyrius?) archana resolvens directo tramite tractatatum universalium veluti pontem dirigit muratque quo calle lector abissum logicae Aristotelis introeat penetralia libri putatorum penetrans. Sic haec virgo exornata veloci gressu reginae theologiae imitatur vestigia.

Tertia puella has sequitur cujus nomen *rhetorica*, quae suo splendore faciei harum postulat processum. Haec enim virgo splendide mentem solerti studio per logicam intus invocatam ad exterius evocat destinatque ad navium gubernationem suoque privilegiali decore priscas puellas ornatas decoriori ornatu adornat.

Nec hoc mirum, cum sibi magis prae ceteris species et gratia formae arridet. Hujus virginis tunica multifaria protelata colore suarum comitum pictoris arte exsuperat vestita, ymo totam artem picturae sub suo claudit pectore. In vultu hujus virginis color enatat igneus ignisque in ore purpureus, vultum roseo splendore colorans. Hujus vestis summi pictoris opere picturata rhetorici coloris pictura F. 242.
resplendet sicque picturam colorat. In hujus vestis pictoria veluti in libro legitur qualis finis, quis auctor, quae forma, quod officium, quae causa, quis ordo, quaeve rhetoricae proprietas. Quae virtus qualiterque rhethorica nunc minis tonare videtur, nunc luce veri coruscans precibus pluere conspicitur, nunc vero aures laudibus inebriare

cernitur. Illic etiam depictum est qualiter inprimis ars invenitur tandemque ordinat et demum ordinata ordinate eloquitur. Quas etiam partes vel quot in se rhetoris oratio contineat, qua etiam serie texantur in unum. Illic etiam depictum est quomodo puram moveat mentem, aurem erigat, auditoris cor illi aperiat et quomodo verum sub verbis brevibus explicet narratio. Nec hoc eidem deficit, quomodo consilium casus oratio studium factum cum facto contineant, quis etiam modus in facto vel quae complexio facti, quis locus, quod tempus, quae causa aut quid excuset occasio. Vnica pars vestis virginis rhetoricae hanc artis gerit effigiem, ac vero altera pars defert suae artis depictos artifices. Vbi solus *Marcus* sibi adoptat rhetoricam, quare merito poterit Ciceronis filia dici quam Tuellius gignit (genuit), a quo ars rhetorica sumens exordium Tulliana posset recenseri. Illic *Quintilianus* residet velans umbras causarum sub veri ymagine fingensque lites novellas, cogit sine lite in litem venire. Illic *Sydonius* sidereo sermone refulgens multiplici veluti gemmis stellarum speciem iniguit (ingerit?). Sic haec virgo tota stipata coloribus floribusque philosophiam sequitur. Hae igitur praefatae virgines scilicet grammatica logica et rhetorica, sermone veluti funiculo sibi invicem junguntur.

Has quarta virgo sequitur decora decens gracilis subtilis acuta *arismetica* (sic) vocata. Cujus vultus et liber est et litera (sic) cordis, hujus caput humiliter encleticatur (inclinatur) in terra ne in lubrica sensus vertatur. Hujus virginis manus una pugnas sustinet non
F. 242b. modicas, altera vero nostrorum (numerorum) disponens agmina varios indicat insultus, tandem rebelles numeros subtili triumpho concludit. Hujus vestis virginis bissino refulget decore artus virginis investiens, cujus subtilis extat maceries, ast opus subtilius ipsum praecellit initium ut fere naturali arte devicta est. Illic pictura scriptotenus loquitur figurisque clamat non modicis communem artem numerandi numeravit praedicans quae virtus numeri, quae regula, quis nexus, quis ordo, quis nodus, quis amor, quae ratio, quid foedus non taciturne proloquitur nec hoc etiam praeteritur, quomodo nexu concordi numeros ligans omnia, singula componit, mundus regit (regitur) astraque movens orbem ordinare non desinit, quibus etiam numeris ligans elementa, animas maritat corporibus, quo etiam modo creandis rebus coepit mundo esse nascendi principium, quis finis et quod exemplar, quae forma aut quod sigillum erat, id ad cujus ydeam effigiem formans

rebus impresserat, huic mundo sensibili figuram circumactionis accommodans. Illic etiam depictum est quomodo sacra monas velut mater de se turbam numeri procreavit, quomodoque extat omnium numerorum principium fons mater atque origo et veluti virgo parens sese in multiplices numeros diffundit inviolata remanens. Illic quoque depictum est, quis numerus numerans quisve numeratus, quis reperit, quis distribuit, quis subtrahit, quis colligit, quidve radices a primo actu extrahit, quis par, quis impar, quis quadratus, quis solidus, quis pyramis, quis cyclicus, quis propriis partibus numerus completur, quisve partes superat aut quis ab hiis superatus habundat. Hanc praescripta arismetica vestim virginis gerebat multifariam in prima parte pictam. Ast alia praescripta vestis particula suos artifices depictos curabat (numerabat?). Illic *Pytagoras* italicorum praecipuus philosophus propriae menti donans convivia certis legibus numerorum ascribit causas vices motus et vincula rerum eosdem attestans. Illic *Nicomachus* praedictae artis artifex, qui vias numerandi invenit et quasi quaedam secreta prophanat per numeros. Illic etiam *Chrysippus* tanto amore numeris afficitur ut quis eum semper insompnem numerare putaret. Haec virgo omni pulcritudine conspicua juxta regiam philosophiam suum maturat incessum. — Post hanc vero instat quinta puella tanto conspersa decore ut eam natura totam afflaverat ornamento, quae reginam philosophiam diligentissimo studio plus caeteris prosequitur, tanti gestus habitusque F. 243 honorem decoremque accumulans, ut caeteras antigradas superaret; quae nullius partis corporeae jacturam patiens caput gerit encleticum ut quibus mens insideat ipsa ecclesia loquatur. Manus hujus virginis virgam gerit, qua totum orbem circuit, qua etiam mare certis claudens limitibus ardua coeli conterminans terrae spatium metitur. Cujus vestis etsi sit minutis respersa pulveribus non tamen decoramine formaque denigratur sed multifario gravitate pictura resplendens supplicat honorem verbi serioris, totam artem lingwa picturae recenset quum jurisjurandi diffundit doctrinam, usum quoque docens, spissa reformans, consequitur prawa, metitur magna in altum conscendens, cum valles non deserit prostratas, profunda. Hic quid sit punctus legitur, quid linea curva et quid recta, quid aequalis, quid circumflexa, quid superficies contecta planitie ignorat profundum, quid et tetragonus, quid trigonus, quid forma triangula, quid etiam linea suo centro circumducta poterit describere, cur centrum residet

in medio, cur quilibet angulus aut obtusus hebes aut sursum tendens, acutus minorque obtuso sit rectus sed acuto major. Illic etiam legitur qualiter supradatum gravia juxta novum (normam) hujus artis trigonus certo procedens tramite aequorum laterum; describitur, cur etiam linea aequis partibus scinditur aut cur arte consimili quilibet angulus distinguitur. Haec lingwa picturae in una parte vestis geometriae locuta est. At vero altera pars vestis *Euclidis* Chalcidini Campanique multifariis boabat praeconiis qui rerum circuitus mensuras fines pondera sub certis clauserit limitibus, aëra coelum astra fretum terrasque tuentes ratione consimili, qui praeclari geometriae orbes sine motu petiere circulosque aërios sine pennis potuerant transvolare, aequor quoque oceanum sine remige metiti sunt per astraque sine gradu gradientes sine tactu attingebant olympum. Hiis haec virgo fulcita coloribus figurisque innumeris animo tam verbo quam opere se ostendit reginae philosophiae alacrem pedissequam.

Sexta virgo consequitur, cujus vultus inebriatur laetitia studio vacans consimili caeteras virgines exhilarat varia sonorum tympanizans dulcedine, cujus vero manus baiulat citharam, altera vero manus cordas continue sollicitat. Ex hinc quoque dulcem soni protraxit saporem, auribus varias ministrans epulas, oculis quoque gravati sompni praeludio cujus cantu lapides videntur mollescere sylvae currere, flumina stare fera quoque a suis rugitiibus mitescere. Haec virgo insigni vestita toga fulgura belli repudians se pacis ostendit alumpnam. In parte vestis hujus plurima vides picturae lamina, multifario scemate quae musica poscit dinumerat vocumque varia numeris didicit discrimina. Illic etiam depictum est cur non una vox omne melos dulcisque cantus sonorum pertineat, sed potius unio vocum dissimilis, quae etiam humana (?) vox sit dupla vel quis cantus in dyapasim resonat vel quis sextus sonus sit ad illum aut quis concorditer ei in dyapentem resonet, quae etiam vocum junctura dyacessionem pariat aut qua voce altera pars toni alteram partem transgrediens primo convenit in sono vel abundat. Sic haec virgo in sua parte tunicae insignia defert artis musicae. At vero pars altera vestis hujus gaudet
F. 243 b. in se habere suos depictos artifices. Illic Orpheus cytharoeda praecipuus cytharisare conspicitur. Illic Millesius suae vocis mollicie divinas aures inebriat. Illic Micalus, quomodo se laetatur musica doctore. Illic etiam noster *Gregorius* qui in sonis navigat

in medio, cantus syrenum fugiens sonosque rebelles impugnantes aures ab ecclesia propellit. Sic haec virgo apparatu reginae cum caeteris virginibus non modica propinat sollatia.

Jam vero virgo ordine ultima subsequitur quam decor cultusque primam excellentia ostendit. Cujus caput non ad terram tristitia dejectum est, sed vultus in astris suspendit fugaces causas arcanaque velatur (sic) polorum, cujus faciei fulgur nostrum verberat intuitum, cujus manus corpore sphaerico impleta est. Alteraque astrolabium quadrantemque non deserit, gemmis inardescit sidereis, hujus vestis pictura praeloquitur, quid doceant leges astrorum, quid sphaera coelestis includat, quis etiam axis in partes sphaeram distinguat, quis etiam polus, an is qui sursum erigitur vel qui ymo deprimitur, axem terminare conspicitur. Illic etiam legitur cur linea obliqua signiferi declivi ducta limite, coelum sidere duodeno depingens grata peregrino planetae donat hospicium. Nec hoc eidem deficit, qua lege planeta directum iter metiens lege coelo contraria aufugit retrorsum et quanquam fixus certa statione moratur. Illic etiam conspicitur quis sit motus lunae, quae sphaera solis aut quis orbis Mercurii, quae semita Veneris et quae via Martis, quae etiam Saturni mora retinet, aut quo currit stella Jovis limite, quis etiam circulus vagos motus adoptat, quis etiam egregia cuspide sursum tendens in terraque centrum defigere nesciens terram exire perspicitur. Haec praefata virgo aurei decoris honore vincens, caeteras comites primas facit esse secundas, splendor picturae candori vestis ejus applaudit faciei, illos in scripto colligens qui ducti mentis remige in superas domos abiere secretaque polorum scrutantes sibi deitatis meruerunt honorem. Illic nitet depictus Albumasar, qui astra coelorum septemque planetas consulens cursus eorum reperit consilium armans terras caducaque F. 214. firmans contra iram furoremque coelestium. Illic Athlas perspicitur brachiis coelum ab oriente in occidentem circummeans, qui quia astra sustinet etiam sustinetur ab astris. Illic Ptolomaeus *regali* fulcitus tiara quem haec virgo suae artis artificem variis profitetur praeconiis. Sic haec virgo stellifera cum caeteris antigradis reginae philosophiae sequitur vestigia.

Cum igitur hae speciosissimae virgines septem artes liberales unaque cum matre sua regina philosophia huic venerabili choreae hujus quodlibeti noscuntur adesse atque affuisse, *erubescerent clerici magistrique* quam plurimi, qui se harum puellarum amatores gloriantur

sophistice eo quod ad solempnitatem earum comparere *invitati* non ausi sunt, matrem nostram *facultatem artium*, quantum in eis extiterat dehonestantes, sed qui in verecundiam matris nostrae aut sui excellentissimi filii venerabilis magistri quodlibetarii hoc facere ex *conspiratione* credebant, nonne propriis irretiti consiliis ingressi sunt abyssum confusionis? Et quum quodlibetum exstat clericalis militiae validum torniamentum, in quo magistri singillatim ferro argumentorum praesentantur hincque pro viribus limitata (literalia?) accipiunt praeconia, quomodo non erubescerent nostri magistri quam plurimi, qui suam praesentiam impudenter ab actu hoc subtraxerant profectumque (sic) qui vel ratione congressuum universis scolaribus spectantibus eorumque doctrinam sed frustra exspectantibus evenisset, indecenter abstraxerunt. Sic milites saeculares aut clientes magnam verecundiam putarent quamvis cum vitae corporeae periculo ut vocati non venirent. Hiis igitur magistris singulis et universis qui actui huic veluti torniamento hujus quodlibeti affuerint, vos o studentes clarissimi jure obligamini eorumque etiam beneficiorum neminem decet esse immemorem, caeteris vero tanquam timidis militibus eas grates referetis quales meruerunt. Et tanta sint dicta pro laude honore et gloria virginum pulcherrimarum liberalium artium earumque professorum cum venerabili matre earum regina philosophia.

Jam vero vel fastigialiter post laudem matris restat ad laudem ejusdem matris filii descendere et licet sine verborum scemate aut themate cum ex legibus divinis humanisque nonnisi laboriosos circa virtutes intellectuales et morales laudare conveniat, philosopho hoc idipsum confirmante 4° ethicorum. Nam nisi honor laudis tribueretur merentibus, virtutibus (virtus) malitia ex debiti stipendii carentia deperiret. Ne igitur laudibus tuis dampnum faciat vel occasionaliter meum dampnatum silentium, quin potius post labores et sudores diutinos fructum laboris accipias, mihi non videtur incongruum pro praesenti tanquam libamen quoddam laudis et honoris ad degustandum et licet dictum Aristotelis Rhetoricorum 2° quo dicit laudare praesentem signum adulationis est. Non enim laus tua ut ceterorum ex rebus caducis dependet, qui laetantur cum male fecerint et exultant in rebus pessimis, quorum actiones perversae et infames gressus eorum hii sunt, in epulis suis maculose convivantes sine timore semet ipsos pascentes, nubes sine aqua, quae a ventis circumferuntur, arbores autumpnales infructuosae bis mortuae eradicatae, fluctus feri maris

despumantes suas confusiones, sidera errantia quibus procella tenebrarum conservatur in aeternum, a quibus si pingues equos abstraxeris, si eosdem pannis pulcris ac mortuorum animalium pelliculis privaveris, ex tunc eos omni honore privabis, quum ad intra spurcitiis luxuriis simoniis injuriis perfidiis rapinis pauperum atque sacrilegiis ut sepultura dealbata ossibus mortuorum repleti sunt; ad extra vero superbiis tumoribus turpiloquiis mendaciis caeterisque flagitiis velut pallio confusionis amicti sunt. Hii suas confusiones perinfames diffamias *personarum nobilium* atque hujus venerandae civitatis toti communitati utilium cooperire nituntur ipsi met in vita et moribus *haeretici*, fideles homines nostrae *sacrosanctae nationis boemicae* mendaciter haereticare non desinunt. Cum sit antiquum vulgatum per verbum; *neminem pure Boemum posse fore haereticum*, quod hucusque ex retroactis temporibus constat esse approbatum. Si igitur juxta Salomonis sententiam, melius nomen bonum quam unguenta praeciosa, per immortalem deum vos obsecro singulos et universos, qui F. 245. serenissimi principis Wenceslai Romanorum et Boemiae regis atque hujus regni decorem diligitis quique bonam famam hujus *sacrosanctae civitatis Pragensis* sincere amatis, quatenus nomen illud bonum et optimum, quod hucusque in omnibus provinciis habuimus, observare modis quibus poteritis universi et singuli studeatis et id ipsum nomen bonum infringere conantibus ac personas nostrae *sanctae nationis Boemicae* turpantibus ut perfidis doloseque *mendacibus* non credatis. Et insuper vos omnes perprudentissimi consules atque clarissimi cives, quibus tantus honor *collatus* est a serenissimo principe Wenceslao Romanorum et Boemiae *rege*, ut vobis prae caeteris praecipue ac vestrae providentiae suum thesaurum nobilissimum sibique amatissimam communitatem universorum hominum hujus *sanctae* civitatis Pragensis *tradidit confidenter ad regendum et ad protegendum:* Vos igitur cum obsecratione commoneo, quatenus hanc *sanctam* communitatem *boemicam velut regi sincere amicam* ab omnimoda infamia perversorum *mendacium* pro modo vobis possibili constanter tueamini. Quicunque igitur quemcunque *pure Boemum* dixerit fuisse vel esse *haereticum*, a rege usque ad militem, a milite usque ad clientem, a cliente usque ad minimum presbyterum, a magistro civium hujus urbis usque ad rusticum, ab archiepiscopo usque ad quemlibet opificem unus pro omnibus respondeo ut debeo toto corde ore pleno intrepide quod *mentitur* ut nullius

fide dignus, ad quod verbum nunc et semper stare paratus sum. Ego enim rei hujus vos testes esse non dubito quod plerumque plus quam plures ab *exteris* nationibus homines retinetis memoriter huc advectos eosdemque ut *jure compertos* haereticos in hac *sancta civitate fuisse combustos*, nullum autem purum Boemum audistis vos neque patres vestri cum suis antecedentibus patribus vel semel ob haeresim fuisse combustum. Sed illum infamem mantellum cum glauca cruce signatum super fidelissimos homines nostrae *sanctae boemicae* nationis plus quam plurimi *mendaces extranei* nituntur dolose atque *mendaciter* imponere ut sub hoc infamiam suam ac confusionem valeant abscondere. Nec me ex hoc quis imprudentem frontosum aut praesumtuosum judicet, si honorem, quem
F. 243 b. debeo, *patriae meae* impendo et eam pro viribus contra *mendaces* defendo. Nam quam sit excellens amor patriae, ipsa antiquorum probat perfrequens auctoritas ut etiam pro ea non solum verbis sed factis pugnandum sit. Ex Kathonis sententia qui ait: pugna pro patria. et Cassiodorus libro primo epistola vicesima: unicuique patria sua debet esse carissima. Et idem epistola 38 sic ait: nobilissimi sunt quibus patriae suae augmenta est cogitare. Ymo secundum Oratium in suo libro carminum: dulce et decorum est mori pro patria. Sed proh dolor jam a multis amor patriae recessit et *praesertim in hac civitate,* qui parum advertunt vel nihil, si dolose et mendose ista *sacrosancta communitas* sic sibi suppositis utilibus (futilibus) mendaciter maculatur. Nam ut verum fatear quae communitas vel una in orbe est, quae tali obprobrio potens resistere subjaceret? Nonne a plerisque noscuntur hic ydyotae presbyteri, honore scientiarum a nemine sublimati in *sermonibus vulgaribus coram plebe mendaciter garrulasse: hic in civitate quam plures esse haereticos, quos Wyclef-fistas appellant,* et *ego* quantum ad me attinet *coram vobis profiteor, me libros magistri Johannis Wycleph legisse et studuisse* sicut et aliorum doctorum libros et in eis *profiteor multa bona didicisse.* Verum tamen absit a me ut sim ita insipiens ut quidquid in libris ejus vel alterius doctoris legerem ut hoc sincere (?) tanquam fidem teneam. Nam soli scripturae sacrae hanc servabo reverentem sequentiam: Ipsa dicit quod sic est, ergo verum. Quod si Aristotelem paganum cum ceteris paganis philosophis adhuc in juvenili aetate et cum sudore legimus et diligentissime studemus, in quorum libris errores quam plurimi fidei catholicae repugnantes inserti comperiuntur, at

tamen veritates claras quam plurimas in eorum libris impositas capere non prohibemini, ita cur non legamus libros Wicleff, cum in eis *infinitae veritates sanctae* ab eodem elegantissime sunt repositae, quamvis turbant et clericos tumentes et laycos, sed non mirum, cum eadem claritas lucis delectat visum clare videntis et haec eadem claritas sit nocua lippientibus oculis. Discant stulti ydiotae quod argentum atque aurum ac lapides praeciosissimi lutea minera sunt obvoluti, F. 246.
cujus qui non habet singularem notitiam non magis praeponderat quam terram aliam luteam. Hii vero qui artis experientiam habent, propter terram auro gemmisque circumductam minime aurum atque gemmas despiciunt, sed practici suae artis lutum ab auro in fornacis examine separant atque secludunt. Quis igitur vos o juvenes prohibebit mineram veritatis in Wycleff libris addiscere cognoscere? Ergo *quantum ad me attinet summopere vos moneo, ut libros ejus et praesertim in artibus legalis frequenter atque studeatis diligenter, quod si in libris ejus ea inveneritis, quae ob infirmitatem vestri teneri ingenii percipere ut deceret non valetis, pro fortiori aetate reponite.* Quia in eis sunt quaedam quae videntur fidei contraria, non hoc defendite aut tenete, sed potius fidei vos submittite.

Nam et beatus Jeronymus qui et Origenem persequitur velut haereticum, ejusdem viri tria millia voluminum refert se legisse, et in quodam loco dicit, utinam omnium haereticorum libros haberem, quae vera sunt excerperem, quae mala dimitterem. Sed hic ab ydiotis objicitur: modicum frumenti totam massam inficit, sic modicum falsitatis aut erroris totum aggregatum veritatem in uno libro inperficit. Quibus sic respondeo. Discant stulti, alterius rationis fore res stabiles et permanentes a rebus caducis et fluidis. Frumentum ergo, quod caducum est et fluidum hoc caducam massam et fluidam inficit, sed nullum quantumcunque falsum seu erroneum vel minimam veritatem inperficit, cum veritas sit solida quae non potest *mendacio* fore penetrata, cum in penetratione rerum necesse est unam rem cedere alteri. Veritas autem umquam cessit neque cedet *mendacio*, cum super omnia vincit veritas. Nec jam ultra ad libitum hominum *mendacium* a veritatibus praeclaris quae continentur in dictis libris recedite, aut *libros eosdem studere timete*, quum non spectat ad sapientem veritatibus affici propter homines, sed potius hominibus propter veritates. Igitur absit a vobis in posterum, ut libros praefati magistri hiis, qui eos minime intelligunt, *concedatis vel contribuatis*,

F. 246b. qui prius irrident veritates, quam ipsas percipiunt et antequam vel partem intellexerint, jam in toto reprehendunt. Nonne ex summi magistri sententia mandatum negatum habetis, quo dicitur : Nolite projicere margaritas ante porcos qui magis in coeno quam in odore optimo volutare concupiscunt. A saeculo visum non est ut vel semel aurifices sua ingeniosa opera coriariorum tradant examini, qui magis feotorem quam splendorem in rebus considerant. Ideo viri cordati vel jam corda erigite et qui veritatis cultores esse debetis, hominibus *mendacibus* nequaquam colla submittite, quum ad idem vicium spectat *mendacium* committere et hominibus *mendacibus* veritatem subprimere conantibus non fortiter resistere. Vobis ergo juvenibus Joseph pulcrum, vobis aetate consocium, pro exemplo deduco in medium, qui quasi solus inter fratres constantiam tenuisse describitur. Ideo solus tunicam talarem polymitamque habuisse perhibetur. Verum quasi aliud est Joseph talaris tunica vel actio consumata, quasi enim propensa tunica talum corporis operit, cum quis ab agnita veritate protegente constantia non recedit. Vobis autem senibus literarum doctoribus Moysem senem doctorem veteris scripturae legiferum produco in medium, per quem cauda cum hostia in altari offerri praecipitur, ut videlicet omne studium perfectum sive omnem veritatem, quam docere incipimus, et perseveranti fine compleamus et non velud canceri ob tortorem recedamus. Nempe melius est ad agnitionem veritatis non pervenire, quam ab agnita ob pusillanimitatem spiritus cum rubore recedere, et studentes, qui se ob tenuitatem ingenii evolvere neque sciunt neque valent, involvere. Ad *hoc nempe civitas sustinet magistros secum atque doctores ut si qua forent de via aut in fide erronea, juxta scripturam corrigant et mendacibus resistant, ymo mendaces in mendacio convincant.* In hac autem civitate constat multos ydiotas *mendacia* coram plebe in sermone praedicasse. Unde mihi constat, quod, cum quidam Apocalypsim ad
F. 247. populum non tam praedicaret quam garriret, inter alia loquens de cauda draconis, quae tertiam partem stellarum de coelo detraxerat, affirmative dixisset, quod iste draco Magister Johannes Wycleff extitit, qui plus quam tertiam partem militantis ecclesiae in suum errorem pervertit.

Sed viri docti aspicite, numquid ille ydiota illud in textu reperit an in glossa ordinaria invenit an fortasse in scripturis canonum sacrorum hoc investigavit; an talis est, ut quidquid dixerit, suo

capiti credamus. Scimus namque scripturae sacrae doctoribus hoc a sancta ecclesia condonatum, quibus jam studio diutino comprobatis, sensus scripturae confiditur et in eisdem loqui dicta prout ratio uniuscujusque capere potest, permittitur. Istis autem ydiotis presbyteris non est data licentia ex propriis capitibus praedicare, sed scripturam limitatam coram vulgo sine proprio addito exponere; hoc pro tanto dixerim ut talibus ydiotis *mendacibus* in posteris non credatis. Quamquam autem non meum sit pro praesenti, modo doctam docere mineram nec sciolos magistros debere instruere, verum tamen non quod dico, sed quo animo dico, ab omnibus pensandum est et ut nihil sit in corde quid distet a labiis, verbum brevissimum dicam. Si ydiotae presbyteri in eorum vulgatibus sermonibus *nostram communitatem sacrosanctam Boemicam* in confuso *mendaciter* maculantes et ipsam haereticantes, a vobis non prohibetur doctoribus, quibus interest ita mentientes corrigere, quid aliud nisi mendosa hujus communitatis confusio vobis judicatur complacere. Nec hoc dico ut sit vobis confusio ac si confundens alios propriam gloriam appeterem, sed quo vos viros doctissimos contra praedicatores *mendaces* velut decet impellerem. Scio namque sonum tubarum aut tubae nullam vim equis conferre, verum tamen in eis fortitudinem torpentem quadam irritatione erigere. Ita ergo non per verba mea estimo vos docere sed jam doctos diutine contra frequens *mendacium* concitare ut congrue tota hujus venerandae civitatis *Boemorum* communitas vobis dignas exhibeat reverentias. Nam alias neque cetus clericorum, nec civium neque operariorum vos venerare tenetur qui honorem ab eisdem percipitis et eorum fidelem communitatem *mendacibus mendaciter* temperare permittitis. Quod si mihi objicitur, non me debere sacerdotem dei confundere sive maledicere, respondeo, quod non sacerdotem dei maledico, sed sacerdotem *mendacem* de tam turpi *mendacio* verbaliter reprehendo. Ideo erubescerent talès ydiotae presbyteri super ita impudenti *mendacio*. Sed ne me ulterius cum istis presbyteris *mendacibus* occupem, ad te domine quodlibetarie hominem veridicum et veracem converto sermonem, qui tanto magis laudandus es, quanto magis *mendacibus* restitisti. Et licet tua prudentia laudabilis cum praeclaris habitibus, quibus exornaris, tibi ipsi sufficiat et meae laudationis non egeat, ac tamen quod tibi ad utilitatem atque honorem cedere credimus, reticere non possumus nec debemus. Nam tu prae caeteris laudandus

es, quanto prae caeteris in tam juvenili aetate in virtute scientiae excessisti. Non enim ut caeteri hoc praegravissimum onus, hoc est autem quodlibeti verecundia urgente ex antiquato studio aut timore cujusvis dampnusculi suscepisti, sed caeteris retroactis temporibus sibi oblatum honorem *respuentibus*, tu te ultro obtulisti, ymo ut verius dicam tibi oblatum honorem per dominum decanum facultatis artium et magistrum reverendum cum honore accepisti, docte prudenterque agens quum et didicisti, ne des *alienis* honorem tuum, quod et practice fecisti, qua de re et ex hinc laudandus es. Laus nempe non nisi virtuosis studiosisque debetur, quorum utrorumque habituum minera radicitus sistit in te uti experientia docuit variarum doctrinarum, quae in hoc actu laudabili universis scolaribus ad profectum a te copiose emanavit. Nam si doctores theologi laudandi sunt eo quod de deo loquuntur veraciter, tu cum biis laudandus es, qui ne dum veraciter sed et sapide de deo locutus es, quasi doctoris
F. 213. jurium aut decretorum. Quare laudem tuam et honorem tibi debitum nemo accipiet a te propter quod eviternae (in aeternum) ab omnibus eris collaudandus. Nam si quis dives efficitur, gratias agat fortunae. Si generosus, non laus sua, sed ejus parentum est, quod si pulcher ac formosus, expecta paulisper cum senectus advenerit et non erit. At vero si sciens et sapiens, ex hinc vere laudandus est. Et quum ex tuis actibus in te habitus gloriosi componuntur, quare merito prae omnibus divitibus prae generosis formosisque et fortibus ab omnibus laudandus existis. Sed quum laus humana ex passionibus surgit, ea propter frater amatissime ad augmentum laudis tuae quodam modo tuas passiones praeteritas commemorare necesse est et quis est, qui ambigit, quin te deus viris diabolicis in manus tradiderit, illi te acceperant ut perderent et honorem tuum funditus evellerent. At vero dominus te eis tradiderat ut cribratum variisque tribulatum angustiis magis decorum redderent et honori futuro, qui patris est, tam splendidis praeparent. Verum cum conversatio tua ab annis teneris usque hodie probata sit, cur domino placuerit inquiri te duris dirisque hominibus veluti leonibus tradere? Ad quod pro domino respondeo, quod fecit hoc ideo, quia, dum plurima dona dei habuisses, unum tibi defuerat, ut gratis tribulatus deo agere scires. Nondum enim sine ista perfectione virtutis eras. Ideo bonum fuit, ut districtio severitatis inquireret, utrum is sis, qui et ante inter angustias remaneres nempe quia proprie interrogat si quis veraciter deum amat.

Nonne adversum te in unum convenerant, qui animam tuam inquirebant ut multitudine vincerent ut turba terrerent, quem rationes superare non poterant. Cumque te obrectantium verba et exprobrantium dolosa ridicula cordinsecus feriebant, quid aliud quam te de temet ipso funditus desperare cogebant; gravi nam telo desperationis mens percutitur, cum taediis tribulationibusque interius comprimitur et linguarum obprobriis foris perurgetur. Ad quid pro te tua se poterat extendere fiducia, cum adversarii tui mortem tuam sitientes aperiebant ora sua super te velut leones moventes capitibus et oculis annuentes, si retro spexisses quot cyconiarum rostra super tua angustia coexteusa conspexisses. Num non omnes aut fere omnes dereliquerunt te, verum deus assumpsit te, qui et elisos erigit et compeditos resolvit nec te quisquam abinde despiciat, si sub praegravi onere derelictus a singulis erecte ut decuerat stare nequiebas, quum septies in die cadit justus, sed resurgit. Impius autem, cum semel ceciderit per amplius non asurgit. Erubescant igitur et confundantur singuli et universi qui animam tuam trucidabant et te pro viribus sic angariabant et laetentur et exultent quasi omnes qui tempore tuae maximae tribulationis prae angustia spiritus et moerore ingemiscebant super te, jam te purgatum videntes et honorem tuum permaximum oculis conspicientes. Ey vos amantissimi studentes, nonne in vestris cordibus ita me loqui percipitis ac si praesens affuissem. Nonne in eadem tribulationis tempestate multorum facies pallebant prae taediis. Nonne aëra replebant suspicciis super tam inhumanis tibi factis injuriis. Verum atbeus malitia cum se saciare festinat, exitum rei nequaquam agnoscit. Quis enim in tali tribulatione ad culmen tanti bonoris foret ausus te credere pervenire, in quali te jam modo constat omnes prospicere. Ad tantum enim in te exarserat malitia ut nec tui antistitis fidelis profuerat sententia, qua te in nullo errore repertum aut baeresi, in palam professus est. Igitur laetentur et exultent in te universi, qui amant honorem tuum; laetentur inquam corpore et exultent mente et reverea tur et confundantur omnes qui te *mendaciter* diffamabant et aliis conniventes te afflictum in exemplum protrahebant. F. 218 b.

Nec me quis multiloquii ex tanto sermone judicet, quum non me latet id dictum versificum

Quem semel horrendum maculis infamia nigrat
Ad bene tergendum multa laborat aqua. F. 219.

Sed jam finem sermoni imponens brevi verbo vos alloquor singulos et universos, quod tanto audite attentius, quanto verbum extat fini proximius. Nonne a planta pedis usque ad verticem capitis sauciatum ulceribus Job audistis et legistis? Num non demum sanctum ac restauratum hunc eundem relegistis? Nonne et istum magistrum nostrum venerandum dominum quodlibetarium diffamatum exprobratum retroactis temporibus audistis et cognovistis et nonne jam sanatum ac restauratum totaliterque mundatum vestra coram praesentia respicitis? Et quomodo Job pro simplicibus duplicia accepisse agnoscitis, ita istum in superhabundanti honore luce clara conspicitis. Nonne Josef natum Rachel a suis fratribus ysmahelitis traditum et ad Egyptum perductum variisque angustiis tribulatum ex sacra biblica cognoscitis historia? Nonne istum a filiis suae matris (qui) quondam caeteris et exteris novistis fore delatum ab eisque innocenter arrestatum. Verum num non fuerat Joseph a domino reservatum ducatuique servatum qui suos in posterum ac alienos pasceret, ex eadem scriptura agnoscitis et nonne hunc ex praeteritis tribulationibus ereptum actus hujus quodlibeti ducem acialem ac principem clara luce conspicitis, quem dominus reservaverat ut scientiarum annona plebem nostrae universitatis aut artium facultatis copiosissime pasceret pane sapientiae et aqua doctrinae. Sed quum ob multitudinem virtutum ac scientiarum, quae in te sunt, nequaquam laudator tuus fore ut cupio sufficio, ea propter celebriter universis te laudandum derelinquo, hoc deprecatorie adjungens, ut qui de caetero maledixerit tibi, sit ipse a domino maledictus et qui benedixerit tibi, sit ipse a domino benedictus, cui supremo domino sit gratiarum actio qui facit aequitatem pariterque judicium pro suis sacris veritatibus injuriam patientibus et tanta sint dicta in vestrum omnium praesentia. Explicit.

(Sequitur quaestio 14: Utrum a parte rei universalia sit accessarium ponere pro mundi sensibilis armonia.)

IX.

Die Vertreibung der Deutschen von der Prager Universität.

1. Appellatio rectoris universitatis studii Pragensis.

1384, Decembr.

(Cod. Univ. VIII. B. 4. Fol. 104 *b*.)

Coram vobis venerabilibus viris et dominis hic praesentibus et astantibus teque notario publico tanquam persona authentica et fideli

Conradus Solcbau (Soltau) Arcbidiaconus Golslariensi (Goslariensi) in ecclesia Hildesbimensis diocesis, Misnensis ac omnium sanctorum in Castro Pragensi ecclesiarum canonicus S. Theologiae professor rectorque almae universitatis studii Pragensis suo et dictae universitatis nomine appellando ac animo intentioneque appellandi et provocandi proponit atque dicit: Quod licet de juris consuetudine observantiaque hactenus ab initio et fundatione studii tenta nec non inconcusse observata existit, ipsa universitas atque rector ejusdem pro tempore existens habuerunt et habent potestatem facultatem(que) absque consensu voluntate vel inquisitione cujuscunque alterius hominis seu personae condendi statutaque interpretandi atque tollendi suffocandi seu pro non statutis baberi debere declarandi consilia facienda loca tempora modos celebrandi eadem consilia ponendi, inveniendi et constituendi secundum et juxta varietatem temporum iudustriamque (et) indiscretionem (distinctionem) universitati et rectori supradictis a domino deo datam et concessam, attentis qualitate et quantitate auctoritate meritisque membrorum ac personarum universitatis supradictae, tamen Reverendissimus in Cbr. pater et dominus dominus Arcbiepiscopus Pragensis, ad sinistram iuformationem suggestionemque, inquam et preces inoportunas *nationis boemicae* infrascriptorum magistrorum praemissa non advertens ipso rectore ac universitate supradictis non vocatis citatisque legitime nec convictis de anno praesenti videlicet LXXXIIII die IV mensis decembris sub sui majoris sigilli impressione ipsi rectori inbibuit seu inhiberi procuravit mandavitque et mandari fecit de facto, cum tamen de jure non debuit, quae mandata praetensa salva ipsius mandantis reverentia et iniqua inprimis litera exbibitionis continentur, cujus tenor infrascriptus est talis: Johannes dei gratia. Ex justis et rationabilibus causis coram nobis pro parte venerabilium magistrorum *nationis Boemicae* studii Pragensis universitatis et signanter magistrorum Jenkonis et M. et caeterorum magistrorum ejusdem et aliarum nationum eis in hac parte adbaerentium et adhaerere volentium allegatis, vobis venerabilibus magistris Cuuchoni etc. Jacobo Aristoteli etc. committimus per praesentes quatenus omnes duo aut unus vestrum qui praesentibus fueritis seu fuerit pro parte supradictorum magistrorum nationis boemicae et aliarum eis assistentium requisitus seu requisiti personaliter accedentes venerabilem magistrum Conradum Zoltau, eidem sub poena eadem inhibeatis cui

et nos sub eadem poena inhibemus et mandamus, ne per alium modum aut ordinem quemcunque consilium universitatis supradictae celebrent et celebrari disponant, quam juxta morem et consuetudinem hactenus ab inicio studii Pragensis antedicti inconcusse tentum et observatum, nullas omnino innovationes seu adinventiones inducendo in nationis praedictae Boemicae et magistrorum facultatis artium in praejudicium et gravamen. Dat. Pragae etc.

Cum tamen non constet neque constare possit praedictum rectorum nniversitatis aliud in praejudicium nationis Boemicae et magistrorum praedictorum attemptasse vel attemptare velle et gravamen et cum pro futuris culpis et delictis sententiae generalis sive specialis non debeat fulminari praesertim excommunicationis sententia quae est animae medicina, ex quibus quidem praetensis mandatis contra jurisdictionem salva ipsius reverentia promulgatis memoratus magister Conradus suo et universitatis supradictae nomine sentiens se ipsamque universitatem fore gravatam timens (ne) in futurum fortius aggravari possit, ab ipso domino Archiepiscopo et dictis suis inhibitione praetensa sententiae excommunicationis comminatione quae omnibus et singulis mandavit in dicta praetensa inhibitione contentis nec non omnibus aliis gravaminibus quae occasione praetensae inhibitionis secuta sunt vel sequi poterunt qualiter in futurum nec non contra memoratum dominum Archiepiscopum ac magistros Jenkonem M. et caeteros de natione Boemicae occasione qua praetensa iniqua mandata contra juris ordinem promulgata fore facta dicuntur et impetrata (dicuntur seu impetrata) seu ad instantiam magistrorum quorundam, ad sanctissimum in Christo patrem et dominum dominum *Urbanum* Papam VI et ejus sanctam sedem apostolicam Christi nomine invocato in hiis scriptis provocat et appellat.

Sequitur procuratorium generale.

2. Incipit appellatio in causa collegiorum studii Pragensis.

1384, mense Decembr.

Cod. Univ. VIII B. 4. Fol. 104.

In nomine domini Amen. Quum ratio naturalis adversus pericula defendendi et juris communis provisio contra insultus violentos resistendi tribuit facultatem, non mirum si sacri canones et leges juris naturalis media disponentes secundum rationis aequitatem minus juste

gravatis et oppressis beneficio providerunt appellationis, (ut) canonica justitia praescripta via regia in statum debitum revocetur. Idcirco coram vobis venerabilibus, animo ac intentione appellandi provocandique dicunt et proponunt, quod, licet sanctissimae ac invictissimi principes et domini Romanorum Imperator felicissimi recordationis *collegii Karoli* nec non Romanorum et Boemiae Rex *collegii Wenceslai* praedictorum fundatores et dotatores eadem collegia certis suis privilegiis munimentis et bonis diversis dotarunt, munierunt atque fundaverunt, quod quidem collegium Karoli sanctissimus in Christo pater et dominus dominus Urbanus etc. P. V. confirmavit et suis certis literis approbavit, fueruntque praedicti magistri ac sui praedecessores ac praecessores in possessione vel *quasi a tempore fundationis* praedictorum collegiorum, *magistros ydoneos de quacunque natione* eligendi ad dicta collegia *sine reclamatione contradictioneque* et absque causa voluntate et consilio cujuslibet alterius hominis vel personae pacifice et quiete, tamen Reverendissimus in Christo pater et dominus dominus *Johannes* Archiepiscopus Pragensis ad sinistram informationem suggestionemque iniquam et ut praesumitur *preces importunas nationis Bohemicae*, infrascriptorum magistrorum promissa non adverteus, nondum *decem* diebus elapsis, praedictis magistris nec vocatis nec citatis legitime neque convictis quod (unum) praetensum mandatum salva reverentia mandatis (sic) contra juris dispositionem factum et iniquum praedictis magistris destinavit mandavitque de facto subjecta poena excommunicationis. Quod tamen de jure facere non potuit contra institutionem ordinationem voluntatem praedictorum fundatorum ac juris dispositionem, *ut nullum omnino alium magistrum quam de sua tamen videlicet boemica natione ad praedicta collegia eligere deberent, cum tamen non generis et boemicae nationis sed virtutum nobilitas vitaeque honestas gratum Deo faciunt* et ydoneum servitorem et *in omni gente*, qui facit justitiam, acceptus est deo nec sanctuarium dei jure convenit *haereditate* possidere et undecunque venerint gratia divina vocati, dummodo laudabiliter sui ordinis officium exequantur, non sunt refutandi. Praedicta praedicti magistri intueri non curarunt et quamvis bonum et utile almae universitatis studii Pragensis facere juraverunt, *contra ipsorum juramenta* venientes mandatum praetensum et iniquum infrascriptum impetrare procurarunt. Cujus tenor infra sequitur et est talis:

Johannes dei gratia Arch. Prag. etc. Ex justis et verisimilibus conjecturis (et) causis coram nobis pro parte venerabilium magistrorum nationis ejusdem allegatis venerabilibus magistris Cunschoni decretorum doctoris Custodi et canonico praebendato meae ecclesiae Pragensis supradictae, Fiduano professori theologiae et Jacobo Aristoteli in eadem mea ecclesia Arcbidiaconis committimus per praesentes, quatenus omnes aut unus omnium qui praesentes fuerint seu fuerit pro parte dictorum magistrorum *nationis boemicae* supradictae requisitus seu requisiti personaliter accedentes venerabiles Magistros Nicolaum Raconik praepositum collegii Caroli S. Theologie baccalaureum, Bartbolomeum Tingelaw, Nicolaum Luthon caeterosque collego (sic) ejusdem collegii Karoli nec non praepositum collegii Regis Wenceslai Nicolaum Schorch ceterosque collegas collegii ejusdem collegii Regis Wenceslai inhibeatis eidem sub poena excommunicationis quibus et nos sub eadem poena districtius inhibemus ut *nullum omnino alium magistrum eligant* nec eligi audeant ad collegia praedicta *quam magistros nationis boemicae* universitatis antedictae diocesis Pragensis. Anno domini MCCCLXXXIV die II mensis decembris sub nostri majoris sigilli impressione.

Cum tamen aliae tres nationes non solum *in duplo* sed ultra *quam in decuplo* numero majores nationem boemorum excellunt et praecedunt et *nemo nisi convictus legitime sua debeat possessione privari* nec praestituris causam vel delicta sententia excommunicationis quae est animae medicina debeat fulminari, qnam de facto ut praemittitur praedictus Archiepiscopus fulminavit, unde ex praemissis et quolibet praemissorum praedicti magistri multipliciter et inique sentiunt se gravatos (ac) timentes ex certis conjecturis in posterum plus gravari posse ab ipso D. Arcbiepiscopo et dictis suis inhibitione praetensa et mandatis sententiaeque excommunicationis comminatione omnibusque et singulis gravaminibus in praedicti praetenso mandato contentis occasione praedicti mandati secuta sunt vel sequi poterunt quomodolibet in futurum nec non contra saepedictos dominos Archidiaconos et magistros de natione Boemorum, ad quorum *instantiam* praedicta praetensa et iniqua mandata contra juris ordinem salva reverentia promulgantis promulgata et importata dicuntnr, ad sanctissimum in Christo patrem et dominum Urbanum P. VI ac ejus sanctam sedem provocantes in biis scriptis et appellant apostolos primo instanter, secundo instantius tertio instantissime ac uno contextu

eis dare et assignare petunt etc. protestantes quod jus eis sit salvum.

Sequun.ur sic dicti Apostoli f. 105. 6.

3. Litera regis Hungariae (Sigismundi) ad Gregorium P. XII. (1408.)

Cod. Bibl. Univ. VIII. C. 13. Fol. 56.

Cum meorum majorum erga saccrosanctam Romanam ecclesiam vestrosque praedecessores devotionem fidemque sinceram ac gesta annalibus digna perpetuis mente revolvo et contra serenissimo germano meo Romanorum et Boemiae regi et mihi a domino Bonifacio papa IX illatas injurias non exiguo stupore recolo, summa vestrae sanctitatis justitia facit, ne in illam desperationem aut cogitationem sinistram incidam. Puto etenim in ejusdem sanctitatis corde versari, quid nostri majores ab ipsa Romana ecclesia meruerint et quid nos injuriarum perpessi sumus, si pater zelator fidelium estis, si gregis dominici pastor sollicitus, si denique fidelitatis erga ipsam ecclesiam competens retributor. Nam quo commisso meruit idem meus germanus sibi *Rupertum* Bavarum anteponi? An quia olim *Fridericus* Bavarus Romanae ecclesiae hostis impius et insanus sanctae memoriae Alexandrum III praedecessorem vestrum urbe fugavit et obsidione vexavit, contra vero clarae memoriae genitor noster felicis recordationis domino Urbano Papae V firmissima praesidia validosque in Italiam misit exercitus, Urbano autem papae VI (et) praedecessoribus vestris in tantis scismatibus ab universa Ungaria ipsiusque Rege omnique Alamannia ejusdemque principibus et civitatibus ut vero Romano pontifici jussit et effecit obedientiam exhiberi? Nec ego quoque promerui mihi Ladislaum praeponi aut contra me legatum transmitti Profecto non mihi Karolus de pace genitor fuit, qui eundem Urbanum VI, a quo coronatus fuerat, in castro Luceriae ingratus obsedit, nec ego ille sum, qui domini Innocentii Papae temporee cives Romanos emit pecunia, unde et eorundem cives (civium) strages et fuga ipsius Inocentii sunt sequuti. Quid memorem ejusdem Ladislai in vestram sanctitatem commissa et urbis Romae minoris nocte factam effractionem hostiumque ingressum sacrilegum taceo. Nota etenim omnibus haec sunt, civitates et oppida provinciae marchiae Anconitanae ab eodem nequiter occuparae! heu facinus! heu monstrum quod haec perpetravit. Dyadematibus coronantur, qui ecclesiam Romanam vexant,

impunitate laetantur. Ac meo germano et mihi quorum majores pro Romanis sanguinem proprium ultro exposuere periculis quorumque fides et sinceritas etiam in ipsis receptis injuriis negari (non) potest, *Rupertum* et *Ladislaum* praeponi, quantum ipsam Romanam ecclesiam deceat, ipsa vestra sanctitas justissima et sapientissima judicet. Quae, quamquam sic nobis injuste acciderint, quibus nec Rupertus nec Ladislaus praefati(a) quolibet justo judice sunt aut genere aut potentia praeferendi, nunquam tamen dies fuerit, qua nos poeniteat esse aut doleamus nostros majores fuisse fideles nullaque injuria tanta erit, quae nos valeat a vestra sanctitatis succesorumque vestrorum fide et obedientia revocare. Quas ob res sanctitatis vestrae imploro justitiam ut quid domus nostra et fidelitas mereatur, per vestrae sanctitatis operas efficaces cunctis nationibus indicetis. Potentiam vero omnem dicti mei germani et meam omnipotentis gratia non exiguam aut fragilem, sanctitati vestrae et ecclesiae Romanae offero. Praesto enim juro et paratissimos exercitus habeo ad hostium ecclesiae stragem et ad vestra sanctitatis tutamen.

4. Böhmische Denkschrift an die Cardinäle zu Pisa.

1409.

Bibl. Univ. Prag. III. G. 16. S. 2—6.

Regnum coelorum praesentis temporis super terram biphariе scissum est heu dum isti dominum Gregorium duodecimum esse papam, alii alium, tertii neutrum asserant, teneant et contendant, dumque consimiliter hii dominum regem Wenceslaum pro Rege Romanorum et monarcha totius politiae humanae in terris habeant, adversi vero quendam alium esse regem hujusmodi asseverent. O nimis deplangenda scissio *prima*. O deflenda valde scissura *secunda*. Cuncti enim qui sive in prima sive in divisione secunda aut supremae ecclesiasticae potestati papali aut summo humanae politiae, principatui regali, resistunt, ut inquit Apostolus ad Romanos XIII. Quid autem stultius quidve magis impium quam resistere ordinatori deo, cujus potentia, cujus sapientia cujus denique bonitas in ordinando est simpliciter infinita. Et quanto heu potestati majori inferiores obedientiam subtrahunt, tanto amplius ordinationi divinae resistunt, propter quod claret manifeste, quantum supra modum detestabiles quamque

ultra vires humanae facultatis a cunctis fidelibus (ad) exterminium sunt persequendae scissure illae duae in regno Christi hic super terram.

In primo enim Scismate velut unum latus corporis ecclesiae ab obedientia papalis potestatis in horrendam voraginem inobedientiae est abstractum. In secunda vero scissura quasi alterum latus totius corporis humanae politiae in ecclesia obedientia potestatis Regis Romanorum in horridum chaos rebellionis est detractum, ubi certe illa latera duplicia, unum auctoritati papali inobediendo et alterum potestati illi regali rebellando ordinationi divinae resistunt nimis male.

Ne autem potestas haec Regia Regis Romanorum et monarchae totius politiae humanae super terram putetur non satis magna, ut sibi fideliter reverenterque obediatur, credi oportet, quod auctoritas haec omnes simul alias saeculares potestates regum aliorum principum et dominorum saecularium per orbem universum nunc dominantium alte profunde et late transcendit *sicut caput, fons* et *alveus omnium illarum potestatum*, cum hae cunctae sunt veluti quaedam particulares et partiales autoritates saeculares, quas simul sub illa universali una et totali respectu earundem oportet comprehendi. Nec phas est credere quod hujusmodi universalis et totalis potestas saecularis respectu aliarum omnium sit extra ecclesiam dei (ut) aput gentes infideles et non potius omnino in ecclesia Christi aput gentes Christianorum, qui deum colunt fideliter. Et quis etiam dubitet, victoriosissimum principem et dominum dominum Wenceslaum Regem habendo in se talem auctoritatem universalem regiam et dignitatem etiam pluribus annis ante scisma ecclesiae sub Vrbano VI exortum, in throno regni Romanorum sedisse et post continue pacifice usque ad scisma ejusdem regni per quatuor electores procuratum nec tunc propter crimen scismatis illorum electorum cum suis complicibus dominum illum Regem Romani regii solium amisisse nec ipsum per papam Bonifacium vel alium sequentem aliquando de solio illo depositum fuisse, licet ipse Bonifacius nonus ad instantiam scismaticam et symoniacam, ad falsam inprobabilemque accusationem pro depositione domini nostri Regis absque juris ordinis observatione motus stimulante symoniaca pecunia fucato colore praetenderat quandam depositionem nullam domini nostri de solio Regis Romanorum sicut judex ecclesiasticus nonnunquam excommunicationem nullam frivole praetendit.

Constat autem illam praetensam depositionem fuisse depositionem nullam. Nam Christi fideles Reges principes domini et alii spiri-

tuales ac saeculares, regna, terrae, provinciae et districtus plurimi fidem obedientiae et recognitionis constanter observant hodie erga praedictum dominum nostrum Regem Wenceslaum sicut ad verum Regem Romanorum, quam certe fidem tota communitas christianorum sub potestate Regis Romanorum degentium erga eundem dominum Wenceslaum observabat continue multis annis fere triginta usque ad scisma illud Regni Romanorum per electores praedictos procuratum. Et quomodo posset esse verisimile, quod Reges principes Barones atque domini cum regnis principatibus dominiis et populis suis christianis errarent in hoc etiam scismate, quod erga dominum nostrum observant eandem fidem et recognitionem, quam communitas tota memorata superius multis annis erga ipsum dominum Regem Wenceslaum fideliter observavit, praesertim cum nec aliquis paparum neque quicunque alii usque hodie sciverint reformare vel potuerint rationabiliter prohibere, ne hujusmodi fides antiqua per illos reges principes et dominos cum suis regnis principatibus et dominiis erga dominum nostrum sicut verum Regem Romanorum intrepide servaretur.

Quapropter clare manifestum est, dominum Wenceslaum Romanorum et Boemiae Regem continue perseveranter sedisse et hodie sedere in throno regali regni Romanorum. Quamvis autem idem noster dominus juxta seriem verborum sententiae Christi dicentis Mathaei XXII. Reddite quae sunt caesaris caesari, et quae sunt dei deo, posset instare non inmerito, ut via procedendi a minus perfecto ad majus perfectum *prius* tolleretur scissura regni sui Romanorum facta in permagnam injuriam suae regiae majestatis et ut subderentur suae regali potentiae, qui a sua obedientia se ipsos abstraxerunt, *postea autem tolleretur* de medio scisma ecclesiae dei factum in gravissimam iniuriam sanctae sedis: ipse tamen dominus et Rex christianissimus sedem apostolicam suo solio regali fideliter anteponens unitatemque ecclesiae sub uno summo Pontifice unitati sui regni Romani sub se unico Romanorum Rege minus perpendit injurias suae dignitati regali et regni suo Romanorum irrogatas et principaliore intentione cupit solicitudineque majori quaerit cum sua potentia sua sapientia sua regia bonitate cum sibi subditis principibus dominis et populis rebus et corpore consiliis et auxiliis paratus cooperari fortissime *sancto collegio* Reverendissimorum in Christo patrum et dominorum dominorum Cardinalium Sanctae Romanae ecclesiae pro vnione ejusdem ecclesiae sub uno vero ipsius pastore summo in terris Christi vicario efficaciter et velo-

citer procuranda. Inclitus enim dominns noster et advocatus supremus sanctae sedis Apostolicae et sanctae Romanae ecclesiae, cui semper adhaesit fideliter, ne dum ipsi sanctae sedi sed et omnibus quos tempore suo secundum persuasionem probabilissimam sibi factam credidit in illa residere; ille inquam dominus ut princeps Christianissimus primum detestatur omnem errorem fidei katholiae repugnantem per quem utique animae hominum a fundamento ecclesiae velud radicaliter evelluntur, licet nonnulli detractores scelerati ausu temerario false dicere praesumpserint, quod in *regno Boemiae Boemi sint haeretici*, tenentes, quod panis materialis maneat in sacramento altaris post verba consecrationis prolata ac alios errores pernitiosos cujusdam Wycleff et quod *Rex Boemiae* in talibus erroribus *quosdam defendat* et *protegat* contra ecclesiasticam jnrisdictionem: falsitas autem talium *canum rabidorum* ad liquidum est manifesta. Nam facta inquisitione diligenti, si aliqui Boemi sic errarent haeretice, nullis tamen talibus repertis in examine, nihilominus dominus Rex noster voce clara sua hoc significante paratus fuit et est hodie etiam *supplicio combustionis facere puniri, si* quispiam per hujusmodi errores involutus reatu mortis reperiretur teneri obnoxius.

Dolet postea hic dominus sanctam et amabilem matrem suam dei ecclesiam esse in corpore suo veluti per medium dilaceratam, dum latus unum ecclesiae sedi apostolicae adhaereat, alterum vero ab hac sede abstractum miserabiliter jaceat a priore dilaniatum. Dolet insuper quod *contendentes* ex adverso *pro papatu* amplius et amplius, quantum in eis est, *vulnus illud dilaniationis indurant;* dolet denique, quod multae et multae christianorum animae, dum ab obedientia sedis apostolicae et per consequens sanctae Romae ecclesiae sunt abstracta, quod extra ovile Christi et curam suam pastoralis regiminis in terris sunt in hoc segregatae.

Ideirco omnibus et singulis vobis Reverendissimis in Christo patribus et dominis dominis Cardinalibus sanctae Romanae ecclesiae et toti sancto vestro collegio placeat sanctum vestrum propositum praedicto domino nostro amplius significare, secure denique postulare auxilium et subsidium ab eodem ut vero et supremo advocato sanctae Romanae eeclesiae et sedis apostolicae, ad quem prae omnibus regibus et principibus saecularibus honorem et bonum statum ecclesiae et sedis praedictorum de jure pertinet procurare et ipse dominus noster princeps serenissimns magnitudine suae potentiae cum copiosa multitudine

Regum principum dominorum et populorum sibi subjectorum festine cooperabitur Reverendissimis paternitatibus et magnificis dominationibus vestris pro unioue sanctae Romanae ecclesiae sub eodem summo pontifice iu terris de gratia dei celeriter facienda, ex qua *unione prima* consiliis et auxiliis dominationum vestrarum *unio secunda* sancti imperii et regni Romanorum sub eodem nunc Romanorum rege, cito autem et imperatore, Illustrissimo videlicet principe et domino domino Wenceslao faciliter poterit provenire. Quas quidem felices vniones in praesenti et tandem veritatem beatitudinis in futuro nobis praestare dignetur deus in saecula benedictus Amen.

5. Ex Apologia M. Johannis Příbram.

Cod. Capit. D. XLIX.

Omnes fideles scire desidero et ad memoriam omnium revoco et reduco, qualiter nuper ante annos plurimos non solum universitas Oxoniensis et Parisiensis sed et Romana curia et synodus constantiensis ut publica fama loquitur articulos CI Johannis Wikleffs condempnasse comprobatur. Et si hiis minus bene creditur ad hoc idem magna facultas theologica et tota magistrorum Pragensium universitas eosdem dampnasse certitudinaliter comprobatur. Et si adhuc hiis non vis credere, ecce nuper ante annos circiter XVIII [1]) praeclara natio *Boemica*, in qua circiter LX erant doctores et magistri eruditissimi et in dei cultu devotissimi praesentibus ibidem Magistro Johanne Hus et Magistro Jacobello de Miza, *omnibus quidem vota dantibus, nullis eorum contradicentibus*, pronuntiatum est publice, fere mille baccalaureis et studentibus ejusdem nationis [2]) praesentibus et audientibus est sententialiter decretum et districte prohibitum, quatinus nemo quemquam illorum articulorum XLV audeat tenere (temere) docere vel defendere in sensibus eorum haereticis aut scandalosis sub poenis gravissimis ibidem promulgatis. Ibidem cum hoc prohibiti sunt omnes studentes libros Wicleff videlicet de Eukaristia dialogum et trialogum legere et ex hiis potest constare, *quod non ego primus incepi errores Wikleph* promulgare, sed *natio tota Bohemica* una

1) Er selbst schreibt in der professio fidei antiqua ap. Cochlaeum p. 539: 1408.

2) Ex tota natione. nol. marg.

cum Magistro Johanne Hus et Jacobello quibus debitum est quo ad hoc mihi et meis similibus potius me conformare quam temerarie repugnare, optans et certum habens, quod melius est, hiis viris et eorum decreto stare et credere quam a tantis viris extraneare et eorum decretum tanquam injustum reprobare aut confutare et ipsum M. Johannem Hus una aliis magistris praedecessoribus nostris errore vel temeritate judicii praedicti dampnare. Gratias autem deo ago et illis meo nomine quod dignum me putarent non solum cum tot viris sed cum ipso *martyre* calumpniari. Et hic ego magistrum Jacobellum praesentibus convenio quia pridie requisivi ipsum in praesentia domini principis rectoris et magistrorum ut dicat an interfuisset praedictae magistrorum congregationi et articulorum prohibitioni et an ipse sicut et omnes alii magistri eidem non contradixit. Respondit statim ibidem: fateor quia praesens interfui et nec aliquo verbo contradixi. Si ergo habens vocem liberam Jacobellus, tam ponderoso et famoso negotio non contradixit, creditur verisimiliter *(ymo testes sunt multi magistri hodie qui audiverunt [1]), quod consensit pro eo,* quia tacuit, aut quod tacendo veritatem secundum Crysostomum proditorem se constituit et suum silentium usque ad hunc annum populorum salutem plurimorum ipsa prohibitione neglexit, qui scilicet una cum *M. Johanne* Hus et aliis magistris opinionem pessimam et famam Wiklepb in publicum venire *tacendo permisit.* Aut ergo priori judicio Jacobellus stet et hodie ipsum Wikleph in omnibus non salutet, aut priora tempora et facta sua reprobet. Quod si fecerit, Przibram ei et quilibet fidelis credere a modo non debet. Sed hic alii adversarii mei iterum replicant ex eo quod M. Johannem us duos articulos de illis XLV defendisse affirmant prout ejus scripta et positiones desuper probant. Sed talibus ego coram domino Jesu et scriptis de manu M. Johannis Hus, quae haec scribens in prospectu habeo, in veritate respondeo, quod et quomodo ipse de carcere de articulis et eorum positione respondit quando deducendus ad mortem fuit unde ipse sic scribit: et primo articulus quartus et etiam octavus (sicut ap.

---

1) Note marg.

2) Pelzel theilt (Wenzel IV. Urk. II S. 131) den Beschluss der gesammten Universität am 15. Juni 1410 mit: quod universitas nullo modo consentit Archiepiscopo P. Shirceoni cum suis praelatis in combustionem librorum M. Joh. Wicleff sed quod tota Universitas visitet D. regem ipsumque petat, ut talem impediat combustionem, ne exinde confusio toti regno, D. Regi et universitati inferatur.

Petrum Mladen Script. I, 213). Dicamus et nos cum tanto viro quod nolumus sequi doctrinam Wicleph erroneam pro eo quod Wikleph non generavit nos nec pater noster est nec *Boemus* nec astringimur, ei credere nec de quarto videtur unicuique volenti expedire. Et postquam temerarie hodie moderni plurimi sic volunt sententiis *omnibus Wikleph immorari et quasi quinto ewangelistae inniti*, ita ut nemini liceat contra sentire neque melius quam ipse cuiquam sapere, numquid enim Wikleph dominus noster fuit ut quidquid imperet absque recusatione implere debeamus, numquid Evangelista ut totum quod dixit credamus, numquid non errabilis ut ejus dictis tamquam canonicis inserviamus. Absit ut taliter me ad ipsum habeam, ut ejus ingenium et magisterium veritati praeferam et ingenium colens veritatem tollam et opprimam.

Iterum opponunt alii dicentes: quomodo ego quondam cum meis similibus Johanem Wikleph valde laudaveram et, quem modo detestor, quondam approbaverim. Sed talibus ego respondeo passus similia cum B. Jeronymo laudatore quondam Origenis altissmo. (Folgt eine lange, hier unnöthige Ausführung der Vergleichung.)

Opponunt adhuc asperius et declamant adversarii mei resonantibus vocibus dicentes: ecce Przibram olim meliora de Wikleph senserat, qui in quodam tractatulo suo vulgari facto contra haereticos ipsum in testem veritatis per multas allegationes adduxerat et scripta ejus pro veritate eukaristiae applicaverat, cujus modo oppositum de eo loquitur et clamat confundens scripta ejus quam commendaverat et in auctoritatem fidei aliis addiderat.

Sed talibus ipse ego taliter respondeo plane et pure confitendo, quod ante annos plures, dum essem junior ac in libris Wikleph minus expercior incipienti haeresi de eukaristia currere (sic) solicitius festinavi per hujusmodi saltem talium (sic) haereticorum occurrere et nefandissimum dogma undecunque et utcunque ne serpat et vires serpendo assumat impedire. Vidi enim quia *ipsi haeretici de Wikleph veluti a fonte sententias capiebant et tractatulis suis pestiferis ea interserebant et quod ipsum Wikleph cunctis doctoribus sanctis praeferebant et ei supra Augustinum et Ambrosium plus credebant.*

Ideo cogitavi ipsos per ipsum Wikleph ab haeresibus abducere aut saltem scripturarum ejus oppositione eosdem in haeresi perplexos facere et ita ubicunque verba Wikleph, quae videbantur mihi convenientia pro reprimenda haereticorum stultitia, reperi, illa in

unum congessi et pikardis katholicus opposui. Non enim Wikleph ubique de eukaristiae male scripsit. *Saepe enim verba veritati conformia valde posuit, licet sensu suo ab ecclesia variavit.* Ego ergo licet minus in libris ejus tunc expercior et ad futura pericula minus caucior talia scripta ejus tractatulo meo interserui, qualia secundum verba sustineri videbantur tunc mihi. Cum hoc tamen verum fateor quod verba Wikleph ultra et praeter sensum eorum magis animo (?) morali quam malitia traxi et dilatavi, magis attendendo per talia prodesse veritati quam Johanni Wikleph sistere approbationi, feci autem hoc animo simplici, non ut per hoc cuiquam officerem, sed ut errantes in eo per eum reducerem et per eundem doctorem quem colebant ut eos ab haeresibus perstringerem.

Fateor etiam me tunc non ita late sententias Wikleph intelligere, quamvis per loca librorum ejus incipiebat mihi error ejus foetere. Et hinc in principio ejusdem capituli, vbi Wikleph allegavi, sic vulgariter praenotavi, sed quia hii erronei suis erroribus in auxilium dicunt quod opiniones suas a Johanne videlicet quod ipse teneret in Sacramento non esse verum corpus naturale vivum et substantiale, sed tantummodo panem sacramentalem et dona (signa) illius corporis, et idcirco contra illos intendo ejus scripta producere, in quibus cum sanctis doctoribus supradictis et ecclesia katholica videtur concordare. Et infra post omnes ejus allegationes sic subjunxi, sed esto quod iste doctor alibi aliter locutus est de eukaristiae sacramento non concordando cum veritate et cum ecclesia sancta et cum sanctis doctoribus supradescriptis, tunc *ei non est credendum*, quemadmodum solus hoc optat, quia tunc sibi indubie contradiceret hiis ubi benedicit et non solum contradiceret, sed veritati et aliis sanctis doctoribus, quibus credere sumus obligati. Haec ibi sic in meo tractatulo.

Ex quo possunt plane omnes recte indicantes percipere, me Wikleph ab haeresibus ibidem non excusare, sed potius accusare et ubi male loqueretur, eidem debere non credere. Accipiant ergo et ista mei adversarii, quae de errore Wikleph in eodem capitulo annotavi. Accipiant inquam ea et non tacendo subripiant pro eo quia quaedaem ejus dicta ex eo assumpsi et errores ejus ibidem insinuavi.

6. Ex sermone M. Stefani Palec.

Cod. Monac. lat. 5361. Chiem. 61. 4. chartae.

Si a carnibus est abstinendum juxta doctrinam Apostoli propter scandalum proximorum, multo magis et *incomparabiliter ab articulis XLV est abstinendum*, per tres communitates famosas seu *universitatem* pragensem, nationem *Boemorum* et facultatem *theologicam* prohibitis et condempnatis quia secundum rei veritatem et facultatis theologicae conclusionem *nullus ex illis est catholicus*, sed quilibet eorum est haereticus aut erroneus aut scandalosus transcurrendo quod omnes et singulos episcopatus et ecclesias cathedrales incipiendo a primo et summo Episcopatu et prima in terris ecclesia Metropolitana scilicet Romana ubi residet summus pontifex usque ad Episcopatum ultimum et infimum, transcurrendo etiam omnes facultates theologorum in quacunque universitate *omnes se huic conclusioni confirmabant* et *ipsam indubie approbabant*, ac tamen plures hoc non advertentes nec grave scandalum proximorum, nedum istius regni, sed fere omnium circum circo provinciarum prefatae conclusioni remurmurant et in confusionem non modicam universitatis pragensis et totius regni oppositum illorum articulorum publice practicaut et private. Et illam practicam conclusionem esse universitatis appellare in voce et in scripto non verentur, cum tamen omnes et singuli professores sacrae theologiae hujus universitatis cum majori et saniori parte magistrorum seniorum praetensae conclusioni minime assenserunt, ymo ab illo conamine (gravamine) et pluribus aliis ad sedem apostolicam appellaverunt. Hii ut timetur sunt murmuratores querulosi secundum desideria sua ambulantes. Hii sunt qui segregant semet ipsos, carnales, spiritum non habentes ut dicitur in canonica.

Licet autem omnes articuli XLV dudum prohibiti et condemnati sint scandalosi et quilibet eorum est scandalosus [1]), — obmisis V arti-

---

[1]) 1. Nullus est dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali.

2. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab ecclesia.

3. Decimae sunt purae elemosynae et parochiani possunt propter peccata eorum praelatorum ad libitum eas auferre.

4. Silvester P. et Constantinus erraverunt dotando ecclesiam.

5. Ditare clerum est contra regulam Christi.

Ex sermone M. Stanislai de Znoyma.

culis quos Magister meus Stanislaus esse erroneos et scandalosos magistraliter et catholice declaravit, ad duos me convertam *qui noviter in scolis nostris* sunt publice practatnri (tractati), quorum primus est: illi qui dimittunt praedicare sive audirè verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati et in die judicii traditores Christi habebuntur. Secundus articulus est: Licet alicui diacono vel sacerdoti praedicare verbum dei absque auctoritate sedis apostolicae vel Episcopi catholici.

Isti articuli circa materiam catholicam doctrinalem et regulativam in acceptione secundum usum catholicum sunt erronei et sic a Christi fidelibus detestandi.

Quod si aliquis argute diceret, se missum interna missione, quae longe nobilior est missione exteriori sicut divina missio humana missione, respondit Innocentius, qnod probet et ostendat hoc efficaciter apertis miraculis.

7. Querimonia cleri Archiepiscopo pragensi (sic) contra Magistrum Johannem Hus.

(1408.)

Cod. Bibl. Univ. Prag. III. G. 16. Fol. 69.

Reverendissime pater! ad instantes preces cleri vestrae civitatis et dyocesis pragensis more pii patris ex officio vestro dignetur consulere et eidem providere, ne scandala oriantur. Nam nondiu circa sacramentum corporis Christi scandalum extitit exortum, quo in curia Romana natio *Boemica* propter erroneos wiglefistas *haeretica* est appellata sic quod boni propter malos diffamantur et sunt diffamati temporibus vestris. Hoc malo nondum deleto nec extincto supervenerunt scandalosae praedicationes et odiosae, quae pias mentes lacerant, caritatem extinguunt et clerum reddunt populo odiosum, murmur populo solum remanet et omnis caritas laudabilis consuetudinis per scandalosas praedicationes semiplenas (semiveras) clero vestro alias affecto tollitur in effectum. Et si vestra paternitas reverendissima clero suo non prospexerit, igniculum scandalosae praedicationis extinguendo, tunc fiet ne clerus ex hujusmodi puncturis (scintillis) obviando ignem flammarum incenderet copiosum; non enim ex radice caritatis sed ex odiosa malitia falsitatis corrigitur clerus ultra morem sicquod boni et innocentes propter malos plectuntur correctionibus indefessis. Pro eo

pater reverendissime vestrae paternitati defectus infrascripti exponuntur cum quaerela.

Et *primo* quod magister Johannes Hus praedicator capellae sanctorum innocentium in Bethlehem antiquae civitatis pragensis de anno domini MCCCCVII, 16 die mensis Julii hora nonarum coram omni multitudine populi utriusque sexus inter caetera dixit vel dicere non erubuit, contra decisionem sanctae matris ecclesiae et sanctorum patrum sanctiones in injuriam et opprobrium generalem laesionem et detrimentum ac scandalum totius cleri et populi:

„Quod quicunque exigeret a parochianis praesertim a pauperibus pro confessione offertorio et pro sacramentis ecclesiae videlicet Eucharistiae et sacris liquoribus, baptismo, pulsu campanarum, sepultura“ etc. tunc non exprimens nec decernens utrum ante vel post ministrationem sacramentorum pecuniam exigendo, ab exactionibus hujusmodi desistere non intendens, esset haereticus. Inferensque: omnes plebani essent ex hoc haeretici, injuriam suam solum maliciose declarans sed contraria occultans contra sacrorum canonum instituta ubi dicitur: contra vero quidam laici laudabilem consuetudinem erga sanctam ecclesiam pia devotione introductam ex fermento haereticae pravitatis nituntur infringere sub praetextu canonicae devotionis pietatis. Sequitur qua propter super hiis pravas exactiones fieri prohibemus et pias consuetudines praecipimus observare statuentes ut libere conferantur ecclesiastica sacramenta. Sed per Episcopum loci veritate cognita compescantur, qui maliciose laudabilem cousuetudinem nituntur immutare prout cavet capitulum ad apostolicum de Symonia.

Secundo exponitur etiam vobis christianissime pater! quod die et horis antedictis praefatus Magister Johannes Hus in eadem sua praedicatione publica habuit dicere qualiter felicis recordationis Petrus Wisserus sit mortuus, quum oret pro eo dicens inter caetera non in genere sed ad individuum descendendo „opinione mea salvo dei judicio ego non reciperem totum mundum quum vellem mori cum tot et tantis beneficiis.“

Consideretis Reverendissime pater, utrum hoc sit bene praedicatum et utrum talis praedicatio aedificet populum an potius per talia dicta non detrahatur a clero, cum tamen noverimus praefatum Magistrum Petrum bonum christianum fuisse et fidelem zelatorem fidei, non errores seminasse et in praesentia vestri ante tempora dixisse praefatum

Magistrum Hus: quod vellet animam suam ibi fore, ubi est anima Wicleff, qui tamen notorio de sacramento altaris notoriam haeresim (praedicavit) contra determinationem sanctae matris ecclesiae, unde remanentiae adhuc remanent heu apud multos in hac civitate.

3. Similiter exponitur vobis Reverendissime pater, quod communiter synodaliter omnibus prohibitum sit, praedicare excessive contra clerum, de anno praesenti, die sequenti post festum Sancti Viti, praefatus magister hus, nescitur qua vel sub qua confidentia hoc faciat, quod clerum omnem praefatum diffamat, cum multi boni praedicatores fuerint et sint in hac civitate, qui tamen non excesserunt, nec excedunt sic ut per suam quidem excessivam et detrectatoriam praedicationem, quam facit contra clerum, reddit totum clerum magis odiosum populo quam fuit unquam prius.

Ideo Reverendissime pater cum notorie ex hujusmodi praedicationibus nos et ecclesiae nostrae destituuntur et ex personis nostris infamantur, dignetur pro nobis paternitas vestra ex officio providere. Hoc rogamus.

8. Responsio Magistri Hus ad articulos (querimoniae cleri Pragensis contra eum. 1408).

Cod. Bibl. Univ. III. G. 16. Fol. 89*b*.

Quia pater Reverendissime! coram paternitatis vestrae gratia tanquam scandalosus erroneus et sanctae matris ecclesiae praedicator contrarius et sic in fide devius sum per meos adversarios delatus, sed auxiliante domino frivole et mendose, ideo ad confutandum inimicorum accusationem frivolam vestrae graciosissimae paternitati secundum regulam beati Petri Apostoli cupio humiliter et fideliter de fide mea et spe et de mihi coram paternitate vestra objectis reddere rationem. Dicit enim Christi immediatus vicarius 1. Petri 2°: deum sanctificate in cordibus vestris parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quae in vobis est fide et spe, sed cum modestia et timore conscientiam habentes bonam ut in eo qui detrahunt vobis tanquam de malefactoribus confundantur qui calumpniantur in vobis bonam in Christo conservationem. Ad confutandam ergo et elidendam de me adversariorum meorum aestimationem sinistram primo in universali confiteor, quidquid vult dominus Jesus Christus et sua universalis ecclesia ut credatur, hoc firmiter credo et quidquid credendum singulariter doctus fuero, volo

credere firmiter de hoc et tenere, quia non solum vestrae paternitati Reverendissimae sed *cuilibet poscenti secundum dictum beati Petri apostoli paratus sum reddere rationem* ut, qui mihi tanquam malefactori detrahunt, confundantur.

Responsio ad *primum* articulum.

Ad *primum* ergo articulnm qui dicit: Magister Johannes Hus coram omni multitudine populi utriusque sexus dixit et dicere non erubuit contra determinationem sanctae matris ecclesiae et sanctiones patrum etc. Reddo rationem *negando* ipsum et dicendo, ipsum fore falsum, primo ex hoc quia non coram *omni* multitudine populi dixi cum non omnis multitndo hominum fuit ipso die quo praedicavi in Praga. Non enim coram omni multitudine, quae fuit Romae aliquid dixi nec coram omni multitudine quae fuit in *Jerusalem*, aliquid dixi. Ergo etc.

2. Responsio ad primum articulum.

Secundo dico fore istum articulum falsum, quia nihil dixi contra determinationem sanctae matris ecclesiae, sed pocius dixi sanctae matris ecclesiae determinationem, istam informationem allegando ex concilio tiburiensi quae ponitur l. q. 1: dictum est solere in quibusdam locis pro perceptione crismatis nunmos dari similiter pro baptismo et communione. Haec simoniacae haeresis iniquitas detestanda est, sancta synodus et anathematisavit ut de caetero nec pro ordinatione, nec pro crismate vel baptismo vel sepultura vel communione aliquid exigatur, sed gratis dona christi gratuita dispensatione donentur. Et tunc dixi quod quicunque pro sacramentis pecuniam exigit et ab exactionibus desistere non intendit et praesertim si exigit et importune ad dandum pauperes inpellit, quilibet talis et omnes qui tales sunt, sunt falsi prophetae, symoniaci et communiter haeretici.

3. Responsio ad eundem articulum.

Tertio dico istum articulum contra me propositum fore falsum quia dicit, quod in hoc dixi contra determinationem sanctae matris ecclesiae quia dixi non exprimens tunc nec declarans, utrum ante vel post ministrationem sacramentorum pecunias exigendo et ab exactionibus hujusmodi desistere non intendens esset haereticus.

Ecce dico determinationem Sanctaematris ecclesiae supradictam non exprimens ante vel post quam determinationem sanctae matris ecclesiae quia tunc Tiburiensis sancta Synodus dixisset contra determinationem sanctae matris ecclesiae. Eo quod tunc dixit non exprimens nec declarans ntrum ante vel post et per consequens foret

haeretica. Et si ista ratio accusantium procederet, dominus Jesus foret iniquus praedicator quia dixit: hoc est corpus meum accepto pane quem transsubstantiavit et non tunc exprimens nec tunc declarans, quod post consecrationem non manet panis materialis, sic dixisset contra determinationem sanctae matris ecclesiae, quod est stultissimum dicere. Similiter dicendo: pater me major est et non exprimens ut hoc (?) diceret contra determinationem sanctae matris ecclesiae. Similiter quia dicit in hac trinitate nihil prius aut posterius nihil majus vel minus. Ymo si eorum stultum argumentum ab auctoritate negative arguens procederet vel valeret, multa capitula in jure canonico condempnaret quia quidcunque capitulum non omnia consequentia exprimeret et declararet, deberet dicere contra determinationem sanctae matris ecclesiae quae in aliis capitulis planius determinat. Et capitulum: cum in ecclesia, et capitulum Simonia, nobis dicerent contra determinationem sanctae matris ecclesiae. Et Innocentius foret cum capitulo in eadem condempnatione in qua ego, cum in illo prohibet exactionem importunam non exprimens ante vel post in illis capitulis et tamen vera sunt illa capitula. Et ego dixi quae dicunt illa capitula, igitur verum dixi. Et cum nullum verum sit sanctae matri ecclesiae contrarium, igitur accusantis decipit argumentum. Si enim audissent in scolis quod argumentum ab auctoritate negative non valet, cum non sequitur, hoc Christus non dixit in evangelio expresse, Beatius est dare quam accipere, ergo non est verum vel ergo male vel ergo dixit contra determinationem sanctae matris ecclesiae. Et tamen sub autoritate Pauli dicit Act. 20: Beatius est magis dare quam accipere.

Solutio contra ante vel post.

Nec suffragantur exactiones pecuniae pro sacramentis, quod licet eis post pro sacramentis exigere. Nam dicit auctoritas ecclesiae sub auctoritate Innocentii Papae 1. c. 3. et capitulo finali: Si quis praebendas vel prioratum seu decanatum vel promotionem aliquam ecclesiasticam seu quodlibet sacramentum ecclesiasticum ut sanctum crisma vel oleum sanctum et consecrationes altarium vel ecclesiarum interveniente execrabili ardore avaritiae per pecuniam acquisierit, honore male acquisito careat et emptor atque venditor et interventor nota infamiae percutiantur et nec pro pastu nec sub obtentu alicujus consuetudinis ante vel post aliquid exigatur vel ipse dare praesumat, quoniam simoniacum est. Ecce tria innuit, primo quod sub nullius

consuestudinis obtentu pro sacramentis aliqnid exigatur; 2° quod nec ante vel post exigatur. Et tertio causa subditur, quoniam simoniacum et per consequens haereticum est, unde qui ante pro sacramentis exignnt vel porrigunt, dicuntur proprie symoniaci a Simone mago qui Act. 8° obtulit pecuniam apostolis dicens, date mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: pecunia tua tecum sit in perditionem quoniam donum dei existimasti pecunia possideri. Gezitae autem dicuntur proprie qui de post exigunt a Gezi qui (propter) factam sanitatem a Naaman principe Siriae per Elizeum prophetam ab ipso principe munera accepit et postulavit. Unde scribitur IV. Regum 7° Secutus est etc. Et sequitur poena Gezi per prophetam in dicta lepra naaman adhibebit tibi et semini tuo in sempiternum et egressus est ab eo leprosus quasi nix. Et patet, quod Simonis heredes proprie sunt emptores donorum dei et Gezitae vel semen gezi proprie sunt qui pro sacramentis exigunt, consequenter communi nomine utrique symoniaci sunt censendi, eo quod Simon primo volnit emere donum dei et postea more Gezi voluit exigere. Patet ista conditio per magistrum in 4 sententiarum divisione 51, ubi dicit: licet simoniaci proprie dicantur, qui ad instar Simonis magi impretiabilem gratiam pretio conducere volunt et qui pro ministerio sacro pretium recipiunt in modum Gezi Gezitae vocandi sunt, omnes tamen et dans et accipiens symoniaci dicuntur et utrique eadem sententia percutiantur. Et extravagans: de symonia capitulo cum in ecclesiae, dicit, ne pro sacramentis aliquid exigatur districtius probibemus. Si quis contra haec venire praesumpserit, portionem cum gezi ille noverit se habiturum.

Quarta responsio ad primum articulum.

Quarto dico istud articulum fore falsum, quia dicitur in eo per adversarios, quod fuissem infectus ex dictis quod *omnes plebani ex hoc essent haeretici*, nam haec enormis eorum conclusio teste judice, qui me et mibi illa ascribende (adscribentes) horrende judicabit, nunquam in cor meum nec consequenter in meo sermone ascendit. Nosco enim multos plebanos, quorum non sum dignus calceamenta deducere et quorum plantas propter eorum sanctam conversationem vellem libentissime osculari. Si autem adversarii posita articuli propositione sancita: Quicunque pro sacramentis exigunt pecuniam et ab exactionibus cessare nolunt, sunt symoniaci et haeretici, sub-

sumunt conclusionem istam: sed omnes plebani pro sacramentis exigunt pecuniam et ab exactionibus cessare nolunt et ipsi nolunt concedere, sequitur formaliter quod omnes plebani sunt haeretici. Sed ego nego conclusionem, quia scio multos plebanos qui nunquam exigunt sed quando necesse est de propriis procurant, audientes illud capituli: Summa nobis, glossam, quae dicit, si sacerdos, qui ex officio ad hoc tenetur et qui habet victum, suis sumptibus tenetur spiritualia ministrare (de Concilio d. 1. Sufficit).

Quinta responsio ad primum articulum accusantium.

Quinto dico articulum essè falsum, quia dicunt me laudabiles consuetudines infringere, cum tamen ego pravas exactiones in sermone prohibui, concordans cum illo dicto capituli: ad apostolicam quo dicit pravas exactiones fieri prohibemus. Quae enim pravior consuetudo quam quae est a sanctis patribus et ab ecclesia prohibita puta importuna sacramentorum exactio quae per longam temporis moram non potest in bonam converti consuetudinem, cum sit de se mala unde pro isto dicit capitulum: cum in ecclesiae: Putant autem plures ex hoc licere quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur non attendentes quod tanto majora sunt crimina, quanto diucius infelicem animam tenuerint alligatam. Ecce appellant exactionem legem mortis quae non potest licite fieri propter longam consuetudinem, sed quanto longius dominabit, tanto exactiones suas gravius condempnabit. Quod autem exactio illa sit prava consuetudo patet 10. 9. 2, ex registro beati Gregorii qui dicit: *Questa* est a vobis nereida clarissima feminia quod ab ea solidos pro filiae suae sepultura fraternitas vestra exigere velit, hoc autem vicium et nos postquam deo auctore ad Episcopatus honorem accessimus, de ecclesia nostra vetuimus omnimodo et perpetuam consuetudinem usurpari nequaquam permisimus. Ecce quod iste sanctissimus papa exactionem pro sepultura vocat vitium omnimodo prohibitum et per consequens omnino illicitum, 2° nullomodo perpetuam consuetudinem usurpandum. Concordo etiam in praedicatione tum capitulo ad apostolicam in illa particula: pias consuetudines praecipimus observare, quia praedicavi persaepius quod plebesiani tenentur sub poena peccati mortalis presbyteris cum ipsis laborantibus in verbo dei et in sacramentis de vitae necessariis gratuite providere.

Item prima sessio I, ex concilio Cabilionensi: statuimus ut sicut pro dedicatione ecclesiarum et dandis ordinibus nihil accipiendum est,

ita etiam pro balsamo sancto pro crisma luminaribus emendis nihil presbyteri acceptare debent. Episcopi itaque de facultatibus ecclesiae suae balsamum emant et luminaria singuli in ecclesiis suis. Id ex concilio Bracariensi 2°: placuit ut nullus Episcoporum pro balsami modico (sic), quod benedictum pro baptismi sacramento per ecclesias dartur (sic), quia singuli tremissem (tertiam partem solidi) per ipsam exigere solent, aliquid ulterios exigant ne forte quidam pro salute animarum per invocationem S. S. (sanctorum) consequatur sicut symon magus donum dei pecunia voluit emere. Ita nos venundantes dampnabiliter venundemus. Item extravagans de Symonia capitulo. Item libro sexto ex decretali Innocentii 3 etc.

Prima responsio M. Hus ad *secundum* articulum.

Ad secundum articulum dico, quod adversantes eum sincopant, quia dixi post nominationem multorum magistrorum defunctorum volens movere populum ad mortis memoriam ne (ut) precarentur: Ecce magister Petrus Wsserus etiam est mortuus, propter quem oretis deum pro anima ejus quia spem habeo cum dei gratia quod sit salvus et timeo etiam ne sit dampnatus. Stat enim in Dei judicio. Unde volens cleri multitudinem quae fuit tunc in sermone ab avara beneficiorum pluralitate retrahere dixi: opinione mea salvo dei judicio non reciperem totum mundum quod vellem mori in tantis et tot beneficiis, nec hoc dixi pro laude mea sed periculorum ammonitione bono affectu teste deo feci quod secundum dictum beati Gregorii qui dixit, quod praedicatores in laudem dei possunt se ponere plebi in exemplum docentes se peccata odisse et virtutes diligere. Sicut fecit praedicator principalis Christi. Illic et vas electionis dicens Act. 2. alias argentum et aurum nullius concupivi aut vestem ipsi scitis. Similiter Samuel primo Regum 8° et secunda Corinth. 11. dicit: gratis evangelium dei evangelizavi vobis, nullas ecclesias exspoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum cum essem apud vos et egerem, nulli onerosus fui et multa alia dicit ibidem concludens, quis infirmatus est et ego non infirmor, quis scandalizatus est et ego non uror. Si ergo apostolus volens avarum populum retrahere dixit, nullius argentum aut aurum aut vestem concupivi, quare non liceret mihi propter confutationem avaritiae (dicere), quod nullo modo vellem multa beneficia possidere et omnino in illis decedere, quia satis habet facere unusquisque ut de uno beneficio reddat debitam rationem nec dicendo illa verba negavi, Magistrum Petrum piae memoriae fuisse bonum Christianum

et fidelem zelatorem fidei sed orans pro eo et dicens habeo spem quod sit salvus, asserui implicite quod fuit bonus christianus et fidelis!

Secunda responsio ad secundum articulum.

Ad secundam partem articuli quo asserunt adversarii mei, me dixisse ante tempora, quod vellem animam meam ibi fore, ubi est anima Wicleff, ecce iterum syncopant et non quid dicant sed ut solum dicant cancerose ebuliunt. Confiteor enim me dixisse quod vellem esse in spiritu ubi est anima Wicleff. Quia quemlibet hominem quem non scio ex scriptura aut revelatione dampnatum, (credo) supra me fore incomparabiliter meliorem recumbentem invitatum ad nuptias christi in novissimo loco ne veniens Christus qui me invitavit et illum, dicat mihi, da hunc locum et tunc incipiam cum rubore novissimum locum tenere. Nullum etiam quem non dampnavit *scriptura* aut *ecclesia* revelatione informata audeo condempnare quia dixit veritas: Cujus est dampnatione judicium Mat. 6. Luc. 6. nolite judicare, ut non judicemini, nolite condempnare ut non condempnemini, unde stultum dicere articulum et temerarium contra legem christi judicantium: *iste posuit haeresim*, iste est condempnatus. Similiter iste fuit Judeus paganus usurarius vel publicanus, ergo est dampnatus, cum latro blasfemus in mortis articulo existens audiret domino ei promittente: bodie mecum eris in paradiso Luc. 23°: Discant ergo *caeci catuli* et temerarii judices sic arguere: ille homo *posuit haeresim illam et non poenituit* de illa: ergo est dampnatus. Tunc enim erit bona conscientia. Sed breviter tunc probabunt, quoniam in die judicii coram omnibus sanctis de temerario judicio reddent rationem utinam bonam.

Ad finem hujus articuli reverendissime pater vobis dicunt: remanentiae adhuc remanent heu apud multos in hac civitate. Vellem quod vestra paternitas attenderet et praeciperet ipsis adversariis illas remanentias notificare et ostendere, quia dicendo, adhuc remanentiae heu remanent apud multos in hac civitate, contradicunt vestrae paternitatis *edicto synodali*, quo pronunciatum est, quod vestra *reverentia diligenti inquisitione habita nullum errantem circa venerabile sacramentum* potuit reperire. Et ipsi dicunt, quod adhuc remanentiae remanent circa multos, ostendant illos si sint veridici et cedemus eis et si non ostenderent, inciderent in laqueum, quem paraverunt pedibus meis scilicet in detractionem et diffamationem vestrae dyocesis et specialiter Pragensis civitatis et cum ipsi sint pastores, qui debent erroneas reducere oves et ad viam inducere veritatis et

hoc faciant funem quo capiuntur a domino, sibimet ipsi imponunt.

Reponsio magistri hus ad *tertium* articulum.

Ad tertium articulum in quo dicunt adversarii quod quamvis synodaliter omnibus sit prohibitum praedicare excessive contra clerum de anno *praesenti* etc. (1408?). Ad illud respondeo breviter negando quod nec contra mandatum feci nec excessive contra clerum praedicavi. Excessive enim praedicare est *false, adulatorie* vel *tepide* praedicare. Sed secundum scripturam legis divini et sanctorum canonum ad aedificationem cleri et populi *peccata cleri detegere* est vere juste non adolatorie et intrepide praedicare, quia alias salvator noster excessive contra clerum praedicasset et per consequens injuste, dicens scribis pharisaeis et principibus sacerdotum: vos ex patre diabolo estis. Johannes 8 et Math. 12. dicens scribis pharisaeis, Generatio prava mala et adultera signum haberet et Math. 12° Quare vos transgredimini mandata dei propter traditiones vestras, ubi scandalisatio malorum prohibuit Christum contra cleri maliciam praedicare, nam dicentibus discipulis M. 17: Magister scis quod pharisaei audito hoc verbo scandalisati sunt, respondit dominus: omnis plantatio quam non plantavit pater meus, eradicabitur. Sinite illos, caeci sunt et duces caecorum et Math. 23 improperans eis, octuplum vae dedit super eos. Et Lucae XI cum eis improperaret surgens quidam de legisperitis dixit: Magister haec dicens etiam contumeliam nobis facis. Et cum hoc ad illos diceret, coeperunt pharisaei et legisperiti graviter resistere et os ejus contempnere de multis ei insidiantes et quaerentes aliud capere de ore ejus ut accusarent eum. Ecce summi praedicatoris salvatoris nostri legisperiti scribae et pharisaei diffamant praedicationem, primo dicentes contumeliam nobis facis, secundo quia graviter institerunt contra eum. 3° quia ceoperunt contempnere os ejus. 4° quia creant insidias ei, 5° volentes capere aliud de ore ejus sancto ut accusarent eum. Cum autem ego peccator non sim super illum praedicatorem, cum non sit discipulus supra magistrum suum nec servus super dominum suum et ipsum persecuti sunt, quid mirum si *me* sermonibus persecuntur. Nam sapientiae 2° dicitur: dixerunt impii apud se non recte cogitantes: circumveniamus justum, quum inutilis est nobis et contrarius est operibus nostris et improperat nobis peccata legis et diffamat in nobis peccata conscientiae nostrae. Ecce quid dicunt impii: diffamant justum quod ipse improperaret et diffamaret in eos peccata conseientiae eorum sicut me

diffamant falsum mihi ascribentes dicunt, quod diffamo ipsum clerum. Cum enim sanctam scripturam praedico, non ego sed principaliter spiritus sanctus et demum propheta Christus vel apostolus suus illa dicit: vobiscum dico popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt et viam gressuum tuorum dissipant. Ysaias dicit 3° capitulo dicens quod hoc dicit dominus. Similiter cum dico: sacerdos et propheta nescierunt prae ebrietate absorpti sunt a vino, errant in ebrietate, Ysaias dicit 4° capitulo. Similiter cum dico propter peccata prophetarum ejus et iniquitates sacerdotum ejus, quia effuderunt sanguinem justorum in memoriam ejus Ysaias dicit trenorum 4° capitulo de similibus prophetis, Christo apostolis et suis sanctis praedicationibus, qui clerum corrigunt de peccato et patet quod nec excessivam nec detractoriam sed rectam et sanam praedicationem volentibus sanam praedico veritatem. Si enim aliquis de veritate praedicta scandalizatur, tutius est, ait Gregorius super Ezechiel 2° quod scandalum oriatur quam veritas relinquatur, quia sciens salvator scribas et pharisaeos scandalisari non obmisit praedicare veritatem, dicens Math. 22: Sinite eos scilicet scandalizari; caeci sunt et duces caecorum. Ex quibus patet quod veritas sacrae scriptur quae *omni populo scripta est ad memoriam, debet omni populo declarari secundum capacitatem audientium atque temporis.*

Ex dictis patet, Reverendissime pater, quod primus articulus est falsus, secundus syncopatus et tertius negatus. Quamvis autem adversarii mei sed deo teste mihi dilecti ascripserunt frivole hujusmodi articulos, non tamen opto vindictam in eis sed committo ipsam potentissimo, scientissimo et optimo judici qui dicit deuteronomio 22: mibi vindicta est et ego retribnam. Denique vestrae reverendissimae paternitati subjiciens me humiliter vestrae piissimae informationi correctioni et protectioni tanquam filius obediens, revelans causam meam domino Sabaoth, qui juste judicat, probans renes et corda et reddens unicuique juxta opera sua, dampnat impios et finaliter salvat justos. Ipsi honor et goria in saecula saeculorum Amen.

9. Ex sermone M. Johannis Hus: Vos estis sal terrae.

1410.

— Sic etiam et nunc faciunt, qui tacti veritate simili insistunt graviter, ut opprimant os praedicantium, insidias quaerant et non invenientes mendacium in ore praedicantis veritatem accusant, mendaciis

nunc dicentes, quia magistri per *adhaeslonem errorum* (Errorii? Gregorii XII?) expulerunt nationes exteras nunc mentientes quod de corpore Christi male sapiunt, nunc false imponentes, quia papam nihil esse dicunt. Sed mendax iniquitas mentita est sibi quia volens alios confundere, se confundit et, quo vult suum errorem tegere, manifestius patefecit —

— Apostolorum vicarii de quorum numero erant sanctae memoriae. Alexander Papa V et nunc est Johannes XXIII. Si ergo ipse sanctae memoriae Alexander in condiendo et lucendo venialiter deficit, rogemus omnipotentem dominum, ut secundum suam magnam misericordiam dignetur eum jam in coelesti gloria agregare. Rogemus denique ut papam nostrum Johannem XIII praeservet a malo et gratiose, dignetur sibi concedere ut sit sal terrae, lux mundi, civitas et lucerna juxta conditiones superius annotatas. Nam tunc indubie erit pater sanctus, angelus domini, sacerdos dei altissimi, presul magnus, pontifex eximius, doctor egregius, minister sanctorum, heres apostolorum, coheres Christi, primatu Abel, gubernatu Nove, patriarchatu, Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unione Christus. Rogemus denique pro serenissimo domino nostro Wenceslao Romanorum Rege et Bohemiae rege, regina fratribusque domini nostri Rege Sigismundo, et Marchione Jodoco, ut omnipotens deus secundam suam sapientiam dignetur eorum populos dirigere et cum ipsis in gratia conservare. Sed praesertim invocemus indivisae trinitatis majestatem ut suam in unitate dignetur conservare ecclesiam, ut in una fide, in una spe, in una caritate, unum deum et dominum verbo et opere confitens cum omnibus suis filiis usque in diem judicii, in pace tranquilla Jesu Christi domini nostri conservetur tam ci nulla nocebit adversitos. Tum nulla ei dominabitur iniquitas, Rogemus etiam pro praelatis ecclesiae, patriarchis, cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis et infra usque ad sacellarium secuudum officium minimum ut sint sal terrae non infatuatum nec lumen deficiens, nec lucerna sub modio posita, sed ut luceant eorem bona opera coram hominibus ad gloriam dei patris. Nam propterea dixit salvator suis discipulis: vos estis sal terra, vos estis lux mundi. Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona et glorificent patrem vestrum qui in coelis est. Ipsi honor et gloria in saecula saeculorum Amen.

10. Inceptio super quodlibet M. Andreae de Broda.

Cod. Bibl. Univ. Prag. X. E. 24 et XIII, F. 16.

Laborem gravem licet eximium disputationis de quolibet aggressurus mente dejicior, rigent vires et ipsi sensus corporis ebetescunt, dum nempe perpendo negotium, dum etiam facultatis meae conspicio modulum, certe mallem fugam eligere quam conflictui me tradere dubioso. Quis etenim in hoc Palladis gymnasio praesumat confligere ubi tot valentissimi praesentialiter adsunt viri qui singula bene vel male proposita trutinant et perpendunt, ubi peritissimi et exercitatissimi philosophi sunt et magistri, qui nedum mihi, cum respective tenebrae sim ad lumen sed et cuilibet quantumcunque subtili quantumcunque reputato, etiam undecunque venienti philosopho peritissime responderent. Hic nam in cumulo *reales* metaphysici, profundi *naturales* venustique *morales* philosophi, veraces mathematici, periti grammatici, lepidi rhetores, arguti logici, experti geometrae, prompti arithmetici, solempnes etiam ad punctum astronomi laudabilesque musici continentur. Nec est ars sub coeli magnitudine, si saltem scitur ab aliis, quae pares hic non habeat vel majores. Odor hujus universitatis signanter matris meae *facultatis artium* ubique terrarum fragrans respargitur adeo, ut nedum orientales verum occiduas et nedum boreales sed et austricas vergat in horas. Ecce Pruteni, ecce Rutheni, ecce Poloni, ecce Pannnones, ecce Anglici, ecce Ibernici, ecce Hispani, ecce Saxones, ecce Sueci, Daci, Norici, Scanique Filandi, ecce Veneti, ecce Italici, ecce Lombardi, ecce Gallici, dimissa Parisia, ecce Neapolis, ymo maritima Cyprus, ecce Renus, ecce Suevia, ecce duplex Bavaria suos huc filios mittunt. Taceo de circumsitis provinciis quas omnes mater ipsa facultas artium illustravit. Quid putamus, quantae celsitudinis est quae et alias universitates velut filias nobiles educavit et quasi electissimos surculos truncis agrestibus implantavit. Ipsa Wyennam, ipsa Cracoviam, ipsa Heidelberg, ipsa Coloniam, ipsa Herbipolim, ipsa Erfordiam prout notorium est personis valentibus, suis videlicet magistris excellentibus, venustavit. Ipsa lux et splendor adjacentium provinciarum. Ipsa fons et origo vicinarum universitatum. O *felix Boemia* tam praecioso decorata monili. O *felix corona* quae tot in te fulgidas contines gemmas. O *felicissima* Praga quae hunc thesaurum nobilem tuis in intimis claudis. Quid dicam de te — o *nobilis Praga* — nobilissima Praga etc.

11.

Ex privilegiis universitatis Pragens. (Cod. Un. XV. A. 1. Fol. 28.)

n. XIV. Literae missiles Regis Wenceslai snb sigillo seu secreto impresso super literas cerae albae. Data Mendici die 28 Junii 1409: subscriptio: Rex per se. Signum est X. Argumenta vero haec:

1. Quod quosdam ex universitate ablegat qui immemores beneficiorum ab universitate acceptorum non solum in perniciem universitatis sed etiam dignitatis Regiae et totius regni conspirarunt, fide et juramento suo universitati praestito fracto, regiae majestatis mandatis et admonitionibus amicis contemptis.

2. Quod in exulum locum sua majestas alios nominatim subrogat.

12.

Cod. Univ. I. A. 37. Fol. 68.

Dixit Magister Marcus: dilecte Magister Johannes. Bene scis quod et nos penes te fuerimus autores contra Germanos.

Attamen cives Pragenses nulli ex nobis indignantur nisi *tibi*, dicentes quod *tu* Germanos expuleris et Pragenses mediis vitae privaveris et germani non tam nobis quam *tibi* minantur.

Rohn hist. sacro canon. ordinis crucigerorum cum rubeo corde.

13. Tractatulus reverendi Magistri Johannis de husinecz (dicti Huss)

1409.

(Apologia.)

Anno domini MCCCCIX currente haec facta sunt per magistrum Hus et alios magistros.

Quia Illustrissimus princeps et dominus dominus Wenceslaus Romanorum Rex semper Augustus et boemiae rex divina favente gratia habet dominium super regno boemiae, igitur secundum legem dei, legem canonum et legem Imperialem, ad quam primo et principaliter pertinet, regnum suum disponere et suis regnicolis supra exteros de pace et specialiter praerogativis providere, patet hoc originaliter ex lege divina et depost ex humana.

Ex isto primo habetur quod rex Wenceslaus habet *potestatem* dominativam in regno Boemiae super universitate studii Pragensis et principaliter ad instituendum statuta eidem et potestatem assumpnendi et repellendi tam alieni*genarum* quam indigenarum secundum meliorem ordinem de praerogativa indigens (indigenis) providendo.

II° patet quod rex Wenceslaus juste potuit dare et dedit suis regnicolis in universitate studii Pragensis tres voces super exteras nationes, quas *unam* in suis literis ipse serenissimus princeps dominus appellat theodiscam nationem, quia et ipsae per se illae nationes se invicem firmiter unierunt.

III° patet ex hiis, quod injuste oppngnant donationem praefatam exterae nationes nolentes obedire ipsi domino Regi tamquam praecellenti in regno Boemiae, cum Petrus Apostolus dicat I[a] petri 2°: subjecti estote omni hunanae creaturae sive Regi quasi pracellenti. Et subditur pro causa cum jungitur quia sic est voluntas dei. Nam salubre est ipsis regibus, episcopis et presbyteris sua colla dicit Christus. Certum est et Donatus D. x[a] et 4[a] Valentinianus. Sic fecit Christus summus pontifex qni se Pilati subjecit judiciariae potestati et Imperatori pagano solvens et mandans solvere tributum. Math. 11 et 22 unde debentur regibus subjectio et tributi solutio XI. q. 1. Si tributum per Ambrosium. Capitulo Maguntino g. 3 si dominus, per Jeronymum et capitulo sequenti et etiam q. octava Tributum.

Quarto patet, quod regnicolae regni Boemiae, *veri boemi*, ex donatione regis possunt accipere habere et tenere speciales praerogativas tam laici quam clerici in consiliis et regiminibus locis primis et gubernationibus ad augmentum et honorem ipsius regis et suae regaliae patet hoc. Nam rex potest juste dare regnicolis suis praecipuis praerogativas bujusmodi. Igitur conclusio vera.

Quinto ex hiis patet, quod rex Wenceslaus juste nationem Boemicam magistrorum et scolarium in universitate studii pragensis praetulit nationibus exteris in consiliis judiciis et examinibus electionibus et quibuscunque aliis actibus et dispositionibus universitatis praedictae prout sua clementia in suis literis benignissime et juste exhibitis plenius confitetur.

Sexto consequitur, quod nationes exterae sive natio theotonica debent vel debet in mandatis super donatione trium vocum nationi boemicae donata ipsi domino regi humiliter obedire, ne reprehensionem cum murmurante sentiant, cui dictum est cum patre familias Math. 2[0], amice non facio tibi injuriam, *tolle quod tuum est et vade*, an non licet *mihi facere quod volo*, an oculus tuus nequam est quia ego bonus sum.

Septimo habetur quod natio boemica debet *esse rectrix praecipua* nationum aliarum in universitate pragensi, patet ex hoc primo a simili

ex *lege divina.* Nam dominus deuteronomii 28° suo populo dicens: si audieris mandata domini dei tui quae ego praecipio tibi hodie etc. Constituit te dominus deus tuus in caput et non in caudam. Et eris semper supra et non subter. Et item: Faciet te deus excelsiorem cunctis gentibus quae versantur in terra. Si ergo deus *suum* populum obedientem in caput posuit excelsiorem cunctis gentibus, *fecit ergo a simili rex Boemiae nationem boemicam*, quae est populus *suus obediens*, potest, ymo debet ponere in caput et non in caudam, ut esset supra semper et non subter. Sequitur quod natio Boemica regi obediens debet esse in terra Boemiae cunctis aliis excelsior et debet in caput et non in caudam, semper supra et non subter, et per consequens natio boemica debet esse rectrix praecipua nationum aliarum in universitate studii pragensis posita contra stancia (contraria statutis?) universitatis et nationibus in illa conjunctis.

Octavo ad praesens sequitur, quod natio *theotonica* poscens habere primatum et regimen praecipuum cum tribus vocibus super una voce nationis boemicae in universitate studii pragensis vult esse excelsior natione boemica, vult esse in caput et non in caudam, vult esse semper supra et non subter, non parens mandatis regiis, contravenit sic exemplo divino et mandato regio, in volicione (violatione) hujusmodi est nullomodo audienda.

Itemque mandat rex omnipotens sub dampnatione perpetua, rem non concupiscere proximi dicens exod. 20: Non concupisces rem proximi tui; sed cum principatum et primum locum tenere primam vocem habere et majorem ac praecipue consulere in Boemia est res proximi, quia boemorum vel boemiae, igitur natio theotonica poscens istam rem contravenit mandato domini supradicto.

Item lex est naturae quod tibi fieri non vis, aliis ne feceris ipse, et quod vis tibi fieri, alii tu feceris ipse. Et natio theotonica nollet sibi fieri, quod natio Boemica esset excelsior in Wyenna vel Helberga. Et quod natio boemica esset ibi in caput et semper supra et iterum natio theotonica vellet sibi fieri quod ipsa foret excelsior natione Boemica in Wyenna vel Helberga. Igitur ex prima parte non debet velle esse excelsior in Boemia nec in caput nec semper supra. Et ex secunda parte debet velle quod natio Boemica in terra Boemiae sit aliis excelsior nationibus et sit in caput et non in caudam et semper supra et non subter. Confirmavit istud salvator dicens Luc. VI: prout vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis. Si ergo volunt theotonici

ut Boemiae (Boemi), si essent in theotonia, facerent, sic quod consilia eorum voces et utilitates non tollerent et se supra et in caput non ponerent, faciant in Boemia sic Boemis.

Item lex canonica et lex civilis docent incolas regere extraneos, ipsis praesidere et *tamquam servos compati*, cum non sint haeredes et dominae nationes hujusmodi regni Boemiae incolarum connatarum (sic) J. 1. extraneis.

Item dictum poeticum divinae legis supradictum consonum dicit: siquis ab exteris nuper devenerit oris i. e. partibus.

Non licet indigenis ut velit esse prior.

Item deus omnipotens duodecim tribubus divisit terram funiculo distributionis, ut unaquaeque tribus suis principaliter *sine admixtione* aliarum tribuum potiretur legibus, ne foret in tribubus zelus et contentio ut patet per librum Josuae. Sic videtur a simili quod deus omnipotens divisit *terram suam* tribubus nationum ut aliam partem possideret *tribus Boemorum*, aliam tribus *Bavarorum*, aliam tribus Ungarorum et caet. aliis, et hoc fecerat sine admixtione (in) Boemia aliarum tribuum, *cum in Boemia olim erant tantum Boemi*, et hoc ne fieret zelus et contentio quae jam seminantur ex admixtione. Igitur tribus Boemorum debet inquiete potiri in Boemia suis legibus sine Theutonicorum perturbatione sicut aliquando patiebatur.

Item invictissimi principis sanctae memoriae Karuli Romanorum Imperatoris et boemiae regis principis sapientissimi bulla (ordin)avit, quod regnum boemiae „praerogativa mentis affectione complectimur cujus exaltationem omni qua possumus diligentia procurantes ipsius honori intendimus — ut fideles nostri regnicolae qui scientiarum fructus indesinenter esuriunt, per aliena mendicare suffragia non coacti paratam sibi in regno mensam propinationis inveniant et quos ingeniorum nativa subtilitas ad consilia reddit compicuos, literarum (scien)tia faciat eruditos etc.“ Ecce duo affectavit imperator serenissimus et amator regni Boemiae zelantissimus, scilicet ne sui regnicolae in exteris regionibus scientias mendicarent, secundo ut forent ad consilia eruditi, cum ex naturali inclinatione regnicolae consulant *fideliter* principibus et promoveant bonum regni et *ne totum vel amplius pro se extranei usurparent dominium*, caute adjunxit princeps invictissimus dominus: gloriosum existiment scilicet regnicolae extraneos alios ad gratitudinis participium evocare. Ecce dicit evocare ad participium id est aliquam partem gratitudinis, quo contra extranei

ut eis placet, Boemos ad participium evocant, partes aliquot ampliores beneficiorum et collegiorum continue retinentes.

Item ne in universitate fieret contentio et ne extranei possint regnicolis dominari, subjecit quod libertate(s) omnes, quibus tam in Parisiensi quam in Bononiensi studiis (fruuntur indigenae) „impertimur et faciamus ab omnibus et singulis inviolabiliter observari". Et quia in Parisiensi studio seu universitate regnicolae habent tres voces, similiter in Bononiensi et regimen praecipuum universitatis, igitur excellentissimi principis pia et sapienti fundatione et ex serenissimi principis regis Wenceslai donatione et declaratione natio Boemica in universitate Pragensi debet tres voces in singulis consiliis judiciis examinibus electionibus et quibus(cunque) aliis actibus et dispositionibus similiter obtinere. Sed contra donationem Serenissimi principis domini Regis objicit natio theotonica, quod consuetudo longaewa extitit secundum quam natio theotonica tres voces et caetera super nationem boemicam obtinuit. Igitur istam consuetudinem non licet serenissimo principi immutare. Item objicit natio theotonica sic (quia) nunquam ita factum fuit (quod) tres voces haberet natio Boemica, ergo non licet adhuc eam habere.

Ad istud respondetur secundum Beatum Augustinum qui libro confessionis 20° dicit et ponitur di. VII. in decreto: Cum deus aliquid contra morem vel pactum quorumlibet jubet et si nunquam factum est, tamen faciendum est, si obmissum est, instaurandum erat et si statutum non (erat), instituendum est. Si enim Regi licet in civitate, cui regnat, jubere quod nec ante ipsum quisquam nec ipse ante jusserat, magis rectori deo universae creature ad ea, quae jusserit, sine dubitatione (est) serviendum. Ecce praesupponit sanctus Augustinus quod licet regi terreno in civitate cui regnat jubere aliquid quod nec ante quisquam nec ipse ante jusserat, ergo licet regi Wenceslao in civitate Pragensi cui regnat jubere tres voces dare et si nullus ante ipsum nec ipse explicite in forma propria jusserat quamvis serenissimus princeps Karolus in sua bulla ut jam dictum est secundum libertates Parisiensis et Bononiensis universitatum [1]) (caetera desunt).

Ad idem scilicet ad dissolutionem malae consuetudinis est Beatus Augustinus de baptismo parvorum et ponitur in canone. di. VIII

[1]) „Privilegia, libertates et immunitates omnes quibus tam in Parisiensi quam in Bononiensi studiis doctores et scolares universitate regia uti et gaudere sunt soliti *omnibus et singulis* illuc accedere volentibus liberaliter impertimur et faciemus ab omnibus et singulis inviolabiliter observari." Bulla erectionis studii Pragensis.

dominus dicit in ioanue (evangelio), ego sum veritas, non dicit, ego sum consuetudo. — Veritate manifesta cedat consuetudo. Ecce praefert iste vir sanctus veritatem consuetudini. Sed cum veritas sit ex supradictis, quod Boemi debent habere in Boemia jus et praerogativam super extraneos et esse in caput et non in caudam, in consiliis et (judii)-ciis caeterisque actibus bonum et honorem regni Boemiae concernentibus: igitur manifesta illa veritate debet cedere illa consuetudo, quam extranei in regno Boemiae *usurparunt* nec illi consuetudini debet vetustas suffragari. Nam dicit martyr Christi Cyprianus *papa* sanctus et ponitur in canone d. VII: consuetudo sine veritate vetustas erroris est, propter quod relicto errore sequ(amur) veritatem. Ecce quam bene praecepit iste sanctus *papa* vetustum errorem relinquere et sequi veritatem. Sed cum praeponi extraneos in regno boemiae et in consiliis et in caeteris ut supradictum est, sit error et boemi debere esse in caput et non in caudam, regere extraneos et non regi ab eis dominative sit veritas, igitur relicto primo sequamur reliquum et patet solutio primae objectionis. Ad secundum dicitur negando consequentiam, nam non sequitur: nunquam ita factum fuit quod tres voces haberet natio Boemica, ergo non licet eam adhuc habere tres voces. Sicut non sequitur: nunquam ita factum fuit quod abstraheret obedientiam a Gregorio XII natio Boemica, ergo non licet adhuc ei abstrahere obedientiam a Gregorio XII quia possibile est in causa; consequens est antecedens, est oppositum ejusdem quaestionis (?) consequente existente falso.

Sed tertio objicit natio theotonica sic. Non habetur expresse in propria forma in literis papalibus et imperialibus, quod tres voces habere deberet natio boemica, ergo non debet habere. Hic non est color in ista argucia quae tantum valet sicut illa: non habetur expresse in literis papalibus et imperialibus quod tres homines habere deberet rex Wenceslaus in boemia, igitur non debet rex Wenceslaus habere tres homines in boemia, nam antecedens est erroneum et sequens manifeste falsum.

Quarto objicit natio theotonica sic. Primo concordiam factam inter nationem boemicam et alias tres nationes quaelibet intitulando se in librum universitatis juravit quod una nationum vel plures non moveat aut moveant litem vel disturbium contra aliam vel alias super quacunque praerogativa aut materia nisi expresse sibi jus competat super talibus ex literis et privilegiis papalibus aut regalibus hucusque

habitis et concessis. Hic bene (ponitur) pro natione boemica cum exceptione speciali: nisi expresse sibi jus competat super talibus ex literis et privilegiis papalibus huc usque habitis et concessibus (sic). Nam natio boemica non novit (movit) litem contra nationes vel nationem theotonicam, sed grata (erga) donationem serenissimi acceptam principis vult juste de donatione trium vocem gaudere. Secundo quod nationi boemicae competit expresse in literis imperialibus praerogativa quae est extraneos ad participium gratitudinis evocare; nam dicitur in literis: gloriosum exisiment extraneos alios ad suavitatem odoris et gratitudinis sc. hujus comparticipium evocare. Stent ergo extranei de participio contenti et grati, qnod sunt tam benigniter a natione boemica evocati. Super tertio, quod nationi boemicae competit praerogativa ex literis imperialibus etc. Nam dicitur ut fideles nostri regnicolae qui scientiarum fructus indesinenter esuriunt, per aliena mendicare suffragia non coacti paratam in regno sibi mensam propinationis inveniant et quos ingeniorum nativa subtilitas ad consilia reddit conspicuos, literarum scientia faciat eruditos. Ecce duo inquit princeps inclitissimus primo ut fideles regnicolae aliena suffragia non mendicent, secundo ut eas (sic) scientia ad consilia faciat eruditos. Nam non est bonum accipere panem filiorum et mittere *canibus*, dicit salvator Math. 17. Venit ad praebendum dona gratiae principaliter judaeis, de quorum processit sanguine secundum carnem; mensam ergo propinationis primo debent habere paratam filii regni, *deinde micas debent expetere humiliter extranei*. Item ad consilia regni primo et principaliter pertinent filii regni qui ex nativa inclinatione affectant bonum regni, non autem sic extranei et in hujus signum salvator noster quamvis consiliis non indiguit, tamen pro informatione nostra a suis apostolis quasi consilium expetivit. Joannes 6. dicit ad Philippum: unde ememus panem ut manducent hii? Qualiter autem consiliarii extranei conversi sunt in arcum principis in consiliis, potest patere in illis qui ad partem *Clem* (Ruperti R. R.) de universitate Pragensi nutriti de pane regni et praebendis Serenissimi principis Romanorum regis et Boemiae semper Augusti (iverant), qui vere potest dicere cuilibet illorum, qui edebat panem meum magnificavit super me supplantationem, magnificavit sapientiae (?) consiliis et magnificavit manifestis praedicationibus contra me, cui in universitate juraverat de bono providere ad quemcunque statum deveniret.

Quinto objicit natio theotonica, quod natio boemica perjurium incideret, si donationem trium vocum acceptaret et planum est quod non potest hoc natio theotonica deducere. Nam quia quodlibet membrum universitatis studii pragensis juravit bonum universitatis et cum regnicolas habere praecipuum regimen universitatis est *bonum*, quod superius justum est ostensum, igitur quodlibet membrum universitatis studii Pragensis juravit hoc, consequentiam sic rectificari syllogistice: omne bonum universitatis servandum vel procurandum quodlibet membrum universitatis studii pragensis juravit, sed regnicolas *regni Boemiae habere* praecipuum regimen in universitate est *bonum* universitatis etc. (Caetera desunt.)

Igitur quodlibet juramentum poss(ibile) illi primo juramento contraveniens nullius esset roboris vel momenti ut patet de jurejurando in collecta ubi dicitur et refertur de rege Ungariae qui quasdam alienationes fecerat in praejudicium regni sui et contra bonorem quas etiam juramento firmaverat, papa mandavit ut illas revocet, quia prius in coronatione sua juravit jura regni honorem coronae inviolabiliter observare propter juramentum prius sibi non licuit observare. Ergo a pari quodlibet juramentum primo juramento licito contraveniens esset potins resecandum. Item constat quod declaratio et interpretatio principis jus facit ut patet de usuris c. 1. inter alia et cotidie de legibus lege 1 et ultima XI. g. 1 Et ex hiis omnibus. Sed cum donatio trium vocum nationi boemicae sit interpretatio bullae aureae per principem facta, igitur nationi boemicae jus facit. Quare ergo natio boemica de jure hujusmodi non gauderet? Item in omni juramento autoritatis (auctoritas) superioris, et principis est excepta, de jure jurando c. venientes. Patet nulla sacramenta quemquam stringere et ligare contra bullas principis promulgatas.

Item universitas Pragensis non potest quidquam statuere et firmare licite contra privilegia et contra intentionem principis. Et si quis talium faceret, foret cassum irritum et inane. Sed planum est quod intentio principis inclitissimi Imperatoris fuit regnum et regnicolas in bonore super alios exaltare cum dicit in suis in literis „cum praecipua rodamur anxietate solliciti specialiter convertentes aciem mentis nostrae qualiter regnum nostrum boemiae praerogativa affectione complectimur cujus exaltationem omni qua possumus diligentia procurantes honori intendimus totis conatibus et saluti.“ Sed cum honor et salus non debetur segetibus et lignis in regno boemiae, se

quitur quod imperator honorem et salutem regnicolis boemiae prae caeteris aliis intendebat. Igitur universitas studii pragensis nec potest nec potuit quicquam statuere et firmare licite contra intentionem principis in suis literis sic expressam. Sed cum tres voces habere nationem theotonicam supra unam nationem bohemicam et esse in caput in regno boemiae et non in caudam, esse supra et non subter, est contra exaltationem Boemorum et contra *honorem* regni boemiae consequenter contra honorem boemiae, igitur universitas studii Pragensis non potuit hoc licite contra intentionem principis statuere et firmare.

Septimo objicit natio theotonica quod in principio fundationis studii magistrii theotonici principaliter viguerunt et boemo(s) rexerunt et universitatem diviserunt in nationes prout voluerunt, ergo adhuc licet eis sic facere et per consequens natio boemica debet sub natione theotonica tamquam *serva* versari[1]).

---

1) Cfr. instrumentum appellationis trium nationum universitatis Pragensis ad regem Wenceslaum 1409, Feb. 6.

Serenissimo principi D. Wenceslao Romanorum et Bohemiae Regi Domino suo graciosissimo semper metuendo:

Serenissime princeps ac domine metuendissime!

Vestram Regalem celsitudinem reputamus omnino non latere, qualiter progenitor vester divae recordationis D. Carolus Romanorum imperator gloriosissimus et Bohemiae rex non in modicum incrementum et honorem sui regni immensorum laborum cum diligentia in sua civitate regali Pragensi studium generale instauravit et fundavit; pro cujus fundatione magistros de diversis mundi partibus diligentissime evocavit, quibus ex innata sua benignitate decentissime providit tam de magna quietudine et multitudine pacis quam ad victum depertinentibus. Quare ad idem studium tempore ejusdem illustrissimi imperatoris magna multitudo studentium de universo orbi affluebat. Quod quidem studium *in principio* suae fundationis de *suae* benignitatis dispositione in *quatuor naciones* scilicet Bohemorum, Polonum, Bavarorum et Saxonum fuit divisum et distinctum: quae quidem nationes in conciliis, judiciis, examinibus, electionibus et ceteris actibus praefati studii usque in praesentem diem omnino fuerunt *aequales*. Post felicem vero obitum praefati D. Imperatoris quaedam dissensio non modica inter nationem Bohemorum ex una et alias tres nationes parte ex altera fuit suborta, quae non cum parvo dampno praefatarum trium nationem fuit sopita et extincta. Quare statim ad idem studium non tanta multitudo studentium uti prius affluebat. Nunc vero serenitas Vestra ad universitatem filiam vestram quandam literam destinavit, *ex cujus vel quorum inductione deus novit*, in qua serioso mandatur, quod *natio Bohemorum* in singulis conciliis judiciis examinibus electionibus et aliis actibus praefatae universitatis per amplius *tres debeat habere voces* et aliae tres nationes saepedicte *solum unam*. Sed quia praescriptum mandatum istis tribus nationibus est multum grave et intolerabile, tendens in perpetuum interitum nationum earundarum et, si effectum sortiretur, *infallibiliter sequeretur universitatis destructio*

Ad istud respondetur secundum illud Apostoli ad Galatas X° quanto tempore (haer) es parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium sed sub tutoribus et actoribus est usque ad praefinitum tempus a patre et infra. Itaque jam non est servus sed filius quod si filius et haeres per deum, ubi ex dicto colligitur a·simili, quod si boemi in principio studii fuerunt parvuli in scientiis et sic propter defectum scientiarum fuerant tamquam servi theotonicorum et existentes haeredes regni fuerunt tamquam servi theotonicorum usque ad praefinitum tempus a patre seu imperatore qui dicebat postquam crescetis in scientiis scilicet eritis domini et haeredes, sustinete modicum; quia vero jam deo auxiliante *venit plenitudo* temporis ut magistri boemi (sun)t super theotonicorum magistros multiplicati et in omni scientia et facultate ultra extraneos elevati. Sed quia non sunt servi sed filii quod si filii et haeredes per deum, cedant ergo actores et tuta res (tutores), qui commodum quaesierunt in haeredibus regni proprium et haeredes, quibus debetur haereditas, *dominentur*. Per etc. in saecula saeculorum Amen.

Explicit tractatulus (ut supra).

---

et praecipue *trium nationum* praescriptarum *totalis exterminatio*: ideo Vestrae inclitissimae dignitati supplicamus humillime toto cum affectu quatenus praefatas tres nationes in suis consuetudinibus statutis, quae *ab initio* studii usque in praesentem diem de benigna ordinatione Vestri progenitoris inclytissimi habuisse dinoscuntur et praecipue in *concordia* inter nationem Bohemorum parte ex una et alias 3 nationes parte ex altera ante multa tempora celebrata, *quam litera Vestrae Serenitatis roborastis*, gratiose conservetis; quia salvis juramentis nostris et honoribus nequaquam ab istis valemus recedere, cum etiam Bohemorum et aliae tres nationes ipsa multipliciter juraverunt et nequaquam dubitamus, quando Serenitati Vestrae hoc constiterit quod ad talia mandata nos minime velit artare, *cum in nulla universitate totius Alemanniae nec in studio Parisiensi* talia quae ista mandata praetendunt, observentur. Pro constanti enim tenemus, quod Vestra Serenitas magistros suae universitatis non magis velit artare quam in aliis universitatibus sunt artati. Si *vero natio Bohemorum reputat sibi esse praejudicium et gravamen*, ad quod quaelibet aliarum trium nationum in vocibus sib est aequalis in conciliis judiciis examinibus electionibus et aliis actibus universitatis, si et in quantum est possibile salvis juramentis et concordia inter eam et aliae tres nationes factis: ex tunc dignetur Vestra Serenitas ad quam solum spectat nobis de pace et concordia providere *eam* ab aliis tribus nationibus *dividere* quoad ista et separare ita, quod *ipsa habeat sua concilia judicia examina et electiones et aliae tres nationes sua*. Sic forsan domino concedente magis pacifice et quiete convivemus. Vestram regiam celsitudinem Altissimus conservare dignetur incolumem per tempora longiora.

Datum Pragae in die S. Dorotheae sub nationum trium Polonorum Bavarorum et Saxonum sigillis.

Magistri totaque communitas Polonorum Bavarorum Saxonum nationum vestrae universitatis humiles oratores.

14. Öffentlicher Anschlag des Joh. Hus als Rector 1409 mit möglichster Ergänzung des an der Seite beschnittenen Originales.

Johannes Hus Magister in Artibus Sacrae theologiae Baccalaureus
(studii universitatis)
Pragensis Rector et praedicator verbi Jesu Christi in capella Sanctorum
Innocentium
in civitate Pragensi omnibus christi fidelibus ad quos praesens scri-
ptum pervenerit
ad salutem. Quamvis detractio quae est perversa locutio de homine
(illi cui de —)
trahitur non noceat si ipsam ferens innocentiam more sui ca(lum-
niam vincit)
pietatis tamen requirit conditio ut sanationem et praeservationem
opponat (ut etiam)
detractionis auditores ab hoc pestifero vicio sint purgati. N(am)
detractor et libens auditor uterque dyabolum portat in lingua. Ne
ergo in
proximos meos versetur detractio, malui hoc scripto pie occurrere
volens stare in
jure. Percepi etenim quod quidam proximi nolo furiose dicere
(retro citro clament)
quod *hus* haeresim praedicat, *hus* theutonicos expulit, *hus* est expel-
lendus (detrac-)
tores ipsi senciunt quia si in tertio membro detractionis ipsi saltem
(in gradu maj-)
ori sunt veritati contrarii et se ipsos et proximos decipiunt sic
fr(ivole. Itaque)
manu propria scripsi vivo quoque paratus ad responsionem et uni-
(cuique)
reddere rationem quod est contra impositionem haeresis et expellere
(quendam Bohemum. hoc)
est contra tertium detractionis membrum sed contra (causa) illud
(illius) expulsionis m(agistrorum est)
compromissum[1]) quod theutonicos de studii pragensis expulit univer-
sitate qua-

---

[1]) Cfr. Sacramentum trium nationum.

Ego Antonius G. de Lz. promitto sine dolo et fraude nationibus Polonorum, Bavarorum et Saxonum et cuilibet earum et cuilibet personae de praefatis nationibus

tuor scil. perjurii privationis honorum excommunicationis et poenae
(C. sexag. quam)
vellent nationi bohemicae tres voces admittere, quia vellent (prorsus
e Praga)
exire et nunquam causa studii reverti Orta enim de *adhaesione* (con-
troversia)
noluerunt illustrissimo principi domino Wenceslao Romanorum et
Bohemorum R(egi obedire et mandata)
ejus spreverunt quae foret longius inserere propter quod praefatus
domi(nus rex mandavit e-)
dicto ut juxta erectionem sanctae memoriae Imperatoris Karoli Regis
(natio bohemica admittatur)
ad tres voces quae admissio detractionis serviebat ad occasionem mihi
vero par
est ut a proximis judicer dummodo in spe vivens servans man-
data dei
in cunctis rogans ab eo pro detractoribus gratiam et remissionem.

---

sub istis quatuor poenis infra scriptis et qualibet earum non obstante jure communi quo cavetur quod in poenis minor praejudicet majori, scilicet *perjurii* excommunicationis privationis honoris et centum sexaginta marcarum quod antequam promittam, quod natio Bohemorum in consiliis judiciis electionibus examinibus et aliis dispositionibus et actibus universitatis Pragensis habeat tres voces et aliae tres nationes tantum unam antequod fiat quovis alio modo contra consuetudinem laudabilem hactenus observatam et ordinatam juratam (quae), quod potius velim *exire* praefatam universitatem et nunquam ad eam causa studii redire: quia permissio istius est contra *juramenta* quae feci universitati et tendit in destructionem universitatis et confusionem regni et regis, attentata tamen ante recessum sufficienti diligentia circa principes regni Bohemiae et aliorum quorum interest et praecipue apud D. Wenceslaum regem Boemorum et Romanorum: quod si quod absit propter causam superscriptam me ab universitate recedere oportet, *quod non velim redire* ad universitatem, nisi praefatae nationes in *integrum restituantur* in omnibus juribus et suis consuetudinibus, ita quod nullus fraudulose suo emolumento defraudetur. Et in majorem firmitatem hujus promissionis ego ex nunc libere et omnino sponte coram vobis notario submitto me cuicunque judici, qui a praefatis nationibus vel aliqua earum vel ab aliqua persona de numero earum requisitus fuerit ad excommunicandum et perjurum et honore privatum declarandum et ad sententiandum me justo titulo cuilibet personae de praefatis nationibus in centum sexageo. obligare, si praefatum promissum in toto vel in parte non servarem nisi concorditer per praefatas nationes aliter fuerit ordinatum. Et si aliquod dubium circa praemissa oriretur, interpretationi trium nationum concorditer volo stare.

15. M. Johannis Hus literae ad Archiepiscopum Sbinconem.

Cod. Palat. Vienens. 4937. Fol. 74.

Istam literam M. Johannes Hus misit Archiepiscopo eo quod contra relationem quorundam ipsum neutralem esse dicentium sibi inhibuerat praedicare in qua ostendit quid sit de neutralitate intelligendum.

1409.

Subjectione humili et debita nunc et semper. Salvatoris exposcit (monitio) ne pater in filii prorumpat infamiam nisi patris praeceptum filius refutet et de ejus contumacia lucide constet, nec decet patrem familias a messe laborantem filium repellere, nisi prius cognoverit lucide, quod velit filius messem patris turpiter dissipare, unde Luca XVI per salvatorem nostrum ostenditur quod dives villicum diffamatum ex auditu infamiae non prodidit, sed prudenter eum advocans ait illi, quid hoc audio de te; redde rationem villicationis tuae, prout salvator noster quendam daemonia ejicientem et non sequentem daemonia prohibuit ejicere. Sed in ejectione hujusmodi potius autoritatem vult confirmare. Nam Luca IX scribitur quod dixerunt discipuli ad Jesum: Praeceptor, vidimus quendam in tuo nomine damonia ejicientem et probibuimus eum, quia non sequitur te nobiscum. Et ait ad illos Jesus: nolite prohibere quoniam non est adversum nos, pro nobis est. Ecce Reverendissime! hiis paternitas vestra salvatoris edocta exemplis *non* ad aemulorum infamiam praetensam *me debuit tam latino quam vulgari lingwagio scriptotenus filium sanctae matris ecclesiae inobedientem infamare et insinuare publice,* sed comperta veritate advocare: quid hoc (anno) audio de te; si errassem, piam correctionem imponere et nisi ab inobedientia sanctae matris ecclesiae desisterem, ex tunc modis convenientibus adhibitis vestris edictis inobedientem publicare et a sancti evangelii praedicatione juxta expedientiam prohibere. Unde scire debet paternitas vestra, *quod nunquam fuit nec erit* prout *confido* in domino *intentionis meae, a sanctae matris ecclesiae obedientia recedere,* sed juxta praeceptum B. Petri Apostoli non solum *Romano Pontifici ac paternitati vestrae meae intentionis est obedire,* sed omni humanae creaturae subjici propter deum sive gregi (sic) praecellenti sive ducibus tanquam ab eo missis. Et infra subdit: Subditi estote in omni timore dominis non

tantum bonis et modestis sed etiam discolis. Ecce praecipit Christi Apostolus omni creaturae humanae et *praepositis obedire discolis* sed propter dominum. Non in discolis sed mandatis licitis sonantibus in laudem omnipotentis dei secundum (sic) utobediant dominis suis et praelatis.

Quidcunque ergo Romanus Pontifex, Gregorius XII vel sancta mater ecclesia ymo paternitas vestra *licite* mandaverit, volo humiliter obedire. Contentionem autem pro majoritate laudis nequeo imponere, quia illam salvator prohibuit discipulis Luca XII: nec domino Apostolico adhaerere in hoc, quod *juramentum* sit mihi et toti *contrarium* christianitati, *manifestum*, non teneor, quia ut sic forem contrarius Christo qui dicit Math. V. sit sermo vester est est, non non, et qui dicit per prophetam: vovete et reddite domino vestro. Et sic quod ad ista duo scilicet *ad contentionem papae et antipapae et nontentionem juramenti*, *sum neutralis*. Non sicut grossi accipiunt, qui non sciunt quomodo iste terminus neutralis est relativus sicut ejus simplicis, a quo componitur requirens substantiam adjacientium, unde non est intelligibile cum dicitur, iste est neutralis, si non addam (adeam) ad illa duo. Determinetur in quo est neutralis quoad auxilium intentione et ulterius non sequitur, quod ille tertius sit neutralis, quod neutri illorum velit obedire ut exempli gratia si patri mater contendit cum patre, Petrus ut filius fidelis neutralis debet esse in auxilio in contentione ad patrem et tantum patri quam matri obedire debet in licitis. Unde Petrus non debet esse neutralis quoad obedientiam, sed neutralis quoad auxilium contentionis quia dicitur secundum posse contentionem hujusmodi impedire ut tam pater quam mater apprehensa pace tucius amorose convenientes generent Petro fratres.

Caeterum Pater karissime simulque reverendissime! mihi impingunt mei inimici *convicia* sicut consueverunt longo tempore de quibus longum foret scribere, sed nunc ad tantum sufficiat. Quod si vestra paternitas in me culpam invenerit, volo poenae humiliter subjicere. Rogo tamen humiliter propter deum, ne paternitas vestra omnibus fidem adhibeat et mihi praedicationis (non) suspendat officium, quia praecipit literale testimonium quod ab obedientia Romani Pontificis Gregorii XII *non discessi*, ymo die dominica proxime praeterito publice in ambone praedicavi: quod non recessi a papa domino Gregorio, sed sanctae Romanae ecclesiae et ipsi domino

in omnibus volo licitis obedire. Unde si hoc vestra cognovisset paternitas, forsitan non me in suis literis primum inobedientem posuisset filium, quasi signum ad sagittam. Ego autem debeo pati humiliter, quia dixit Salvator: Gaudete et exultate quia *merces* vestra copiosa est in celis. Quam *paternitati* vestrae dignetur tribuere dominus noster Jesus Christus Amen.

16. Klageschrift des Andreas von Brod gegen die Wycleffiten.

(An den Erzbischof. 1406/10.)

Cod. Cap. Metrop. N. 6.

Reverendissimo in Christo patri domino domino Sbinkoni S. Prag. Ecc. Arcbp. *Andreas de Broda boemicali* magister artium et S. Theologiae baccalaureus formatus licet inutilis obedientiam continuam cum debito famulatu.

Reverendissime pater et domine mi gratiose! Pastoris cura quale sit officium, nullus paene scripturas intelligens ambigit vel ignorat. Omnes enim qui de pastoribus ecclesiae mentionem faciunt, curam gregum dicunt sollicitam omnemque diligentiam pastoris humeris, verius conscientiis supponunt. Et non incongrue. Quis namque paterfamilias tam stolidae mentis existit, qui greges armentorum suorum negligenti pastori committere velit aut voluisset sive vigilantem diligenterque custodientem (dimittere) ymo si opus fuerit lupis se opponere praesumentem. O si tantam curam adhiberent mortales circa dominicum gregem sicut adhibent circa vilia jumenta ut faciant talem curam circa salutem animarum.

Valde timendum existimo illud horribile domini nostri quod Ezecbiel scribit: ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum. Formidabile et pavendum ne sanguinem ovium de manu pastorum quandoque requirat. Auscultet Reverenda vestra paternitas, si quis has brutas oviculas praedaretur et abigeret hominibus vestris. Nonne vestri milites, nonne famosi clientes, nonne validi festinarent armigeri? imo quod plus est, vestrae paternitatis tota consurgeret parentela, quatenus abigere gregem pauperum non sinerent, sed ut praedam abactam recuperarent, etiam cum nobilium corporum dispendio veluti tigrides currerent seseque conflictui ingererent quoadusque recuperarent praedam cum effectu. Re vera pluris est unica anima hominis quam talia mile millia gregum. Igitur plus

invigilandum est, ne hostis noster adversarius diabolus suis venenatis dicipulis captivans et illaqueans animas ipsas abigat et secum in interitum ducat. Labor hic, vigilantia haec vobis incumbit ex officio pastorali, cujus est errantes corigere et ad viam reducere imo etiam compellere veritatis. Ut autem res quam intendo V. R. P. pateat, ecce palam dico, quod varii libri illius pestilentis haeretici Wicleph Anglici in vestra multiplicantur dioecesi, qui non paucos imo complures erroneos articulos, imo damnatos ac merito damnandos continent, quales sunt dialogus et trialogus et tractatus de corpore Christi et plures alij ut audio, ex quibus et eorum venenatis positionibus timendum est, ne oves laetaliter et insanabiliter saucirentur. In quibus praecipue dampnabilis ponitur articulus, quod in sacramento altaris maneat panis post consecrationem, contra quem articulum scribere cogor, quia prius cavenda sunt vulnera quam veniant et chirurgici prius varia praeparat antidota quam ad se vulneratos et saucios videant properare. Et ideo R. P. V. propter Jesu Christi sanguinem preciosum et roseum et propter salutem vestram quam desidero ct propter tutelam Christi fidelium, quos omnes cupio si deo placuerit fieri salvos, peto et humiliter peto, imo poplite flexo devotius rogo, quatenus invigiletis, ne multiplicatis libris pestilenticis fideles vestri virus infidelitatis pestiferum hauriant, per quod animarum periculum et honoris excidium paterentur. Nulla enim pestilentia, nulla fames, nullus gladius tanta mala possunt ingerere quantum fuerit ex haereticorum perfida pravitate. Ecce si quis eorum moritur pestilentia, siquis impiorum occiditur gladiis, si quis fame vel inedia periit, non necesse est ut animae talium penitus moriantur: sed si quis in pravitate haeretica defungitur, sine dubio necesse est cum aeterni ignis acerbissimis cruciatibus subjacere. Resistite igitur Reverendissime pater resistite principiis ne . . . . mala pessima invalescant. Hoc facientes poteritis in adventu domini una cum grege vobis tradito bene comparere.

(Sequitur epistola consolatoria ejusdem Andreae ad clerum Bohemiae: de tribulationibus cleri in Bohemia propter Wicleff.)

17. Sacerdos Martinus Lupacs scribendo cuidam amico ponit et istud inter caetera contra perversos Pikhardos qui sensu carnis viam dei omnibus modis pervertere laborant.

Cod. Univ. XVII. F. 2. Fol. 125.

— Nonne congeriem Romanam synagogam Satanae et meretricem apocalypticam semper praedicavimus et esse rationabiliter osten-

dimus et gratia ipsius antechristianos expurgavimus usque ad faeces. Et tamen ecce vide et respice spiritum vertiginis fere omnium nostrorum Sacerdotum qui certatim se festinant meretrici eidem conformare in ritibus ejus decores splendores clamores organa rubricas aspersoria et omnem ornatum saeculi carnalem populum demulcentem summopere augent continua gloriam magnam ducendo dum de eis dicitur:

Srownawagi se s czierkwi s^{tö} a wieru krasnie wedu sluzbu bozi y zzady wssecky czierkwe swate drzíc.

Omnis gloria deintus et exterius puerorum hebraeorum, ipsi pueri plausum populi secum. Senes vero pueri ipsos pueros per omnia. Nec simoniam nec superstitiones religionis jam erubescunt Romanorum et praeter solam communionem calicis in omnibus sunt unum cum meretrice. Unde non mirum quod simplices jam plures ad eam redeunt et a calice recedunt. Cur enim vellent (haesitare) ulterius videntes sacerdotes in omni conformitate ad populum festinare layci etiam volunt procurare et gratiam antichristi non negligere. Heu relabentes cancros nec recogitantes quod spiritus sibi dicit apostolus: si ea quae destruxi iterum aedifico, praevaricatorem me constituo. Heu praevaricantes.

In diebus illis cum Zbyniek Archiepiscopus Pragensis cum praelatis suis adhuc in virtute sua integre stantibus omnibus combussit libros Johannis Wycleph in parva parte tanquam haereticos anno domini 1408 (!) probibens sub poena LX grossorum ne quis libros ejus audeat legere aut docere, sed ut omnes ad ignem comportent et ego cum jam *Pragam veneram et praesens aderam*, statim post combustionem dictorum librorum studentes et cathedrales robusti caeterique quorum cornua tetigerat dominus multi numero (plura centena) armati velociter convenerunt et praeparaverunt bigam spectabilem cum equis, repleverunt eam bullis papalibus in superficie et in circuitu undique pendentibus sigillis magnis rubeis et plumbeis, desuper mulierem procaciter ornatam auro gemmisque blandientem hominibus vel forte scolarem specie decorum tanquam meretricem in gestis et apparatu super illas bullas collocatam quae nolis argenteis tunc temporis consuetis ornata in manibus et collo resonabat. Tandem ipsam bigam sic ornatam vexerunt per plateas cum clamoribus maximis et per circulum civitatis antiquae Pragensis. Deinde juxta curiam regis Wenceslai in nova civitate combusserunt in circulo illas bullas in

contumeliam omnium praelatorum et contemptum meretricis Romanae et hoc in recompensam *combustorum librorum* ipsius Johannis Wycleph. Rex Wençeslaus tunc regnabat et forte respiciebat. Praelati omnes absque dubio cognoverunt cuncti usque ad postremum. Sacerdos noster nullus praedicabat, nisi Magister Johanne Hus in Betleem, studium etiam Pragense nondum fuit dissipatum (?). Omnes stabant nationes in spectabili multitudine, theutonici consulatum tenebant. Excommunicationes papales et omnis jurisdictio Pragae per omnia locum habebant, praelatis omnibus utpote imperantibus. Ecce qualis fervor et audacia fidelium totam universitatem Romanam manifestissime damnare ut meretricem quae omnes vino suae prostitutionis totum mundum inebriavit pernitiose.

Nunc autem obtenta multipliciter victoria de ipsa meretrice regnante *Georgio rege nostro*, consulibus baronibus sacerdotibus nostris principantibus, quis audet praedicator Romanam ecclesiam vocare synagogam satanae et meretricem super multas aquas sedentem, vinis infatuatam aut antichristum sive bestiam decem cornibus armatam, omnes leges ejus retia vehemott ymo telas aranearum praedicare? Ubi est audacia nostra, ubi robur animi? Desolati heu et privati spiritu fortitudinis *victores a victis superati* clare videmur, omnem apparatum eorum magis ac magis in ipsis et nostris coli et augeri conspicimus et in hoc jam salutem suam populus fundit. Quis oro Pragae audet praedicare, quod nulla est scriptura canonica de Petro quod aliquando fuisset Romae et eam (eum ibi) vixisse. Et *tamen si vultis impugnare antichristum, ad hoc oportet venire punctum,* quum in hoc stat omnium fundamentorum fundamentum ipsorum Romanorum, quod sine ipsis nemo salvabitur, et *omnis auctoritas in plenitudine potestatis* et gratiarum: ex quo ibi sedes Petri, ibi passus, et tamen desuper nulla scriptura. Ergo qua facilitate probatur, eadem contemnitur ut dicunt doctores beati: vos autem tenetis ut fideles Romae Petrum passum et greges vos audiunt et conformiter credunt. Non ergo mirum quod suscipitur ut fides hujus fundamenti superaedificium, videlicet omnia papalia. Tu autem homo haec doce, haec tene, et exhortare quod nulla scriptura sancta testatur Petrum aliquando Romae fuisse.

18. Oratio legati Caroli VI Francorum regis ad Wenceslaum Rom anorum et Bohemiae regem.

Cod. Univ. XIII. F. 16. Fol. 127—132.

(1409.)

(Magistri Cristani de Prachatiz.)

Thema: da nobis auxilium de tribulatione. Psal.

Princeps gloriosissime, pro declaratione et pro prosecutione thematis praeassumpti loqui tibi desidero cum propheta: vidisti domine, ne sileas, vidistine domine, vidisti injurias pendentes ex sarcina scismaticae pravitatis. Vidisti sententias (vigilias) et alta studia *tuae universitatis*. Vidisti vigilias et clara praeconia Gallicanae dignitatis. Conjunge provincias, consuma consilia jam promissae bonitatis.

Dixi primo: vidisti injurias etc. Eya deus, eya percarissime princeps. Ubi cor tam lapideum, ubi pupilla sit oculi indurata, quae possit lacrimas continere, quum ex scismate nunc currenti natio abicit et aborret sibi ante gratam et proximam nationem, frater fratrem usque ad mortem persequitur, deseritque carus amicus amicum, ubi Gallus Anglicus reputari debuerat et Anglicus se Gallum debuerat putare in hac causa sinceritatem fidei quae perstringit, non debuerat differri Gallus ab Ungaro, Alemanus a Greco, Hispanus a Chipriano nec occiduus a latino. Et ultra hoc quod apparet in mensa inter christianos injuria temporalis, quid gravius, quid molestius incurrit tuum imperium christianum (quam) spiritualis injurias. Utinam non cum perditione et dampnatione plurimarum animarum. Nonne ex ea pacis tranquillitas inter temporales dominos evanescit et crescit inter eos guerra usque ad coelum? Nonne in religiosis jam mortua apparet devotio, fides a saeculo migrasse videtur. Crescunt haereses et errores undique pullulant. Quid murus deficit ecclesiae et antimurale ex hac peste indignorum militat laedens promotio et utinam non simoniaca, quae magis afficit, pullulat ex ea indigna et reprobata dispensatio. Et qui sanctorum corpora in remotis venerari consueverant, nunc in lectis dormitant peregrini. Unde nunc fundamenta spiritualia murumque validissimum contra fidem Christi jam effecere pagani; nunc undique clamat paganitas: finis est christianorum. Ecce nunc tempus

pro nobis existit ut eas projiciamus in infernum viventes. Ecce vendidit eos nobis dominus sine pretio, quia deus spernit eos et non auxiliatur eos in bello, et si istae injuriae non sufficiunt, attende mi domine quomodo in ecclesiasticos tempore scismatis hinc inde promotos pullularunt injuriae, ut dicat per istum promotus, altero promoto per alium, tu nullum sacrum ordinem recepisti, tu nullam habes sacrificandi potestatem, tu merus laycus es, qui te asseris sacerdotem et tu nec existis episcopus nec habes potestatem sanctum crisma conficiendi. Attende quod prope Navarram contigit in hoc anno. Nam duobus episcopis concertantibus de primatu, uno per arma contra alium praevalente capta fuit una villa alterius eorundem. Unde victor episcopus in publica platea toto praesente populo et hominibus armatorum sanctum crisma consecratum per alterum fecit comburi, publice praedicando, quod nec erat crisma nec ex illo baptismate baptismi susceperant sacramentum, unde ignorantes de populo baptisma petunt in suis filiis iterari. Periculosum valde est, nisi cito remediis opponatur, *quod insurgat populus contra clerum et utinam non contra majores, quorum potentia durat scisma.* Quapropter sacrosancta ecclesia plorans plorat in nocte hujus obscurissimi scismatis et lacrimae ejus in maxillis ejus, non est qui consoletur eam nisi tu. Quare ergo omnium christianorum fidelium tibi undique subditorum non dicam cum lacrimarum effusione? da nobis auxilium de tribulatione et hoc de primo.

Dixi secundo. Vidisti sententias et alta studia tuae universitatis.

Gloriosissime Rex. Parisiensis universitas de mamillis *Tui* sacri imperii a suae creationis principio educata ac de diversis mundi partibus, ymo de *omni natione* quae sub coelo est, in unum congregata per praedecessorem *Tuum, magnum* et sanctum Carolum, ordinata fuit, ubi est usque in hodiernum diem spiritu sancto ut pie creditur, ut esset aries, per quem murus errorum et haeresium cunctarumque turbinum contra militantem ecclesiam frangeretur, quae per dei gratiam semper in fide immaculata permansit, cujus rex aeternus ut videtur speciem concupivit; haec namque (nunquam) sibi velut apis argumentosa deseruit, haec nunquam super incommoda christianitatis et fidei potuit parare silentium. Unde si veritas non tollatur de medio, nullus potest negare fidelium, quod ubi Urbanus (VI † 1389) et Clemens (VII † 1394), ubi Bonifacius (XI † 1404) et Benedictus (XIII † 1424), ubi eorum collegia et cardinales, ubi reges et principes, ubi nationes

et populi in hac periculosissima materia dormiebant, ipsa sola pervigil fervens et docta in misericordia laboravit, quaerens vias et terminos, quibus tam grave scandalum cederetur. Sed quia turbata apparet nimium ejus materia, non mirum si diversimode consilia commutavit. Mirandum vero in oculis cujuscunque prudentis, quod ipsa filios pauperes possidens, quos Benedictus nominavit saepissime pulverosos, suis propriis sumptibus Tecum et cum universis regibus et cum ambobus contendentibus de papatu tam grande negotium, tam laboriosum et sumptuosum ausa fuit amplexari, id bene verbum convenit pauperes evangelii. Sed quis ejus doctrinam audebit impugnare intrepidus, quia de ipsa dici non potest, quod donis vel promissionibus sit corrupta, cum se utriusque contendentium beneficiis et officiis fecerit alienam. Sed nec potest nunciari indocta, quia de omni parte Tui Imperii christiani super totum orbem habet doctissimos et peritos et in numero multum magno; affectu quoque carnali ejus non potest opinio vacillare, cum unum et alterum debita veridica et clara ratione repellat et usque in hodierum diem infatigata negotium persequitur ad instar negotiatoris providi prout dicit Johannes de Aquilla, cujus vestigia nimium expedit imitari, qui propter divitiarum cumulum, quas optavit, propria dimittit limina, transfretat maria, ignes saxaque pertransit. Cum autem apprehenderit, quod optabat, loca retroquaerit originis, inter natos gloriose suscipitur, gaudet jocundius et quiescit. Finis vero studiorum praemissae filiae tuae benedictae Tibi carnique tuae regi Franciae et aliis regibus ille fuit, quod *sola cessionis unica via* conscientiarum hominum purgativa honoris regum et principum universitatum et populorum pro utraque parte declaratorum conservativa levis brevis et clara sine aliqua rubigine eligenda remaneret. *Via consilii (concilii) generalis, quae sine auctoritate Romani pontificis ut videtur congregari non posset et illo dicente, se velle consilio (concilio) praesidere, altero in contrarium asserente, videtur omnimode impedita*, cum etiam inter partes de eligendo loco non sit modica difficultas et qui essent examinatores negocii et quomodo partes concordarent in eam vel qualiter testes et testimonia haberentur et si exinde sententia sequeretur, quis illam executionem (executioni) mandaret et an reges et principes, universitates et populi, qui condempnatum verum pontificem crediderant, acquiescerent illi sententiae an eum nullomodo haberent pro papa, quem intrusum et apostaticum crediderunt. Et idem per omnia potest) contingere, *si per viam compromissi* negotium finiretur,

et valde deterius quia cum ex promissarii jure executionem non habeant et quilibet istorum se asserit esse papam et ex hoc superiorem non habet, sed arbitrorum sententiam in executione superiorem requirit, in his ergo duabus viis nedum aufratus (sic) judicorum (judicum) obscurissimus, periculosissimus et verecundus cum a tempore scismatis majores christianitatis doctores pro una parte vel pro altera scripserint valde profunde, quia ymo praemissae impossibiles judicantur ad decisionem scismatis regum et regnorum honore servato et conscientiis hominum remanentibus claris, quam sententiam cum praelatis proceribus infinitis doctoribus et magistris cum maximis consiliis et deliberationibus valde maturis caro de carne Tua *Ffrancorum rex* est finaliter amplexatus ipsaque intimata *Regi Hispaniae*, *Regi Ludowico Ciciliae* (Siciliae), *Regi Navarrae* et *Comiti Sabaudiae*, praehabitis variis consiliis et diversis illam *viam cessionis* et demum ut perveniatur ad eam, *obedientiae subtractionis, totaliter sunt secuti*. Idcirco ex parte me mittentis ut satis cito finis scismati imponatur, dixi victoriosissime domine: Da nobis auxilium de tribulatione et hoc de secundo themate.

— Dico 3. Vidisti vigilias et clara praeconia Gallicanae dignitatis. Christianissime princeps! tibi carus consanguineus te quam humiliter deprecatur ad memoriam revocare, qualiter diu est tibi tuoque consilio propter dampna et incommoda, quae ex scismate orbi perveniunt universo, (scriptum ut) velles dare operam ad scisma tollendum, sicut ille ad quem veraciter negotium principalius noscitur pertinere super hoc mittens legatos ad tuam regiam majestatem usque ad regnum Boemiae ubi tantum (tunc) personaliter residebas. Quibus auditis tua majestas Regia ad ipsum Francorum regem quendam Archiepiscopum destinavit, eidem significando, quomodo dictus rex veniret vel mitteret certo die ad locum ubi tunc cum pluribus magnis tui generis veraciter interesses cum omnibus electoribus Imperii S. Romani pro hujusmodi negotio examinando, ad quem locum praefatus consanguineus tuus misit ambasiatores solempnes, qui fuerunt usque ad locum de Berg et scientes quod tu ad locum propositum minime pervenires, vacui recessernnt.

Item ex post magnificentia Tua significavit regi, quomodo cum electoribus alio certo die in Ffrankfordia super hac materia sine dubio interesses et quod ipse mitteret personas, qui nullo modo volens esse in negotio negligens, misit ambassiatores solempnes. Sed quia Tuam non potuerunt habere praesentiam, quia ad locum minime

pervenisti, dieta fuit usque ad alium diem Tuo mandato mutata, ad quam etiam Rex Ffranciae suam ambassiatam mittere non obmisit, volens tibi honorem debitum ex hac materia reservare, volens etiam ex parte sua de contingentibus obmittere nihil, finaliter vero misit dominum Guillelmum de Tyg non nullo (Thionvilla). Cui tua dominatio literas pro responsione ad regem Ffranciae dedit, significando sibi quomodo sine dubio vlterius non dilatando negotium intendebas concludere in materia supradicta et tecum habere tuum fratrem praecarissimum Regem Vngariae et cum ipso Regem Poloniae et omnes imperii electores ibique cum eis super negotio diffinire, sed quod dolendum est in tam gravi scandalo stare in dilatione, idcirco ex sua parte praedixi: da nobis auxilium de tribulatione et hoc de tertio.

Dixi quarto: conjunge provincias, consuma consilia etc. Gloriosissime Rex. Si bene consideras totius ecclesiae militantis unitatem, quae dudum imperium conservavit incontaminatum, quod nisi scriptura mentitur, invictum et indivisum posset vix a quolibet desolari, diligenti cum studio adimplebit illa, quae Rex Ffranciae humiliter petiit te facturum. Memor ergo domine, memor esto, si rex clarus tuus consanguineus *promissum jam tibi in civitate Remensi* (1398) *compleverit et Tu non praetereas dictorum mutuo ad memoriam revocare*, cum fides sit religionis sanctissimae fundamentum, subsidium amoris et vinculum caritatis, haec quoque firmat sanctitatem, caritatem custodit, castitatem exornat, resplendet in pueris, floret in juvenibus, sed in provectis apparet, ista gubernat fidelium veros servos et provehit ad gradus excellentissimos. Haec custodit officia et licet sit in paupere grata, in mediocre lacta, est tamen in potestate plus necessaria quam honesta. Haec fides promissa et servata conservat amicitias, copulat collegia et nullum despiciens, omnes artes in vero gradu commendat, sperandumque firmiter, quod nulli deus deficiet, nisi ei qui fidei voluerit ipse deficere et *si in fide conjuncti, si in una opinione legati fueritis ipsi duo*, quis rogo vobis erit devius assequela? In omnibus enim historiis verus lector junctis his duabus domibus et certantibus (gradientibus) una via, sacrosancta ecclesia non fuit (finisset) sic tribulata, quum esset pacifica, de quocunque placito

non fuit sic denigrata,
quin vomet (foret) dealbata
virginali merito,
nec fuit sic deturpata,

quin veniret coronata
dei placito
Nunquam fuit conculcata.
sed victoria donata,
dei uni digito.
Per vos fuit quietata,
licet undique turbata,
ut noatis saepissime,
dum fuit decolorata,
per Vos fuit picturata.
Regum rex et domine.
Dum fuit abbreviata,
per Vos fuit mensurata,
o princeps clarissime.
Ergo non sit viduata.
tua mater et prostrata,
toto tuo tempore.

Quid enim aliud quaerit a te Rex qui me mittit, nisi quod desolatum per divisionem scismatis imperium christianum, Tibi a deo immediate commissum ad *unitatem reducas*, sed quare ad te *Remis* in propria ipse pervenit (persona), certe non ut miraretur militum classes, non ministrantium cultus, non gemmarum rutillantium gloriam, non cavernarum effossa metalla, non strepitus histrionum, sed *venit, ut toti populo christiano obtineret pro Te desideratissimam gloriam unionis*. Quid enim mi domine, an sufficit Tibi, si regis in imperio gemmis ornatus, diademate coronatus, serto decorus, auro fulgens, sceptro fungens, trono sedens, ministris fultus, certe non immemor (eris) sententiam (sententiae) Originis: potius expedit omni populo te fulgere verbo quam auro, plus sapientia quam potentia, plus fama quam ense, ut ex hiis te diligant, te desiderent, sed optabant, ut dicit scriptura, omnes reges terrae videre faciem Salomonis. An putas si cito amputas currentem denigrationem imperii, populum domini (tuum) esse dicturum de Tuo regno Romano: O clarum regnum, quod tanto principe pollet, cui ex hoc merito ceteri reges bonoris et laudis digne facti sunt tributarii, cui tenentur omnes principes famulari, cui servire alienigenae, appropinquare extraneae nationes, cui debent munera pretiosa offerri, cui tenetur merito favere etiam totus orbis, cum sit gloria regni in rege prudente et rex sapiens stabilimentum sit populi. Quod si in decisione tam gravis scandali Te Tuosque reges ulterius contigerit obdormire, cur merito non quereretur: o deus! ubi est confortatio, quam dudum ille doctor perspicuus ad ecclesiam

faciebat, dicens: sancta mater ecclesia, quare fles? Noli flere, si non vides Petrum, si non vides Paulum, si non vides eos, per quos nata es, quia pro patribus nati sunt tibi filii et constitues eos principes super omnem terram, hoc est, papa, praelati, reges et principes tibi cari. Illa respondente, heu quare non flebo et ubi sunt hoc tempore me et monstro capite (sic) nigre facta, ubi est in imperio dudum meus Karolus, sanctus in Francia Ludowicus, ubi in Anglia pugil fidei Otboberus (Oswaldus?) ubi clarus Ferdinandus in Hispania, ubi in Arragonia saracenorum malleus, valens Jacobus; ubi in Cypro devotio regis Petri († 1369), an ultra hoc deest mihi Arriopagita (sic) Dyonisius; nullus per me in Pictavia nunc apparet Ylarius, nullus in Grecia Origines et in Italia non est aliquis Augustinus, illos idcirco deploro ut Rachel plorans filios suos, recusans consolari quia non sunt silicet filii; quia si vere mei filii essent, utique decertarent ut non traderer judaeis paganis et saracenis et ceteris gentibus in derisum, et idcirco tibi, o princeps dicere possum ex parte tuae matris ecclesiae: o domine, da nobis auxilium de tribulatione et hoc de quarto.

Igitur nostrum thema resumendo ita dico, concludo quod ex quo apparent injuriae clarissimae Imperium desolantes et ex quo sententiae viam probantes, clarissime medicinam demonstrantes ac preces dulcissimae non cessant justissime justitiam implorantes, Tibi, potentissime, plebes quam tristissimae nunc occurrunt adclamantes hac vocis oratione: da nobis auxilium de tribulatione, quod est thema. In quibus quidem verbis sine alia introductione ne videar facere hic ipse sermonem, duo principaliter ostendunt. Nam *gloriosae* potestatis tuae supremae dignitatis confessio demonstratur, cum dicit, principum da nobis auxilium dolorosae tempestatis, plorosae viduitatis laesio significatur praesenti oratione ac de tribulatione, da igitur nobis etc.

Dixi primo *gloriosae* etc. Hoc est evidenter propositio de se nota, cum una esset illa petitio, quae illi porrigeretur, si concedenti (concedendi) aliquam non habent potestatem; sed cum tibi a deo sit immediate attributa potestas generalis auctoritatis totius regni temporalis super omnes nationes, ergo petitio a Te ut a potente ipsam concedere, cum sit justa, in se negari non potest. Sed haec potestas in dormitante dormit et non consequitur suos affectus et istam potentiam nostra non postulat medicina, christianissime rex! nullo modo patiaris, quod scribentes omnium temporum gesta, *Te inutilem memorent principem,* te unum deum (sic) fuisse asserant dormientem, qui (quem) revera, licet ad

Te tota causa, de qua agitur, principaliter pertinere noscatur, *christianitas* ex isto gravi scismate ubique fatigata ipsius incommoda *ulterius non potest in patientia tolerare* et quia desiderata fuit per omnes a mari usque ad mare et a fluminibus usque ad terminos orbis terrarum, idcirco lenius adtingenda et honestius per Te et principes Tibi subditos priusquam dicto Jeremiae, cum scandalo surgant vermes, priusquam gravius scandalum in commotione terribili in populo generetur. Quia vere tempus jam se ostendit, quod nisi tibi tuum in hac debitum conservare procures honorem (doctrina dei honorem meum alteri non dabo) illum forsan *alius* usurpahit. Ergo tu domine universorum, tu lex viva, tu lex animata in terris, tu brachium ecclesiae, sponsae Christi defensor exalta brachium Tuum cum potentia contra eos, qui perdere nos contendunt, quia venerunt gentes in haereditatem Tuam et polluerunt templum domini, exterminavit tibi vineam quisquam, bic aper de silva et illic singularis ferus depastus est eam, nunc dicit Tibi ecclesia, hii duo, aper et singularis, diviserunt vestamenta mea sibi scilicet reges et regna, de quibus unus (Gregorius XIII) habet regnum Romanorum, Angliae, Ungariae, Poloniae, Trinaquiae (Trinacriae) et Portugalliae et sic sunt sex; alter (Benedictus XIII) regna Franciae, Hispaniae, Neapolis, Aragoniae, Scoziae et Navarrae et sic sex. Regnum Cypri nec uni nec alteri favet. Ex qua maledicta divisione saraceni a tempore scismatis *septem victorias* contra tuum imperium christianum in diversis partibus orbis, quas sine verecundia cum rubore particulariter nominare (non possum), notorie obtinuerunt, in quibus posuerunt morticinia servorum tuorum escas volatilibus coeli carnes sanctorum bestiis terrae effundentes sanguinem ipsorum velut aquam in circuitu Ungariae. Heu dolor et gemitus et non fuit qui sepeliret. Reliquiae vero etiam nobiles et potentes sclavi et servi ducti sunt, minantur cervicibus, neque lapsis, vel lassis paratur requies, ultra hoc quod post Romam civitas Tui imperii principalis Constantinopolis obsessa undique manet, quam nisi cito venias liberare, si illam introieris (caetera desunt). Ecce christiani deintus attenuati sunt fame et si ingressus eris ad agros, ecce occisi gladio, quia propheta et sacerdos abierunt in terram sive sit propheta de Roma et (aut) sacerdos de Avinnione vel econtrario et a terra contenebrati, quae coeli sunt videntur obliti, quaerentes quae sua sunt, videntur in perditione tui populi gloriari. Est ergo felicitas talium defendenda, timenda vel etiam honoranda, cum nihil sit infelicius

felicitate peccantium et renova (re vera) opem non videtur ille conferre, qui ad peccandum adjuvat et est maxime praecavendum in potente, qui favet peccanti. Sanctorum enim quis dubitavit, a deo gravius puniendum illum, cujus potentia et virtute peccator alios infesturns in sua malignitate perdurat et licet semper fuerit veritas odiosa et istis malignis temporibus capitalis inimica, cernatur populi flagiciis crescentibus hominum, crevit odium veritatis et regimen datum est blanditiis et mendacio, verusque factus est ille doctor, qui multis temporibus jam praedixit, intrantem cubiculum potentis sive felicis de duobus oportet eligere vel perdere amicitiam vel veritatem tacere. Veri tamen adoratores, qui ducuntur spiritu veritatis, etiam si in dulores incurrant et gemitus, veridica debent loqui. Unde princeps clarissime! quis demens, quis tam male intelligens existimatur, quod si Tua paternitas Tuaque potentia Tuumque regnum cor istorum alterius (Gregorii XII) minime sustineret, quia incontinenti ex quo rex de carne Tua et ejus sequaces Benedicto dorsa verterunt, haberetur unitas in commisso Tibi imperio christiano et nisi cito contra eos ponas manum ad fortia, dubito de terra vox prodeat: „O quae impia nunc sustineo scelera, o malivollentia inaudita. Tu vero ineffabilis et incorrupte rex arbiter Christe, quid agis, ubi sunt nunc oculi tui, quibus humanarum miseriarum nebulas serenare solitus es? Cur illos non advertis, cur non anticipi fulmine illos consumis, cur sub eorum planetas (planctu non) terram fendis qui totam haereditatem tuam tradunt in manus eorum, qui nos nec minus (quam) te et patrem oderunt. Non ergo princeps differas ulterius tam grave scandalum diffinire, quia Tibi ut dictum est, non deest fortitudo et potentia et si opus exigerit non doceat rerum habundancia, non militum audacia, non prudentum consilia, non regum et principum desiderata auxilia, per quae simul congregata Tua munificentia clare probatur et hoc de primo themate.

Dixi secundo quod dolorosae tempestatis, plorosae viduitatis laesio sequitur sequenti oratione hac de tribulatione, pro cujus persecutione in me ipso tabescens alias deplanxi; invaluit quaedam tenebrosa nubes aëra, qua radiis solaribus obfuscatis oculi circumvallati caligine vicinam propinquamque habere nequeunt visionem. Manus enim iniqua ambitionis praevaluit et unitatis thesaurnm de terra fidelium sustulit pretiosum ipsumque ultra mundi limites compulit exulare, in cujus compatione caetera terrena vilescunt. Qua propter velut tuba ad clamorem compellor, ut vox mea ad cunctas aures

transeat orbis terrae, sic quod ejus rugitu et clamore concitati coelicolaę condoleant una misericordia, quorum (quoad) tuis Imperialis digitis circumvallatis potentia sic inauditi facinoris ultio prodeat et quo ad omnes perveniat nationes, quod ut ad praemissa ordinanda pertingas, dixi congreganda consilia per regem, qui est caro de carne Tua, diucius postulata et per Tuas literas tam (tanquam) spe promissa, propter quae acceleranda me misit dictus rex ad Tuam regiam majestatem, qui propter Syon et Jerusalem non quiescet donec egrediatur, ut splendor justus et *unicus vicarius* Jesu Christi et quia in plus loquendo esse timeo taediosus, solum de paucis, quae noviter intellexi, volo dicere pauca. Nam quidam filii matris suae contra praemissa secrete coram te objicere sunt conati:

Primo quod illum non debes objicere, quem tibi pater Tuus assignavit in papam.

Secundo quod quicunque mortalium quavis autoritate fulsitus (sic) a papa subtrahere se non potest.

Tertio quod si Tua dominatio verbis gallicis claudat aures, ex quo Benedictus est dejectus ab obedientia, pars, quae in illum credit, saltem ipso mortuo ad Tuum (papam) sine dubie revertetur.

Unde princeps gloriosissime! haec verba expulsiva veritatis contra bonum commune, contra tuae animae sanitatem directo ambulant et contra salutem totius imperii christiani et miror mire nec cesso mirari, quod tales adulatores suis latratoriis dentibus famam et nomen Tui patris tam katholici tamque prudentis coram te audeant diffamare. Quis enim existimat, quod nisi fuisset morte praeventus, ipse tot annis in isto periculosissimo scismate dormivisset, quae (quin) jam operam ordinaverat dare efficacem, cujus prosecutionem etiam personaliter facere intendebat. Sed et si in principio scismatis reges christiani non crediderunt sic gravem evenisse laesuram nec illam sic tenaci inter reges et populos radice fundari, eis ad superiora vocatis debent filii qui alias in perpetuum cernunt errorem hujusmodi radicare, nec dare operam nec laborem? Annon constat, quod si Tu diceres, non dimittam illum, quem mihi pater assignavit in papam, et idem diceret Rex Ffranciae Tua caro, idem rex Angliae, Hispaniae et caeteri reges, quod numquam in perpetuum esset finis. Haec est doctrina angeli infernalis, cum etiam quicunque prudentissimus imperator etiam si legem anno praeterito discretissimam ordinasset et

illam hoc anno cerneret converti in noxam illam, continuo revocaret vel in melius commutaret.

Idem faceret filius ejus successor, si patris legem cerneret corrigendam; saepe etenim filii patres superant in virtute, propter quod sanctus dicit; non removeas honorificentiam, quae patri debetur a filio nec filium patri praeponimus in honore, sed patri filium praeponimus in virtute et hoc quoad primum gratia brevitatis.

Sed ne videar argumentum secundum quod multis fortissimum videtur esse, praetermittere, cum papae judicium videtur solius dei ordinationi commissum, cum sit omnium mortalium ipse superior, ab inferioribus judicari non posse, cum fideles sine differentia graduum sine differentia sexus teneantur etiam obedire: et finaliter dicatur, ille solus in terris, cui nemo ausus est dicere: cur ita facis, cum praeter responsiones, quas tetigit profundissime et clarissime in suo libro, qui apud te est, dominus patriarcha *Alexandrinus*, haec opinio una mihi esse videtur, ne dum in papa dubitato et (pro?) tempore, quia sunt duo qui ex nulla etiam quavis necessitate possunt in ecclesia praesidere, verum autem in papa indubitato unico et per totum imperium approbato et discrete rem publicam cum dispendio nostrae fidei gubernante praecipiente regnante vel asseverante potest impune se sibi alias subditus subtrahere et obedientiam denegare. Ponatur ergo quod gwerra Ffranciae et Angliae perdurante propter (Papa) regem Angliae in civitate Parisius, quae tum erat sibi inimica capitaliter, sub poena excomminicationis, citasset, anne citatus debuisset in loco mortis sibi periculoso coram judice comparere? Et quis dubitat, quod non sibi diceret adversarius, quod positivis juribus est papa solutus, etiam contra ea potest pro libito dispensare, cum sit major consilio et contra consilia ipse dispenset et etiam contra apostolum, quod fortius esse videtur. Sed ego respondeo quod lege canonica vel civili circumscripta lege naturali vel divina ipse papa ligatur. Nonne potest in praejudicium tertii in dampno irremediabili et quod extimationem non capit, dispensare sine dubio; quod vero non est sibi concessa potestas dampnandi subditos sine causa nec peccandi licentia est sibi tributa et si clave discretionis errante quidquam praecipiat, quis dubitat, non esse obediendum? Excommunicet me si facio elemosynam, si patri antiquo praestitero alimenta, si non reddo debitum uxori, quae lege divina prohibente mea esse non potest, et ego sine dubio non parebo, quia lex dei desuper est qua defendor. Sed

supponamus casum dampni proximi evidens; inter duos reges (querra) durante vult papa ad episcopatum notabilem regni alterius filium adversarii promovere, nullum dubium omnium doctorum sententia, quod in tali casu etiam si per electores foret electus, opponere se rex potest papae. Rex dicit, non intrabit mihi capitalis meus inimicus in regno, quia hoc nolunt jura nec doctores nec glossae papa dicente: omnia illa mibi subsunt, eis non ligor et dispenso super omnibus cum promoto. An rogo iste rex poterit dicere papae: etiam peto, si viveret, pater sancte, inter me et vos, monitione evangelica vos corripio, quia vos in me ipse peccatis, volentes perdere me meumque regnum evidenter turbare; et si papa nolit audire, num quid secum testes poterit adhibere et si etiam eos audire recuset, nunquam ex tunc dicere poterit ecclesiae seu cardinalibus, regibus et praelatis et aliis Christi fidelibus, et si iterum claudit aures numquid rex ille papam habebit ut ethnicum et publicanum? an dicere erit verum, quod papa sit exemtus ab evangelio, exemptus a Christo, exemptus a veritate et christianorum firmitate, quod corripi ipse non possit, cum peccat evidenter in proximum vel eum in jure naturali et divino. Projiciatur haec opinio in inferna, quanto magis rex serenissime, si totum Tuum imperium vult perpetuo scismate denigrare, reges tuos et regna dividere circa fidem, totum statum ecclesiae pervertere et duo monstrosa capita in sede Petri in perpetuum collocare, de quo satis apparet probatissimum argumentum, quin ipsi duo finem scismatis fingunt, verba sine operibus fictione promittunt, viam unicam et possibilem claram in veritate sanctitate evangelio, doctrina sanctorum opinione prudentum viventium nunc in terra et in caritate fundatam omnino repellunt, vias offerentes difficillimas et indiscussibiles, quae servato honore imperii impossibiles judicantur, neque unquam per principes caperentur in tali statu christianitatem ponentes, quae jam venit cunctis infidelibus in derisum dicentes sibi, ubi est deus tuus? *Est igitur istis parendum?* si obedientia praestat causam eis et toti populo christiano dampnationis aeternae, mortificetur in perpetuum scriptura, quae dicit: alimenta substrahi debite, quando mortis causa in eorum exhibitionem praestatur. Recedat extra terrae terminos illud eloquium, quod non habenti arbitrium parendum non est nec etiam complacendum; vel mentiri dicimus scripturam quod ambitioso avaroque totus mundus non est unus bolus neque ei sufficit tota ecclesia nec deus, qui est bonum omne, illud quod vicium infernale

sic omentem efficit, ut nullam videris veritatem, libero arbitrio sit privatus, quo modo ergo et princeps talis in ecclesia, qui oves non colligit, sed dispergit, qui non construit, sed totam fidem quaerit destruere, qui solum propter se totam rempublicam perquirit mortificare. hic nec mirum quam bene illa historia cedit, quando Scipionis tempore affricani populus furiose in senatum gladio insurrexit et post homicidia infinita in unum senatoribus congregatis legislatoris (legislatoribus) cevola (Scaevola) tunc praesente quaesitum est, an processu esset ordinario indicto procedendum, cevola respondente, causam cum strepitu examinari debere, zelator Scipio reipublicaeque defensor manu posita extra togam et ense nudato dixit: sequatur me qui vult rem publicam salvam fore, ne interim crescat audacia malignandi, ne huic post remediari non possit, et percussit sceleratos, ut dicit magnus (Maximus) Valerius pacificatumque est imperium, quod ex dilatione videbatur perire. Idem fecit et Moyses, sine processu percutiens delinquentes, ut per perditionem paucorum totus populus salvaretur. Melius est enim prout tua filia Parisiensis universitas largissime demonstravit, quod pereat unus quam unitas, extra quam nullus omnino salvatur, quod est panibile (sic) et terribile verbum tempore hujus scismatis, si fateamur vel unam vel alteram partem esse scismaticam vere tremo in dicendo et hoc de secundo themate.

Dant tibi quidam ut tertio intellexi, verbum ad aures, quod rex Ffranciae reges sequaces et regna, *ex quo Benedictum dimiserunt*, ad tuum (Gregorium XII) sine dubio revertentur. O princeps gloriose! Hujusmodi verbis venenosis supplico, claude aures. Nam in subtractione obedientiae facta per quatuor reges, quam Tuae dominationi porrexi, est de contrario protestatum. Sed adversarius dicet: mortuus est Benedictus, morientur etiam sui cardinales. Quis ergo erit papa nisi ille de Roma? vel erunt sine capite sedis Petri vel convertentur ad eam. Sed ecce tales loquaces non respiciunt in remotis. Nam si Benedictus in crastino moreretur, forsan sui cardinales non eligerent, sed rex Ffranciae et sequaces caeteris regibus scriberent etiam in Roma sedenti et suo collegio et universis Christi fidelibus (et) suam puram mentem significarent. Idem facerent praelati et universitates pro illa parte declarati universis praelatis, universis universitatibus partis contrariae requirentes in dei ecclesiam viam pacis et coram deo et universis mortalibus, se tunc et in posterum excusantes suamque ignorantiam

demonstrantes propter diligentiam quam ante mortem et post patientissime demonstrabant, et casu, quo Tu serenissime rex Tuaque pars illorum voces recusares audire, valde timendum est, quod tunc de voluntate regum principum et populorum cardinales eligerent illeque susciperetur ab eis nunquam in perpetuum fatigandus et ecce in regno Romano clare in perpetuum durat scisma. Dicenda quaedam *pro receptione decreti* reservo, si occurrerit mihi facultas, sed ut adimpleas levius postulata pro conclusione hic dicam: ad hoc dei genitrix dant tibi *juramen* — apostoli martyres omnes *consolamen* — confessores virgines atque sacrum *flamen* — qui regit in saecula saeculorum *Amen.*

Ffrancorum regis pauper servitor prior
de Sallono [1]) ad te legatus.

Scriptum per magistrum hus [2]) *ad mandatum Magistri Christani de prachaticz.*

18. Conclusio universitatis. Transsumptum ex statutis et conclusionibus magistrorum doctorum, factum ex instantia M. Johannis de Przybram procuratoris nomine M. Johannis dicti Hus. 1414, 7. März.

1410, Juni 15.

Arch. Univ. n. 19.

Anno domini MCCCCX, 15 die mensis Junii hora decimaseptima in rectoratu Magistri Johannis Andreae in medicina doctoris facta plena conventione totius universitatis sub poena praestiti juramenti conclusum est quod universitas nullo modo consentiat Archiepiscopo Pragensi Sbinconi cum suis praelatis in combustione librorum magistri Johannis Wykleff. Sed quod tota universitas visitet dominum Regem ipsumque petat ut talem impediat combustionem ac (ne) exinde confusio toti regno domino Regi et universitati inferatur. Acta sunt haec anno etc. quibus supra.

---

[1]) Arelatensis dioecesis. Cfr. litteras Georgii P. XI., Carolo regi Navarrae illustri. Dat. Sallon. arelat. dioeces. X. cal. Jul. anno IV°. Ap. Raynald annales ecclesiastici. 1373, 24.

[2]) Manu propria ut videtur.

19. Notarius Universitatis ad anonymum.

Cod. Palat. Vien. 4902. Fol. 121.

Reverendissime pater!

Paratum animum cum benevolentia complacere.

Miramur quod paternitas Vestra tam vehementer contra nostra universitatis consurgit scripta nec non contra privilegia variis modis, forsitan *cupiens universitatem dissolvere* quam praedecessores vestrae paternitatis piis favoribus et honore fuerunt laudabiliter amplexati et gloriose. Cui (cur) tam dire in odium consurrexit si liceret dicere forsitan aemulorum secutus vestigium, qui suis insurrationibus vestram paternitatem adversus nostram universitatem sed cum magnis scandalis concitarent. Et quis facturus evenit jam et in futurum eveniet, vestra paternitas una nobiscum quodammodo conspicit et in posterum ut dei voluntas fuerit, magis noscet. Unde vestram paternitatem hortamur humiliter in domino et rogamus, quatenus rancore postposito pietatis resumens opera et honorabilem virum magistrum *Johannem de Praga*, nostrae universitatis magistrum et suppositum solvens a vinculis, nobis ipsum dignaretur dirigere ex parte ejus vestrae paternitati sufficientem justitiam volumus efficaciter ministrari, alias contra tam insolitas pressuras pro indigente vellemus remedio vigilare.

Dat. Pragae feria VI post festum translationis S. Wenceslai ex conversu et consilio concordi magistrorum Universitatis nostrae.

Jacobus de Sobieslavia notarius
universitatis studii Pragensis.

20. Sophia regina Bohemiae (ad Oddonem Cardinalem Columnensen).

Cod. Palat. Vien. 4902. Fol. 116.

Gratam benevolentiam cum desiderio ad salutem.

Reverendissime pater!

Quoddam mandatum factum ... (ad) contentionem et populi turbationem et regni nostri confusionem ad suggestionem quorundam qui praedicationi evangelicae dissentiant, consurrexit sic quod praedicatio evangelii praeter claustrum et parochiales ecclesias in capellis etiam a sede apostolica roboratis et in omnibus aliis locis per pragensem archiepiscopum est prohibita et sub poena excom-

municationis est sublata. Novit autem vestra paternitas liquide quod verbum dei alligatum esse non debeat, sed in vias (viis) in plateis in tectis ymo ubique secundum exigentiam auditorii praedicari. Quapropter vestram paternitatem rogamus praesentibus quatenus honorem dei respiciens salutem perpendens populi *de liberatione* praedicationis evangelicae velit diligentius providere. Nec non (sic) pati possumus quod verbum dei in nostris castris et civitatibus tam grandem oppugnationem patiatur, praedictis diligentiam vestra paternitas adhibeat nobis in hoc ostendens complacentiam sinceram.

Dat. Pragae die 12 mensis Septembris.

21. Sophia dei gratia Regina Bohemiae per se. (ad summum Ponteficem Johannem XXIII).

Humilem recomendationem cum osculo sanctitatis.

Pater beatissime!

Sanctitatis Vestrae nuncium Anthonium de *Monte Catino* gaudenti spiritu et grata suscepimus benevolentia, laudes praestantes altissimo domino qui mundi tenet gubernacula, (quod) vestram beatitudinem ex sua providentia ad regendum suam sanctam ecclesiam in gradu excellentissimo constituere dignatus est et specialiter vestrae quasi sanctitatis mediante ministero sua sponsa semotis discordiis et erroribus in veritatis culmen solidius dirigetur, unde istud optantes cordiali ex animo, vestram beatitudinem humiliter invocamus, quatenus praetensam sententiam, quae ex falso aemulorum regni nostri processit praejudicio, praedicationem verbi dominici praeter claustra et parochiales ecclesias conatur extinguere contra praeceptum Jesu Christi domini et libros in confusionem (regni?) et nostri scandalum ignis voragine consumere in sacris canonibus quidem vetatur. Caeterum beatissime pater! praesentibus Vestrae sanctitatis humillime rogamus gratiam, quatenus capellam Bethlehem, quam *nobis* et *nostris regnicolis* ad audiendum verbi dei reputamus *perutilem*, confirmare perpetuis temporibus dignaretur. Vestrae enim sanctitati hoc scribimus pro *primariis precibus* cupientes certitudin (aliter) exaudiri. Nam pro honore omnipotentis dei pro salute populi et conservatione honoris regni nostri christiani scribimus quod sanctitas Vestra respiciat quae consona exauiendi benignitate nullatenus denegabit. Dat. Pragae die XII mensis Septembris (1410).

22. Sophia regina Bohemiae (ad sacrum collegium).

1410. 12. Sept.

Gratam benevolentiam cum desiderio omnis boni.

Reverendissimi in Christo patres et domini.

Nuper ad nostram pervenit audientiam quod causa, quae processit ex quadam praetensa sententia de prohibitione praedicationis verbi dei et comburendis libris vestris reverendissimis paternitatibus sit commissa. Quapropter vestras humillime rogitamus reverentias, quatenus legis Dei aspicientes justitiam et fructum sanctae perpendentes ecclesiae, praefatam sententiam, quae verbi Dei in regno nostro quoad capellas in detrimentum ecclesiae molitur con stringere et libros in confusionem nostram comburere mediante justitia decidere dignarentur. Unde in hac prima petitione honori Dei saluti populi et honori nostro congrua a vestris benigne (paternitatibus) inveniremur exaudiri (precamur). Dat. ut supra.

23. Sophia dei gratia Regina Bohemiae (ad Johannem P. XXIII).

Subjectione humili genuflexo cum osculo sanctitatis.

Quia divina providentia, cui cura est de omnibus, suam sanctam ecclesiam, non cinit finaliter succumbere, non immerito unum pastorem, quo regatur, in specula praeeminente constituit pastoralem, Unde ibidem immensa sapientia volens christicolis effectualiter ostendere Vestra(m) Sanctitatem, pater beatissime! ipsi ecclesiae gubernandae praetulit sanctitatem. Quamobrem ipsam gratulantibus suscipientes animis eidem pro primariis petitionibus humiliter suplicamus quatenus benignis inclinata affectibus nostram salutem et honorem ex fidei merito dignaretur gratiosius attendere et praetensam sententiam de prohibitione praedicationis verbi divini ac combustione librorum quae moliuntur vestram (nostram) salutem impedire et honorem extinguere, velud sapientissimus pastor et pater benignissimus penitus anullare. Grave namque onus infamiae nostri aemuli volunt injicere ac verbo salutis contra Christi evangelium nobis privare. Sed vestra hoc non admittat pia sanctitas sed plus de salute ac honore filiorum obedientium per cassationem sententiae providebit. Dat. Pragae die 16 mensis Septembris 1410.

Sanctissimo in Christo patri et domini Johanni S. R. E. Summo Pontifici domino nostro metuendissimo.

24. Sophia regina ad Johannem P. XVIII.

1410, 1. Oct.

Cod. Palat. Vien. 4902. Fol. 116.

Sanctissimo in Christo patri et domino Johanni dei providentia S. R. et universalis ecclesiae summo pontifici domino graciosissimo.

Humiliationem debitam cam reverentia sanctitatis.

Pater beatissime.

Sanctitati vestrae jam antea dereximus literas cessationem cujusdam sententiae cum domino conjuge nostro Wenceslao R. R. semper Augusto et B. R. humillime postulando ut gloria domini, salus populi, et honor regni nostri fortius eniteretur. Ecce amplius sanctitati vestrae supplicare compellimur propter emanationem quorundam processum, quibus regnum nostrum inquietatur gravius propter excommunicationem multiplicem et praedicationis probibitionem verbi Dei. Quamobrem S. V. clementiam ex intimis invocamus, quatenus dignaretur liti partium finem imponere, capellam Bethlehem, *in qua saepe audivimus verbum Dei,* confirmare perpetuo et M. *Johannem Hus, capellanum* nostrum *fidelem devotum dilectum*, propter insecuritatem hostium ymo ad *evitandam commotionem populi* a conspicione personali absolvere. In his domino nostro una nobiscum ostendendo benevolentiam gratiosum. Dat. Pragae die primo mensis Octob.

S. V. humilis filia Sophia regina Bohemiae Regina per se.

25. Sophia etc.

1410, 1. Oct.

Reverendissimo in Christo patri et domino domino Oddoni Cardinali de Columpna ad velum aureum, amico nostro dilecto.

Reverendissime pater!

Vestram Reverentiam rogamus humiliter prius scripta vestrae benignitati in memoriam reducentes, quatenus propter honorem Dei, quietem et salutem populi et propter nobis gratam complacentiam de *cessatione litis cleri nostri*, de conservatione capellae Bethlehem et de non comparitione personali honorabilis magistri *Johannis Hus*, capellani nostri devoti dilecti, providere gratiosius dignaretur. Alias gravis (sic) timendum est, *insurget rebellio populi* et *forte dominus noster Rex per se de remedio una cum aliis principibus baronibus*

regnicolis, ne haec amplius invalescat, districtius providebit. Hoc vestrae Reverentiae ex speciali confidentia scripsi quo futuris malis viam praecludendo. Dat Pragae ut supra.

Regina per se.

26. Regina ad S. Collegium.

1410, 2. Oct.

Reverendissimi patres! Vestras humiliter et ex animo rogamus reverentias prius scripta in memoriam reducendo Vestras humiliter, quatenus propter honorem dei propter salutem et quietem populi nec non propter nobis gratam complacentiam de litis extirpatione cleri nostri, de consecratione capellae Bethlehem pro magistro Johanne Hus et de non comparitione personali ejusdem capellani nostri devoti delecti providere gratiosius dignarentur. Alias dominus et conjux noster Wenceslaus R. R, et B. R. nisi vestrae reverentiae grate factum complanaverint, per se una nobiscum ac baronibus ne amplius invalescat disturbium, de oportuno remedio providebit. Hoc vestris reverentiis ex speciali confidentiae scripsimus futuris malis viam praecludere affectantes.

Dat. Pragae die 2 mensis Oct.

Zophia dei gratia regina Bohemiae per se.

27.

1410, 10. Sept.

Cod. Univ. XI. E. 4.

Wenceslaus dei gratia Romanorum etc.

Magistris civium consulibus juratis et communitatibus majoris minoris et novae civitatum (Pragensium) fidelibus nostris dilectis gratiam regiam et omne bonum. Fideles dilecti. Mittimus ad vos nobilem I. de B. viceburggravium pragensem nostrum de et super certis intentionibus nostris et signanter super expeditione certarum gentium armatarum contra *Misnenses* vobis referendum clarius informatum desideramus et fidelitati vestrae nihilominus seriose praecipiendo mandamus quatenus praefato in his quae vobis hac vice nostri nomine retulerit, fidem debeatis per omnia credulam adhibere. Dat. Tocznik die X. Septembris regnorum nostrorum anno Boemiae XLVII Romanorum vero XXXIIII.

28. Universis fidei catholicae zelatoribus Thomas permissione divina Cantuariensis Archiepiscopus Angliae primas et A. S. Legatus salutem et fidem indubiam adhibere.

1411, 7. Maji.

(Cod. Univ. Prag. VIII. G. 13. Fol. 128 b.)

Audivimus quod spiritus quidam mendacii ad certas partes Christianitatis rumores transvexit ab Anglia, quod opiniones sceleratae memoriae dudum Johannis Vikleph, sub theologiae velamine errorum magistri, clerus Angliae debuit approbasse et ipsum Johannem velud virum katholicum et ascriptum katalogo (sanctorum) praedicasse et vestrorum nonnulli hujus spiritui fidem dedisse aliqualiter creditivam. Nos idcirco ad vos omnes salutem, quos decepit spiritus mendacii, veritatis spiritum transmittentes, vestrae Universitati innotescimus, nos de consilio et de consensu suffraganeorum nostrorum et cleri totius nostrae Cantuariensis provinciae ipsum Johannem velud erroneum ac suas opiniones in theologia ut haereticas et in logica et in philosophia ut erroneas exactissima examinatione et discussione praehabitis condempnamus prout merito fuerant condempnandae, quod ad vestram notitiam deducimus et deduci volumus praesentes sigillo nostro consignantes. Datum aput Korkewe VIII die Maji a. d. MCCCCXI et nostrae electionis anno.

29. Literae publicae a duobus notariis die 3. m. Julii a. 1411 conscriptae, quibus universitas et archiepiscopus Pragensis Sbinco lites suas et controversias in causa mag. Joannis de Hussinecz regis Wencestai ejusque consilii sententiae submittunt.

In nomine Domini, amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo undecimo, Indictione quarta, die tertia mensis Julii, hora tertiarum, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Joannis divina providentia Papae vicesimi tertii anno secundo, in majore civitate Pragensi, in quodam aestuario monasterii S. Jacobi apostoli ordinis fratrum minorum, in nostorum notariorum publicorum infrascriptorum et testium praesentia subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, constituti personaliter honorabiles et scientifici viri Domini et magistri: Symon de Tyssnow, rector universitatis Pragensis nomine, Thomas de Lyssa, Decanus facultatis artium, Joannes de Hussinecz, sacrae

theologiae baccalarius formatus, suo et omnium sibi tam in prima quam in secunda, et in aliis appellationibus a processibus reverendissimi in Christo patris et dni. dni. Sbinkonis, Dei gratia archiepiscopi Pragensis, quam etiam a sede Apostolica emanatis, adhaerentium nomine, per ipsum ad sedem apostolicam interpositis et interjectis, Joannes de Gandetino, Doctor in medicinis, Stephanus de Palecz, Michaël de Malenycz, sacrae theologiae baccalarii formati, Joannes de Rajnsten, Marcus de Grecz Reginae, et Martinus de Praga, magistri dictae universitatis Pragensis volentes parcere sumptibus, laboribus et expensis propter bonum pacis et concordiae, sponte et libere, non compulsi nec coacti, de et super omnibus et singulis causis, litibus, quaestionibus et controversiis, rancoribus, discrepationibus, et aliis quibuscunque displicentiis, injuriis et diffamationibus inter ipsos et praenominatum dnum. Sbinkonem, archiepiscopum Pragensem, quovis modo, et per quemcunque modum motis et exortis, nihil penitus obmittendo, nec post se relinquendo, in Serenissimum Principem et dnum. dnum. Wenceslaum, Dei gratia Romanorum et Boemiae regem semper augustum et ipsius consilium meliori modo, via, jure, et forma, quibus melius et efficacius fieri potest et debet, tanquam in arbitros, arbitratores, et amicabiles compositores conjunctim vel divisim bona fide et sub perditione causae seu causarum hujusmodi de alto et basso compromiserunt, dantes et concedentes praenominatis ipsorum arbitris, arbitratoribus, et amicabilibus compositoribus conjunctim vel divisim super praemissis omnibus et singulis plenam, liberam et omnimodam potestatem semel vel pluries, stando vel sedendo, diebus feriatis vel non feriatis, partibus praesentibus vel absentibus, vocatis vel non vocatis, pronuntiandi, laudandi, diffiniendi, terminandi et arbitrandi, prout ipsis visum fuerit expedire, promittentes mobis notariis publicis infrascriptis ut personis publicis legitime omnium, quorum interest hujusmodi pronuntiationi, laudi, diffinitioni et arbitrio stare, parere, et obedire, nec contra eandem appellare, nec appellationem prosequi, nullum rescriptum vel privilegium per se vel alium impetrare, nec impetratis uti, nec ad arbitrium boni viri recurrere, nec aliquibus juribus, privilegiis, consuetudinibus, statutis vel munimentis uti, sed eisdem omnibus et singulis renuntiantes, quae omnia et singula suprascripta rata et grata tenere, et inviolabiliter observare promiserunt, hoc tamen notanter expresso et adjecto, quod in casum et eventum, in quem

magnificos et nobiles dnos. Rudolfum, ducem Saxoniae, Stiborium, comitem septemcastrensem, et Lazskonem de Krawar, ante pronuntiationem faciendam de Civitate Pragensi recedere contingeret, vel factum hujusmodi finaliter non terminarent, quod ex tunc ipse serenissimus princeps et dnus. Wenceslaus, Romanorum et Boëmiae rex, plenam, liberam et omnimodam potestatem habeat et habere debet, assumptis sibi baronibus et nobilibus terrae regni sui quibuscunque uti volnerit, de et supra praemissis omnibus et singulis semel vel pluries pronunciandi, laudandi, et diffiniendi verbo vel in scriptis ubi, quoties, et quando ipsi visum fuerit expedire, quae similiter omnia et singula rata et grata tenere, et inviolabiliter observare promiserunt, petentes, ipsis per nos notarios publicos infra scriptos fieri et confici unum vel plura publica instrumenta.

Acta sunt haec praesentibus nobilibus et famosis viris Dominis Andrea de Duba, Wenceslao de Zlenycz, Erbardo de Kunstatt, Smilone de Vethovia, Hanussio de Sczepek alias de Hodonyn, Joanne de Chlum, Wenceslao de Lesczna, baronibus et militibus; Francisco, Praeposito Ecclesiae Sanctorum Cosmae et Damiani, alias Sancti Wenceslai in antiqua Boleslavia, Jacobo Decano ecclesiae Wyssegradensis prope Pragam et multis aliis testibus fide dignis circa praemissa.

Item anno, indictione, die, mense, hora, et pontificatu, quibus supra, in minori civitate Pragensi, in curia archiepiscopali, in quodam commodo posteriori circa ortum, in nostrorum notariorum publicorum, et testium praesentia subscriptorum, constitutus personaliter praenominatus Sbinko, archiepiscopus, suo et sui cleri nomine sibi adhaerentis, similiter sponte et libere meliori modo, via, jure et forma, et omni forma, prout superius continetur, de et super omnibus et singulis causis, litibus, quaestionibus, controversiis, rancoribus, injuriis, diffamationibus et displicentiis inter ipsum et praenominatos magistros, ipsiusque dni. archiepiscopi clerum quovis modo motis et exortis, bona fide et sub perditione causae et causarum hujusmodi de alto et basso in praenominatos dominos, regem et ipsius consilium, conjunctim vel divisim, nihil post se relinquendo vel omittendo compromisit, quibus modo et forma praemissis et laudandi, suprascripta plenam potestatem dedit super praemissis pronunciandi, diffiniendi ac praecipiendi, quorum pronuntiationi, laudationi, diffinitioni stare, parere, et inviolabiliter observare, nec

in aliquo contravenire promisit, conditione etiam praemissa expresse adjecta de recessu ducis Saxoniae, Stiborii et Laczkonis, petens similiter ipsi de praemissis omnibus et singulis per nos notarios publicos infrascriptos fieri et confici unum vel plura instrumenta.

Acta sunt haec praesentibus honorabilibus viris Dominis Adam de Nezeticz, Zavissyo de Zab, Joanne de Colonia decretorum doctoribus, Sdenkone de Chrast Canonico, Joanne de Duba Altarista Ecclesiae Pragensis, Joanne dicto Protiwa Plebano Ecclesiae sancti Clementis in Poržicž novae civitatis Pragensis, Petro de Tyn Capellano ipsius Domini Archiepiscopi, et aliis multis testibus fide dignis circa praemissa.

Et ego Nicolaus quondam Mathiae de Bruna Olomucensis dioecesis publicus Apostolica et Imperiali auctoritate notarius, praedictis omnibus et singulis suprascriptis dum sicut praemittitur successive fierent et agerentur una cum Michaële natario publico infrascripto meo in hac parte collega ac testibus praenominatis praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, sed me aliis arduis negotiis praepedito, per alium fideliter scribi procuravi, et in hanc publicam formam redigi, signoque et nomine meis solitis et consuetis consignavi, rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et sigulorum praemissorum.

Et ego Michaël natus quondam Nicolai de Prachaticz Pragensis dioecesis publicus auctoritate Imperiali ac dominorum Magistrorum doctorum, et scolarium Universitatis studii Pragensis juratus notarius, quia praedictis compromissioni, arbitrorum electioni, poenae adjectioni, omnibusque aliis et singulis suprascriptis, dum sic ut praemittitur fierent successive et Nicolao collega meo praesens interfui suprascripto, eaque omnia sic fieri vidi et audivi, ideo praesens instrumentum publicum me aliis occupato per alium fideliter scriptum exinde cum dicto collega meo confici, publicavi et in hanc publicam formam redegi, me hic manu propria subscripsi, signo et nomine meis solitis et consuetis consignavi, vocatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum.

30.

Sententia procerum de controversia inter Archiepiscopum et rectorem et M. Hus.

1411, 7. Juli.

Ex Ms. collegii philos. doctor. Prag.

Primum quod dominus Archiepiscopus cum suis sacerdotibus et clero ex una et rector studii Pragensis ac magister Joannes Hus cum aliis magistris et scholaribus ex altera parte (quidquid disputationum litiumque inter se exerceant) exercent inter se colloquia et dissensiones, debent utrinque promittere et promittunt bona fide, omnes disceptationes deferre et plene distulernnt ad regis clementiam et ejus consilium, utraque parte nihil omnino sibi reservante. Si autem princeps Saxo, dominus Stybor et dominus aulae praefectus (Hoffmystr) illo consilio interesse non possent remque non absolverent: tum regis clementia convocet consilium suum ac proceres et quidquid ejus clementia iisdem consultis edixerit jusseritque, id ab utraque parte constanter servetur teneaturque.

2. Item edicimus et nobis videtur ut D. Archiepiscopum reconciliemus regis clementiae et D. Archiepiscopus submittat se ejus clementiae sicuti domino suo atque roget ejus clementiam, ut sancto Patri, *sicut ejus clementiae consilioque visum fuerit*, perscribere dignetur et D. *Archiepiscopus Sancto Patri secundum regis* clementiae ejusque *consilii edictum* etiam scribat.

3. Item D. Archiepiscopus S. Patri sic scribat, se illas controversias pro munere suo detulisse ad regis clementiam ejusque consilium et *nescire ullos in regno errores*, excepto quod secum contenderint magistri, de quibus contentionibus se adiisse regis clementiam, quae convocatis ad se episcopis doctoribus magistris abbatibus proceribus, dominis aliisque nobilibus, si quis error aut rerum perturbatio inventa fuerit vel apud ecclesiasticos vel profanos secundum ecclesiasticorum et laicorum consilium amovere et castigare tenebitur.

4. Item si qui vel ecclesiastici vel layci a pontifice Romano anathemate perculsi sint, debet D. Archiepiscopus perscribere S. Patri, ut omnes absolvantur, et si de controversiis illis causae ullae in curia agantur, illae ex utraque parte cessent, vicarii revocentur et iis acquiescant partes, quae regis clementia cum consilio supradicto

decreverit; item si qui ab archiepiscopo sacris interdicti sint, eos Archiepiscopus ecclesiae reconciliet interdictumque tollat.

5. Item si quid redituum sacerdotibus ereptum est, roget dominus Archiepiscopus regis clementiam et consilium pro iis deprecetur, ut ejus clementia reditus illos iis iterum concedi atque restitui, in vincula conjectos liberari, vades manumitti chartasque reddi jubeat.

6. Item omnia illa, de quibus supradictum est, agantur diebus IV temporum, qui festum nativitatis domini praecedent. Quodsi autem perfici non possent, tum illis IV temporum diebus, qui quadragesimae occurrunt, tempore absolvantur; quod si ab ejus clementia fieri posset citius tanto melius.

7. Item regis clementia concedat ecclesiae Pragensi, D. Archiepiscopo praesulibus sacerdotibus hujus regni ea jura atque privilegia, quae sub imperatore defuncto piae memoriae habuere.

8. Item *rector studii Pragensis* cum suis doctoribus et magistris gaudeant suis juribus et privilegiis, quae a pontificibus Romanis et ab imperatore defuncto et a rege hucusque tenent.

9. Item domini ac nobiles sua jura retineant neque concedatur sacerdotibus ea tentare jure recens excogitato veluti proceres his IV temporum diebus cognoverunt.

10. Item quod controversias D. Archiepiscopum inter et cives Pragenses profitetur D. Archiepiscopus, se, cum advenissent sacerdotes sibi dicentes, a Pragensibus civibus eos pro arbitrio tractari', reditusque adimi, chartam edidisse, usu sacrorum eos interdicentem, quum opinaretur, rem ita se habere; edoctum vero, *imperante rege id esse* factum, chartam illam delevisse, neque illis vertere vitio, quod ab rege jussa fecissent, neque accusari eos alicujus malefacti.

Et haec omnia, quae supra scripta sunt, ut regis clementia faciat et dominus Archiepiscopus etiam, *nobis videtur*.

In quorum testimonium nos, princeps Rudolfus dux Saxoniae etc. dominus Wenceslaus patriarcha Antiochenus etc., dominus Conradus Episcopus Olomucensis etc., Stybor dux septemcastrensis (Transylvaniae), Zaczek de Hrawarz aulae praefectus, dominus Sulek praepositus Chotyeschowii, Wenceslaus de Donyn, Bohussie, Comendor de Manetin. Zmrzlyk Monetariae praefectus (Mynczmayster), Nicolaus de Wozyez, literis his sigilla nostra appressimus, *consilium regium;* et nos Joannes de Hradecz, Andreas de Duba, Petrus de Dyewyn, Beneschek de Wynarzycz, Wenceslaus de Lesczna, Herardus de Kunstat, Henricus

de Plmulow, Smylo de Bietow, Schenk de Zeydan, Lyffscht aulae praefectus Saxo, Joannes de Koschemberg, Jessek Rotstem et multi alii viri integri interfecimus.

Datum die lunae post festum S. Procopii anno a Christo nato MCCCCXI.

Übereinkunft des Erzbischofes Sbinco mit dem Könige.

1411.

Aus dem Böhmischen.

Vorerst worüber der Priester-Erzbischof mit seiner Geistlichkeit und seinen Helfern auf der einen Seite und der Rector, die Magister und Johann Hus mit anderen Magistern und Helfern auf der andern unter einander stritten, bezüglich dessen sollen beide Theile versprechen, bei Verlust ihres Processes wegen aller Beleidigungen und Streitigkeiten an des Königs Gnaden zu appelliren und sie haben auch an des Königs Gnaden appellirt und an dessen Rath, Nichts bei Seite lassend.

Es wurde nun bestimmt, dass wenn der Sachse und Herr Stibor der Hofmeister nicht dabei sein könnten, dann solle das, was von ihnen nicht zu Ende gebracht würde, durch des Königs Gnaden, welcher seine Räthe und Herren berufen soll, (zu Ende gebracht werden). Was Seine Gnaden mit den Seinen dann entscheiden, und befehlen wird, das soll zu Recht bestehen und beobachtet werden.

Wir entscheiden hierauf und sind der Meinung, dass wir den Priester-Erzbischof mit des Königs Gnaden versöhnen sollen. Der Priester-Erzbischof solle sich demütbigen, um des Königs Gnaden bitten, damit er dem heiligen Vater schreibe, wie Sr. Gnaden und dessen Räthe gutdünken werden. Auch der Priester-Erzbischof soll dem heil. Vater schreiben, wie S. K. G. und dessen Rath es ihn heissen werde. Ebenfalls solle der Priester-Erzbischof dem heil. Vater schreiben, dass er sich wegen der Streitigkeiten an des Königs Gnaden und dessen Räthe zu Recht gewendet habe und dass er von Häresien hier im Lande nichts wisse; bezüglich der Streitigkeiten aber, die er mit den Magistern gehabt habe, habe er alles zu Recht des Königs Gnaden übertragen. S. K. G. möge die Bischöfe, Doctoren, Magister, Prälaten, Priester, die Herren und andere seiner Ritter (in seine Gnade) aufnehmen, und sollte sich ein Irthum oder (sonstiger) Unrath finden, sei es unter den Geistlichen oder Laien, so soll diesen S. K. G. nach den geistlichen und weltlichen Gesetzen entfernen und strafen.

Weiter, sollte es einige Geistliche oder Laien geben, welche sich in des Papstes Bann befinden, so soll der Priester-Erzbischof Sr. Heiligkeit schreiben, dass alle von demselben gelöst werden und sind einige (Processe, welche um dieser Streitigkeiten willen in Rom anhängig sind), die sollen von beiden Seiten

aufgehoben sein und sie sellen ihre Precuratoren ven beiden Seiten zurückrufen und sich begnügen, was des Königs Gnaden mit dem ebenerwähnten Rathe thut.

Auch sollen jene, die sich etwa in des Erzbischofs Bann befinden, davon gelöst werden.

Weiter was den Priestern etwa an Giebigkeiten weggenommen wurde, um diese soll der Priester-Erzbischef des Königs Gnaden bitten und der k. Rath sell gleichfalls fürbitten, damit S. G. ihnen die Giebigkeiten zu erstatten und belassen befehle. Diejenigen, welche gefangen gesetzt wurden, sellen aus dem Kerker entlassen werden, die Bürger freigelassen, ihre Verschreibungen ihnen zurückgestellt werden.

Alles Obenerwähnte soll in den Quatembertagen, die der Weihnachten verangehen, zu Ende gebracht werden. Sellte dies aber bis dahin ohne Arg nicht der Fall sein können, se soll dies in der Fastenquatember geschehen. Kann S. G. dies eher zu Stande bringen, deste besser.

Weiter sell des Königs Gnaden die Kirche ven Prag den Priester-Erzbischof, die Prälaten und Geistlichen dieses Landes bei ihren Rechten und Freiheiten erhalten, wie dies bei dem verstorbenen Kaiser sel. Andenkens der Fall gewesen. Ebense sollen der Rector der Prager Universität mit seinen Docteren und Magistern bei ihren Rechten, welche ihnen ven den Päpsten und dem versterbenen Kaiser und von dem Könige bis auf diesen Augenblick gewährt wurden, erhalten werden.

Ebenso sollen die Herren und Ritter bei ihren Rechten bleiben. Die Geistlichen sollen mit ihrem neuersonnenen Rechte keine Jurisdiction über sie haben, wie dies die Herren während der Quatemberzeit bestimmt haben.

Weiter bezüglich des Priester-Erzbischofs und der Prager:

Der Priester-Erzbischef erklärt, die Geistlichen seien zu ihm gekommen und hätten gesagt, dass die Prager gewaltsame Hand an sie legen und ihre Einkünfte ihnen wegnehmen. Auf dieses habe er gegen sie (die Prager) Censuren veröffentlicht in der Meinung, dass dem so sei. Als er aber erfahren habe, dass sie so auf Befehl des Königs gehandelt hätten, habe er die Censuren cassirt, und verübelt es ihnen weiter nicht, dass sie auf Befehl des Königs so gehandelt haben und legt ihnen weiter nichts zur Last.

Alles eben Geschriebene sollen des Königs Gnaden und der Priester-Erzbischof in Vollzug bringen.

Hierauf erfolgte dann die Beschwerdeschrift des Erzbischofs vom 5. Sept. 1411 an den König. Deutsch abgedruckt bei Helfert, S. 275.

32. Carta praetensa infrascripta ex parte huss data contra papam et contra praelatos ecclesiae Pragensis.

1412, 20. Juni.

Cod. Mus. Boh. 4/D/12. Fol. 71.

Vobis *asino* deistis bellialistis mamonistis et principaliter omnibus, ad quod praesens divinum scriptum pervenerit, qui dicitis licite ditissimum antichristum contra saeculare brachium pugnare et ejusdem ditissimi complices hoc quod habemus in hoc mamone trubla, ex parte omnipotentis dei amonitione praesentamus.

Attendite supradicti ditissimi vae super onere quod dicitur deus excellentis nequiciae et diviciarum omnium seductione et fictarum ypocriticis mendaciis indulgenciarum quamvis coram deo non sumus participes pro quo nota:

Primo quod non sit pugnandum clericis etiam in quacunque causa. Quanto majores et majoris status tanto plus est eis observare praeceptum ex canone apostolorum et ponitur in decretis d. XI. Sic statutum legitur, episcopum aut presbyterum aut diaconum percutientem fideles delinquentes et infideles inique agentes et per hujusmodi voluntatem timeri et dejici ab officio suo praecipimus, quia nunquam nos hoc docuit dominus, ymo e contrario cum ipse perculeretur, non percutiebat, cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur;

2°. ex concilio Toletano idem ponitur. Clerici qui in quocunque facinore arma volentes sumpserunt, reperti fuerint, amisso ordinis sui gradu in monasterio perpetue recludantur;

3. Beatus Gregorius Beato Johanni episcopo Constantinopolitano et ponitur in decretis d. 46 dicit: Quid autem de episcopis qui verberibus timeri volunt canones dicant, bene semitas tuas novit deus, pastores etenim facti sumus omnium nec percussores aut occisores.

4. Apostolus peregregius praedicator dicit in Timot. Argue obsecro increpa in omni patientia et doctrina. Nova namque et inaudita est ista praedicatio, quae verberibus exigit fidem et sub perditione omnium bonorum.

5. Beatus Ambrosius et ponitur 23. g. 8. Arma episcopi sunt litaniae et orationes vigilare supra gregem noctu diuque.

6. Ex sacro Meldensi concilio idem ut supra ponitur: Quicunque ex clero videntur esse, arma militaria non sumant nec armati incedant

per se vel per alios, sed professionis suae vocabulum ecclesiae religionis moribus et religioso habitu praebeant. Quod si contempserint, tanquam sacrorum contemptores habeantur ac puniantur et sic haeretici ecclesiasticae autoritatis profanatores proprii gradus omissione mulctentur, quia non possunt simul deo et saeculo militare, ut dicit apostolus in Timoth. nemo militans deo saecularibus se implicet negotiis et ponitur 16. q. m. similiter 2. q. 4. in canone: pervenit ad nos fama sinistra quod quidam imo summi episcoporum non ex sacerdotibus proprie dioecesis decimas atque christianas oblationes conferant. Sed potius laicalibus personis militare valet sive servitoribus eorum vel quod gravius est eorum consanguineis, unde si quis a modo episcopus inventus fuerit hujusmodi praecepti transgressor, inter maximos haereticos et antichristus non minimus habeatur. Et sicut beata Nicena synodos de simoniacis censuit: et qui dat episcopus et qui accipiunt ab eo laici sine praecio i. e conventione sine beneficio i. e. gracia, etenim incendii ignibus deputentur.

Si quis delinquit ut Paulus apostolus inquit: qui consentit ei, est reus ipse rei, servus est. Si quis delinquit i. e. errat peccando. Qui consentit ei fovendo vel defendendo tantum facit ac si per se peccatum faceret, quia consentientes et facientes pari poena sunt torquendi, unde Beatus Isidorus, et ponitur in canone XI. q. d.: Si quis alterius errori consentit, sciat se simili modo cum illo culpabiliter judicari. Item ibidem qui consentit peccantibus et defendit alium delinquentem, maledictus erit apud deum et homines et corripietur adeo in conventione saevissima. Unde beatus Fabianus papa et ponitur ibidem in canone: Qui omnipotentem deum metuit, nec contra evangelium nec contra apostolum nec contra prophetas vel sanctorum patrum instituta agere aliquid, nullomodo consentit. Item proverbiis LX: ne dederis mulieri substantiam tuam et divitias tuas ad delendos reges. Item decipitis populum dum cum auxilio vestro beatificatis eum nefariis indulgentiis praedicti antichristi, dicente domino per Ysaiam 1. popule meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Item Jerem. VIII. a minore usque ad majorem omnes student avaritiam et a propheta usque ad prophetam omnes faciunt mendacium, et infra: dicunt pax et non est pax. Item Ysaias. IX. disperdet dominus ab israel caput et caudam, glosa quid intelligitur per caput et caudam. Item in Pe. III. in sua canonica: et erunt in vobis magistri et mendaces qui introducent sectas perditionis et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur, cujus judicium jam olim non

cessat et perditio eorum non dormitat et infra: pellicientes animas instabiles eorum excitantium ad majora babentes maledictionis filii delinquentes, viam rectam erraverunt, secuti viam Baal ex Bozor. Item Ysaias et habetur XI. q. III. Si is qui praeest i. e. antichristus fecit quidquam, quod a domino probibitum est i. e. homicidium aut facere jusserit vel quod scriptum est praeterierit vel praeterire mandavit i. e. mandata dei non custodierit. Sancti Pauli sententia ingerenda est ibi, dicentis: si etiam vobis angelus de coelo descenderit et evangelizaverit vobis aliud, quam per me vobis evangelizatum est, anathema sit. Item, plus estis obedientes manifesto antichristo quam mandatis deo dicente domino: Marc. XII. Quare et vos transgredimini mandatum dei propter traditiones vestras docentes doctrinas et mandata hominum servare et ideo excommunicati estis ab omnipotenti deo per psalmistam dicentem: maledicti qui declinant a mandatis tuis domine.

Haec cum omni timore dei et zelo caritatis ob proximorum salutem conscripsi. Credendum est magis magistro Hussoni veraci quam praelato nec turbae fallaci seu concubinariis et simoniacis.

Reperta sunt haec scripta per Wiklefistas in capsa posita pro subsidio domini nostri papae in castro Pragensi die XX mensis Junii anno domini MCCCCXII.

33.

1412, 16. Juli.

E Cod. Mus. Boh. 4/D/12. F. 197. Cod. Altovad. Cod. Univ. Prag. X. F. 10. Cfr. Palacky p. 582, n. 379.

Anno domini MCCCCXII ex mandato Regis Wenceslai Boemiae lecti sunt isti articuli *in praetorio Pragensi* praesentibus doctoribus, magistris, plebanis, et clero in vigilia sancti Alexandri, quod nullus tenendo asserendo dogmatizando vel praedicando contradicat articulis infrascriptis sub poena perditionis omnium bonorum.

Primo qui aliter sentit de sacramentis et clavibus ecclesiae, quam sancta Romana eeclesia tenet, censetur haereticus eo facto.

2. His diebus quod sit ille magnus anticbristus, qui secundum fidem ecclesiae et secundum sacram scripturam praecipue apocalypsim in fine saeculi est venturus, est error evidens patet per experientiam.

3. Dicere quod institutiones sanctorum patrum et consuetudines laudabiles in ecclesia *non* sint tenendae, et praecipue quae in biblia

(non) continentur, error est, et posito quod non sunt in biblia, dummodo honeste et laudabiles sunt consuetudines, sunt semper tenendae, Alter error (Alius esset error),

4. Dicere quod reliquiae et ossa sanctorum, similiter vestes et habitus eorum et festa non sunt venerandi vel venerandae a Christi fidelibus, error est pessimus,

5. Dicere quod sacerdotes non absolvunt a peccatis nec dimittunt peccata ministerialiter conferendo et applicando sacramentum poenitentiae, sed solum denuntiant confitentem, quasi ostendant eum esse absolutum, omnes errant qui hoc dicunt,

6. Dicere quod papa non possit in necessitate evocare personas et Christi fideles aut subsidia temporalia ab eis petere ad defendendum fidem catholicam ac sedem apostolicam et statum sanctae Romane ecclesiae et urbis et ad compescendum et removendum adversarios et iniquos falsos christianos et haeresiarchas et scismaticos, largiendo christi fidelibus et fideliter subvenientibus vere penitentibus et confessis et contritis plenam remissionem peccatorum omnium et indulgentias, error est; ratio, cum dominus sit largus, servus non debet esse parcus, sed ex quo deus prius confert homini sic contrito auctoritative, cur non conferat ministerialiter servus, patet per dictum Augustini super Joh. XI. Quem deus resuscitavit poenitentem, hunc discipuli solvant viventem,

7. Nullus clamet contra praedicatorem nec contra bullas papales quia, cum (illae) sint, et debet esse justum rationabile atque sanctum quod sic teneatur.

34. Supplicatio cleri facta papae contra M. Johannem Hus.

Cod. III. G. 16. Fol. 356.

Beatissime pater! Nuper sanctitas vestra contra Ladislaum regem Apuliae et contra Angelum Corarium, qui se Gregorium XII ausu sacrilego nominat, indulgentias remissionem omnium peccatorum confessis et contritis, qui manus porrexerint adjutrices, direxerat ad regem Boemiae, quae a Christi fidelibus gratae et cum magna devotione spei et fidei sunt receptae. Quidam tamen iniquitatis filius Mag. Johannes Hus Wikleffista cum suis complicibus contemptor clavium, *stans sub vinculo excommunicationis* ultra *duos* annos et articulos Wikleff haeresiarchae dampnatos publice defendens, in scandalum animarum tam coram volgo quam coram clericis contra praedictas

indulgentias oblatrare et motiva sua pestifera in scriptis per varios districtus regnorum Boemiae Poloniae Ungariae nec non Marchionatus Moraviae non erubuit destinare (disseminare), per quae plurimi Christi fideles ab obedientia et aliis piis operibus sunt seducti. Unde beatissime pater! (quem) speculatorem domus domini deus ipse sanctitatem vestram constituit. Attendite gregi vestro. Lupi saevientes in gregem irruunt.

Item protegere est necesse. Nolite quaesumus aure surda pertransire mala, quae vestris fidelibus per ipsum Johannem Hus et suos complices irrogantur. Per deum, *ad alium* non recurrimus nisi ad sanctitatis vestrae praesidium. Ergo piissime pater. Respice filios tuos. Graviter sumus oppressi et *multi interfecti*, nec hoc moveret nos ad sollicitandam sanctitatem vestram, sed plus urget nos salus et periculum animarum sanguine Christi redemptarum etc.

35. Litera seu epistola rectoris Pragensis studii ad universitatem Wiennensem.

1413, 8. Juli.

Cod. Univ. Prag. I. G. 11.

[1]) Sincerum desiderium complacendi. Venerabiles doctores et magistri Jam longis temporibus ex parte quorundam magistrorum nostrae universitati inimicis in nostris membris sustulimus, nulla monitione praevia ex parte vestri vel etiam causa notabili exigente, unde miramur cur in nostrae universitatis supposita magis extendunt quidam vestrae universitatis magistri, ipsam turpiter tractando, captivando et in carcerem deducendo. Et quid magister Johannes Zywort suae honestatis seu verius legis Christi immemor, diffamationis literas ad Episcopum Zagrabie et capitulum direxit, in quibus scolares nostrae universitatis appellat perversi dogmati sectatores, mel in ore gerentes et venenum insanabile aspidum in corde. Nec suffecit in tam gravi infamia. Sed adjecit quod per Boemiam sunt haeresiarchae, qui *conantur ad spoliationes ecclesiarum potentes saeculi provocare.* Demumque quod magister Jeronymus de Praga, disseminator erroris non minimus, gratia subversionis ad regem Poloniae se contulit et ad fratrem ipius regis. Ipsi judicate, si praefatus magister cordium abs-

[1]) Voraus geht:

Epistola de morte clericorum occisorum facta ad excitandos praelatos ad gregis sui custodiam meliorem. Nomen autoris non ponitur ne scito autore epistola contemptibilis judicetur.

condita dijudicans infamationis tam gravis direxit literas secundum regulam caritatis; stilus et lingua mendax scripsit mendacium, quod in die mortis suae ipse Sywort praestante domino non probabit. Unde hortamur vestras honestates in domino, quatenus dignarentur vexationes nostrorum scolarium praescindere et ipsi magistro Sywort justam correctionem impendere, ne amplius false proximis imponat haeresim; sed discat lingvam mendacem et detrectationis compescere, et de perpetrato scelere efficaciter poenitere. Haec vestris amicitiis scribimus cupientes amorem caritatis altrinsecus observari. Alias oportet universitatem nostram super hiis auxilium principis domini ducis et domini capitanei terrae Austriae implorare et juxta conservatorium et privilegia universitatis nostrae suppositis nostris (vestris) providere de remedio oportuno.

Responsionem petimus de praemissis.

Datum Pragae anno domini MCCCCXIII die VIII mensis Julii nostri rectoratus sub sigillo.

Magister Michael de Malevicz sacrae theologiae baccalaureus formatus rector almae universitatis studii Pragensis.

Venerabilibus viris dominis Rectori doctoribus et magistris studii Viennensis amicis et fratribus. (Cfr. p. 209, n. 2.)

36. Ex defensione libri de trinitate (reverendissimi Magistri Johannis Vicleph) facta per M. Johannem de Husinetz S. Theologiae baccalaureum formatum.

Cod. Univ. X. E. 24. Fol. 124.

Tres sunt qui testimonium dant etc.

Igitur ad honorem dei patris et filii et spiritus sancti qui unus existens in essentia trinus est aeternaliter in personis, denique ad tuendum veritatem et refellendum falsitatem contrariam, quae ultimis temporibus saeculi, vigore antichristi genimen inolevit, ceterum ad fulciendum famam laudabilem christianissimi regni Bohemiae, quae semper retroactis temporibus firmitatem orthodoxae fidei in *veris Bohemis* germinavit continue ad tantum quod *nunquam verus Bohemus* pertinax haereticus est repertus hiis tribus ex causis, videlicet,

quia honor dei omnipotentis amplius in nobis fulgeat,
veritas oppressa falsitate plus elucescat,
et honor cristianissimi regni Bohemiae defensus latius rutilet,

volui confidens dei auxilio potentiae dei patris et sapientiae filii et bonitate spiritus sancti kathedram ascendere librumque M. Johannis Wykleph de increata benedicta et veneranda trinitate in suis veritatibus adversus ejus condempnatores defendere, protestando more scolastico et solito, quod nec in hoc actu nec in quocunque alio per me fiendo in posterum intendo aliquid *pertinaciter* asserere vel defendere, quod esset sacrae scripturae contrarium, vel quovis modo erroneum. Quod si aliquid talium ex ignorantia vel lapsu lingwae dicerem, paratus sum humiliter revocare et si aliqua persona ecclesiae (ecclesiastici) me scriptura sacra vel ratione valida docuerit, paratissime consentire. Jam a primo studii mei tempore hoc *mihi statui pro regula* ut quotiescumque saniorem sententiam in quacunque materia perciperem, a priori sententia gaudenter et humiliter declinarem etc.

37. Ex Magistri Symonis de Tyssnow defensione libri Johannis Wykleff.

Cod. Bibl. Univ. X. E. 24. Fol. 131.

Ecce reverendi patres magistri et domini ceterique fratres in Christo praedilecti! Non sine dolore cordis mei sed et in habundantia refero lacrimarum illa perfulgida gentis nostrae fama Bohemorum nominibus supervolans quam quondam celebris volgata clamavit opinio haec puta: omnem Bohemiam esse universaliter mundissimam ab haeretica pravitate. Illam quam sine nostris demeritis nonnulli temerarie cum grandi famosaque infamia denigrarunt. Nunc quia ab errore (Errorio Gregorio XII) juste obedientiam abstraximus, caeteri (coeteri) cardinalium adhaerentes una cum Serenissimo principe et domino Wenceslao Romanorum et Bohemiae rege sumus scismatici appellati, ubi tamen splendor luce solis clarior satis patule declaravit, quod illi, qui dicti *errorii* partem fovendo sub poena ignis ad certamen se obligare nitebantur, quoad hoc una cum reverendo domino Sbinkone Ecclesiae Pragensis Archiepiscopo dampnabiliter errarunt. Si quid fuerit deinde dilectissimi subsecutum, pro vestris clementiis rogo me modicum sustincte. Ecce in vindictam suam, ut eo liberius possent conceptam de nobis maliciam deducere in effectum, nonnullos fidelium partis nostrae tanquam *de haeresi suspectos* officialibus denunciare procurarunt, deinde ipsos in articulis examinaverunt, alios incarceraverunt, alios contra totum juris ordinem ad abjurandum ex concepta malitia compellerunt (sic). Etenim adhibita crudelitate nec unum

errorem infectum poterant invenire ut ipsorum protestatur proclamatio *synodalis*. Adhuc quaero amantissimi, paululum vestro favete silentio et vigili percipite mente. Hiis non contenti sed ad extingwendum odorem suavissimae famae nostrae per certos suos nuncios veritatis justiciae inimicos bullas cum coronatis a sede Apostolica mendaciis procuraverunt, quae in nostram infamiam sonaverunt, quamvis false, quod multorum corda in regno Bohemiae et marchionatu Moraviae sunt ex falso dogmate librorum Magistri Johannis W(ycleff) pravitate haeretica sauciata. Virtute cujus quidem bullae suae mendaciosae et surrepticiae processerunt, inter quos hic innocens et justus tractatulus de probationibus propositionum tanquam haereticus est condampnatus. etc.

X.

Variae epistolae M. Johannis Hus.

1. Regi Poloniae. 1412, 11. Juni.

Cod. Palat. Vienn. n. 4902.

Salvatoris Jesu Christi gratia pro regendo suo populo et pro vita gloriae acquirenda.

Serenissime princeps.

Magno consolatus sum gaudio audiens, quod vestra Serenitas cum Illustrissimo principe rege Sigismundo disponente omnipotente deo concordavit et demum oro cum populo, quod in via justitiae vitam utriusque cum populo dirigat, pro quo Illustrissime princeps praenecessarium videtur tam Vestrae Magnificentiae quam ipsius regis Sigismundi excellentiae ymo et aliorum principum, quod simoniaca haeresis a vestris dominiis secludatur. Sed nunquam expectabo ipsius exterminium, cum ad tantum suum diffudit venenum, quod vix alicubi reperiretur clerus et populus, qui non symoniaca haeresi sit percussus. Quis enim dat episcopatum sincere propter honorem Dei, propter salutem populi et propter salutem propriam? Quis etiam jure propter illa tria compulsus accipit episcopatum plebanatum vel aliud beneficium? Vellem quod multi essent, qui pro servitio, pro humano favore non acciperent. Sed nunquam non impletur verbum Jeremiae dicentis: a minimo usque ad maximum omnes anathema sequuntur et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium. Et nunquam fallit Christi

discipulus dicens: omnes quae sua sunt quaerunt et non quae Christi Vox plangentis ecclesiae quia obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, quia olim sacerdotium ut aurum caritate ignitum virtutibus albatum nunc factum est tritricum et tenebrosum ut ait. Bene impletur vox salvatoris nostri, habundavit iniquitas scilicet in clero et refrigescit caritas in populo. Vae igitur isto tempore non plangenti haec.

Illustrissime princeps, audiens clerus simoniacus, pomposus, luxuriosus et indomitus (sodomiticus?) me detractionibus et haereticationibus accusat coram populo. Sed numquid tacebo? Absit. *Vae mihi si tacuero;* melius enim esset *mihi mori quam tantae non obviare malitiae,* quae me participem constitueret criminis et gehennae a quo rex gloriae regente (sic) sancte populum vestram dignetur magnificentiam praeservare.

Anno domini MCCCCXII in die Barnabae.

Magister Johannes Hus sacerdos Christi inutilis.

2. Epistola Johannis Hus pro magistro Jeronymo contra Johannem Sywort magistrum Wiennensem sacrae theologiae professorem.

Magistro Johanni Sigwort de Septemcastris sacrae Theologiae professori.

Salutari non meretur qui gravibus mendaciis diffamat proximos, sed dignus correctione esse cernitur, ut mendacio suo cognito ad viam caritatis cicius revertatur. Ecce tu professor non sacrae theologiae, sed infamationis nequitiae, de cujus fide tibi non constat et addis gloriosum mendacium, quod ipse subversionis gratia ad regem Cracoviae et ad fratrem se contulit. Numquid tu es scrutator cordium? Per tantam distantiam mentem cognoscis hominis? Es tu legis Christi professor sic mendaciter infamando proximum? Certe antichristus te docuit tantam vesaniam profiteri, ubi lex Christi: nolite judicare et non judicabimini. Ubi illa: si peccaverit in te frater tuus, corripe ipsum. Ecce aput te non processit caritativa fratris correctio, sed prodiit in publicum injuriosa diffamacio, nec ipsum honorabilem magistrum solum ausus es dentibus mordacibus contingere, sed communitates magnas. Non suffecit tibi Boemia pro tua detractiva malitia, sed et *Slavorum regnum* in scolaribus temeritate diabolica haeresis crimen ausus es, sed spero mendaciter, annotare, nullam de aliqua habens experientiam, sed duntaxat occulta cordium judicans, scribens, quod forent

haeresiarchae sectatores mel gerentes in ore et venenum aspidum insanabile protendentes in corde. Ecce cor proximorum inique judicas et quod conantur deliramenta contra clerum concitare. Stat ad judicandum deus. Esto quod in nomine professor sacrae theologiae, ni re fatearis veritatem de isto scelere agens poenitentiam, in die judicii oportebit te de omni verbo discretissimo judici reddere rationem. Estne professoris in (officio) personas confundere vel haeresim fratribus imponere, mendacia per diversas partes contra proximos aggregare? Certe male doctus es in theologia caritatis. Deus det tibi spiritum veritatis, ut loquaris, quod sanctum, quod rectum coram domino et non quod est detractionis et infamiae, procedens a spiritu mendacii et erroris. Ista scribo *sine adulatione*, prohibens detractionem et scandalum in proximo seminare desiderans que quod a talibus abstineas, agens poenitentiam de commissis. Datum in octava S. Johannis (Baptistae). Per Magistrum Johannem Hus in spe servum Jesu Christi.

3. Responsum universitatis Viennensis.

Venerabilibus et sapientissimis viris et rectori doctoribus et Magistris almae universitatis studii Pragensis amicis nostris ymo fratribus praedilectis in generali ipsorum congregatione cum reverentia praesentandum.

Fraternae caritatis vinculum jugiter in vero omni salutari. Eximii doctores et magistri ac domini clarissimi. Alias vestrae universitatis studii Pragensis rectoris nomine sub sui sigillo officii gravem suscepimus epistolam, in qua contra quosdam nostre universitatis Magistros innominatim et in genere grandes proponuntur querelae, quod vestrae universitatis membra injuriis affecerint ea turpiter tractando captivando et in carcerem deducendo et nominatim contra venerabilem Magistrum Johannem Sywort sacrae theologiae et artium professorem eximium vitae famae laudabilis conversationis et probatae querulose scribitur quod reverendo in Christo patri et domino domino. — — (Cetera desunt.)

4. Epistola ad Huss de Anglia.

Cod. Univ. Prag. XI. E. 3.

Salutem et quidquid dulcius excogitari sufficit in visceribus J. Chr. Dilecte in domino. Quem ego diligo in veritate et non ego solus

sed omnes qui cognoverunt veritatem propter veritatem quae permanet in vobis, vobiscum erit per dei gratiam in aeternum.

Gavisus sum valde venientibus mihi dilectissimis fratribus et testimonium perhibentibus veritati vestrae, quomodo et vos in veritate ambulatis. Audivi fratres quod acriter vos tribulat antichristus tribulationes varias et inauditas Christi fidelibus inferendo. Nec mirum utique si apud vos, cum jam quasi ubique terrarum per adversarios lex Christi nimium impugnatur et draco ille rufus tot habens capita, de quo in apocalypsi jam de ore suo emiserit flumen magnum, per quod absorbere nititur meliorem, sed dominus graciosissimus unicam sibi fidelissimam sponsam finaliter liberabit. Confortemur in domino deo nostro et ejus immensa bonitate, firmiter in ipsa sperantes, quae non sinit suos aratores ab aliquo proposito bono misericorditer defraudari, si nos ipsum ut debemus dileximus toto corde, quia in nobis nullatenus regnaret adversitas, si nulla dominaretur iniquitas. Nulla idcirco tribulatio vel angustia propter Christum nos dejiciat, scientes pro certo quia quoscunque dominus in filios dignetur recipere, eos flagellat. Vult enim misericors pater, quod in hac vita miserabili persecutionibus probemur, ut postmodum nobis parcat. Aurum enim quod summus vitae artifex eligit, igne hic purgat et examinat, ut in suo thesauro mundissimo post reponat. Videmus, quod tempus, quod hic habituri sumus, breve est et transitorium. Vita, quam in futuro speramus, beatificat et sempiterna est. Laboremus igitur, dum tempus habemus, ut in illam requiem ingredi valeamus. Quid aliud in hac vita fragili cernimus nisi dolorem moerorem et tristiciam et quod magis fideles Christi movere deberet, legis domini dejectionem nimiam et contemptum. Conveniamus igitur quantum sufficimus ad apprehendendum, quae aeterna et permanentia sunt, postponentes in animo transitoria et caduca. Consideremus contubernium patrum praecedentium. Consideremus sanctos utriusque testamenti. Nonne omnes in hoc mari tribulationis et persecutionis transierunt. Nonne alii secti sunt, alii lapidati sunt et in occisione gladii mortui sunt. Alii circumiverunt in melotis et in pellibus caprinis ut testatur apostolus ad Ebreos: omnes itaque custodierunt vias duras. Christi vestigia sunt secuti qui dixit: qui mihi ministrat, me sequatur et ubi ego sum etc. Ideo et nos tantam habentes sanctorum praecedentium pusitam exemplationem deponentes pro viribus omne pondus et circumstantibus nobis peccatum per pacientiam curramus ad praepositum nobis certamen,

aspicientes in auctorem fidei et conservatorem Jesum qui praeposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta. Recogitemus eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semet ipsum consradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes, sed deprecemur ex corde auxilium a domino et contra ejus adversarium antichrittum viriliter militemus. Diligamus ejus legem et non simus operarii subdoli, sed in singulis prout dominus dare dignetur fiducialiter agamus et in causa domini laboremus sub spe praemii sempiterni.

Tu ergo *Huss* frater in Christo perdilecte! licet ignotus mihi in facie, non tamen fide et dilectione, quia non terrarum spacia sufficiunt disjungere, quos nectit efficaciter amor Christi. Confortare in gratia, quae data est tibi. Labora sicut bonus miles Christi Jesu. Praedica iusta verbo et exemplo et quos poteris, ad viam revoca veritatis, quia non propter censuras frivolas et fulminationes antichristianas est veritas ewangelica subticenda et ideo membra Christi per diabolum debilitata robora pro viribus et confirma et si dignaverit altissimus, in proximo terminabitur antichristus. Et unum est super quo gaudeo quod in regno vestro et alibi corda vestra eorundem adeo animaverit, quod etiam usque ad carceres exilium et mortem gaudenter sustinent verbum Christi. Ulterius dilectissimi nescio quid vobis scribam sed frater, quod cor meum effundere cuperem, si pro hoc vos in lege domini confortarem et omnes fideles legis dominicae amatores ex intimis meis praecordiis nunc saluto et specialiter vestrum in ewangelio *coadjutorem Jacobellum*, rogans quod pro me ad dominum interpellat in universali ecclesia J. Chr. Et deus pacis qui eduxit de mortuis pastorem omnium magnum dominum J. Chr. aptet vos in omni bono ut faciatis voluntatem ejus faciens in vobis quod placeat coram se. Salutant vos omnes amici qui de vestris constanciis audierunt. Cuperem etiam vestra rescripta videre quia scitote quod non modica solatia nobis praestant [1]).

Scriptum Londoniae in nativitate virginis gloriosae vester servus cupiens in labore fieri socius. Richardus Vitze infirmus sacerdotum.

5. Literae M. Hus in Angliam.
Cod. Univ. XI. E. 3.

Pax Christi habundet in cordibus vestris per spiritum sanctum, qui datus est vobis karissime in Christo Jesu. Tuae karitatis epistola

1) Cfr. Cod. Univ. Prag. XI. B. 1.

quae de sursum a patre luminum descendit, in Christo fratribus vehementer accendit animum, quia tantum dulcedinis efficaciae roborationis et consolationis in se continet quod *si* alia scripta singula per antichristum consumarentur voragine, ipsa Christi fidelibus sufficeret ad salutem, unde ejus medullam et vigorositatem in meo revolvens animo dixi coram multis hominibus in sermone publico, in quo ut aestimo fuerunt *prope decem millia hominum:* ecce fratres dilectissimi! quantum curam de vestra salute Christi praedicatores fidelissimi in alienis gerunt partibus, qui cupiunt totum cor suum effundere, si possent nos in lege Christi vel domini conservare. Et subjunxi: ecce karissimi! frater noster Rigchardus Magistri Johannis Wykleff in evangelii laboribus *consocius* scripsit vobis tantae confortationis epistolam, quod si ego nullam haberem scripturam aliam, deberem me pro Christi evangelio exponere *usque ad mortem* et faciam auxiliante domino nostro J. Ch. Sic autem exarserunt fideles Christi in ipsa epistola, quod rogant me ut ipsam transponerem in linguam nostrae gentis.

Quod vero scribere tuae karitati cum caeteris fratribus debeam ignoro. Nimis doctiores instruere non valeo, debilior fortiore in Christo militia sum, quam dicto confortarem et quid dicam informationis verba, tua karissime praeceripiunt. Solum mihi superest ut petam et repetam orationis auxilium et regratior quod de benedicta Anglia tanta bona per tuum laborem procurante domino J. Ch. *Boemia jam suscepit* nec mirum si aliis odor et (in) mortem sed gaudium quia multis odor in vitam aeternam. Ad tantum enim inimicus hominis zizaniam in nostro regno serpserat, quod vix et raro granum tritici apparebat; totum replebat urtice agrum hominis quod graviter inveniri poterat via salutis.

Jam autem populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam J. Chr. quia habitantibus in regione umbrae mortis, lux eis aparuit veritatis quam procurante salvatore nostro ardentissimo (sic) suscipiunt populi, barones, milites, comites et communes plebei. Quod vestra illud ad plenum percipiet Angliae sancta communitas, laetanter cordis tripudio prorumperit: laetare sterilis, quae non parit, erumpe et clama, quid non parturis, quia multi filii deserti.

Scito dilectissime frater, quod *populus non vult audire* nisi *sacram scripturam,* praesertim evangelium et epistolas et ubicunque in civitate vel oppido sive villa aut castro apparet sanctae veritatis praedicator, *catervatim confluunt populi,* clerum indispositum aspernentes,

ex quo consurrexit satanas, quia jam cauda mota est ipsius vehemoth et restat ut dominus J. Chr. conterat caput ejus. Ecce caudam ejus *lente tetigi* et aperuit os suum, ut me cum fratribus pariter deglutiret, furit nunc et mendaci verbo nunc haereticat nunc blandit nunc flammam censurae multiplicat, expandit facem fulminationis horridae in terrarum (circum) jacentium diocesibus et *domi non audet* meum verticem tangere. Nondum enim halleluja venit, quia nondum de ore suo eripuit per me et fratres meos dominus, quos ad vitam gloriae praeelegit, propter quod dabit fortitudinem evangelisantibus, ut ipsum behemoth saltem per caudam tribulent, donec *caput ipsius cum membris ejus singulis corporaliter conteratur*. Id optamus ex animo, pro illo laboramus prout vestra gratia scripsit, ut scribit karitas, pro illo debemus *mortem* humiliter sustinere nec debemus de auxilio omnipotentis domini deficere, cum dicat piissimus dominus: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. O sanctissima ereptio. O glorificatio. Expectes *Richardum* cum fratribus qui multas jam tribulationes sustinuit. Suscipe et me miserum ut cum fratribus meis sim qui tuam legem in medio generationis pravae et adulterae intrepide confitentur. Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominum. In te sit spes nostra, ad te nos trahat triplex funiculus, quem nequit dirumpere, quia ipsum construxit dominus J. Chr. Ipse dilectissime frater! servet tibi cum tuis adjutoribus vitam in gloria incolumem ut possis longis temporibus vivere et oves errantes ad viam redire (reducere) veritatis. Valde gavisus sum et omnes (qui) diligimus evangelium quod tua karitas se benigne nobis exhibuit nos salubriter informando. *Dominus rex* noster, *tota curia* seu *barones* et *cummunis populus* sunt pro verbo J. Chr. Salutat ecclesia Christi de Boemia ecclesiam Christi in Anglia, optans esse particeps confessionis sanctae fidei in gratia domini J. Chr. Deus gloriosus sit merces vestra qui tantis laboribus exempla nobis egentibus ministrasti. Pax vobis quae superat omnem sensum.

6. (Prima epistola Magistri Johannis Hus propter verbum dei persecuti a sacerdotibus et canonicis, amatoribus verbi Dei pragensibus delata.)

1413.

Cod. Univ. X. E. 24. Fol. 384.

Fidelibus atque zelantibus dominum J. Chr. et verbum ejus qui habitant in Pragensi civitate M. Johannes Hus presbyter inutilis

desiderium perseverantiae in Dei caritate. Carissimi. Obsecro vos repletus ingenti desiderio, ne ab agnita veritate redeatis, quam misericors salvator vobis agnoscere est largitus. Confido etenim, quod in vobis electis, quae fecit dominus, perficiet et in temptatione perseverantiam erogabit; sed etiam de me ipso confido clementiae (et) bonitati nostri salvatoris quidquam (quia) nunc possum cum apostolo dicere, quod vivere mihi Christus est et mori lucrum; quod si viverem in carne hic mihi fructus operis est et quid eligam ignoro. Coarctor enim e duobus. Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo et multo magis melius. Permanere autem in carne necessarium est propter vos. Sic inquit apostolus ad Philippenses: carceri terreno mancipatus, similiter vobis dilectissimi dico quamvis *carceri non astrictus*, quod elegerim mori pro Christo et esse cum illo. Vobiscunque laborare cupio pro salute vestra et quid eligam ignoro, nuntium dei praestolando. Formido siquidem ne in vobis multa mala perpetrentur, ne fideles patiantur et iniqui in anima deperirent, qui nunc gratulantur exposcuntque ut nondum (solum) verbum dei in me sopiatur, sed et ut *locus verbi dei Bethlehem fuste recludatur*. Sed nunquam posse postulatum cunctipotens dominus illis edonabit, etsi propter scelera scelestorum permittet, quemadmodum in Bethlehem, in qua natus est et in Jerusalem in qua nos redemit. Semper laudem gratiae ipsius personemus humiliantes sub pede ejus, qui cum se diligentibus est, persequi pacientes liberat et insultatores igni perpetuo reservat. Hinc etiam carissimi in domino obsecro, ne in taediis deficiatis, sed potius salvatorem exoretis, ut nobis perseverantiam in bono tribuat, confidimusque de immensa ejus bonitate, quod *verbum suum liberabit* auxiliumque nobis in Antichristum praebebit, contra quem oratione vestra, si Christo libuerit, verbo dei rebellabo. Pax et caritas perfectionis in bono de hincque vita aeterna in gloria sit vobis a domino nostro Jesu Christo Amen.

7. Secunda epistola.

Cod. Univ. X. E. 24. Fol. 380.

Magister Johannes Hus presbyter ac servus in spe domini nostri J. Chr. universis fidelibus poenitentiam agentibus in gratia et pavore in adventu filii dei qui veniens cum angelis sanctis unicuique secundum sua merita retribuet.

Carissimi. Conservate corda vestra quia adventus domini appropinquabit. Scitis carissimi quod conditor ac redemptor mundi, verbum dei, quia dominus Jesus jam semel venit, quo scito pensate in cordibus vestris, in gratia et pacientia vos servate. Pensate carissimi, quod conditor ac dominus mundi verbum dei et dominus aeternus immortalis humiliavit semetipsum factus homo ut nobis peccatoribus fidelibus fideliter deserviat; venit ingens medicus ut vulnus nostrum grande medeatur. Venit omnipotens deus non vivos mortificare, sed mortuos vivificare et electos a morte perpetua liberare. Venit rex mundi summusque pontifex ut legem dei operibus dei sui adimpleret. Venit in mundum non dominari sed animam in redemptionem multis dare. Venit mercator favore avaritiae non oppressus, non bona mundi conglobare, sed populum peccato venditum sanguine suo a dyabolo liberare. Venit potentissimus ut sub potestate Pilati ab *episcopis* (!) sacerdotibus senioribus et religiosis mortem ignominiosam pateretur ac a potestate dyaboli nos eripere. Venit, non electos perdere sed salvare sicut ipsemet inquit: ego veni ut vitam habeant et habundantius habeant post mortem in laetitia aeterna. Electi mei non elati, non fornicarii, non avari, non iracundi, non invidi, non accidiosi, non verbo meo et vitae contrarii, sed electi mei, qui verbum meum audientes et custodientes mecum in gratia patiuntur. Hanc dignationem ex adventu salvatoris cordintime pensantes carissimi! conservate corda vestra in gratia et virtute. Adventus siquidem domini sequens ad judicium appropinquat. Firmate corda vestra carissimi! in gratia pacientia et virtute. Appropinquat enim judicium judicis sagacissimi justissimi et terribilissimi. Sagacissimi cujus sagacitas non decipitur; justissimi qui non munere nec timore nec favore declinatur, cum quo venient justi *jurati apostoli* cum illo hic innocuae morti adjudicati. Appropinquat etiam judicium judicis terribilissimi, quem iniqui non valebunt intueri, ad cujus nutum necessitabuntur omnes nequitias suas universo orbi propalare, cujus libitu animae et corpora igne perpetuo exurentur, quorum velle (sic) perditionem aeternam in tenebris ad cohabitandum daemonibus intuebitur, qui etiam ab ipso hoc judicium justum audient: ite maledicti in ignem aeternum qui praeparatus est diabolo et angelis ejus.

Ecce carissimi! parte utraque pensata ejus indignationem in adventu primo et justitiam et terrorem in altero adventu, confirmate corda vestra in gratia et pavore. Et si qui patimini, ista intuemini et levate

capita, hnc est intellectus vestros quia appropinquat redemptio vestra, redemptio a quacunque miseria, a qua vos in judicio vocabit justus judex, dicens: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis pariter mihi condonare dignetur misericors terribilis et consolationis judex dominus Jesus deús et homo verus benedictus in saecula.

8. Epistola tertia.

1413 (?), 25. Dec.

Cod. Univ. Prag. X. E. 24. Fol. 385.

Carissimi. Quia a vobis *nunc existo segregatus* adeo, quod fortasse multa vobis praedicare sum indignus, attamen caritas, quam erga vos habeo, urget me ut saltem aliquot verbula vestrae dicam caritati. Ecce carissimi quidam angelus quasi hodie pastoribus inquit: annuntio vobis gaudium magnum, quod erit universo populo adstatimque multitudo angelorum vociferate inquit: gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Istud commemorantes gaudete carissimi, quia hodie deus natus est homo, ut sit gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Gaudete, quia hodie *immense magnus* natus est puer, ut sit gloria in excelsis deo et gaudete, quia hodie natus est reconciliator, ut reconciliaret hominem deo et angelo et ut sit gloria in excelsis deo. Gaudete, quia hodie natus est, ut peccatores a peccato purgaret, a postestate diaboli liberaret et a perditione aeterna observando inducat gaudio aeterno ut sit gloria in excelsis deo. Gaudete gaudio magno, quia hodie natus est nobis rex ut plenum regnum coeleste largiretur. Episcopus ut benedictionem aeternam tribueret, pater futuri saeculi ut nos tanquam filios saeculo perpetuo retineret. Natus est nobis frater caritativus, magister prudens, dux certus, judex justus ex eo ut sit gloria in excelsis deo. Gaudete scelesti quia natus est deus *presbyter*, qui cuilibet poenitenti absolutionem tribuit omnium peccatorum, ut sit gloria in excelsis deo. Gaudete quia hodie panis angelorum scilicet deus factus est cibus hominum, ut esurientes refocillet, corpore suo glorioso ut homo mortalis vivat in aeternum. Gaudete quia natus est quia universi dominus dives jam in praesepio tanquam pauper ut nos egenos ditaret. O gaudete quia natus est nobis infans omnipotentis potestatis et quia filius datus est nobis totius sagacitatis et gratiae ut sit gloria in excelso. O carissimi, nunquam modicum de

hiis fieri debet gaudium magnum, siquidem ait nempe angelus: annuntio vobis gaudium magnum ex eo, quia natus est redemptor a quaque miseria, salvator peccatorum, gubernator fidelium suorum, natus est nostorum consolator et datus est nohis filius dei, ut sit nobis gaudium deo in excelsis gloria et in terra pro hominibus bonae voluntatis, quam voluntatem bonam pacem pariterque gaudium deus hodie natus nobis pariter dignetur suffragari Amen.

9. Epistola quarta.

Magister Johannes Hus presbyter et servus in spe domino J. Chr. Universis fidelibus audientibus verbum ejus in Pragensi civitate. Gratia vobis et pax deo patre et domino J. Chr.

Cod. Univ. Prag. X. E. 24. Fol. 384.

Carissimi obsecro vos, ne taediis deficiatis ex eo, quod vobiscum non sum nec ex eo si excommunicant. Confido si quidem salvatoris clementiae, quod mihi pariterque vobis hoc totum in bonum cooperabitur, solum a peccatis nos custodiamus et molestemur de eis, qui deo verboque ejus obviant putantes se recte facere, quemadmodum Judaei qui Christum crucifixerunt et sanctum Stefanum lapidaverunt, de quibus Christus ymo et sanctus Stefanus dixit: quia nesciunt quid faciant. Numquid obest mihi quod blasfemo modo retrogradiendo crucem deserunt, super Judam pangunt, lapidibus in hostia jaciunt, fatigas sibi generando detque dominos ne se se excommunicarent. Excogitaverunt itaque, ut simplices terrerent et ad libitum suae voluntatis ducerent, sed dominus omnipotens dabit cognitionem fidelibus, quid sit hoc, ut cognoscant, quia adinventio et non praeceptum a domino, ut pro erroneis orarent et a deo ipsos fore excommunicatos nunctiarent, sed non ut in templo domini blaspheme contra sibi innocuos taliter agunt. Lapides arripiunt ignorantes quid senciant pro hoc, sed lapidibus jaciunt ut in cutibus eorum sentiatur in memoriam dampnationis aeternae. Datam et abyron qui sacerdotio se implicaverunt minus digni existentes nec illa projectione omnes sacerdotes devovent quia sacerdotio se implicaverant propter divicias delicias et honores. Et peragunt super filios Judae ut sunt instabiles; filii Judae sunt omnes symoniaci a deo excomunicati, qui intuetur, super quos excomunicatio qua ipsi excommunicant, dabit casum et quia multitudo hominum est in dei excommunicatione. Hinc est carissimi, ipsius excomunicationem fugiamus imploremusque gratiam ipsius, in benedictione sua nos

dignetur conservare. *Alia siquidem excomunicatio nobis quidquam nocere non poterit,* sed potens benedictionem nobis tribuet omnipotens praestantissimus dominus. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod paratum est vobis ab origine mundi. Quam benedictionem carissimi exposcamus queritemus prestolemur beneviventes ut pariter in gaudio infinito in saecula maneamus propter meritum domini nostri J. Chr. qui est deus et homo benedictus in saecula saeculorum. Amen.

10. Epistola quinta.

Magister Johannes Huss inutilis dei servus omnibus electis atque zelantibus dominum J. Chr, qui habitant in Pragensi civitate. Gratia misericordia et pax a deo patre et domino Jesu Christo salvatore nostro.

Carissimi. Multum gaudeo ex isto quod verbum dei constanter attenditis et quod misericors salvator *duces efficaces* veritatis vobis largitur. Quare gratiam misericordiam atque pacem cunctipotens vobis condonare dignetur per salvatorem nostrum dominum J. Chr. Gratiam ad bonum quidque in ipsa, quemadmodum bene inchoastis, bene perficiatis et utiliter terminetis, et misericordiam quam in memoria habentes gratanter acceptetis, quia deus homo aeternus bonis summa[1]) pro nobis peccatoribus homo fieri est dignatus, egrotativus conspectus ignominiosus a suis condempnatus, viliter rejectus adeo, quod sacerdotum ducti consilio habentes e duobus eligere populus communis pro J. Chr. salvatore innocuo potius latronem ac homicidam elegit sceleratum et posuit salvatorem in derisum atque ignominiam, sic quod vociferat cum planctu per Jeremiam dicens: audite obsecro universi populi et videte dolorem meum. Et iterum: o vos omnes qui transitis per viam attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus. Iterum clamat ad patrem deus dicens: ut quid dereliquisti me. Sic nempe clamabat cum atrociter et ignominiose in cruce pependit et cum a sacerdotibus blasphemiam patiebatur qui cruce circinata (circumita) clamabant atque coaxabant dicentes: confidit in deum, liberet ipsum Vach, qui destruis templum dei, descende nunc de cruce. Ipse autem clamabat dicens: deus meus ut quid dereliquisti me, clamat ut misericordiam ejus inmensam notaremus. Cum illo blasphemiam

---

[1]) Deest aliquid.

caritative patiemur in necessitate, cum invocaremus et de misericordia, qua nos a dampnatione perpetna redemit grati simus. Sic igitur est misericordia vobis a deo patre, a domino J. Chr. Salvatore, a quo est pax vobis, docuit magister pacificus suos discipulos pacificos ut in quamcunque domum ingrediantur dicant: pax vobis et resurgens ex mortuis intrans ad illos dicebat; pax vobis, volensque ab illis ire in mortem dicebat illis: pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Hinc etiam carissimi ejus more pacem ab illo cupio vobis, pax vobis ab eo ut virtuose viventes hostes, diabolum, mundum, carnem devincatis. Pax vobis ab illo ut pacifici verbum dei audiatis: pax vobis ut prudenter loquamini et ab inimicis custodiremini, pax vobis ut proficue tacere noscatis, qui enim humiliter audit, is malitiose non litigat, qui prudenter loquitur, litigiosum superat, qui utiliter silet, non cito conscientiam laedit propter quae pax vobis gratia ac misericordia. Gratia, a peccatis conservatio, misericordia, ignis acterni liberatio et pax post hanc vitam vilissimam, laeticia aeterna, omnibus vobis fidelibus aeterna requies a deo patre et domino J. Chr. salvatore nostro cui sit laus in saecula saeculorum Amen.

11. Epistola sexta.
1414 (?), 25. Dec.
Cod. Univ. Prag. X. E. 24.

M. Johannes Huss in spe servus domini J. Chr. universis amatoribus ejus peccatorum remissionem, in bono conservationem et post salutem aeternam dignetur nobis tribuere pater deus benedictus in saecula Amen.

Karissimi. *Commemoratio nativitatis domini adit.* Quare domum vestram interiorem purgate a peccatis, quantum amplius sufficitis, verbum dei diligenter ac gratanter attendatis, detractores quoque minime advertatis, qui vetant ne super sermone *meo* ambuletis, prius etenim vos propter me abducebant. Jam causa carent, sed *asserunt me fugam dare,* quod libenter feci, ut sermonem exemplumque Christi confirmarem sermonem quia dixit, si sermonem vestrum in civitate una non susceperint, fugite in aliam; euntes quoque extra civitatem excutite pulverem de pedibus vestris, in testimonium illis et alibi dicit: Cum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam et cum excommunicabant eum et occidere nitebantur, aliquoties fugit. Et praecipue sicut scripsit Johannes capitulo 10.:

cum volebant eum apprehendere, quomodo exivit de manibus eorum et secessit trans Jordanem in hunc locum ubi prius Johannes baptisabat et ibi morabatur. Item capitulo 13 scripsit idem Johannes, quod dum occidere ipsum praetendebant, jam non ambulabat in palam inter Judeos sed secessit in provinciam juxta desertum in civitate quae vocabatur Effren et ibi morabatur cum discipulis suis. Judaei quoque quaerebant illum et loquebantur pariter in templo stantes et dicentes, quid est hoc quod non venit ad festum. Summi enim principes sacerdotum et pharisaei jusserant, ut quisquis sciverit, ubi foret ut ostenderet eum et capiatur. Ecce sic scripsit Johannes. Non igitur mirum est quod *ego* exemplo ejus *fugi* et quia quaeritant et colloquuntur sacerdotes similiterque alii ubi sim *ego*. Insuper carissimi, quia fugi doctrina Christi, non ut sim iniquus, occasio aeternae dampnationis justisque causa pavoris et tribulationis. Iterum ne dementes officium divinum arrestarent. Quod autem a veritate effugerem, confido de domino quia in eadem veritate mihi occumbere parabit. Scitis itaque quod oportebat Christum pati ut ipse attestatur, ipse a patre sibi deputato. Idcirco firmiter teneatis, quod sicut dominus deus dignatus fuerit meum oportunum (me oportunum?), fiet illud, *quod si dignus mortificatione inventus fuero*, dignabitur me ad hanc evocare. Si vero dignatus fuerim, praedicatione plebi suae prorogare, haec omnia in potestate ejus sunt atque voluntate. *Fortasse gratanter me in civitate Pragensi viderent*, ut horas missas caeteraque officia postponerent. Hii quos pungit praedicatio facta ab avaritia luxuria atque superbia. Sed vos verbi dei zelatores cui confortamini libenter propter bonum me tanquam vobis proximum caritative videritis. Similiter et ego vos libenter intuerer verbumque dei vobis praedicarem. In hoc enim et aliorum sacerdotum debet esse summa diligentia. *Vae sacerdotibus* qui verbum dei vilipendunt. Vae qui praedicare tenentur et non praedicant. Vae autem qui praedicare et audire prohibentur. Laus vero illis qui audiunt et custodiunt illud, quia Christus illis indulgentias largitur inquiens: beati qui audiunt verbum dei et custodiunt illud, quam beatificationem dignetur suffragari vobis deus pater et filius et spiritus sanctus unus deus aeternus benedictus in saecula saeculorum Amen.

12. Schluss des böhmischen Tractates de 6 erroribus.

(Anhang zur Postille.)

Daher steht geschrieben zu Bethlehem latein an der Wand von den Irrthümern, welche böhmisch ganz richtig swato kupectwy (Simonie) heissen, wie ich am Anfange dieses Capitels dargestellt habe. Geendet habe ich diese Schrift Mittwoch nach Trinitatis zu Bethlehem und die *Prager Geistlichen mit dem Erzbischofe haben gewusst, dass ich da bin und andere haben mich gesehen und haben doch nicht den Gottesdienst den Befehlen des Papstes gemäss eingestellt*, welche sie gegen mich erlangten, und so waren sie selbst ungehorsam und haben sich nach ihren eigenen Ansichten gerichtet. Daher sind sie verflucht und profani, d. h. sie haben die Priesterwürde verloren.

13. Rescriptum Magistri Johannis Hus Magistro Cristano.

1413.

Cod. Univ. III. G. 6. Fol. 15.

Venerabilis domine rector Magister et pater gratiose. Valde consolatus sum ex vestra litera, in qua inter caetera scribitis: Justum non contristabit quidquid ei acciderit. Et iterum: omnes qui pie volunt vivere, in Christo Jesu persecutionem paciuntur. Ex quibus infertis, quod me non frangat, dejiciat et contristet, sed firmet, sublevet et laetificet tribulatio temporalis sociorumque absencia. Gratus valde istam consolationem accipio pensans scripturae antecedentia. Quia, si justus sum, non me quidquid sic contristabit ut a veritate dejiciar. Et si pie in Christo vivo et volo vivere, necesse est me persecutionem in nomine Christi pati. Quia si oportebat Christum pati et sic intrare in gloriam suam, necesse est nos miseros crucem tollere et sic ipsum in passionibus imitari. Vnde certifico vos, venerabilis domine rector! quod nunquam persecutio me taedio afficit, si non me peccata mea et deordinatio populi christiani non afficerent. Quid enim mihi diviciae saeculi quae sunt stercora, si tollerentur, possent molestiae injicere? quid ablatio favoris saeculi qui scit a via Christi dejicere? quid infamia illata, quae purgat et clarificat dei filios, tolerata humiliter ut fulgeant sicut sol in regno patris sui. Quid *si mihi tolleretur vita misera*, quae est mors, quam

qui hic perdit, mortem deponit et veram vitam invenit. Sed ista non concipiunt homines fastu fama ambitione et avaritia excaecati et quidam timore ubi non erat timor, a veritate aversi, qui pacientia et sic caritate et omni virtute privati tabescunt in animo perplexi mirabiliter, eo quod eos urget ex una parte veritatis cognitio et ex alia parte timor, quo timent famam perdere et corpus miserum exponere usque mortem. Illud ego spero de domino Jesu (ut) exponam, si misericordiam praestiterit, quia non opto in hoc nequam saeculo vivere nisi *ad poenitentiam* me et alios ut possim secundum dei beneplacitum provehere (promovere). Hoc ipsum et vobis opto et hortor vos in Christo Jesu cum omnibus vestris commensalibus, *ut sitis parati ad proelium*, quia primo inceperunt antichristi praeludia ad quae postmodo consequitur pugna. *Et oportet quod auca* (hus) *alas moveat* contra alas vehemot et contra caudam, quae super cooperit abbominationem bestiae Antichristi. Qui est cauda, ostendit propheta dicens, propheta docens mendacium ipse est cauda et honorabilis senex ipse est caput; disperdet dominus caput et caudam i. e. *papam* et ejus *prophetas magistros, doctores* et *juristas* qui falso nomine sanctitatis cooperiunt, abbominationem bestiae. Quae rogo major abbominatio quam si meretrix discooperiendo se totam inferius publice parata esset cuilibet qui vellet cum ea fornicari? Adhuc major est abbominatio bestiae quae parata est a quocunque veniente adorari, sedens in loco dignitatis quasi sit deus et existens parata, vendere quidquid voluerit, quis emere in spiritualibus et vendit id quod non habet. *Vae mihi ergo si super ista abbominatione non praedicavero. non flevero et non scripsero*; mihi vae, vos videritis cui non est vae. *Clamat aquila volitans vae vae vae hominibus habitantibus in terra.*

14. Secunda Epistola directa per M. Johannem Hus Magistro Cristano pro tunc rectori.

1413.

Salus a Christo Jesu vero capite Romanae ecclesiae, quod vere dat vivere sentire et moveri spiritualiter membris suis, cum ipse est, in quo vivimus movemur et sumus ut Paulus asseruit in scolis Athenarum cum philosophis (Act. 11). Inter principalia posuistis, domine Rector, *an velim in hoc stare quod papa est caput sanctae Romanae ecclesiae et cardinales corpus. Et stare in omnibus determinationibus et decisionibus sanctae romanae eccle-*

siae. Vere latet anguis in herba. Nam si papa est caput Romanae ecclesiae et cardinales corpus, tunc ipsi sunt tota sancta Romana ecclesia. Sicut totum corpus hominis cum capite est homo et ipsius discipuli antichristi satellites vocant anthologice sanctam Romanam ecclesiam papam cum Cardinalibus, dato etiam quod in loco petri resideat sathanas cum 12 superbissimis diabolis incarnatis, cujus maxima et principium est, quod quidque ipse cum suo corpore monstruoso diffinierit, quod hoc est ut fides tenendum. Sic enim dyabolus temptans Christum dixit se habere potestatem omnia regna dandi, si ipsum providens (procumbens) adoraret.

Et mirabile est quid volunt antichristi discipuli. Jam detur mirari, circa sacramenta. Nunquam *ab annis 1413* non stetit ecclesia sine determinatione jam futura. Ego scio quod scripserunt ad curiam de consilio doctorum praelatorum et illa reservant ad subsumptionem antichristri ut decipiant majorem concedentes et concludant: *tu haereticus es.* Nam sequitur: Quidquid determinat sancta Romana ecclesia i. e. papa cum cardinalibus hoc est ut fides tenendum. Sed ipse cum suis determinat, quod indulgentiae a pera et a bursa sunt catholice, ergo, hoc ut fides est tenendum. Sed tu *Hus* praedicast oppositum, *ergo revoca haeresim vel combureris.* Item quidquid determinat papa etc. Sed determinat, *quod Hus est in excommunicatione* pertinax et sic haereticus. Ergo *est condempnandus.* Item quidquid determinat papa etc. Sed determinat papa quod *conventio doctorum* alias inimicorum veritatis *facta in praetorio, est* justa et sancta, ergo est tenenda. Item quidquid papa determinat est tenendum. Sed ipse determinat, *quod omnes habentes libros wycleff* dent eos ad comburendum et abjurent, ergo est hoc 'enendum. Item quidquid papa determinat etc. Sed papa in bulla determinat *quod nullibi in capella praedicetur* etc. Item quidquid papa determinat est tenendum. Sed Bonifacius (Papa IX. 1403) cum cardinalibus solempniter determinat, quod *Wenceslaus Rex Boemiae non est Rex Romanorum* nec Sigismundus Ungarorum, ergo hoc est tenendum. Et quis potest rimari ex nobis, quot secundum voluntatem propriam incohaerentia concluderet antichristus. Video ergo, quod doctores vellent componere Christum cum belial, sic tamen, quod Christus non habeat nominationem capitis sanctae ecclesiae sicut nunc faciunt mentionem de Christo in suo scripto consilio. Vellem scire si papa Liberius haereticus, similiter Leo haereticus et Johannes papa, *quae peperit*

puerum, fuerint capita Sanctae Romanae ecclesiae. Et si sic tunc non refert quando aliqua de post meretrix vel antichristus praecipuus sit caput sanctae Romanae ecclesiae. Et tunc sine dubio vult antichristus pacificari Christo. Sed quae conventio Christi cum belial? Non sufficit sibi et suis satrapis, quod ipse sit vicarius Christi, si tantum implet efficaciter legem Cbristi et quod ipsi sint ministri ecclesiae perficientes opus regulariter evangelizandi, quomodo apostoli sanctissimi dicunt se esse ministros datos ecclesiae ad docendum ipsam legem Christi. Vellem libenter jus doctoris Romani videre. Quid vellet probare pro hoc quod Christus fuit caput ecclesiae in triduo, sicut fuit sine dubio; a principio enim incarnationis suae fuit caput ecclesiae intuendum secundum humanitatem, quam nec in triduo deposuit et per consequens fuit caput ecclesiae sanctae in triduo quasi persona in genere humano dignissima, excellens angelos et quemlibet hominem et sanctos in limbo patres, qui erant omnes membra ecclesiae, quae caput eorum do limbo post se traxit et postmodo in gloria collocavit et virgo mater Christi fuit tunc patriarchalis ecclesia militans in fide et karitate, quae plus valuit quam omnes apostoli et per cousequens plus quam omnes cum papa moderni praelati. Et dictum illud doctoris quod *katholica ecclesia apostolica et Romana ecclesia idem sunt,* si Romana ecclesia supponit(ur) ibi pro universali ecclesia, cujus patres sunt apostoli, tunc est verum. Si autem Romana ecclesia supponit(ur) ibi pro papa cum cardinalibus, tunc non est eadem ecclesia Romana quam katholica Apostolica sicut nulla patriarchalis ecclesia est universalis ecclesia sancta apostolica. Vellem quod mihi dicerent doctores pro qua causa citatur ibi Romana ecclesia, ubi XXIV § primo capitulo hoc est fides, dicitur sub autoritate Jeronimi: Sancta Romana ecclesia, quae semper immaculata permansit domino providente et beato Petro apostolo opem ferente, in futuro manebit sine ulla haereticorum insultatione. Non enim ibi capi potest pro papa et Cardinalibus, quia illi sunt plus viciis maculati quam alii, sed testabantur *Stanislaus* et *Palez,* et papae fuerunt haeretici multi et valde lubrici et mulier praesedit in capite, quomodo ergo Romana ecclesia seu cardinales cum papa sine macula semper permansit? O si essent contenti antichristi discipuli, *quod sancta Romana ecclesia sunt omnes fideles sancti christiani militantes in fide Christi,* quam Petrus *Episcopus Romanus,* sed principaliter Christus Episcopus docuit, et si Roma

per possibile cum papa et cardinalibus subverteretur ut Sodoma, *adhuc maneret illa ecclesia sancta.*

15. Tertia epistola M. Johannis Hus ad M. Cristanum rectorem.

Venerabilis domine rector pater et Magister reverende. *Scisma populi non credo, quod possit sopiri,* quia prophetiam Christi oportet impleri, quia non venit mittere pacem, *sed gladium,* quo separet patrem a filio et matrem a filia etc. Et prophetia Pauli dicit: quod non consumabitur filius iniquitatis donec venerit scissio. De infamia Regis et Regni, si rex erit bonus et regnicolae saltem quidam dum erunt boni, quid nobis, cum Christus per maximam viaret infamiam cum suis electis, quibus dixit: absque synagogis facient vos et morte afficient ex vobis, credentes se obsequium praestare deo, et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Trademini a parentibus et cognatis, quod est plus quam pati a Stanislao vel Palez. De victoria autem mea nihil ad famam saeculi, quia scio, quod vincit qui occiditur. *Materiam autem discordiae* scitis *prima est condempnatio articulorum. Secunda* ut audistis, indulgentiarum spoliatio. Et jam superaddita est *tertia* in consilio pharisaeorum; primo in isto puncto, *quod ego cum conpraedicantibus simus clerus pestiferus errans circa sacramenta;* 2° in isto haeretico dicto: *non possunt inveniri vel dari super terram alii tales successores quam papa* existens caput et collegium cardinalium existens corpus ecclesiae Romanae. 3° in isto puncto consilii: papa est caput, corpus vero collegium cardinalium existentes manifesti veri successores principis apostolorum; 4° in isto puncto: *sedi apostolicae* i. e. papae cum cardinalibus, Romanae ecclesiae et praelatis est obediendum in omnibus quibuscumque, ubi non prohibetur purum bonum vel praecipitur purum malum. Vnde de gratia dei spero, quod nunquam tam malos errores seminavi nec seminabo. Quid enim, potest amplius extolli antichristus super omne, quod dicitur deus (i. e. super deitatem et humanitatem christi) quam dicere, quod non potest deus dare alios successores suae ecclesiae quam est papa cum cardinalibus? Si posuisset, quod non potest deus dare alios pejores successores suae ecclesiae quam est papa cum cardinalibus, haberent majorem evidentiam dicti. Aestimo ergo, quod per eorum inventiones deus occasionabiliter revelat nobis antichristum cum suis discipulis, qui dabit nobis scientiam et spiritum fortitudinis ad impugnandum hujusmodi seductores.

16. Quarta epistola M. Johannis Hus ad M. Cristanum.

Salus a domino Jesu Christo. *Consilium facultatis theologicae, si starem ante ignem mihi praeparatum, juvante Christo domino nostro non acceptabo.* Et spero quod *mors* prius vel me vel duos aversos a veritate ad coelum vel ad infernum diriget, antequam eorum sententiae consentiam. Cognovi enim ambos, quod prius vere fatebantur secundum legem Christi veritatem, sed timore percussi in adulationem papae et in mendacium sunt conversi. Et *Palecz* vocat nos wiklefistas quasi in communi fide christianitatis deviantes et *Stanislaus* vocat infideles perfidos insanos et clerum maledictum. Sed ista non adverterem, dummodo non confortarent in malitia antichristum. Sed spero cum dei gratia, quod si oportuerit, volo me adversus eos *usque ad ignem comburendum statuere.* Et si ego non possum liberare veritatem per omnia, saltem nolo esse inimicus veritatis et per *mortem obsistere consensui,* currat mundus sicut deus eum permiserit currere. *Melius est bene mori* quam male vivere, *propter mortis supplicium non est peccandum.* Praesentem vitam finire in gratia est exire de miseria; qui addit scientiam, addit laborem. Qui veritatem loquitur, caput sibi concutit. Qui mortem metuit, amittit gaudia vitae. Super omnia vincit veritas. Vincit qui occiditur, quia nulla ei nocet adversitas, si nulla ei dominatnr iniquitas. Ait enim Petrus Apostolus: Quis est qui vobis noceat, si aemulatores boni fueritis. Beati estis, cum maledixerint vobis homines, ait veritas. Omne gaudium existimate fratres, cum temptationes varias incideritis. Beatus vir, qui suffert temptationem, quia, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae. Haec sunt verba mea fundata et fercula quibus reficitur spiritus meus ut sit fortis contra omnes adversarios veritatis. Et doctores illi, de quibus dicitis, nolunt facere contra conscientiam, *vos scitis quomodo Palecz* loquebatur prius *in domo vestra.* Et scio certitudinaliter, *quod Stanislaus tenuit* et in scripto summarum scripsit de *remanentia panis.* Et *a me quaesivit antequam disturbium incoepit, si vellem idem secum tenere.* Ecce postea juravit et abjuravit et *post duos annos* quando *Stiekna* venit cum suo tractatu, postquam timuit Archiepiscopum, nesciens subterfugere dixit per juramentum, quod *tractatum illum non perfecit.* Et antequam fuit vocatus ad curiam Archiepiscopi dixit: oportet, quod *Stiekna* monachus flectat ante me genua et petat, quod

parcam, quod ausus est tractatum meum novam plantationem erroneam annotare. Quomodo ergo possum eis credere quod non libenter facerent contra conscientiam. Et estne eis salvum per conscientiam, quod nos vocant infideles, perfidos, insensatos, a catholica fide christi deviantes et maledictum clerum. Deus haec judicet. De *commutatione* (parochiae) vestra videtur mihi in conscientia, quod nullo modo dimittatis eam, quia spero, quod est ibi clypeus contra antichristum, vnde deus ordinavit meo judicio, quod sicut circa illam ecclesiam fuit *unus plebanus* maximus inimicus verbi dei, sic vos deus e contra ordinavit, ut sitis amicus verbi dei. De parochianis ex quo nolunt habentes omnem procurationem spiritualem grate accipere, habeatis Ezechiel 3°, planam sententiam pro vestra excusatione ibi legatis. Illis scribam quos nominastis; tractatum dum rescribent contra scripta Stanislai dirigam vobis. Valete in Christo Jesu. ***Aestimo quod peccavi ad voluntatem Regis praedicationem dimittens et ergo jam nolo sic peccare.***

17. Quinta epistola M. Joh. Hus ad M. Cristanum.

(Responsio finalis.)

In isto volo stare: quod habeo papam pro vicario Christi in ecclesia Romana sed non est mihi fides. Item in isto sto: Si papa est praedestinatus et exercet officium pastorale sequens Christum in moribus, ***tunc est caput tantae militantis ecclesiae*** quantam regit. Et si sic regit capitaliter secundum legem Christi totam jam militantem ecclesiam, tunc est verus ejus capitaneus sub archicapite domino Jesu Christo. Si vero vivit Christo contrarie, tunc est fur, latro, ascendens aliunde et est lupus rapax, ypocrita et nunc inter omnes viantes praecipuus antichristus. Debent ergo secundum praemonitionem Christi oves cavere sibi a tali lupo et attendere prophetiam Christi dicentis: Si dixerint ecce hic est Christus, nolite credere, quare (quia) surgent pseudochristi i. e. ***papae*** sub nomine Christi et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur si fieri potest etiam electi. Beatus ergo qui non timuerit ipsorum terrores de coelo fulminantes i. e. excommunicationes, quibus terrent justos et admirationem inducunt in populis, et prodigia i. e. a longe facta miracula, quia a ***Romana curia Pragam per ducenta milliaria***, qualia nec fecit Simon magus nec Petrus

Apostolus. Beatus etiam qui considerat abhominationem desolationis quae dicta est (a) Daniele stante in loco sancto; qui legit, intelligat, ait Christus caput ecclesiae. Quae enim potest esse major abhominatio desolationis in loco sancto i. e. in dignitate sancta, quam in quo resedit sanctissimus piissimus mitissimus humilimus pauperrimus laboriosissimus patientissimus castissimus, in illo loco sanctitatis i. e. in sanctitate residet nomine sanctissimus, *re pessimus*, crudelissimus, vindicatissimus, superbissimus, modo ditissimus, acidiosissimus, impatientissimus, immundissimus. Nonne est abhominatio in abstracto desolationis, vere in deserto omnium virtutum derelicto loco ostenditur a pseudoprophetis Christus, prophetavit et praemonuit suos. Christus dicens: Cum videritis abhominationem in loco sancto, qui legit, intelligat. Et post, si dixerint, ecce in deserto est christus, nolite credere, nolite exire scilicet a fide et caritate, quam vobis ostendit, dicens: Quia major est in regno coelorum, qui est humilior et qui se exaltat, est abjectior. Nolite credere omnibus, quae dixerin vobis pseudoprophetae ostendentes, quia Romae residet capitaliter in persona Christus. O beatus qui non fuerit scandalizatus.

Item in isto sto: quidquid Sancta Romana ecclesia vel papa cum cardinalibus decreverint vel mandaverint tenendum vel faciendum secundum legem Christi, illud humiliter ut fidelis christianus *volo revereri* et venerabiliter acceptare. Sed non quidquid papa cum cardinalibus universaliter diffinierit vel mandaverit, quia *jam feci oppositum* et *sto in opposito*, propter quod *excomunicor prout scitis pro isto.*

Hostiensis in lectura super VII° decretalium capitulo a nobis, tenet, quod papa sicut et tota curia Romana errare poterit in via morum sed saepe errat in judicio veritatis. Istam expositionem audacter teneo. Quia ex quo XII *apostoli errarunt* in judicio veritatis et in via morum a Christo electi et habentes spiritum sanctum, quomodo papa cum Cardinalibus non poterit in judicio veritatis deficere et in via morum factum est, dum Johannes papa *Agnes mulier* et omnes Cardinales ymo pertinentes ad ecclesiam Romanam fuerint decepti in judicio veritatis, *cum Johannes ipsa Agnes dixit se esse patrem sanctissimum* et Cardinales cum aliis id ipsum affirmaverunt. Beatus sit ergo Christus Jesus qui ad nostram doctrinam et sanctam cautelam permisit in sua Ecclesia id factum.

Appendix ad epistolas Johannis Hus.

1. Hymnus de Magistro Johanne Hus.

Cod. Palat. Vien. 4902 Fol. 63 *a*.

Plaudat chorus fidelium laudes solvendo debitas, cuncta regente domino, per quem victores triumphant. Qui de gente Bohemiae mundi vergente termino zelatorem suae legis Johannem Hus dedit populo. Quem replens suo spiritu ut Helyam et Baptistam scelestum clerum ne periret jussit ei arguere. At ille Acbab durior et Herode austerior ut aspis surda contempsit monita salutifera et in suo concilio Constantiae tunc habito flammis aduri mandavit sanctum et deo dilectum cujus spriritum dominus pro quo pugnavit strenue orans coronis coelicis sanctorum junxit agmini.

2. Prosa vom heiligen Magister Johann von Hussinetz heiligen Andenkens auf sein eigenes Lied verfasst von Johann Taborsky [1]).

O König über die Könige Christe! nach Deiner heil. Menschwerdung im Jahre nach Deiner Geburt 1415 glorreicher Herr! Deinen Ruhm unerschütterlich verkündend, im Böhmerland gebürtig, zugenannt Magister Johann Huss für Deine Wahrheit gab sein Leben hin. Christo! Deinen Marterkelch trinkend am Samstag in der Octava Petri und Pauli der heiligen Apostel zur ewigen Ruh heldenmüthig er sich begab. Guter Herr! Dein Diener Magister Johann Huss getreu Dir und dem Getreuen lieb, ein musterhafter Priester, in getreuer Lehre und tugendhaftem Wandel erstand. Gottes Deines Vaters Willen, seine Gebote erkennend, alle Andern lehrte er ohne Unterlass, ein getreuer Bote, ein wahrer Nachfolger der Apostel. Du des himmlischen Vaters Sohn, Sohn der reinen Jungfrau! Deinetwegen gehasst von dem wüthenden Tross litt er und wurde er Ketzer genannt, Dein geliebter Jünger. Du von Ewigkeit her geborener Jesu Christ, Du ewige Wahrheit! Deine Urkunde wurde von den Gegnern Deines Wortes der Verhöhnung Preis gegeben und fälschlich verklagt. Du Gottessohn o Jesu Christ, Du aller Getreuen Hoffnung! Dein Predi-

[1]) Nach dem im städtischen Archive zu Prag befindlicheh Cantionale, übersetzt von Herrn Erben, dem verdienstvollen Herausgeber der Regesta Bohemiae et Moraviae.

ger wurde von *seinem eigenen* Volke angefeindet und nach Rom zum Spotte und Hohn aus Hass citirt. Maria Deiner Mutter ehrenhafter Bekenner nnd aller Deiner lieben Heiligen wahrer Anbeter wurde von dem Priesterhass falsch angeklagt. Lass mich o lieber Herr Jesu Christ noch weiter erzählen, die Unschuldigen rühmen, die auf Abwegen befindlichen tadeln, jene die Deine getreuen Diener quälen wider alles Recht. Bei seiner Gerechtigkeit war doch für ihn keine Hülfe, er wurde für ungehorsam erklärt, er Dein Lamm o Jesu Christ! und so wurde damals die Unschuld aus Prag vertrieben. Als Elender nnd als Verächtlichster wurde er von den Priestern gescholten, an ihm aber dem Jünger Christi wurde nichts dergleichen gefunden; in einer anderen Gegend verkündigte er die Wahrheit. Jene die er nun gerne besucht, unterrichtete er, die Sünder machte er zu Büssenden nnd bekehrte sie zu Gott, und diese seine Arbeit setzte er in jener Gegend zwei Jahre fort. Du liebst die, welche Du züchtigst o guter Jesu! und das hast Du an Deinem standhaften Ritter bewiesen, als er einen schweren Kampf heldenmüthig Deinetwegen wagte. Dass er zum Constanzer Concilium freier gehen könne, einen Geleitsbrief gab ihm der betrügerische Sigmund König von Ungarn, damit unter reissende Wölfe das fromme Schaf gelange. Für die getreuen Glieder war Ursache da herzlich zu weinen, dass der Antichrist durch seine Glieder den Getreuen martern durfte. Himmel und Erde muss sich darüber wundern. Sie wollten nicht mehr leben, ohne ihn aus der Welt zu schaffen; sie nahmen gefangen, warfen in den Kerker und schlugen in Fesseln den Gottesfreund, sie die grausamen Henker. Ohne alle Pflege der heiligen Gerechtigkeit nahmen sie sich vor, den unschuldigen Menschen, der in aller Heiligkeit dastand, zu überweisen; sie die falschen Kläger. Bestechung, Falschheit, List, jede Ungerechtigkeit, hergelaufene listige Zeugen, des Lasters Rädelsführer warb man an und so zum Tod übergab den Gerechten jener Höllentross. Das Licht der getreuen Prediger vor allen glänzend würdigte man zum Schlechtesten und Verächtlichsten herab, des Priesteramtes beraubte ihn die simonistische Hand. Des Himmels geheimnissvolle Sachen nahm man ihm ab, die Bücher zerstörte man ihn, ihn des Priesterthums beraubend und so übergab man ihm der weltlichen Macht zum Feuertod. Du lässt die Deinen Böses mit Gutem vergelten o Herr! er that es auch; kniete weinend nieder und betete für sie und so ging er selbst freiwillig zum Opfertod! die für die Kirche

bestimmte heilige Lehre, die er verfasst hatte, wie auch andere Bücher, die ihm jenes Concilium zuschrieb, liess man, als er zum Tode ging, zuerst vor ihm verbrennen. Du hast es o Herr zugelassen, dass man die Deinen verspotte; eine Afterkrone verfertigten sie und setzten sie ihm aufs Haupt; aber er faltete die Hände: Du hast mich o Herr erlöset, äusserte er mit Vergnügen unter einer Dornenkrone, als Du zum Tode gingest. Diese leichte will ich nun freudig Deinetwegen tragen, Deine Wahrheit bekennend, o gütiger Jesu Christ. Es schritt zur Hochgerichtsstätte Dein lieber Priester, Dich allein anbetend gab er sich dem Feuertode hin. Mit Deinem heiligen Blute gestärkt vergoss er ihretwegen sein Blut. Und als er nun auf diese Art sein Leben geendet hatte mit den heiligen Märtyrern, die ewige Krone er empfing, damit wenn Du einst in Herrlichkeit die Lebenden und Todten zu richten kommst, die Augen aller Guten und Bösen sehen mögen, dass Du dem Johann Huss die himmlische Krone geschenkt. Es wäre fürwahr zu verwundern, wenn alle getreuen Böhmen nicht weinen sollten und ihnen nicht beständig leid wäre um diesen ehrenwerthen und so berühmten Mann. Dir o hochglänzender Verein der Prager Hochschule, dir einmüthige Bruderschaft von Doctoren, Magistern und Bacalauren, sei es leid um Deinen lieben Genossen. Ihr mit dem Priesterkleid geschmückten getreuen Prediger, ihr ehrbaren Jungfrauen und betrübten Wittwen, ihr aufrichtigen Ehegenossen und auch du gesammte *heilige* Versammlung von *Handwerkern*, ihr durch den Ruhm (Glanz) einer Ehrengeburt über Andere erhabene Herren, ihr über Andere höher gestellte tapfere Ritter! der gesammte böhmische hochberühmte Adel weine und klage, und Du o Herr des himmlischen ewigen Glanzes und Ruhmes, vergieb uns unsere Sünden, gib uns das Geschenk Deiner Gnade und vereine uns in Deine Heimat mit unserm Prediger, dem berühmten Märtyrer Johann Huss, dort wo es keine Schmerzen, keinen Jammer mehr giebt, sondern wo einer ewigen Lust und Trostes Deine lieben Auserwählten in Dir selbst sich erfreuen in ewiger Glorie.

(Das Ganze erscheint als ein Paraphrase des, Johann Huss zugeschriebenen Gebetes, dessen einzelne Worte als Anfangsworte der verschiedenen Strophen genommen sind:

Glorreicher König, guter Jesu Christ, Gottes des Vaters und der Maria geborener Sohn! verleihe Deine Hilfe den Bedürftigen, die Du liebst, auf dass sie ohne Makel zu leben vermögen. Du schenkst das

himmlische Licht der heil. Kirche, die Du mit Deinem heil. Blute erlöset hast, damit sie überaus glänze im Kleide der Glorie in Ewigkeit.)

3. Copia literae directae Magistro de Palecz a M. Cristano.

1417.

Cod. Mus. Boh. 4. D. 12. Fol. 91. Coll. cum cod. Allovadensi.

Magister Reverende! Si pro nunc aliqualiter sumus discordes in conscientia, nihilominus sumus concordes in fraterna caritate et praesertim in hiis, quae respiciunt proximorum salutem et oremus, ut deus mihi et vobis det veram ejus voluntatem acgnoscere ut nullum mortis periculum metuamus. Jn Gurzim quia oves sine pastore errantes petierunt me ut propter antiquum amorem et debitum quod promisi providere circa ecclesiam vobis absente et illum, qui se pro plebano gerit aliqualiter propter eorumdem displicentiam semoverem, quod et feci *regis voluntate* et *subcamerarii* et in locum vestrum dominum *Petrum* quondam Magistri Stanislai famulum pro vice gerente constitui usque ad adventum vestrum. Cum igitur gratiam Regiam habere potueritis, ipse paratus est cedere vobis vel cui fuerit a vobis praeceptus. Igitur si haec est voluntas vestra, tunc scribite mihi vel intimate quod habeat a vobis curam animarum propter populi unionem, alias ipse recedet et qui dixit sepe (se) per me fore spoliatum subintrabit. Valete. Datum etc.

4. Responsio Magisti Stephani satirica ad magistrum Cristanum.

1417, 14. Dec.

Reverende magister et frater propter Christum dilecte et utinam adhuc in Christo diligende.

Natura (enim) humana vos facit mihi proximum et sic potest dilig ipso praecipiente: dilige proximum tuum sicut te ipsum. Verum tamen propter discordiam conscientiae vos retrahor diligere in Christo. Non enim potest inter nos esse discordia in conscientia, nisi ego aliquid vel aliqua judicem esse mala in moribus aut eis, quae sunt fidei contraria, quae vos vera judicatis vel e converso. Utrumque vero horum heu reperio, cum ego me fidei totius conformans christianitatis plura judico et assero esse fidei christianae contraria, quae per vos et vestros sequaces deposita conscientia intrepide contra ecclesiam sanctam prae-

dicantur asseruntur et dogmatizantur. Quomodo ergo ut scribitis, si pro nunc sumus discordes in conscientia, esse possumus in fraterna caritate (concordes), nisi juxta theologiam, quam jam practizatis, caritas fraterna *possit esse sine fide* et variis erroribus implicata, cum tamen ille summus theologus post Christum alte volans aquila dicat: „si quis venit ad vos et hanc doctrinam sc. quam tenet ecclesia sancta, non affert, nolite eum recipere in domum nec ave ei dixeritis. Qui enim illi dicit ave, communicat operibus illius malignis.“ (Et) ex priori radice: quomodo etiam potestis habere fraternam caritatem praesertim in hiis, quae respiciunt proximorum salutem, quoniam judicio meo et totius ecclesiae sanctae, cui in multis, quae sunt fidei, resistitis, non procuratis, *sed plebanos veros et katholicos repellere ab ecclesiis propriis disponentes,* Wiclefistas instrusos sacrilegos, desperatos fovetis et illos intrudi totis conatibus laboratis et dilectione proximorum postposita, eos cibo salutifero spoliantes, ipsos per vestros intrusos (sacrilegos) cibo nutritis venenato. Nam *ad hunc finem* catholicis plebanis repulsis vestros promovetis, ut suos errores multiplicent et in populis introducant. Estne haec fraterna caritas, salutem respiciens proximorum et non potius *diabolica,* mortem procurans animarum, quam etiam circa oves mihi commissis exhibere satagitis ex compassione et amore debito simulatis, uno enim mercenario expulso mortifero et pestifero, alium ita pestiferum ad pascendum oves ecclesiae meae praesentastis. Non enim dubito, si vestris et vestrorum esset erroribus contrarius, ejus sicut aliorum similium non intenderetis promotioni, experientia docente. Ideo non mihi ex caritate fraterna consulitis, ut illi intruso curam committam animarum prupter populi unionem. Melius est enim et multo melius, *quod rixae et dissensiones et scandala in populo oriantur quam omnes erroribus consentientes seducantur.* Sed vae illis, per quos talia in populo seminantur, unde scismata odia et homicidia committuntur; hii enim non sunt Christi discipuli sed jugiter antichristi praecursores. Nam etsi sunt multa Christi praecepta, cuncta tamen in sola *dilectione* solidantur, nec habet aliquis viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice caritatis. Qui ergo illam radicem suis malis suasionibus perversis dogmatibus vel ordinationibus de cordibus evellunt fidelium, quid aliud faciunt, quam praecursores existentes *antichristi,* bona opera de genere fidelium a forma denudant praeformante, ipsa meritis debitis spoliantes, dum bene eundem discipulum antichristi propheta descripsit dicens: sub lingwa ejus labor et dolor

est. (Propter vero legis Christi observantiam quam falsa praedicat se tenere et tueri. Cod. Cap.) Sedet in insidiis cum divitibus in occultis ut interficiat innocentem populum perversa dogmata. Sub lingwa ejus labor et dolor est, propter verae legis observantiam quam false praedicat se tenere et tueri, sed in opere non ostendit. (Sedet in insidiis propter autem saecularem potestatem cum divitibus in occultis, quia simul et perverso dogmate et potestate utitur saeculari ut quos etc. Cod. Cap.) finaliter ideo cum eis ut interficiat innocentem, quia simul et perverso dogmate et potestate utitur saeculari ut quos ille antichristi praecursor non potest loquendo seducere, *potentium terrore* ad consentiendum erroribus satagit inclinare. De quibus bene dicitur per iob: per gyrum dentium ejus formido. Quod beatus Gregorius in moralibus exponens sic ait: iniquos praedicatores antichristi per se hujus saeculi protegunt potestates. Idcirco isti perversi praedicatores aliquos sub dentes conterunt, quia sunt circa ipsos; aliique infirmorum mentes terrentes affligunt. Quale utique *illud persecutionis tempus in Boemia et Moravia* jam apparet, cum ad pervertendas mentes fidelium *alii verbis saeviunt, alii gladiis terrent, alii bonis temporalibus privant ecclesiasticos* et *saeculares* et *expellunt de civitatibus*, ut ipsos ad suos errores protrahant et multos complices suorum acquirant dogmatum perversorum, ut iniquitatum suarum pertinacia uniti, firmius perdurent, qui pauci facilius corrigi poterant et reduci. Et ex hoc heu tanto magis de die in diem *a cogitatione justitiae separantur, quanto ad se invicem plures colligantur.* Teste eodem beato Gregorio: Sicut noxium esse solet si unitas desit bonis, ita perniciosum est, si non desit malis, perversos quippe unitas corroborat, dum concordant, et tanto magis incorrigibiles, quanto unanimes facit. De hac unitate reproborum dicit Salomon: Stuppa collecta Synagoga reproborum eo quia ad defensionem suam vicissim conserti (constricti) sunt qno se sibi per omnia similes esse meminerint. Similiter lib. Judicum: sunt ut vulpes pro caudis facibus colligatae ut vos universos consumant. Igitur Math. 23. Chris tusdicit eis: vae vobis scribae pharisaei ypocritae. Colligabit eos insimul in manipulos straminis ut fortius in inferno ardeant. Ne igitur ad hanc unitatem consentiam reproborum et eorum malitiae efficiar particeps ex consensu, *nullomodo consentire debeo* ad dandum illi intruso curam animarum ut postulatis, *quia eum Wiklefistam et Hussitum cognovi ab antiquo.* Sed si ero in libertate administrationis ecclesiae meae aliquando constitutus, tunc omnibus

ecclesiae meae ovibus de pastu ut antea consuevi, per me et alios presbyteros *katholicos* providebo. Non enim mala quae me in *exilio existente* circa ecclesiam meam committuntur, conscientiam meam aggravabunt, sed illum et illos qui pastorum katholicorum ab ecclesiis propriis ordinant exclusionem, pro eo quod eorum erroribus (viriliter) contradicunt. *Nec de hoc dominum Regem habeo inculpare, quia scio et veraciter scio, quod ex se haec nullatenus admittet nisi per vos et vestros complices instigatus*; suam serenitatem in *concilio* et ubique terrarum *de violentiis illatis clero, instanter excuso* et excusabo non haesitans. Sicut de voluntate domini Regis et subcamerarii in locum meum dominum *Petrum quondam servum Magistri Stanislai* provice gerentem usque ad adventum meum nulla habita auctoritate canonica constituistis, ita ergo si optabatis salutem illarum ovium ecclesiae *Gurim* meae, quibus ex promisso et debito antiquis ut asseritis obligamur providere; poteratis mihi, qui verus pastor sum, ipsam administrationem vice versa impetrare. Nunc autem ex scriptis vestris plene intelligo, quod *non salutem* illarum ovium ecclesiae Gurim intendistis ex una, cum uno intruso (pestifero et sacrilego) semoto alium praefecistis, dioecesani fugientes officium (fungentes officio) nec meum profectum ex fraterna caritate parte ex altera, in qua scribitis nos debere concordare in conscientia discordante. Illam autem caritatem, si sic dici meretur, nec ex practica nec ex scripto possum colligere, cum titulum suprascriptionis mihi subtrahitis nec vos in litera mihi subscribitis (subscripsistis); tantum missa haec non sunt indicia et signa fraternae caritatis sed odii et rancoris. Emendet vos omnipotens deus et emolliat duritiam cordis vestri, in qua diu perstitistis, ut vos communitati christianorum in fide et observantiis ecclesiasticis conformetis et ad fidem et observantias ecclesiasticas, in quibus fuistis enutritus redeatis, adinventiones modernas frivolas et insanas post ponendo, sacrae sripturae, sacris canonibus et toti ecclesiae repugnantes. Experietur (Experior) enim ex vestra scriptura quod sinderesis in vobis adhuc in bonum deprecatur (et regnat), dum a me illi intruso curam animarum postulastis, scientes sane, quod ipse saluti animarum non potest providere, solvere nec ligare nec auctoritate pastoris illarum ovium sibi concessa proxime vel mediate. Hoc lumen interius sequimini, donec (non) extinguatur. Et videte ne bonum quod in vobis est, tractu operis obfuscetur (tractu temporis obscuretur et offuscetur). Hinc stimulo vos ad bonum,

instiganti non recalcitretis, alias aedificaretis ad gechennam tantaque mala ac nephanda, quae in Boemia et Moravia per vestros sacerdotes sacrilegos et pestiferos antichristi praecursores contra clerum et ecclesiasticam libertatem patrantur adhaerentes, *quorum (fautor et) defensor estis et promotor*, perpendentes ex animo; ad antiquam vestram utique bonam revertamini conscientiam, quam reliquistis errore seductus aliquorum vel favore. Et curetis omni diligentia adhibita reformare, quae vestro patrocinio vel consensu aut dissimulatione in destructionem vel infirmationem cultus divini, fidei et reverentiae sanctorum et ipsorum reliquiarum ac obedientiae praelatorum libertatisque ecclesiasticae tanquam peregrina sunt introducta; scientes indubie, *quod illa violentia et turbatio catholicorum cum potestate saeculari et colligatione* in aevum non poterit perdurare. Sed deus clementissimus, qui ista occulto suo judicio permisit suboriri, intercessione gloriosae virginis Mariae et nostrorum patronorum mediante et omnium sanctorum populum suum in brevi respiciet, illa mala misericorditer amovendo et ipsum priorem cultum devotionis fideique et obedientiae pro sua gloria revocabit, *in qua olim prae caeteris populis rutilavit.*

Scriptum Constantiae feria III, proxima post festum sanctae Luciae anno domini MCCCCXVII.

5. Revocatio studii Pragensis per concilium Constantiense.

Cod. Capit. G. XIX. Fol. 30.

Sacrosancta et generalis Constantiensis synodus ad futuram rei memoriam. Ecclesiam suam dominus continua pietate custodiens, quam in multis miserationibus desponsatam tanta caritate complectitur, ut ipsa laevam ejus sub capite suo sentiens et dexteram in amplexu latabunda dicat, dilectus meus inter ubera commorabitur nec dimittam illum donec me introducat in suae cubiculum genitricis. Nam saepe nunc ipsam per haereticos nunc per scismaticos nunc retro per Saracenos et alios incredulos temptare permittit, ut forsan ammodo innoxia videatur, sed erudita pocius ad salutem terrena despiciat et coelestia concupiscat, nec non ad supernam patriam ardenter semper aspirans incolatum suum defleat cum habitantibus Cedar prolongatum. Verum tamen ne nimio terrore deterrita in exercitatione plus debito perturbetur, eam ne quoque dominus ultra temptari patitur quam

valeat sustinere, sed faciens cum temptatione proventum, ipsam misericorditer consolatur ut eadem gratanter exultans cantet misericordias domini in aeternum.

Sane jam diu ipsa ecclesia temptata et turbata extitit lacrimabili vultu conspiciens, quod *universitas studii Pragensis*, quam olim ipsa ecclesia pie plantavit nec non multis immunitatibus et privilegiis magnifice et liberaliter decoravit et plantatam diu extunc fovit atque nutrivit ex intentione, ut viros jugiter perducat virtutum fecunditate praeelectos, catholicae fides alnmnos et scientiarum doctrinis laudabiliter eruditos, qui sanis doctrinis eorum et si (cum) necesse foret, praecipue contra haereticos et scismaticos viriliter et constanter arriperent scutum et gladium et ad bellum exsurgerent potenter et ardenter in adjutorium matris suae. Sed heu postquam universitas ipsa ut recens fama est sanis doctrinis copiosaque multitudine scolarium ex omni terra illic tunc confluentium et studentium potissime *Germanorum* diu mirifice floruerat et apparuit quasi castrorum acies ordinata ac gloriosa ubique de illa dicerentur, eidem ecclesiae in amaritudinem conversa est, *cum post discessum trium nationum* (a) dicta universitate in *praevaricationem vocum* consentire *nolentium* et successu temporis plurimorum etiam de natione *bohemica* doctorum et magistrorum erroribus Johannis Wicleff et Johannis Hus haereticorum damnatae memoriae ac ipsorum sequacium contradicentium plerique magistri in diversis scientiis graduati ac scolares praedictorum haereticorum fautores et sectatores in universitate hujusmodi existentes et ipsam actu regentes, ymo viris catholicis diversarum facultatum repulsis ut profertur eandem universitatem occupantes sub quadam dissimulantia et tolerantia universitatis hujusmodi errores et haereses ipsorum Johannis Wicleff et Johannis Hus haereticorum etiam in plerisque generalibus conciliis ac etiam in certis insignibus locis rationabiliter et juste damnatos publice astruere tenere praedicare et dogmatisare damnabiliter et propria temeritate praesumant. Ita quod ipsa mater ecclesia non injuste gemebunda dicere possit cum Isaya propheta: vinea facta est dilecto, sepivit eam et lapides elegit ex illa et plantavit eam electam et aedificavit turrim in medio ejus et torcular exstruxit in ea et expectavit ut faceret uvas et fecit labrustas.

Et quia privilegium meretur amittere, qui privilegii abutitur potestate, eapropter et si res de facili ad suam naturam redit et per

quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur: nolumus tamen, quod ita laboriose et magnifice institutum fuit per ipsam ecclesiam ut fertur Pragense studium hac vice penitus extirpari, sed tempus congruum, si forsitan ad unitatem fidei catholice dimissis illis ammodo perniciosis erroribus et haeresibus ipsi, eis (cum?) multiplici de universitate praedicta praefatorum haereticorum defensores et sequaces puro corde et devotione dei ita revertantur, matura deliberatione praevia praestolari, prout salutaribus ad hoc monitis instruimur juxta illud: virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt. Ut jam diu praesumtam contumaciam seu audaciam damnabilem in ea parte hujusmodi universitatis et suorum membrorum rationabiliter matura tamen observata clementia erogemus, tenore praesentium dictum studium in omnibus suis actibus scolasticis in illa et aliis universitatibus generalium studiorum ratione quorumlibet privilegiorum ac de jure vel consuetudine fieri fuerit observari consuetis, usque ad nostrum seu futurum summi pontificis in proximo annuente domino assumendi beneplacitum *suspendimus*, volentes et diffinientes, quod interim omnia privilegia tam per Romanos quam per alios Pontifices aut imperatores Romanos et reges nec non principes ac etiam quoscunque alios ipsi universitati ab ipsius fundatione sub quibusvis verborum formis hactenus concessa, etiam si de illis de verbo ad verbum praesentibus fieri deberet mentio specialis, nullam vim et nullum robur penitus habeant aut vigorem. Inhibentes etiam expresse, ne quis suspensione durante Pragae tanquam existens de universitate praedicta in quacunque facultate, etiam sub poena excommunicationis quam si secus egerit, ipsam incurrere volumus ipso facto et a qua practer quam in mortis articulo duntaxat nisi a summo pontifice posset absolvi, (legere) et alios actus scolasticos publice exercere aut gradus vel aliquos aliquis in eisdem scientiis conferre seu recipere publice vel occulte audeat seu praesumat, decernentes ex tunc irritum et inane, si quid in contrarium forsitan a quoquam quavis autoritate fuerit attemptatum.

6. Decretum sancti Constantiensis Concilii et per immediatum et unicum S. Romanae ecclesiae summum Pontificem in eodem concilio electum sanctissimum in Christo patrem et dominum nostrum dominum Martinum Papam ad Regem Wenceslaum Boemiae, qualiter se habeat ad exturpandam haeresim Johannis Wicleft et Huss in terra sua.

Cod. Altovadensi coll. cum codicibus musei bohemici 4, D. 12; Cap. Prag. O. II.

Iste ordo servandus videtur circa reducendos in regno Bohemiae.

Primo et ante omnia, quod Rex Boemiae juret ecclesiam Romanam et alias ecclesias suae dicioni subditas in suis libertatibus conservare et quod non imperet (imponat) talia fieri saeculari vel religioso in regno per Wikleff vel hus noviter introductis (per Wiklefistas vel hussitas noviter introducta).

2. Item omnes spirituales magistri et sacerdotes, qui errores vel haereses dogmatizando vel praedicando in regno praedicto seminaverint et caeteros ibidem infecerunt, errores ipsos Johannis Wikleff et Johannis Hus in hoc sacro concilio condempnatos abjurent et quos praedicaverunt vel dogmatisaverunt, revocent et ipsam condempnationem doctrinae et personarum publice in ambone approbent et justam pronuncient; quod si facere recusarent juxta canonicas sanctiones puniantur et haec sunt nomina illorum.

3. Item quod saeculares qui in materia fidei non comparuerant nec comparere curarunt et in sententiis surduerunt, abjurent et contra quos est processum per annum vel per plures annos qui censuras non curarunt potestatem clavium condempnentes.

4. Item alii saeculares qui Wicleffitis et Husitis adhaeserunt, ipsos protexerunt et defenderunt, jurent eis amplius non adhaerere ac eos persequi nec amplius fovere et quod gesta Concilii super condempnatione articulorum Johannis Wikleff et Johannis Hus approbent ac rata habeant et super condempnationem personarum.

5. Item quod saeculares, qui clerum spoliaverunt, ad restituendum compellantur, quia peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur, et quod obligent se et jurent amplius libertatem ecclesiasticam non impedire.

6. Item quod expulsi a beneficiis ad sua beneficia restituantur et intrusi expellantur et puniantur.

7. Item quod prophanantes omnes et singuli sive in favorem Wikleff sive propter temporalia conservanda puniantur juxta canonicas sanctiones, ne contemptus clavium approbetur.

8. Item quod omnes qui causam fidei in curia promoverunt, ad sua beneficia restituantur et securitatem habeant in regno permanendi; quod si facere recusaverint et cum effectu non fecerint, signum est, quod non vere intendunt reverti, cum illos ad reversionem inducentes, si vere poenitentes forent, deberent prosequi specialiter si se errase vel seductos fuisse fatentur.

9. Item quod reliquiae ablatae et alia jocalia et thesauri ecclesiae Pragensis restituantur ex integro et bona alia immobilia sive redditus ejusdem ecclesiae vel aliis ecclesiis ablata vel ablati per regnum Boemiae et Marchionatum Moraviae.

10. Item quod *universitas Pragensis* reformetur et quod Wiklefitae, *qui ipsam destruxerant*, realiter puniantur (et) amoveantur, quia alias universitas non esset reformata, illis Wiklefitis et husitis in universitate durantibus illi errores non cessabunt.

11. Item quod principales haeresiarchae ac inductores illius sectae ad curiam Romanam et sedem Apstolicam venire compellantur et sunt hii *Jessenicz Johannes, Jacobellus de Myza, Symon de Tyssnow, Symon de Rokyzano, Cristanus de Prachatiz, Johannes Cardinalis, Zdenko de Labim* praepositus omnium sanctorum, *Marcus de Grecz, Sdislaus de Swyerzeticz* et *Michael de Malewnicz* dictus Czyzko.

12. Et quod omnes saeculares qui communicaverunt sub utraque specie vel ad sic communicandum laicos compulerunt et praesertim post prohibitionem sacri concilii, abjurent illam haeresim et jurent illam communionem non promovere sed impedire.

13. Item cum presbyteris vel aliis ordinatis per dominum *Hermannum* Suffraganeum Archiepiscopi captum per dominum Czenkonem de Wartenberg non dispensetur, sed quod ad sedem apostolicam remittantur.

14. Item quod tractatus *Johannis Wikleff* translati *in vulgari per Johannem Hus et per Jacobellum* et alii in *vulgari* per ipsos editi, in quibus errores suos posuerunt, omnes et singuli reponantur ad manus legati vel ordinati sub poena excommunicationis et *comburantur*, quia illis non abolitis errores non cessabunt.

15. Item quod tractatus *Johannis hus* in sacro concilio condempnatus sub poena excommunicationis reponantur et comburantur.

16. Item quod omnes tractatus *Jacobelli* super commuuione sub utraque specie, de antichristo, in quo papam vocat antichristum

esse, de quo scriptura dicit nec alium in persona venturum, reponantur et comburantur et specialiter tractatus per ipsum editus de *remanentia panis post consecrationem in altari.*

17. Item quod omnes *cantilenae* introductae in praejudicium sacri concilii et virorum catholicorum cujuscunque status, qui Wikleffistis et Husitis restiterunt, vel *cantilenae* in commendationem Johannis hus vel Jeronymi haereticorum condempnatorum prohibeautur sub poena gravissima decernenda.

18. Item prohibeatur quod passim per clerum non praedicetur nisi habita auctoritate superiorum quia quomodo praedicabunt, nisi mittantur, omnino quod mulieres vel layci praedicantes prohibeantur et realiter puniantur.

19. Item quod ordinarii vel alii praelati jurisdictionem habentes in sua jurisdictione per quempiam saecularem non impediantur sub poena excommunicationis, *sed illa haeresis maledicta debet exterminari;* sed quod libere exerceatur contra spirituales et saeculares de haeresi vel erroribus suspectos aut fautoria personarum condempnatarum.

20. Item quod mandetur omnibus et singulis sub debita obedientia et sub poena excommunicationis, quicunque aliquem Wikleffistam vel husitam ipsorum doctrinam promoventem vel personas cognoverit et libros ipsos suspectos sciverit (studuerit), dyocesano vel suis officialibus denuntiet, qui contra eos ex officio procedant juxta canonicas sanctiones.

21. Item quod colligatio, quam fecerunt saeculares cum saecularibus vel spiritualibus in praejudicium sacri concilii sedis apostolicae ac ecclesiae Romanae in favorem ipsorum haereticorum condempnatorum Johannis hus et Jeronymi et praedicatorum illius sectae sub poenis gravissimis dissolvatur, de qua colligatione patet evidenter (per literas sacro concilio directas).

22. Item quod ritus et ceremoniae religionis christianae circa sacrum cultum divinum, ymagines ac venerationes reliquiarum observentur et tales transgressores realiter puniantur.

23. Item quod omnes et singuli spirituales et saeculares, qui haereses errores Johannis Wikleff et Johannis Hus in Sacro Concilio Constanciensi (condemnatos) praedicaverint dogmatizaverint vel defenderint ac personas Johannis Hus et Jeronymi catholicas vel sanctas pronuntiaverint vel tenuerint et de hoc convicti fuerint, tanquam haeretici relapsi puniantur.

24. Item quod omnes saeculares per ordinarios moniti et exhortati contra exorbitantes in praedictis sub poena fautorae haeresis teneantur auxilium praebere et favori.

7. Testimonium universitatis Pragensis pro MM. Johanne Hus et Hieronymo.

1416, 11. Sept.

Ex orig. perg.

Universis sanctae matris ecclesiae filiis toto orbe terrarum diffusis
ad quos praesentes literae pervenerint
et doctorum unanimis Salutem in domino et narrantibus veritatem
credere deum diligere aequitatem (colere). . .
instantias, quae continuo in nostri pectoris archa versantur positi
sumus illud tamen nos angit potissime . .
dirigimus, solerti studio intendentes et vacantes ut nostrae universitatis hactenus imperialis, inclitae curam
referendi hunc clipeum utrumque opponamus quo in suis membris
decentissime (compo)sitione nunc velut an
et illaesa praesertim cum necessitudinis caritas nos inpellat, cogat vtilitas et quod magis cedit ad tytulum prob(itatis)
benivolentiae animo super ejusdem universitatis nostrae filio divae
memoriae Magistro *Joanne de Hussinecz* hus (dicto).
ne tanti viri fama tepeat, sed cunctis gravior appareat fructumque
ferens multipliceom undique redeoleat plus suav(ius).
sed ut pocius multorum corruat lingwa aemulorum, inter infideles ex
sinceris affectibus quibus solum deum . . .
conscientia publice profitemur ad communem fidelium noticiam haec
ea quae dicimus a(nim)is cupientes pervenire . . .
extitit maturior et omnibus Christi fidelibus reverenda, quod ejus
vita mox ab annis teneris sub nostris oculorum sen(sibus)
unius criminis nemo nostrum sciat justus publice profiteri. Cujus
etiam intellectus m(agistralis) perspicue nobis
et in respondendo cunctis aliis esset sublimior, in praedicando caeteris
anthonomosice fecundior et melior appareret
hoc quod fuit sinistris malorum conviciis saepe pro justitia laceratus
O virum inefabiliter venerandae praefulgenter
pietatis, qui cunctis contemptor diviciis usque ad excussum sinum
pauperibus ministravit qui genua prorsus flectabat . . .

poenitentiam provocabat animosque feroces ineffabili mulcendo dulcedine mitigabat (et) vicia generaliter cuncto . .
tiquis et oblitis scripturarum remediis quasi novo quodam invectionis et vitae antidoto magnae caritatis incent(ivo)
primaevae ecclesiae mores in clero restaurabat et populo, qui etiam in verbi fortitudine (sa)pientia caeteros superabat
veritatis, et ut brevius singula constringamus, ipsum divini muneris specialis gracia vberibus afflarat successibus
in eo natura quod potuit divinaeque munificenciae graciosa fecit liberalitas ut credimus (grac)iosus sed dici possit imp. . .
aspera mors fidissima subest testis quod super fundamentum divinae fortitudinis fuerit abilitus ea ferens operum
semper a mundi exordio infesta inimica quae lugubris humanae sortis fragilitas proprioribus nulla tenus posset
S . . . . (in)
firmitates, tot impia probra, tot improba supplicia, tot famas et infamias pro dei veritate (semper)per lato et ridenti vultu
coruscare vitamque irreprehensibilem in omnibus indefessam morte acerbissima consumere. Haec igitur omnium Christi fidelium
prorsus virum justitiae aut quemque ejus subambulum ac assecutorem dubiis derogacionibus in animae suae periculum
quin potius si non dictis nostris credere, saltem dubia in partem meliorum voluit d(oce) re, hoc (dum) optaret ex . .
in omnibus, ita fiat omnibus Christi fidelibus testis katholicae veritatis. Ceterum quid de egregio homine Magistro *Jeronimo* . .
scrutatore nobis innotescat ipsius nomen celebre et famam praeclaram scientiam Londini atque suedensis Viennensis Parisiers . .
tit testimoniis veritatis discutienda relinquentes hoc ipsum publice corde, et ore profitemur quod ipse Magister Jeronimus praed.
slaudabiliter conversatus et in fide katholica et orthodoxa multpliciter comendatum pro veritate evangelica prom(eruit) . . .
desudans assidue sicut ipse Magister Johannes hus superbiam avariciam luxuriam simoniam cum aliis criminibus
detestando in *Constantia mortem* constantissime *subiit* et de omnibus inimicis suis gloriose triumphavit
In cujus rei ev(identiam) jussimus communiri. Datum Prage in pleno consilio nostrae universitatis studii praedicti (un)decima mensis Septembris.

Die Urkunde diente als Deckel eines MS. der Prager Bibliothek und wurde von mir am 21. Mai 1861 aufgefunden. Der Buchbinder zerschnitt sie in vier Theile, von diesen ist der erste und dritte erhalten, der zweite und der vierte, welcher den Ausgang der 35 Zeilen enthielt, leider verloren. Was der zweite enthält, lässt sich beinahe vollständig aus dem Context ergänzen.

8. Concilium Constantiense ad Regem Sigismundum.

Cod. Univ. Prag. III. G. 16. Fol. 75.

Serenissime princeps ac christianissime rex semper Auguste.

Variis delationibus ac clamore valido de malis quae contigerunt et hodie perpetrantur in regno Bohemiae continuae querelae in hoc sacro concilio a die recessus vestri et per totam absentiam usque ad praesens tempus continuata sunt. Quae quidem querelae de die in diem deteriora protendunt. Nam ut fama veridica loquitur scandalosa pericula et periculosa scandala videlicet errorum et haeresium seditionum ac persecutionum quae per longa jam tempora contra sanam fidem ecclesiae et erga clerum et sacerdotes domini nec non adversus omnes katholicos et credentes ibidem velud ignis de populatoribus (plantationibus) manserunt. Nunc majoris flammae incendio eandem patriam pervagantur. Viri enim Belial sequaces et discipuli Wycleff Johannis Hus et Hieronymi abundantes impietate et perfidia usque ad sacrilegas nuptias procedere non verentur, ipsos duos praenominatos quos *nuper* haec sacra synodus tanquam haereticos et a fide devios justo condempnavit judicio, in templis dei pro beatis depingunt, in praedicationibus eos sanctos fore astruunt, in officiis divinis suffragiis honorant, missas ut pro martyribus canunt et homines blasphemos et haereticos traditos per sanctam ecclesiam Satanae velut coeli cives et domesticos dei colunt et venerantur. Insuper perversum eorum dogma quasi haereditario more eis relictum incessanter canonisant et non aliter quam universales successores, errores per praefatos haereticos seminatos perpetuare cupientes, animas simplicium aeternae mortis laqueis innodant et (il) literatos et illuminatos utriusque sexus homines quotquot possunt in suam protrahere perfidiam multiplici fraude decipiunt et seducunt. Quantum autem hii excessus abominales in contemptum majestatis dei altissimi cedunt, quantum vergunt in vilipendium sanctae matris ecclesiae, cujus contempnunt sententias et censuras, satis intelligit et abhorret quilibet christianus. Taliter enim agunt hii hominum seductores ut verum sit quod dicitur: peccator cum in profundum malorum pervenerit contempnit. Ipsi enim manda-

tis ecclesiae ymo dei, forcius quam actenus obsistunt, pertinacius contradicunt, contemptibilius blasphemant, ferveucius saeviunt, sic quod in nullo minuitur sed augmentatur et semper contra orthodoxam fidem inflata superbia adeoque et verbis et factis omnibus progreditur, ut ascendat usque in altissima coeli, crescit similiter contra ecclesiam dei in rebellando contumacia et cum ipsi audita illorum perditissimorum hominum condempnatione et neco facti sunt in studiis suis detestabiliores pessimis, multo amplius quam antea furunt et ut ad speciem descendamus, in subscriptis erroribus excedunt.

Primo quod certi Wicleffistae de universitate Pragensi et alii sacerdotes per eos infecti errores Wicleff et Hus in concilio condempnatos praedicarunt et praedicant, non cessant die hodierna prout in proximis expositum est majestati Vestrae et quod certi barones et nobiles regni Bohemiae eosdem fovent protegunt et defendunt quod alias per literas suas sigillis ipsorum appensis consignatas sacro concilio hoc ipsum declaraverunt dederaserunt.

Item ultra illos errores contra determinationem sacri concilii Constantiensis praedicant populum debere communicari sub utraque specie sub poena dampnationis aeternae et ita populum communicant in civitate et villis.

Item clerus a pluribus annis sine intermissione spoliatur per villas et civitates non solum in censibus sed in aliis rebus mobilibus.

Item clerus catholicus male tractatur percutitur occiditur nullo puniente *et judaei* majori gaudent libertate quam sacerdotes.

Item fideles veri canonici presbyteri et plebani a suis beneficiis et ecclesiis sunt repulsi et Wicleffistae intrusi contra qui populum seducunt errores seminando.

Item interdictum in pluribus ecclesiis et monasteriis in Praga (non) servatur propter praesentiam unius exilis personae et conditionis miserae Johannis Jessenicz ex quo multa centena missarum cottidie negliguntur.

Item ecclesia metropolitana ubi consuevit fieri cultus divinus die noctuque jam plus quam ab uno anno stat inofficiata non solum propter interdictum sed etiam propter spolium censuum et bonorum, in qua tamen *trecentae* personae ecclesiasticae secundum gradus erant sustentatae per dotationem divae memoriae Christianissimi principis

Karoli genitoris vestri gloriosissimi et praedecessoris ubi corporaliter requiescit.

Item quod eadem ecclesia omnibus reliquiis, ad quas omnibus diebus in anno populus consuevit concurrere, est per *multos* annos spoliata.

Item quod certi barones hoc sacrum concilium suis literis diffamaverunt et se invicem colligarunt ut prohibeant clero ipsis subjecto recipere mandata hujus sacri concilii et multi ex eis eorum plebanos spoliarunt et expulerunt qui mandatis sacri concilii obediunt.

Insuper illud egregium *studium Pragense* quod inter caetera majora orbis nostri enumerabatur clenodia, qualiter occasione illius sectae periit et ad nihilum redactum sit, non sine maxima compassione omnium illorum qui illud in statu suo viderunt, plenus novit vestra majestas. Nam ipsi *primo* alias nationes *tres* et postea magistros et doctores *de propria natione*, qui eis in erroribus adversabantur *ut* errores suos possent nullo contradicente libere praedicare, repulerunt, neminem contrarium moribus suis passi sunt morari et quotquot resistentes senserunt, directe vel indirecte usque ad exilium pepulere, sicque de tam spectabili universitate fecerunt locum habitationis desertae et vastitatem solitudinis abhorrendae, cujus magnitudinem dampni contingentis ex dictae universitatis desolatione exprimere pro praesenti longum foret.

Nam omnium studiorum *ermanicae nationis* illud maximum non immerito famabatur, ad quod de singulis regnis et dominiis Alemanniae adolescentes simul et adulto aetatis homines virtutis ac studii amore confluebant et thesaurum prophetiae et scientiae querentes, illum ibi copiose invenerunt, quot viros illuminatos ea universitas produxit, magistri doctores ejusdem universitatis in diversis mundi partibus dispersi testantur, quorum doctrina plurima egregia loca et solempnes civitates generaliaque studia tam sacris omnibus quam ecclesiasticis disciplinis reguntur, multae scolasticae personae multi doctrinae cupidi scolares hunc locum olim tanquam bonis artibus plenum petiverunt. Nunc omnes constitutiones quam maxime alienigena fugit horrens errores ibi vigentes quibus metuit coinquinari.

Haec mala et has turbationes summa cum molestia omniumque cum piarum mentium consternatione audivit et indesinenter audit praesens sancta synodus compatitur, quae misericorditer tam katholico regno quod a tempore, quo jugo christiane religionis se submisit,

semper inmutabiliter perstiti in fide recta, cujus etiam regni populus prout illi qui ibidem morati vel conversati sunt licet aliunde provocati testificantur, deo devotum se exibuit, insignem pietatem circa cultum divinum observavit et omnia, quae requirit ecclesiastica observantia, exercuit diligenter et studiose, nunquam a praelatis suis accusatus de inobedientia, nunquam circa debitam reverentiam superiorum suorum visus est remeasse, quinymo quicunque a primae fidei primordio usque nunc non aliqua praesertim generalis per illam gentem audita est rebellio, nulla universalis fidelium persecutio nec quomodocunque in dicto regno subsistere potuit secta prava superstitione deturpata excepto casu praesenti, quo proh dolor objectorum regnicolarum perfidia in suprascriptis erroribus ipsum regnum non modica nota per universum diffamaverat.

Cum igitur sacrum praesens concilium principaliter inter caetera institutum sit ut haereses exterminet, mundum in omnibus infectum *reformet;* nam per gratiam omnipotentis, dei cujus res agitur circa errorum extirpationem ad nonnulla salutaria salubriter processit idque quod potuit fecit, unum de duobus illis per sententiam curiae saeculari tradidit, *alterum relinquit* contra fautores et adhaerentes processus fulminando; cum igitur sancta mater ecclesia circa ea quae restant licet executionis persecutionis subsidio et auxiliari juvamine regiae potentiae indigeat, ideo per reverendos in Christo patres venerabiles egregiosque viros episcopos doctores et magistros omniumque quinque nationum deputatos, quorum manifeste habet praesentialiter constitutos, brachium vestrae celsitudinis instantissimo flagitat et exorat et quia officii vestri est, cum sitis defensor et advocatus ecclesiae, perfidiam potenter destruere, ipsam sanctam ecclesiam ejusque fideles propugnare et protegere nec minus sub fide falsos et devios quoslibet christiani nominis hostes execrari.

Compescentur igitur judicio vestro seditiosi, illuminentur a limine illius regni et etiam ab aliis locis ubicunque constituti doctores erronei, amoveantur a beneficiis male possessis, intrusique puniantur ecclesiasticarum personarum persecutores, evertantur bonorum deo dedicatorum invasores ut purgetur area dominicae domus et mali male perdantur. Fiat etiam opera vestra cleri, qui per diversa mundi climata exulat, reductio, redeat vestro juvamine cantus et sacrarum lectionum officium vacuas ad ecclesias, ut nostrae provisio-

nis cooperationis mysteria divina, quorum jam diutina manet cessatio, altaribus restituantur.

Quum vero serenissime princeps ad ea perficienda nihil loci est segnicici, nihil socordiae, cernitis heu proh dolor negligentiam *fratris vestri* qui quasi illorum excessuum ad eum non spectaret interceptio, omnia simulat, singula ire suis casibus patitur et universa praedicta mala, quibus resistere debuerat et deberet usque ad sanguinem et animam, in visceribus regni sui tolerat et hodie tolaretur (sic) vel quod flebilius famatur, illam confovet et sustentat. O lamentabilis conniventia desidiam suprema pericula nihilo pendens, exemplo (?) potestatis sub naufragio ociosum tempus ducit. Agite igitur maturius, omnis cunctatio periculosa, omnis mora nociv (a cesset). Agite pro salute illorum qui in conspectu sacri concilii, vestro et omnium cernentium perditnm errant et hoc interim dum superest aliqua spes salutis. Nec quod absit si inlavescenciae vetustate apertum correctionis tempus negligatur, metuendum est, ne eveniat irreparabilis jactura, qua unacum recta fide simul et ipsum regnum periclitetur et cum spiritualibus temporalia, cum animabus corpora una paruli (sic) ruina involverentur. Hoc agendo virtutuem triumpho gloriosus justitiaeque cultor egregius cum mundi salvatore, cujus typum geritis nomine sine fine regnare mereamini mereri poterit pietas vestra excelsa.

9. K. Sigismund an den Erzbischof von Prag.
1416, 21. März.

Aus dem Böhmischen.

Wir Sigismund von Gottes Gnaden ungerischer und römischer König entbieten unsern Gruss dem hochwürdigsten Konrad dem Erzbischofe von Prag, dem (königlichen) Rathe Johann von Leitomischl und allen Herren aus Böhmen und Mähren, welche sich zur heiligen Kirche bekannt und versichern sie unserer königliche Gnade und alles Guten.

Hochwürdige Edelgeborne und liebe Getreue!

Wir glauben, dass es euch nicht verborgen sei, wie wir mit Anstrengnng und Mühe unter grosser Gefahr des eigenen Lebens und mit vielen Kosten schon lange Zeit um die Herstellung der Einheit in der Kirche gearbeitet haben, noch arbeiten und weiter arbeiten wollen, auch mit Gottes Hilfe unser Werk zu beendigen hoffen. Auch glauben wir, dass ihr bereits vernommen habt, in welche Ordnung

wir die Angelegenheiten der Kirche gebracht haben, so dass wir zweifelsohne wieder Einheit in der Kirche haben werden. Auch haben wir erkannt, dass es der gesammten Christenheit zum Besten gereichen dürfte, dass der französische und englische König zum Frieden gelangen. Wir hoffen auch dieses zu bewirken und es kommt entweder zwischen ihnen ein Friede oder ein längerer Waffenstillstand zu Stande. Dann steht die heil. Kirche desto fester und sicherer da. Weil wir nun hörten, dass ihr euch mit guter Absicht verbündet und verschrieben habt und bei der heil. Kirche mit dem erlauchtesten Fürsten und König Wenzel, unserm geliebten Bruder, und uns festhalten wollet, so danken wir auch dafür ganz besonders und geben euch zu wissen, dass wir auch bei der heil. Kirche verharren und ihren Ruhm vertheidigen wollen, so lange wir leben. Davon wird uns, so Gott will, Niemand abbringen und eben so wenig unsern getreuen lieben Bruder, dies hoffen und glauben wir mit Festigkeit, dass er mit uns bei der heil. Kirche verharren wird. Wir wollen, so Gott will, an jener Ordnung festhalten, welche uns unser Grossvater, Vater und unsere lieben Vorfahren hinterlassen haben. Desshalb verlangen wir von euch, dass ihr so getreu, wie ihr euch verschrieben und verbündet, bei der heiligen Kirche, bei unserm oben erwähnten geliebten Bruder und bei uns verharret. Wir glauben dies ganz besonders von euch und hoffen, dass ihr uns gute Dienste leisten werdet.

Gegeben zu Paris am Tage des heil. Benedict im 29. Jahre unsers ungarischen und im sechsten unseres römischen Königthums seit der Geburt des Sohnes im Jahre 1416.

10. K. Sigismund an die böhmischen Herren.

1417, 24. August.

Aus dem Böhmischen.

Sigmund von Gottes Gnaden König, alle Zeit Mehrer des römischen Reiches und ungarischer König.

Wohlgeborner, lieber Getreuer!

Wir machen euch zu wissen, dass es leider in Luxemburg sehr schlecht geht und nie schlechter gestanden hat; denn die Adeligen standen wider einander auf und verheeren das Land vollständig, wofern nicht darauf geachtet wird. Sprich also mit unserm geliebten Bruder, wie wir dies schon früher aufgetragen haben, damit er uns

entweder das Luxemburger Land ohne Rückhalt abtrete und überlasse oder uns wenigstens es auszulösen gestatte, insoweit es verpfändet ist, damit wir es zur Ordnung und Frieden bringen können. Wenn Seine Gnaden das Geld, wofür wir Alles auslösen wollen, uns heim zahlen will, so werden wir ihm (das Land) zurückgehen. Doch jetzt wollen wir die Beamten ein- und absetzen und uns nicht verpflichten, für was immer Rechenschaft zu gehen. Es thut uns herzlich leid, dass das Stammgut, aus dem wir beide entsprossen sind, so schmählich zu Grunde gerichtet und vernichtet werde.

Auch verlangen wir von dir, dass du dich um das Herz der heil. Georg und dessen Besitz kümmerst, denn wir haben grosses Verlangen darnach und du erweisest uns damit einen grossen Dienst.

Wisse auch, dass der englische König schon über's Meer nach Frankreich gefahren ist. Er hat 1600 Schüsse und 80.000 seiner Leute haben den Janowanom (?) eine grosse Galeere (koky) genommen. Der Bastard von Burgund wurde mit ihnen gefangen genommen und mit ihm viele Ritter und Kappen. Wir glauben, dass der englische König diesen Winter in Frankreich bleibe, Wir sind für dieses Jahr seiner Hilfe in den kirchlichen Angelegenheiten beraubt, die wir hier besorgten. Wir konnten uns von hier nicht entfernen, nicht einmal eine halbe Meile können wir von hier gehen. Doch danken wir Gott, alle Dinge gehen gut von Statten. Wir vertrauen seiner himmlischen Gnade und werden mit unserm geliebten Bruder zusammenkommen, wie wir dieses schon dem Vormunde (Kamerer?) geschrieben haben. Im Frühjahre sollen wir in Frankreich bei dem englischen Könige sein und bereiten uns schon jetzt darauf vor.

Was das Kriegsvolk betrifft, von dem ihr dort (früher) schon gesprochen habt und noch sprecht, so soll dies vorbereitet werden, dass es uns dienen soll. Denn wir werden es, so Gott will, nöthig haben. Von unserer Seite soll es gute Tage haben, aber alle die uns dienen wollen, sollen uns im Frühjahre dienen. Wir wollen ihnen dessen in allem Guten gedenk sein. Wir verlangen von dir, dass du mit unserm geliebten Bruder redest und Seine Gnaden bittest, dass er sich bemühe, die Spaltung in seinem Lande zu beheben, dass man nicht von ihm und seinem Lande rede, wie wir ihm auch darüber schreiben. Die Briefe, welche ihm und seinen Herren gehören, gieb ihm. Er ist unser Bruder, mir thut S. G. leid. Bitte auch S. G. er möge es uns nicht verübeln, dass wir zu S. G. nicht so bald kommen können. Er

möge nicht zweifeln, dass, sobald wir einmal einen Papst haben, wir alsogleich zu S. G. kommen wollen. Dies sage auch seinen Herren und allen jenen, die unserer Ankunft harren.

Datum in Constancia in die Bartholomei anno regnorum Ungariae XXXI Romanor. VII.

11. K. Sigismund an K. Wenzel.

1417, 4. Dec.

Aus dem Böhmischen.

Dem erlauchtesten Fürsten und Herrn dem Könige Wenzel etc. Unserm geliebten Bruder enthieten Wir Sigmund von Gottes Gnaden etc. Unsern Gruss und die stete Vermehrung Unserer brüderlichen Liebe.

Erlauchtester Fürst und geliebter Bruder, Wir empfingen Euren offenen Brief, der Wort für Wort so lautet:

Dem durchlauchtigsten Fürsten (ut supra mutatis mutandis).

„So wie Ihr zu Uns und Wir zu Euch einige Male Gesandtschaften geschickt und darauf verharrt seid, zusammenzukommen, so haben Wir auch lange in dieser Absicht verharrt und wollten auf diese Art Unser und Unserer Krone und Landes Bestes und Ehre. Hätten Wir Eurer Hilfe oder Ihr der Unseren nöthig, so konnte diese Hilfeleistung stattfinden und die brüderliche Liebe zur Äusserung gelangen. So habt Ihr Uns bezüglich des Besten des Landes und der Krone Rathschläge gegeben, und angeboten, den Zwiespalt unter den Geistlichen durch Euren Rath zu beheben, damit ersichtlich sei, dass das Wohl unserer Länder und der böhmischen Krone durch Uns nicht verkürzt werden solle. Auch haben, geliebter Bruder! Unsere Gesandten Euch von Unserer Seite gesagt, dsss Wir öfter gewarnt würden, Ihr möchtet, wenn Wir zusammenkämen und Euch Unsere Sachen anvertrauten, Unseren Widersachern Gehör geben und in Unserer Krone und Unseren Ländern regieren, was doch gegen Unsern Willen und eine Verkürzung Unserer Macht und Ehre wäre; jene aber würden vielleicht dann herrschen, was gegen Unsern Willen ist. Denn Unsere Absicht ist, die Länder mit Gottes Hilfe so lange Wir leben selbst zu beherrschen und zu regieren. Von Euch aber hoffen Wir, dass Ihr als ein lieber Bruder Uns darin behilflich sein werdet, Euch wollen Wir trauen und Euch gerne durch alle Zeiten vergelten. Unsere weiteren Absichten werden Euch Unsere treuen Boten eröffnen“.

Als Wir diesen Brief sorgfältig überlasen, wunderten Wir Uns, dass Eure Liebden grössere und schwierigere Dinge, um die es sich jetzt handelt, weniger bedenke, sondern nur den Zwiespalt unter den Geistlichen beilegen wolle. Denn die Trennung der Laien von der Kirche ist keine geringere Sache. Ohne deren Veranlassung und Vorschub könnten die Geistlichen nicht so viel Zorn gegen den christlichen Glauben an den Tag legen.

Item E. L. weiss, dass das allgemeine Concil in Costnitz gegen Euch und Euer Königreich Bannbullen herausgeben wollte und es wäre auch so geschehen, wenn Wir Uns nicht dagegen aufgelehnt hätten. Mit Mühe, Eifer, Bitten und Reden bewiesen Wir aus Euren Briefen und Botschaften und behaupteten unablässig, dass Ihr nach Unserer früheren und gegenwärtigen Meinung nicht von jener Sache (Secte) angesteckt wäret und dass jene, die davon angesteckt sind, leicht durch Euch zur Umkehr zur christlichen Ordnung gebracht werden könnten. Woferne aber nicht bald vom Irrthum abgelassen wird und woferne Ihr ihm nicht schnell und ohne Säumen ein schliessliches Ende machet, so könnte leicht die Kirche und die gesammte Christenheit von Uns die Meinung fassen, dass Wir Euch als Unserm Blute mehr zugeneigt sind als dem christlichen Glauben. *Wir könnten dadurch um alle Unsere Würden kommen.* Wir entschuldigen Uns daher also vor Gott, vor Euch und allen Leuten, dass Wir nicht weiter fürbitten, noch auch so grosse Dinge auf Uns lasten lassen können.

E. L. schreibt Uns auch von den häufigen Botschaften, welche zwischen Uns gewechselt würden, dass Ihr Uns lange erwartet habt und glaubt, dass Wir Euch darin vernachlässigt hätten. Die Reden, welche sich auf Unsere Zusammenkunft bezogen, lauteten nie anders, als dass Wir irgendwo an der böhmischen Grenze zusammenkämen. Dazu zeigten Wir Uns stets erbötig und sind es noch. Wir denken auch in keiner andern Absicht zusammenzukommen und zu unterhandeln als wegen des Glaubens und wegen der Spaltung, in der jetzt Euer Königreich sich in Betreff des Glaubens befindet. Wir gedenken Euch mit Unserer Macht behilflich zu sein und wenn Wir dieses beenden, so wollen Wir Euch in allen anderen Dingen als Unsern geliebten Bruder behilflich sein. Doch können Wir Euch nicht für Unsern geliebten Bruder halten, woferne Ihr Euch nicht in dem Einen so wie Unsere Vorfahren verhaltet und, was Ketzerisch ist, ausrottet. Wenn Ihr also, geliebter Bruder, nicht dafür Sorge

traget, Euch nicht vor künftiger Gefahr bewahren und die Schande dieses Königreichs entfernen wollet; woferne Ihr zulasset, dass die heil. Kirche gegen Euch und Euer Königreich als Freunde der ketzerischen Wuth nachstehe, so dass das Königreich seiner Würde, alle Ketzer ihrer Ämter und Ehren entkleidet werden, alle Vasallen, Unterthanen und Eidgenossen ihrer Eide und ihrer Treue entbunden und von Euch und Eurer Krone abgetrennt und selbst gegen Euch und Eure Helfer auftreten würden, wenn das Kreuz gegen Euch verkündet wird: so könnten Wir so grosse Schmach nicht länger ertragen und die Schande und den Schimpf nicht dulden. Damit Wir nicht als Freund und Beschützer der Irrgläubigen erscheinen möchten, müssten wir den Befehlen der Kirche gehorchen. So ermahnen Wir Euch also bei der reinen brüderlichen Liebe, dass alles oben erwähnte offen und allbekannt gebessert werde, damit nicht Wir und andere christliche Fürsten das Schwert gegen die Feinde der heil. christlichen Kirche und gegen Euer Königreich ergreifen müssten.

Gegeben in Passau am Tage der heil. Barbara. Rex per se.

Eben geliebter Bruder haben Wir gehört, dass du Misstrauen begest, ich wolle deine Beamten ändern. Wisse, dass ich ohne deinen Rath nichts thun will. Mag auch jeder Böhme, Deutsche und Lateiner wissen, dass ich kaum die Zeit erwarten kann, wo ich die Wykleffiten und Hussiten ersäufen werde.

Aber der Bischof von Passau steht vor dem Könige und sagt: Sollen wir sie verbrennen wie Ketzer? Da antwortete der König Sigmund: Nicht doch, nicht. Denn die Böhmen sind keine rechten Ketzer, sie haben sich nur im Glauben verirret, desshalb sollen die wykleffitischen und hussitischen Priester ertränkt werden. Den Laien, den Herren, Bauern und Städtern soll Gnade geschehen, denn sie hielten sich von den Hussiten für recht geleitet.

12.

Magistrorum Wiklefitarum de praga invectio contra Wiklefistas quia erroneae praedicant. (czert czerta káže ale pozdie. Der Teufel prediget dem Teufel, aber zu spät.)

1417, 25. Jan.

Ex MS. Musei Bohemici. 3/D/12. Fol. 69 *b*. Cod. Univ. Prag. XI. C. 18. F. 272.

Universis Christi fidelibus ad quos praesentium tenor pervenerit *Johannes Cardinalis* Magister in artibus et baccalaureus in decretis

rectór coetusque magistrorum ad hoc praesertim vocatorum universitatis studii Pragensis unanimes. Salutem et in veritate ac fide Jesu Christi ejusque augmento et incremento uberius prosperari. Quia antiquus ille et callidus humani generis hostis etsi fideles christicolas ab ejus agnita veritate patenti legis ipsius repugnstione non valet abducere, ad hoc tamen ipse operam impendet pervigilem ut vel sub praetextu pietatis quosdam ad contemptum et vilipendium forsan eorum possit inducere, ex cujus (quibus) caritatis fraternae dissidium et demum legis ipsius contemptum valeat procurare. Sane quod nimis dolenter referimus ad audientiam nostri crebris relatibus et clamoribus iteratis est deductum, quomodo nonnulli diversarum communitatum ex erronea et diabolica doctrina in destructionem fidei ac religionis christianae temere tenent et astruere conantur, *non esse purgatorium* et consequenter *non sit orandum* vel *elemosynandum pro defunctis*. Quodque non sint tenendae in ecclesia ymagines, ymo ut asserunt quamvis false, quod habere Christi et sanctorum ymagines legi dei repugnaret. Insuper quod benedictiones salis et aquae fontis baptisterii et diebus dominicis dudum tente et in toto christianitatis orbe cum aliis ecclesiae benedictionibus per sanctos patres et religione christiana roboratis et approbatis, errorem saperent juxta ipsorum sompnia quamvis falsa. Ex hinc illas cum aliis laudabilibus ecclesiarum ceremoniis funditus evellere et destruere nituntur et contendunt. Ne igitur videamur non gerere super tam gravibus erroribus animum compassionis nec etiam quasi nos arbitranur talibus erroribus consentire; sed et ne tribuatur per nostram taciturnitatem cuiquam facultas libere oberrandi, qua propter hiis plurimis et aliis temeritatibus infundabilibus nos unanimiter cupientes occurrere: vos supradictos universaliter singulos et singulariter universos hortamur per viscera misericordiae Jesu Christi et salutem vestram et praesentibus obsecramur attentius, quatenus *cum sancta matre ecclesia* nobiscum et cum sanctis doctoribus teneatis et confiteamini post hanc vitam ignem purgatorium usque ad extremum diem judicii duraturum, suffragia ut orationes jejunia elemosynas et missas pro defunctis et caetera opera pietatis esse facienda firmiter asservetis, ymagines vero crucifixi et santorum ejus, benedictiones sacri fontis salis et aquae palmarum ignium cereorum ovorum caseorum et aliarum rerum pascalium thurificationes aspersiones campanarum pulsationes pacis osculum et quascunque ceremonias diu tentas in sancta dei ecclesia cum lege dei concordantes

abolire evellere non permittatis. Scientes juxta sanctorum canones quod in his rebus de quibus nil in divina scriptura scribunt, mos populi dei et instituta majorum pro lege tenenda sunt. Et sicut praes varicatores legum divinarum, ita contemptores ecclesiarum consuetudinum sunt coercendi. Supplicamus insuper utsi ad vos dogmatizatores quocunque modo praedictorum errorum cum suis falsis sententiis pervenerint, qui contra praesentem nostram vellent dogmatizare sententiam, tamdiu illis liberam denegetis andientiam, quam diu nobis suam non docerent sententiam fore justam, praefatis attentius et operosius intendentes veluti veritatis augmentum promovere satagentes et salutis vestrae ac fraternae dilectionis obstacula removere. Datum Pragae anno domini 1417, die 25 mensis Jannarii in domo dotis Sancti Michaelis majoris civitatis pragensis rectoratus sub sigillo.

13. Invocatio brachii saecularis per conservatorem universitatis Pragensis decanum omnium sanctorum in castro Pragensi Stefanum de Stankow.

1418, 12. Oct.

Ex orig. cum sigillo.

Serenissimo et Illutrissimo principi et domino domino Wenceslao dei gratia Romanorum Regi semper Augusto et Boemiae regi ac Reverendo in Christo patri et domino domino Conrado dei gratia sanctae Pragensis ecclesiae Archiepiscopo Apostolicae sedis legato, ejusque in spiritualibus vicariis generalibus et officialibus nec non nobilibus viris Wokkoni de Walstein dicti domini Wenceslai Romanorum et Boemiae Regis Janitori et Johanni de Bezdyedycz Purggravio Wyssegradensi prope Pragam providisque viris Judicibus Magistris Civium Juratis et Consulibus majoris novae et minoris civitatum Pragensium nec non venerabilibus et discretis viris dominis abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis, scolasticis, cantoribus, canonicis parochialiumque ecclesiarum rectoribus plebanis et viceplebanis per et infra civitatem et diocesim Pragensem et alias ubilibet constitutis, ad quos praesentes pervenerint vel qui praesentibus fueritis requisiti omnibusque aliis et singulis, quorum interest vel intererit et quem vel quos infrascriptum tangit negocium seu tangere poterit quomodolibet in futurum, ad quorum notitiam praesentem nostrum processum et contenta in eodem contigerit pervenire: Stefanus de Stankow artium liberalium magister decanus ecclesiae omnium sanc-

torum in castro praensi Iudex et conservator jurium et privilegiorum honorabilium virorum dominorum magistrorum doctorum et scolarium almae universitatis studii Pragensis unacum aliis certis in hac parte collegis et cum illa clausula, quatenus vos vel duo vel unus vestrum per vos vel alium seu alios etc. a sede apostolica delegatus et specialiter deputatus, salutem in domino et cum compassione quae ab infidelibus conculcatur, praesentibus fidem dare mandatisque nostris infrascriptis ymo verius apostolicis firmiter obedire. Dudum literas apostolicas conservatorias Sanctissimi in Christo patris et domini Bonifacii felicis recordationis papae VIIII ejus vera bulla plumbea in cordula sive zona canapi pendente more et stilo Romanae curiae bullatas sanas et integras omni prorsus vicio et suspicione carentes nobis pro parte honorabilium virorum dominorum magistrorum doctorum et scolarium almae universitatis studii Pragensis praedicti coram notario publico et testibus fidedignis praesentatas nos cum ea qua decet reverentia recepisse noveritis. Quarum principium sequitur et est tale: Bonifacius servus servorum dei (Cfr. cod. diplomat. Univ. Prag. n. XXXIX—non obstantibus p. 349). Finis vero talis: Datum Romae apud Sanctum Petrum VII cal. Februarii Pontificatus anno octavo (l. c. p. 351). Vigore quarum (quidem) literarum apostolicarum conservatores cum nos in causa quae inter providum virum Sigismundum Kbelsky civem majoris civitatis Pragensis membrumque universitatis studii Pragensis praedicti actorem ex una et famosum virum dictum Kornhuzsky de Kornhuz armigerum pragensis dioecesis reum parte ex altera ad nonnullos actus judiciarios juris ordine in omnibus observato duximus procedendum. Tandem pluribus arduis nostris praepediti negotiis et ex certis causis animum nostrum moventibus cognitioni causarum hujusmodi intendere non valentes, generaliter omnes et singulas causas coeptas et non coeptas, quas dicti magistri doctores et scolares dicti studii aut eorum aliqnis conjunctim vel divisim movent et movere intendunt personis quibuscunque honorabilibus viris domini Simoni de Nymburga decretorum doctori Boleslaviensi Johanni de Moravia luthomericensi Archidiaconis in ecclesia pragensi et Sdenconi de Labim praeposito ecclesiae omnium sanctorum in castro Pragensi usque ad reditum nostrum dum et quotiens oportunum fuerit et nos abesse contigerit, duximus subdelegandas et per nostras literas potentes subdelegavimus. In qua quidem causa et inter partes praedictas praefatus magister

Simon de Nymburga decretorum doctor hujusmodi onere in se assumpto similiter ad nonnullos actus judiciarios juris ordine observato procedendo per suam sententiaam definitivam, quam in scriptis tulit, pronunciavit decrevit et declaravit praefatum Johannem de Kornhuz partem adversam ad dandum solvendum et assignandum duodecim sexagenas grossorum monetae pragensis praefato Sigismundo Kbelsky actori et magistro Nicolao nigri de praga procuratori ipsius pro ejus in litis legitimis expensis quarum sibi taxam imposterum reservavit. Et demum eandem sententiam definitivam debite executionem demandando per sententiam interlucotoriam easdem expensas praedictum Sigismundum Kbelsky actorem in causa hujusmodi contra dictum Johannem armigerum factas moderatione praevia ad quinque sexagenas grossorum cum quinquaginta grossis monetae pragensis taxavit, literas executorias sive monitionis cum sententia executionis super re judicata et expensis hujusmodi contra ipsum Johannem Kornhuz decernendo ipsumque Johannem Kornhuz pertinacem licet sufficienter monitum et hujusmodi judicata et expensas solvi seu alias amicabiliter concordari non curantem per easdem suas literas in nonnullis ecclesiis et locis civitatis et dioecesis pragensis excommunicatum publice nuntiari fecit. Et deinde honorabilis vir magister Sdenko de labim praepositus ecclesiae omnium sanctorum in castro pragensi meus in hac parte collega et subdelegatus crescente pertinacia hujusmodi literas excommunicationis contra ipsum Johannem Kornhus gravavit et successu temporis aggravavit et reaggravavit. Ipsumque Johannem pertinacem aggravatum et reaggravatum similiter in nonullis ecclesiis et locis civitatis et dioecesis Pragensis publice nuntiari fecit mandavitque ipsum ab omnibus Christi fidelibus, ut in cibo, potu, oratione, locutione, emptione, venditione, via, foro, igne, balneo et alia quavis humana participatione arcius evitari interdixitque et interdici jussit omnibus et singulis eidem Johanni obstinato participantibus praeter baptisma parvulorum et poenitentias morientium quaelibet alia ecclesiastica sacramenta et specialiter ecclesiasticam sepulturam, ac mandavit propter pertinaciam ejusdem Johannis Kornhuz, ut quocunque devenerit et in quibuscunque parochiis et locis seu ecclesiarum limitibus moram traxerit, quod in praesentia ipsius et post ipsius abinde recessum per tres dies continuos cessarent et cessare deberent realiter et cum effectu a divinis prout ea omnia et singula in actis acti-

catis regestis et aliis literis plenius et lucidius noscuntur contineri. Quas omnes excommunicationum aggravationum et reaggravationum ac cessationum a divinis sententias dictus obstinatus deduxit et deducit die hodierna penitus in contemptum et suae salutis magnum in periculum et detestabile scandalum christifidelium plurimorum et censurae ecclesiasticae notorius et manifestus contemptor de clavibus ecclesiae male sentiens.

Et quia praefatus Sigismundus Kbeleky actor ad nos ut judicem principalem confugiens nobis humiliter supplicavit, ut sibi super hiis de remedio providere deberemus oportuno et contra ipsum Johannem Kornhuz obstinatum et ad sanctae matris ecclesiae gremium redire non curantem ad poenas procedere graviores, nos vero pertinaciam et duritiam ipsius Johannis jam diutinam perpendentes, cum jam in hujusmodi excommuuicationum aggravationum et reaggravationum sententiis ultra duos annos pertinaciter et obstinate perduravit: attendentesque quod ultra praemissa ecclesia quid faciet jam non habeat, nisi quod contra eum et bona ipsius Johannis invocetur auxilium brachii saecularis ac ulterius exequendo hujusmodi mandata apostolica mucrone non proficiente ecclesiastico non inmerito temporalis suffragetur gladius, ut quos timor dei a malo non revocat, temporalis saltim severitas coherceat disciplinae: Idcirco vos Serenissimum principem et dominum dominum Wenceslaum Regem ac Reverendum patrem dominum Archiepiscopum Pragensem nec non nobiles viros Wokonem de Walstein et Johannem de Bezdycdyz purggravium Wyssegradensem ac omnes alios et singulos supradictos tam generaliter quam specialiter nominatos, qui temporalis gladii usum et exercitium habent et exercent habereque et exercere consueverunt, quibus praesens noster processus exhibitus fuerit, qui merito felicis retributionis hujusmodi sanctae executionis in facie ac coram altissimo desiderant participes fieri, Auctoritate apostolica qua supra nobis ut profertur concessa, rogamus requirimus hortamur et monemus et nihilominus vobis et vestrum cuilibet in virtute sanctae obedientiae et sub infrascriptis sententiarum poenis districte praecipiendo mandamus, quatenus infra sex dierum spacium, postquam pro parte dicti Sigismundi Kbelsky fueritis requisiti seu alter vestrum fuerit requisitus, quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo et reliquos duos dies pro tertio et peremptorio termino ac monitione canonica assignamus, vobisque universis et singulis conjunctim et divisim ad

quorum temporalis judicii cohercionem spectat et pertinet in juris subsidium et brachii saecularis praesidium et auxilium apostolicaeque auctoritatis adjutorium invocantes, ita tamen quod in hiis exequendis alter alterius non expectet nec unus per alium se excuset, praefatum Johannem Kornhuzsky armigerum excommunicatum aggravatum et reaggravatum et praedicti apostolici ac nostri mandati ac censurae ecclesiasticae contemptorem per invasionem proscriptionem captionem incarcerationem ejusque detentionem, in quantum tamen licite fieri potest absque ipsius gravi corporis laesione seu contra ipsius bonorum mobilium et immobilium ubicunque repertorum invasionem ac sequestrationem seu arrestationem et quamcunque aliam oportunam detentionem et occupationem auctoritate apostolica in hac parte in vos translata ac brachii saecularia potentia procedatis procedant ac procedat. Ipsumque compellatis compellant et compellat ac eundem Johannem-capiatis capiant et capiat. Tamdiu quousque sententiae definitivae et rei judicatae ac expensis suprascriptis mandatisque et processibus nostris ymo verius apostolicis in toto paruerit cum effectu et plenam ac debitam in praemissis fecerit humiliationem et emendam ac satisfactionem totalem impenderit a nobisque vel superiore nostro a praefatis sententiis absolutionis beneficium meruerit obtinere. Quodsi vos vel aliqui vestrum supranominati in praesenti negotio remissi seu transgressores vel neglectores reperti fueritis seu aliquis vestrum repertus fuerit, prout vos et vestrum quemlibet praesens noster processus concernit publice vel oculte directe vel indirecte vobis et vestrum cuilibet ac quibusvis aliis tam generalitur quam specialiter superius nominatis ex nunc prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc praedicta sex dierum monitione canonica praemissa ingressum ecclesiae interdicimus in hiis scriptis. Et si hujusmodi interdictum per alios sex dies praefatos sic immediate sequentes animo quod absit sustinueritis indurato, ex nunc prout ex tunc monitione praevia vos suspendimus a divinis. Verum si praefatas interdicti et suspensionis sententias per alios sex dies praefatos duodecim dies immediate sequentes animo quod absit sustinueritis indurato, ex nunc prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc vos omnes et singulos supradictos tam generaliter quam specialiter nominatos excommunicationis sententia innodamus. Absolutionem vero omnium et singulorum qui praefatas nostras sententias vel earum aliquam incurrerint seu incurrerit quoquomodo nobis vel superiori nostro

tantummodo reservamus. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum praesentes literas sive praesens publicum instrumentum hujusmodi brachii saecularis invocationem in se continentes sive continens exinde fieri et per notarium publicum infrascriptum scribi et publicari mandavimus nostrique appensione sigilli jussimus et fecimus communiri et de hujusmodi executione per appensionem sigillorum vestrorum et subscriptionem debitam ad praesentes aut per vestras literas patentes fidem plenam faciatis. Datum et actum in castro Pragensi in domo decanatus nostri hora tertiarum nobis pro tunc ad causas audiendum et jura reddendum sedente pro tribunali sub anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo decimo octavo indictione undecima die vero Mercurii duodecimo mensis Octobris Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Martini divina providentia papae quinti anno ejus primo. Praesentibus ibidem discretis viris Mathia dicto Haierz de Brenny notario publico, Jacobo de Tusta et Mathia de Luna familiaribus et servitoribus dicti Magistri Stefani decani et judicis suprascripti testibus ad praemissa vocatis pariter et rogatis.

Et ego Vitus natus Galli de Zinnberg clericus Luthomislensis dioecesis publicus Imperiali autoritate notarius praedictarum literarum apostolicarum exhibitioni receptioni subdelegationi sententiarum et processuum fulminationi brachiique saecularis decreto omnibusque aliis et singulis suprascriptis dum sic ut praemittitur coram praenominatis dominis judicibus ac per eos successive fient et agerentur unacum praenominatis testibus praesens interfui eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi manuque mea propria conscribendo publicam et in hanc publicam formam redegi signoque et nomine meis solitis et consuetis unacum appensione sigilli memorati domini et Magistri Stefani decani judicis et conservatoris de ipsius auctoritate et mandato consignavi rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum.

Ex orig.

XI.

Der Geleitsbrief nach Constanz.

t. M. Johannes Hus Sigismundo Regi.

1414, 1. Sept.

Cod. Palat. Vienn. 5097. Fol. 96.

Serenissimo principi et domino domino Sigmundo Romanorum Regi et Hungariae regi etc. orationem humilem cum affectuoso cordis desiderio ut multiplicetur salus pax et gratia et post praesentis vitae gubernacula donetur vita gloriae sempiternae.

Serenissime et gloriosissime domine.

Vestrae benignitatis favorem, quo me pauperculum gratiosissime respicit, toto cordis revolvens animo, non quovis modo sufficio respondere, sed obligor omnipotentis domini, qui quemlibet digne remunerat, pro Vestrae majestatis regiae felici regimine misericordiam implorare. Nuper per Stefanum Hausmeister Vestrae Serenitati dixeram responsum, quia juxta relationem domini Heinrici Lefl de Lazan juxta majestatis vestrae vota intendo humiliter collum subjicere et sub protectionis vestrae (sic) et salvo conductu in proximo Constancienci concilio praestante altissimo domino comparere. Unde volens id ordinate assequi per totam Pragam in latino et in Bohemico feci intimationes, quarum dirigo copias, annectere et per alias civitates dirigere et in sermonibus proclamare. Vestram autem majestatem deprecor supplicando humiliter in domino, quod ob honorem Dei, profectum sanctae ecclesiae, ob honorem etiam regni Bohemiae, cujus haeredem Rex Regum vestram serenitatem esse voluit et sic naturali inclinatione optare ipsius profectum disposuit et honorem, quatenus erga mei personam sic gratiam suam dignaretur extendere, ut *in pace veniens in ipso generali concilio valeam fidem, quam teneo, publice* profiteri. Nam sicut nihil in occulto edocui, sed in publico, ubi magistri baccalaurei, sacerdotes, barones, milites et caeteri homines plurimum conveniunt, sic opto non in inscito sed in *publica audientia* audiri, examinari, *praedicare* et omnibus quotquot arguere voluerint juvante spiritu domini respondere. Nec spero verebor confiteri Christum dominum et pro ejus lege veracissima si oportuerit, *mortem pati.* Ipse enim Rex Regum et dominus dominan-

tium, deus verus existens pauper mitis et humilis passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum ut sequamur vestigia ejus. Ipse qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, qui se humilians morte sua mortem nostram destruxit et nos ad patiendum humiliter obligavit, nec in vacuum, cum dixerit: beati qui persecutionem paciuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum. Haec ego servus ejus in spe licet inutilis, revolvens in animo, saepius volebam et clerum et populum ad ipsius imitationem inducere, propter quod datus sum in odium, non omni populo sed illis, qui ipsi domino moribus adversantur. A quibus citatus saepissime ad curiam Archiepiscopi semper me immunem ostendi, demum citatus ad curiam nunquam per advocatos et procuratores meos habere audientiam potui et sic me in mânus justissimi commisi judicis, ob cujus gloriam vestram spero clementiam mihi *de secura et publica* audientia praestante Jesu Christo domino providebit. Consolatus denique sum de hiis, quae nobilis et strenuus dominus Mikess dynoky, vestrae majestatis nuntius praeclarus retulit, quod tam pie et intente mei vestra celsitudo gerit memoriam, *volens ad finem laudabilem factum meum deducere*, quod et faciet ad honorem et gloriam Regis Regum.

Scripsi manu mea in die S. Egidii. Magister Johannes Hus vestrae majestatis orator humilis in nomine domini Jesu Christi.

2. Regii notarii epistola ad Mag. J. Hus de salvo conductu.

1414, 8. Oct.

Cod. Univ. Prag. XI. D. 9.

Venerabilis domine Magister et fautor faventissime!

Magnam et ingentem cordis affectionem, quam habetis ad concilium generale de proximo, quod habetur in civitate Constantiensi celebraturum, veniendi, ex scriptis domino nostro regi et aliis pluribus de sua nobilium familia pridie transmissis magna cordis alacritate percepi, unde etiam dominus noster rex praedictus gaudium magnum sumpsit eo, quod speramus, *nationem nostram* de hiis, quae ascribuntur, per vestram interpositionem expurgari et quia *salvum conductum* ab ipso domino nostro rege *postulastis*. Sollicitavi majestatem regiam usque ad hunc finem quod literas nobis (vobis) pro *salvo conductu* opportunas velit finaliter transmittere. Et cum hoc ut cum majori

securitate iter vestrum ad concilium dirigatis, disposuit sua serenitas proprium et notabilem hominem et nuntium suum pro vobis e vestigio destinare. Peto igitur vestram dominationem quatenus tam sanum et laudabilem per nos (vos) conceptum propositum continuando et vos diligentium votis conformare velitis et in *praedicto concilio comparere*. Nam nisi hoc factum fuerit, obliqua famae inter alias nationes de vobis (nobis) proh dolor pervalde volitans difficile poterit aboleri.

Scriptum Rotemburk octava die mensis Octobris anno etc. XIV.

Michael de P. Pragensis et Vratislaviensis
Canonicus ac domini Romanorum et Ungariae
regis notarius.

3. Sigismundus rex cassat literas salvorum conductuum.

1415, 8. April.

Cod. Bibl. Prag. III. G. 8. Fol. 103 *b*.

Sigismundus dei gratia Romanorum rex semper Augustus ac Hungariae, Dalmatiae, Croatiae Rex etc. Universis et singulis hanc nostrae declarationis paginam inspecturis pateat evidenter, quod nos ad haec favente divina clementia in solio regalis claritatis collocati, universorum Christicolarum quieti voluntarie subeundo labores, providere volentes ad ea, quae sanctae dei reintegrationis foedera respiciunt, nec fesso retenti brachio nec actincto (extincto) fatigati femore jugum domini et suae sponsae suave in nos duxerimus suscipiendum. En igitur tam fructuoso tamque felicio (sic) commercio humeros regios sumptibus non parcendo, laboribus non deserendo, neque innumerabilibus curis indulgendo submisimus seriose, etenim nil salubrius nilque in hac re felicius ut arbitramur, quam omnis providentiae vada, quibus rite sancta et optata unio perficiatur, inquirantur operis per effectum. Cum igitur quam pluribus in hoc felici Constanciensi concilio existentibus nostrae majestatis salvorum conductuum literas dederimus gratiose ipsique dictas literas, ut nobis innotuit relatione fide digna, cautulose *reservant*, qui ex *certis indiciis praesentibus non referendis* in aliquorum verisimiliter virgae dispendium formidant: quapropter de consensu et voluntate hujus sacratissimi concilii omnes et singulos *salvos conductus* quibuscunque cujuscunque conditionis gradus (vel) eminentiae existant per nos datos et concessos in hac civi-

tate Constantiensi, quorum quidem dum ipsorum inpetrantes vsi sunt, sicque detinentes ex certis causis animum nostrum moventibus *cassamus, anullamus* et *revocamus* tenore praesentium anullatos cassos et revocatos tenore praesentium declaramus praesentium sub nostri regalis sigilli impressione testimonio literarum.

Datum Constantiae anno domini MCCCCXV, VIII die mensis Aprilis regnorum nostrorum Hungariae XXXVIII Romanor. vero V. Ad mandatum D. regis Johannes de Strigonis.

Et nos Johannes Archiepiscopus Rigensis et Nicolaus Episcopus Merseburgensis deputati per nationem Germanicam similiter revocamus omnes salvos conductus ut supra in literis regalibus continetur. Engeseletus (Engescalcus) notarius.

3. Epistola Sigismundi regis ad concilium Constanciense.

S. D.

Cod. Bibl. Univ. Prag. XI. C. 1. n. 41. III. G. et 16. Fol. 77.

Nos parati sumus ad honorem dei et ecclesiae suae omnem dare operam pro extirpatione haeresium (et) errorum ubicunque exortorum et maxime in regno Bohemiae, ad cujus regni reformationem plus obligati sumus et quia frater noster Rex Boemiae certos ambassiatores nuperrime ad vos (nos) direxit quos sibi reversi (sic) tale quoque eis responsum dedimus: ut eidem dicant, ut barones suos inducat et alios suos subditos et maxime fautores Johannis Hus dampnatae memoriae et qui per literas suas diffamarunt, ut ab erroribus hujusmodi desistant, a turbatione et spoliatione cleri abstineant et emendati ad gremium sanctae matris ecclesiae revertantur. Haec praedicta circa petitionem vestram, quam facitis ex parte omnium nationum, cum certo nuntio secunda vice iterum ejusdem fratris nostri quem propter hoc apud nos retinuimus, intimabimus. Jnsuper quia praefatus frater noster desiderat praesentiam nostram et personaliter conventionem una cum baronibus regni sui, prout ipse exposuit nobis per nuntios, de quibus deliberavimus mittere in brevi amabasciatam nostram solempnem, cui committeremus dicere, quod dictam conventionem celebrari intendimus, duntaxat si in conventu sui velint reconciliari ecclesiae dei et hujus sacri concilii determinationibus et mandatis humiliter obedire et alias non; ymo si sanam doctrinam sanctorum patrum noluerunt recipere et dimittere haereses dampnatas et perversas, non intendimus cum eis nec placitare nec convenire ullomodo. Si autem converti volunt ad

obedientiam ecclesiae et hoc non immutaverint, quod tunc cum praedicto fratre nostro vel cum suo consilio et baronibus parati sumus convenire in loco et termino praefigendo et visa bona et constanti voluntate dictorum baronum et aliorum, qui dicuntur de secta Wicleffistarum, aliquos majores de eis ad hunc locum sacri concilii adducemus. Supplicamus quoque pro sententiarum ac censurarum, quibus sunt ligati, suspensione, quam etiam a paternitatibus vestris speramus gratiosius posse obtinere.

Et in casu quo fratrem nostrum ut perfertur bonam voluntatem circa extirpationem illorum errorum habere invenerimus, sed ob multitudinem illorum, qui hanc sectam fovent, non habere sufficientem potestatem exterminandi, promittimus vobis sibi cum tota nostra potentia succurrere et assistere usque ad finalem exstirpationem omnium errorum et haeresium praefatarum et procurabimus restitutionem cleri spoliati. Scimus enim dampna et pericula, quae ab hac haeresi in illo regno eveniunt, quae enarrare longum esset. Quod quidem regnum tempore felicis recordationis genitoris nostri per multa tempora ante et post fuit catholicum, inter multa alia regna de recta fide et de bona devotione laudatum. Scimus etiam, quod hodiernis diebus heu proh dolor in multis diffamatur erroribus et maxime divino fraudatur hospitio, clerici et sacerdotes spoliantur et multa mala alia ibidem fiunt, de quibus boni et fideles illius terrae dolent et contristantur. Nam in ipso regno non omnes sunt perversi nec omnes infideles, ymo *multo plures* sunt honesti et devoti viri, qui veram fidem tenent. Rex etiam Boemiae frater noster haec mala videns invocat judicium Archiepiscopi et specialiter contra unum pessimum hominem, propter quem tenetur interdictum in ecclesia et civitate Pragensi jam per multa tempora, cui frater noster mandavit exire civitatem. At ille respondit, quod vult stare juri coram Archiepiscopo et Archiepiscopus se excusat propter praesentiam hujus sacri concilii, ad cujus examen et judicium hujusmodi negotium pertinere dicit, cupiens esse non martyr sed (vel) confessor et sic omni die quasi mille missae in ecclesia et civitate Pragensi. ut de regno Bohemiae taceamus, omittuntur et per hunc modum remanent multa mala impunita, dum alter per alterum se excusat. Insuper quod deus avertat, si hoc sacrum concilium propter negligentiam procedere vellet contra fratrem nostrum vel invocare brachium saeculare contra regnum Boemiae vel dictum fratrem nostrum, supplicamus, ut sacrum concilium potius committere

velit hoc *alteri quam nobis* et cuicunque committet hujusmodi executionem, nos ad praecepta vestra ecclesiae et sacro concilio assistere curabimus pro toto posse nostro illa nos facere contra fratrem et regnum suum honori nostro nil (quod) convenit, posset que videri multis hoc fieri non causa pietatis nec favoris fidei, sed causa desiderii regni; posset etiam contra nos oriri suspicio, qua homines crederent, ex praetacta impugnatione Wycleffistarum dominium regni Boemiae vellemus pro nobis recipere et fratrem nostrum opprimere et tandem spoliare regno suo; cum autem intentio nostra sit semper debitum honorem fratri nostro impendere et statum praefati fratris nostri conservare et defendere, in illis petimus quatenus paternitates vestrae nos vellent habere supportatum (excusatum).

5. Fragmentum literarum.

1415.

Ex cod. Mellicensi. 114.

Sicut audivimus a referenti et vidimus in literis facta in civitate
domini (Cardinales) . .
dum Rex invictissimus Romanorum et hungarorum Sigismundus pollicitus for(et venire)
in Constantiam impeditus fuit, licet quinque eodem die suevica miliaria
veniens in Vberlingen mox naves suo discrimine ascendens de nocte —
Et sic papa in Galli cantu officium sollempniter personaliter dum perag(ebat. . .)
omnia et nox cursum ageret sermo et strepitus regalis venit. . com
mitativa in ecclesia celebrante papa Cantoresque prout de fi. . .
dulciore levantes modulamine melodias Rex a papa acceptus
Exiit edictum legit astantibus regina et principibus et plena ecclesia
competentibus Princeps et dux de Brig coronam regi apposuit et (per)
tres continuatas missas Imperatore et Regina locum etiam non mutaverunt
insompnes. Tandem laribus omnibus petentibus et quiescentibus non diu post (misit Rex)
oratores ad papam referentes gratias, quod propter rem publicam et ecclesiam (dignatus)

esset trans montes ad istas partes suam sanctitatem defatigare.
Et (similiter ad cardinales)
et praelatos. Auditis ambaziatoribus regis quos miserat ad petrum de
(Luna et Angelum)
Corarium seu Gregorium et ad reges circumcirca et comperta maxima
Regia
sollicitudine et expensis. Clamantes cum toto quasi clero per plures
vices
Gratias Gratias. Post hoc peciit rex a papa quod posset vocare Cardinales (et cum)
illis interloqui. Deinde petivit rex quod papa sessionem secundam
quae sit . . .
protelaret ex eo, quod adhuc non venissent principes aut ambasciatores
de Swecia, Dacia, Bohemia, polonia et caeteris. Quae quidem . . .
celebrata est ad quam venerunt Anglici cum decore et preciositate . .
ambasciatae et dux heinricus de Bavaria cum altero duce
Et haec pro tanto de papali et processu regio prosecutus
Item dominus pataviensis Episcopus factus est Imperii Cancellarius
sed
Nisi tamen quod rex sepe dixit: Phaff ich izz heut mit
quod contulerit sibi episcopatum Aquirensem i. e. Erlach
Item magister Nicolaus Dingkelspühl fecit collationem pro ingressu
Regis
de Simonia obinde venientibus ambasciatoribus domini nostri ad . . .
patris (?) dominus Venceslaus tamquam papae secretarius perterruit eos
cujus tamen contrarium compertum est. Nam dum sicut et prius
fecerant una di(e)
dixit papa audio quod vobis dictum sit et turbati sitis ex eo quod
. . . sed alias loquitur veritatem alias potius adlator quod p. . . .

6. Litera directa dominis decano et capitulo Pragensi.

1415, 19. April.

Cod. capit. metr. D. 51. Fol. 226.

Venerabiles domini et confratres carissimi. Noveritis quod dominus Johannes papa XXIII est in ffribork cum duce Austriae distante per tres dietas a Constantia et ut dicitur intendit ulterius ire si poterit. Domini de concilio considerantes ejus pertinaciam quod

non intendit redire ad eos, tenuerunt sessionem die XVII Aprilis et ibidem determinaverunt illa, quae in cedula praesentibus inclusa continentur, et statim sequenti, quia apportata fuit litera sufficiens salvi conductus, et propter hoc etiam non fuit tenta sessio. Seqnenti die direxerunt ad ipsum duos cardinales ibidem manentes et de qualibet natione duos praelatos cum litera credentiae, ut ipse acceptaret illas determinationes, alias vellent contra ipsum procedere et omnes sibi adhaerentes tanquam suspectos de haeresi. Id quod illi habuerint nisi rursus revenerint, vos non latebit. Copiam literae quae dirigitur principibus et praelatis per universum nec non processuum, de quibus in dicta determinatione fuit mentio propter eorum prolixitatem et nuncii praesentis festivum recessum habere non potui, sed per proprium occurrentem nuncium dirigam indilate. Sciatis etiam quod multitudo gentium quae occupat plures campos, contra ducem circumvallavit plures civitates et oppida et jam plures acquisiverunt, quaerit gratiam et concordiam, sed consequi non potest. Venerant etiam concilio literae ex parte Universitatis Parisiensis in quibus cavetur quod Rex Franciae unacum ipsis volunt adhaerere concilio et scribunt papae multum vilipendentes recessum suum et consulentes ut redeat ad concilium. Etiam dux Burgundiae, ad cujus terras papa ire voluit, eidem salvum conductum dare recusavit. Insuper Cardinalis sancti Angeli per papam ad Franciam directus in comitatu Subaudie est cum pluribus detentus. Alia pro nunc scribenda non occurrunt. Dat. Constantiae XIX. mensis Aprilis.

7. Alia litera directa per dominum Cunzonem de Zwola decano et capitulo ecclesiae Pragensis.

1415, 2. Maji.

Venerabiles ut supra. Cum alias juxta determinationem concilii Ambassiatores concilii ivissent ad papam, ipsum in Frisago civitate ducis Friderici invenerunt et cum eidem commissa eisdem per concilium proposuissent, ipse dixit, se velle super propositis deliberare et in crastina respondere sufficienter. Isto non obstante in crastino in diluculo diei abinde recessit et ivit in opidum Nivmburg ejusdem ducis consequenter volens ire in Burgundiam et sic aufugere. Tandem *dux Ludowicus de Bawaria frater Reginae franciae* qui pluribus diebus instabat erga Serenissimum principem Regem Vngariae ut eundem ducem Austriae vellet recipere ad gratiam cum eodemque

ut tractaretur concordia et cum in hoc voluntatem ipsius Regis obtinuisset, accessit ad ipsum ducem Austriae et cum eodem in effectu disposuit, quod papam reduxit viceversa in Friberg et ipsum ibidem tenet sub bona custodia sic quod nullo modo potest aufugere et ipse dux sub *salvo conductu Regis praedicti et concilii* venit huc ad civitatem Constantiam et stat die hodierno ad faciendam pacem et concordiam. Et quia idem Rex eidem denegat gratiam nisi ante omnia reducat papam, speratur quod hoc faciet et lesis — — satisfaciet et gratiam dicti Regis consequetur. Et dati sunt per concilium tractatores in hac materia et speratur indubie quod idem dux reducet papam. Istis tractatibus non obstantibus, quia papa ambassiatoribus concilii non dedit tale responsum, per quod concilium contentaretur, igitur hodie tenta est sessio et in eadem idem Papa citatus per modum, qui in cedula domino nostro Regi directa, continetur. Datum Constantiae II die Maii.

8. Idem eidem.

Honorabilis domine! credo quod affectatis novitates audire. Nulla occurrunt in publico de ignorancia vestra et scitote quod hodie venerunt nova quod serenissimus Sigismundus Rex Romanorum etc. est parisius et concordavit bene modo ut dicitur Franciae et Austriae (Angliae) Reges. Item sciatis quod citatio personalis est decreta contra omnes barones, nobiles, armigeros et layos, qui appenderunt sigilla sua in certis literis seu cirographis et direxerunt sacro concilio generali ac omnibus cum ipsis adhaereutibus utriusque sexus et contra ipsos dure procedere et erit destructio geneologiae ipsorum et ipsarum. Item scitote quod contra dominum Conradum Archiepiscopum Pragensem primo fuit petita citatio personalis contra eum in natione germanica et aliis nacionibus, quibus opposuit se diu Tiniczo dezwola auditor et Albertus Warentrap nullo modo consentientes, dicentes quod darentur in scriptis causae quare citari debet personaliter. Demum fuerunt divisi et multi articuli dati et lecti publice in natione Germanica coram omnibus praelatis Ambasiatoribus et doctoribus. Item qualiter dictus dominus Conradus Archiepiscopus fuit Necromanticus Alchimista Simoniacus negligens in officio et dilapidator omnium bonorum et sic habuit magnam verecundiam et credo quod oportebit eum venire et facere rationem villicationis suae prout dominus Episcopus

Argentinensis alias fuit per suos canonicos captus et detentus et fuerunt directi Ambassiatores S. concilii, nulla via mundi voluit venire, pocius vult stare in captivitate et quod provideatur ecclesiae de alio pastore quam facere rationem de alienatione. Et iterum a concilio fuerunt directi alii Ambasiatores, ignoro si adducent eum, quia nobilis est et magnus baro. Et miror quod domini Canonici et tota capella ecclesiarum Pragensium et S. Petri Wissegradensis ausi fuerint scribere cum authenticis literis, qualiter dictus dominus Conradus Archiepiscopus rexerit et nullam negligentiam fecerit; videant si *verum* scripserint, quia credo aliqui in posterum poenitebunt, literas retinent sacrum concilium (sic). Nam *constat de contrario*, quod idem Archiepiscopus in nullo defendit clerum et alienavit bona et sic similiter dicitur de domino Wenceslao Patriarcha Antioceno etc. quis Johannes papa propter demerita ipsius est depositus et malam gubernationem et sic et isti, quia totus mundus est contra eos, quia etiam sunt fautores Johannis Wigleff et Johannis Hus et nil protegunt clerum. Si capiti evenit et concilium est super papam qui est caput, multo magis super membra qui sunt inferiores. Item plura scitote quod tota terra Samaritanorum (sie) affectat baptisari quae habet in longitudine ultra centum milliaria et hunc (habent hic) solempnem ambasiatam in concilio et concilium diriget unum cardinalem ac episcopos et doctores illuc et erigent ecclesias cathedrales et alias ibidem. *Bohemi* vero, qui fuerunt christiani sunt facti haeretici et a fide christiana deviantes et adhaerentes doctrinae illius haeresiarchae Johannis Wicleff et Johannis Hus dampnatae memoriae. Item scitote quod pridie venerit Constantiam una solempnis ambasiata ex parte domini Imperatoris Turcorum et dicunt, quod habent in mandatis, quod velint se subjicere cum toto dominio suo Serenissimo Romanorum et Ungariae Regi. Item heri venerunt Constantiam solempnis ambasiata Imperatoris Graecorum et totius cleri ibidem cum pleno procuratorio seu mandato et volunt venire ad obedientiam nostram et conformare se fidei nostrae in omnibus prout hodie hora XIX facient ambasiatam et producent literas juxta injuncta ipsis (per) superiores eorum nationibus sacri concilii et quidquid per eos exponebit (sic) vos non latebit in posterum. Item dicitur, quod Ambassiatores dominorum Serenissimorum Aragonum Navarrae Castellae Yspaniae Siciliae Gottorum regum ac Archiepiscoporum Episcoporum et totius cleri vbi aliqui per se aliqui per ambasiatores cum solempni ut dicitur pompa venient

prout jam plures venerunt Ambassiatores et Cardinales. Et ille miser Petrus de Luna non potest evadere de uno castro ut dicitur. Item vix venient ad festum penthecostes.

9. Litera directa a rege Zigismundo Baronibus terrae Boemiae et Moraviae.

1415, 21. April.

Cod. musei. boh. 4. D. 12. Fol. 36.

(Reducit eis ad memoriam qualiter terrae iste male stabant tempore gwerrarum et maxime agravatae erant.) Vos etiam scitis bene qualiter adjacentes terrae circumcirca non favent quasi bonpraedictis terris vestris et si causam haberent, libenti animo manus suas super vestras terras extenderent indilate. Etiam audivi, quod vos domini inter vos estis divisi, de quo multum dolemus et partes tenetis et nescio pro quo et si vicinae terre velint vobis bene, tamen vosmet ipsos cum vestris partibus intenditis anihilare, pro quo dolemus, quia scimus, quod hoc est contra voluntatem mei dilecti fratris et vestri domini regis Wenceslai. Etiam nullus dominus praeter voluntatem regis deberet partes facere et tenere, si quid haberet aliquid contra quem, coram rege deberet explanare. Audivi, quod sic propter viam *hussi* estis divisi. Attendite et scitote: quando primum, audivimus, quod *huss* nominatur in terra vestra et propter eum partes tenetis, *mox nobis hus displicuit*, quia scivimus quod difficulter ad finem sanctum vivus et bonus veniet. *Si Hus primum ad nos Renum venisset, aliter factum ejus forte stetisset et de morte ipsius non modicum deo teste doluimus multotiens a concilio propter eum irato animo cum Cardinalibus discessimus et propter eum de Constantia exivimus.* Nunciatum fuit vobis quod volumus jurisdictionem spiritualem adjuvare. *Si pro eo* plura locuti fuissemus, concilium fuisset anihilatum, quia in Constantia de tota christianitate simul ambasciadae convenerant, quia sanctum concilium ex quo venierunt ambasciadae Benedicti antipapae se subdentis, si velletis *husi* partem fovere, esset nobis (vobis) grave contra totam christianitatem. Audivimus quod litteram cum sigillis Constantiam misistis et concilium adversus vos concitastis sic quod vos recte citarent, si non eritis obedientes eis, cum dabitur contra vos et jam nos non possumus sedare nec juvare, ideo desideramus (desiderantes) rogamus, ut in unitate maneatis, ne terra destruatur, habete in fratre

nostro satis, vestris in causis si egetis nostro consilio, veniemus propria in persona. Etiam ordo sacerdotalis sic stet sicut ante res stabat, hoc volumus habere et cum ecclesia Romana stare nec curantes novas adinventiones, *dimittite sacerdotes, ut ipsi sibi inter se altercentur*, habent suos superiores speciales judices et de literatura satis, nobis non licet se intromittere ipsorum de causis. Credimus, quod in hoc — — (Caetera desunt).

Datum Parisius 21 die mensis aprilis anno etc XV regnarum nostrorum Ungariae 29 Romanorum 23°.

10. De custodia Johannis Hus.

Cod. Mus. Boh. 4. D. 12.

Caeterum post recessum domini Papae clandestinum de constantia dominica Judica ut patet antea eum de *huss* fuerit periculum ne eriperetur de carceribus (conventus) ordinis praedicatorum situati ultra muros civitatis, quia custodes jam erant pauci et remissi.

Sed ex diligentia facta et clamore zelatorum fidei ex decreto concilii perductus est ad quoddam castrum et ad carceres domini Episcopi ordinarii constantiensis, qui dominica domine ne longe hora quasi X^a noctis cum 100 fere armatis ad unum castrum eum extra civitatem deduxit, ubi bene custoditur et in compedibus die noctuque vinculatur, de nocte sibi manicae ferreae apponuntur, sed justitia circa eum non fuit exemtiva multis pro illo acclamantibus, quod nolunt interrumpere materiam unionis et ex parte domini apostolici jam tractatus trecentos. Pro ipsius tamen libertate laboratur jam incessanter apud regem per dominum Joannem Kepkam et Lazemberg et Joannem cardinalem, pro quo etiam Barones VIII de Moravia duo de Bohemia domino regi scripserunt ardue ut salvum suum conductum teneat et ipsum absolvi instanter rogitantes. Sed tamen adhuc nil proficiunt cum suis astutiis omnibus et mendaciis et spero quod non proficient deo concedente, quia propter ejus ereptionem dominus rex suo generi magnifico indubie ut creditur maculam non imponet licet alius pro eo se interponat simulate(!) ut aestimatur ipsequo Wiclefistarum imperticione (impertinentia) impulsatur.

11. Arrestatio magistri Christani. 30 articuli contra eum oblati.

Insuper sciatis. Magister Christanus fuit in Constantia arrestatus per dominum Michahelem. Oportebat nempe eum ad articulos contra eum pronuntiatos medio juramento respondere manu propria responsiones in articulis inscribendo. Qui cum petisset se absolvi ab arrestatione et nuntii domini Regis Romanorum pro eo similiter petiissent, subjecta tunc fuit conditione absolutus quod procuratorem legitimum constituat ad sententiam ferendum quae est in materia fidei; per se omnibus modis veniat qualibet occasione procul mota sola causa in servitute dumtaxat excepta, quam cito per suum procuratorem fuerit innotatum et causa fuit sibi per judicem allegata, postquam ad hoc noluit consentire, reputans se fore gravatum, quia poenam et poenitentia in materia fidei (sine?) procuratore speciali non potest sustinere. Qui accipiens deliberationem in crastino veniens coram domino patriarcha Constantinopolitano et pluribus notariis juravit ibidem se sub fautoria haeresis et poenae excommunicationis latae sententiae actitando contra quem fere XXX articuli sunt oblati; feria II vel III dominica judica exire est permissus. Sed timetur quod veniens ad vos alia mendacia seminabit, *prout est mos omnium Wiklefistarum*

12. Episcopus cum daemone (Moraviensis?) arrestatus deponit contra hus.

Ceterum scitote quod episcopus cum daemone (sir)ante magistrum *Cristanum* una quidem venerat et fuit arrestatus adhibendum testmonium veritati, qui nomine domini Regis et ejus legationis subterfugere laboravit sed postea pro honore regis et excusatione se deponere submisit coram domino Cardinali Cameracensi sui causa fidei est commissa et coram doctoribus sacrae theologiae ibidem congregatis quod et fecit et dominum regem excusando rationabiliter contra *huss* corporaliter deposuit inter caetera asserendo, quomodo per ipsum regem fuit destinatus ad hoc concilium ut se de infamia et regnum Boemiae expurgaret. Sic deo inspirante angelus satanae fuit in angelum lucis commutatus, post quam depositionem oportebat eum furtive recedere habitu immutato quia Wiklefitae ipsum offendere nitebantur.

Scriptum in Constantia feria III post pascha.

13. Supplicationes ad Regem Romanorum pro papa et duce.

Item sciatis quod ipsa die feria III per dominos Cardinales Ambassiatores regis Franciae et universitatis Parisiensis fuit humiliter domino Regi supplicatum ut treugas ad tres menses cum duce Friderico Austriae habere dignaretur nec dominus Apostolicus ad proximam munitionem Civitatis Constansiensis possit appropinquare pro pace unionis ecclesiae conservanda, alias timerent dissolutionem concilii propter carentiam victualium quae pocius ad turmas in campis jacentes deducerentur. Qui respondit sancte et deifice, quod hoc fieri non posset, quia jam principes, comites, barones et alii multi occasione guerrae illius expensas jam ferrent et praesertim illi, quos dux prius molestavit et in bonis spoliavit. Quos revocare sibi non liceret. Sed hoc se facturum submisit quod, si dominus apostolicus vult aliquam munitionem episcopi Constantiensis vel civitatem imperii subintrare, velit incolas a domini Episcopi vel sua obligatione absolvere et quod fidelitatem domino Apostolico compromittant, promittentes alias securitates adhibere quas dominus apostolicus postularet, dummodo ipse etiam se non recedere obligaret, quousque factum unionis sanctae inchoatum sine debito clauderetur vel si pocius vellet esse in bonis domini ducis Austriae et eligeret civitatem ejus dicionis quamcunque vellet, illam civitatem cum illo toto districtu circumcirca civitatem non vult inquietare et turbare et disponere quod omnes accedentes dominum apostolicum et recedentes plena pace sine omni molestia perfruantur. Dat. ut supra.

14. Novitates 1415.

Cod. Musei boh. 4. D. 12. Fol. 33.

A. XV septembris anno etc. XV venerunt novitates quomodo multi turcae sunt prostrati et devicti.

XVIII die ejusdem mensis venerunt novitates de rege Ungariae quomodo de gratia dei antipapa Petrus de Luna alias existens in parpormerio (Perpignan) misit solemnissimam ambasciatam ad regem Ungariae qui tunc erat in Narbona per mediam dietam adinvicem distantes offerens se papatu ad cedendum papatui. Sed quia rex Aragonum erat infirmus graviter in calculo, quapropter non poterat venire ad regem, qui tamen (ad?) infirmum se illuc transtulerat, quo adveniente

indubitanter perficietur dicta cessio per dominum Petrum de Luna et ita dei gratia unionem ecclesiae dei cum gaudio expectabitis et propter hujus nova in signum laetitiae factus est maximus campanarum sonus Constantiae quasi in crepusculo diei.

B. Item eodem mense venerunt novitates quomodo dominus Czenko met sextus (sic! forsan de Sternberg) baro vellet esse cum Wiklefistis et dominus rex Wenceslaus cum 14 baronibus vellet esse contra de quo maximum gaudium Constantiae factum de proposito domini regis.

Etiam sciatis quod jam est concepta pulcra informatio status papatus cardinalatus et curiae et jam agitur de reformatione membrorum et dati sunt de qualibet provincia duo qui colligere debent cedulas omnium defectuum cujuslibet provinciae ut sic singuli defectus reformentur et corrigenda corrigantur.

Eodem anno in Broda boemicali in die sancti Remigii congregati sunt ad Archiepiscopum Pragensem Conradum domini terrae contra *hussitas* dominus berga de hohenstayn, dominus Hlawacz, dominus Koldicz, dominus Michalczo, dominus Johannes Raczko, dominus Elstrobich, dominus Wilhelmus Zagiecz et alii quam plures, qui noluerunt se perscribere cum aliis dominis oppositam partem tenentibus. Novitates quia cessit papatui Benedictus XIII alias Petrus de Luna. Etiam aliae novitates quod pro certo Magister Jeronymus revocavit et condempnatur Johannes Hus.

15. Novitates cum juramento regis.

Ex Cod. monast. Altovadensis.

Dominus rex Sigismundus confirmatus est ad imperium et juravit in conversione Sancti Pauli. Omnes cardinales et reges recesserunt ab omnibus antipapis tribus Gregorio, Johanne, Benedicto (et rex Romanorum) juravit obedientiam domino Martino Papa novo.

Item in terra Samaritanarum (Samaytarum) sunt omnes conversi ad finem propter unionem sanctae matris ecclesiae et baptizati sunt vix tribus in mensibus supplicantes sacro concilio ut dirigant eis doctores et magistros ad confirmandam fidem.

Item dux Fridericus dedit se ad gratiam concilio et papae.

Item Johannes Papa dampnatus est praesentatus Martino papae moderno et exemptus est.

Item juramentum fecit dominus Rex Romanorum et Ungariae ac imperator Romanorum Sigismundus novo papae: Tibi domino Martino V. ego rex Sigismundus Romanorum promitto et juro per patrem et filium et spiritum sanctum et per hoc lignum vivificae crucis per has reliquias quod sanctam Romanam ecclesiam et te rectorem ipsius exaltabo secundum meum posse, nunquam et in ultra neque ipsum honorem quem habes voluntate mea aut juvamine aut meorum aut meo consilio aut meo consensu aut mea exorbitatione (adjutorio) perdere et si Romam venero in Roma nullam placitationem aut ordinationem faciam de omnibus quae ad te pertinent sine tuo consilio et quidquid de terra sancti Petri ad nostram potestatem venerit, tibi dabo et reddam aut cuicunque regnum italicum commisero illi jurare faciam ut adjutor tuus sit ad defendendam terram Sancti Petri secundum suum posse. Dat. Constantiae in die conversionis S. Pauli 1418 (25. Jan.).

16. Litera sive bulla Concilii Constantiensis ad civitates Pragenses pro extirpatione haesticorum in eisdem.

1415, Juli 26.

De sententia lata in M. Johannes Hus.

Sacrosancta synodus Constantiensis, universalem ecclesiam repraesentans in spiritu sancto legitime congregata, spectabilibus et sapientibus viris, magistris civium, scabinis et caeteris civibus majoris, minoris et novae civitatis Pragensis salutem in domino. Magnum temporibus nostris infortunium, grave nefas experti sumus optimi filii! Si horrendi scismatis foeditatem, si haeresium perniciosissimam malitiam repetimus, et ex eis quanta clades, quanta animarum dampnatio orta sit, plane recenseamus, ecquid tam obnoxia, tam intolerabilia passi sumus, ut non mirandum sit, cum facinus pullulaverit, sed quo pacto nos tot flagella, concertationes ac disturbia toleramus, ac si hominum forsitan diligentia gravitasque passim has tempestates semovere minime curaverit, quod nos infelicissimos esse arbitramur; volens enim immortalis, qui impiorum saevitiam, malignantium iniquitatem, prorsus humanum genus inficere non sinit, nos huc adventare statuit, quo fidei nostrae orthodoxas ac sanctissimae ecclesiae etiam reintegrationi opportunae succursu curaremus. Itaque Deo auctore nostro haec tam ingentia

negotia maturissime decentissimeque ingressi tandem feliciter peragere instituimus, populumque christianum tot jam diu angustiis labefactum, haeresium etiam pravitatibus conculcatum, ad pacis dulcedinem et veritatis candorem restituere coepimus, sic quod perfecte a nocivis putamus repribus liberare. Meminisse opportet quidem nefandae detestabilisque doctrinae Johannis Wicleff, cujus tam sordida, tam foeda sententia extitit nec nec (sic) solum illam repetere, quotque ex ea errores defluxerint, memorari grave, sed et ipsius reminisci horrendum videatur; nam fidem catholicam non tantum improbe interpretari, sed a fundamentis evertere conatus est. Nemo tam umquam sub velamine christianae religionis instituta fidei oppugnavit, nemo tam ecclesiae perverse contradixit et sic scandalose. Quam ob rem in Oxonia primo Pragensique studiis articulis de ejus libris excerptis dampnatio, tandem Romae generali concilio jam pridem celebrato illa sententia juste, pie ac sancte extitit confirmata per librorum ejus condemnationem et combustionem. Et jam in praesenti concilio Constantiensi confirmatio praedictorum exstitit innovata et memoria ipsius Wicleff ob nefariam ejus doctriuam condemnata cum sententia exhumationis ossium ipsius a sacro loco, si a fidelibus ossibus valeat separari, ac extra sacrum locum eorundem ossium projectionem. Verum, ut experientia docet, venenosa ejusdem Johannis perversaque opinio mentes plurium infecit peste sua dampnabiliter corrumpendo, unde in praesentiarum improbissimos et periculosissimos sanctae ecclesiae viros, quendam Johannem Hus Jeronymumque, ejus Wicleff in multis dampnatissimis imitatores, non solum ad debilitandum, sed enervandum quasi militantis ecclesiae disciplinam, fidem etiam catholicam elidendum tendere manifestissime cognovimus, ob hoc, quod gentibus praeclari regni Bohemiae pro tam nefanda, tam obnoxia labe repellenda plurimum, ut percepimus, excitatis ac etiam maximis jurgiis et concertationibus exortis ingenti studio et maturo exercitio tractamus, quo pacto regnum praedictum talibus hominibus perditissimis laborare (sic) valeremus. Neque res parva videbatur; etenim sub colore catholicae fidei tales haeresiarchae solent simplicissimos homines indoctos et ineruditos corrumpere ac eos a fidei-intitutis avertere, itaque eos jam redactos examinare et quemadmodum saporem perscrutari voluimus, verum de Johanne Hus, qui primum huc venit, judicium orsi diligentissime libris

drimum suis, denique quam plurium testium fidedignorum, imo qui nullo pacto repudiari possunt testimoniis, reperimus intestina fidei Vestrae dissipare et populum notorie ad suam dampnatissimam doctrinam adducere curavisse, quae si, ut nobis clarissime liquet, cunctis regni ipsius gentibus manifesta essent, minime dubitamus pro ingenti Vestro ad fidem catholicam affectu, talem virum suis demeritis exigentibus notorie convictum et jam deletum sanctissima justitia mediante pro antea exterminandum curavissetis Scitote autem viri prudentes, nos eundem Johannem primo ex reverendissimis dominis cardinalibus ex praelatorum ac magistrorum excellentissimorum, quam pluribus examini suo deputatis demandata sibi pluries publica audientia serenissimo Romanorum et semper Augusto etc. rege assistente quemadmodum intelligeret auscultasse; denique cum obstinacissimus in erroribus existeret, ne animae periculum suae pateretur, utque omnibus de nostra diligentia gravitateque constaret, curavius ipsum per se evocare et coram quam pluribus praelatis, doctoribus et magistris suae mentis sententias manifestare defensionesque proferre, multa autem penitus absurda et a fide discrepantia se credere coufessus est. Eundem tamen, ut resipisceret, caritativo, quanto potuimus, studio monuimus — sed nec profuit. Quippe non satis dici potest, quantum et publice privatimque, ut se emendare vellet, conati sumus. Quo in casu clementer agere volebamus, cupientes potius (poenitentiam), quam mortem amplecti peccatoris; sed nec etiam profuit, quando imo obstinacior in opinionibus ac perversior diabolica instigatione exstitit. Itaque res se habet, ut in apertissima haeresi ac intolerabiliter comprehensus et convictus juri penitus relinqueretur, et ibidem in publica nostri concilii sessione damnatus et demum degradatus judicio per curiam saecularem existitit judicatus. Haec praescribimus, viri prudentissimi, ut, quod nos indefesse egimus, Vos etiam, quos percepimus hujus haeresis periculosissimae oppugnatores, ad eosdem extirpationem non solum opportune sed celeriter incedatis, ac quod serenissimum regem Vestrum christianissimum, piissimumque nostrorum etiam conatuum promtissimum et efficacissimum, quod ut audivimus imitationem ad solita suffragia excitetis, neque dubitamus cum piis nostris conatibus favores opportunos impensurum unacum venerabili patre nostro episcopo Luthomislensi aliisque doctoribus et magistris ejusdem regni persaepe audierimus, quam ardentissime expurga-

tionem sam foedissimae pestis affectaret. Cujus episcopi gesta non parva laude digna essent, si nos, quanta pro honore regis et regni Bohemiae et catholicae fidei tuitione seriose gessit, scribere curaremus. Quid enim deo acceptius, quid populo christiano gratiu sag.· e possumus, quam tantam temeritatem malignitatemque opprimere. Profecto illud unum memoriae Vestrae commendamus; si non (nos) haereses sustinemus, easque passim crescere permittimus, longe deo hominibusque infestiores existimus. Ne igitur tanta nota irrigemur, o viri optimi! ita et Vos hortamur, quantumcumque valemus per viscera misericordiae Jesu Christi obtestamur, ut homines pestiferos, doctrinam Wicleff et Hus ejus discipuli haereticorum damnatorum seminantes, praedicare et dogmatizare in Vestris civitatibus ac partibus quantum in Vobis fuerit, non admittatis, ut labes illa pessima ab ipsius regni finibus penitus extirpetur, scientes, si ausu temerario hanc nostram sententiam deo gratissimam totique christiano populo salutarem quoquomodo impugnare temptaverint ac in eadem damnatissima haeresi perstiterint, aut in ea persistentes invenerint quomodolibet, vel defenderint, ultra divinam vindictam, quam debent verisimiliter exspectare, nos in eosdem debito nostro juxta canonicas sanctiones processuros, ut talium coërtio aliis transeat merito in exemplum. Datum Constantiae anno domini MCCCCXV, indictione octava, die XXVI. mensis Julii sub appensione sigillorum praesidentium quatuor nationum, videlicet Germanicae, Italicae — (Caetera desunt.)

17.

Epistola Johannis de Gerson Cancellarii Paris. ad Conradum Archiep. Pragensem.

E. Cod. Palat.

Reverendissimo in Christo Jesu patri ac domino praeclarissimo domino Conrado Archiepiscopo Pragensi A. S. L.

Reverendissime pater ac domine praeclarissime. Laetus accepi per literas dignationis vestrae devotionem vestram fortem et sinceram ad ea quae sunt fidei prosequenda postposito etiam mortis, quae omnium terribilium finis est, periculo. Conservet et corroboret ipse, qui dedit hanc voluntatem dominus noster J. Chr. qui ait, sine me nihil potestis facere. Caeterum accepimus apud vos (nos) Parisis varios codices cujusdam Johannis Hus per Petrum de Praga exhibitorem

praesentium qui se diligentissime praehet in hoc negotio sancto zelatorem. Quos codices Reverendissime pater ac domine metuendissime domini Cardinales Pisanus et Remensis multi praeterea Episcopi et doctores examinare decreverunt. Qua super re diligentiam adbibeo prout concessit illuminator verus mentium deus. In quo bene valete Scriptum Parisius XXIV Aprilis.

Error inter alios pernitiosissimus quoad omnem civitatis *politicae* conversationem et quietem et quem dogmatisantes habent vitare velud radicem pestiferam. Jam variis sententiarum securibus per summos pontifices et aliunde recisam videtur esse mihi ille, quod praescitus et malus existens in peccato mortali nullam habeat dominationem vel jurisdictionem vel potestatem super alios de populo christiano. Videtur autem parvitati meae, quod contra hunc errorem *exsurgere deberet omnis dominatio tam spiritualis* quam *temporalis* ad exterminationem magis *igne* vel *gladio*, quam onerosa ratiocinatione. Egent enim nedum intellectu sed spiritu in re publica, qui tam arroganter et seditiosa temeritate desipiunt contra illud apostolicum et philosophicum: Obedite dominis vestris etiam discolis. Non enim fundatur in terra dominium *politicum* in titulo praedestinationis vel karitatis, quum incertissimum esset et labile, sed aliunde juxta leges ecclesiasticas et civiles stabilitur.

Placat denique haec et similia diligenti fervore Serenissimo principi domino Wenceslao Romanorum et Bohemiae Regi ostendendo pericula, quae ex talibus praemissis erroribus in regno suo nedum in spiritualibus sed in temporalibus imminerent.

Scripta erat haec praesens littera dum subiit — ad instantiam piam Petri de Praga festinantis ad regressum nomine (sic) quosdam articulos de tractatu illius Johannis Hus cum additione reprobationum juxta quod prima facie sentiebam; propono nihilomninus conferre super hac re cum magistris nostris de theologica facultate. Volui tamen mittere vobis magis daturus vobis in hac occasionem deliberandi, quasi pro fine determinationis ejus doctrinalis.

Johannes de Gersono, Cancellarius Parisiensis
indignus manu propria.

18. Concil. Constantiense Johanni de nova domo Baroni.

1415, 25. Aug.

Cod. Musei. 4. D 12. Fol 33.

Sacrosancta generalis Constanciensis synodus in spiritu sancto legitor congregata dilecto in Christo filio nobili viro *Johanni juniori* Baroni Boemiae de *nova domo* pragensis dioecesis salutem et dei omnipotentis benedictionem.

Salubre extitit et visum fuit Sacro concilio, odibile et adversans katholicae fidei principalis (?) pravitatis Wicleficae vicium, quod in regno Boemiae jam dudum pullulavit taliter, per divinum auxilium majestatis ab illis finibus extirpandum, quod condempnatis illius maledictae pestis capitaneis videlicet Johanne Wicleff et Johanne Hus exorbitantes ad gloriam conditoris omnium et errantes ut ad viam redirent veritatis et animae simplicium praeserventur a lapsu ac in personis katholicis et fidei zelatoribus constans virtus circa ipsius fidei cultum de bono in melius augeatur. Nunc autem dolenter percepimus qualiter quidam barones regni Boemiae nobiles et clientes, salutis propriae immemores timore divino et pudore humano prorsus abjectis praefatos haereticos cum eorum libris et doctrinis justissime condempnatos in blasphemiam dei omnipotentis et pra judicium detestandum sanctae matris ecclesiae unicae sunc sponsae defendere moliuntur et ipsorum condempnationem approbare (improbare) non (conformare) formidant, decretis ipsius sacri concilii praefati nolentes confovere. Qui etiam obedientiae filium et athletam fidei ac regni ipsius Boemiae ymo ferventissimum zelatorom fratrem nostrum Johannem episcopum Luthomislensem occasione illius sanctae condempnationis satagunt invadere et ejus ecclesiam et subditos hostiliter debellare, injuriam divinam depressionem ecclesiae pacis desidium et catholicae fidei detrimentum non attendentes. Quia ecclesiae status et fidei congregatio (conservatio) ea sunt indivisibili unione conjuncta ut altera praedictarum rerum, reliqua in honore non habita, non valeat honorari nec potest fidem derogare quam non minus ecclesiae detrahatur nec psius ecclesiae honori ac libertati detrahitur quam et in fide quantum in detrahente fuerit derogatur. Talium igitur sic errantium confusio est proxima nisi resipuerint et perditionem supremam ncidant, si pertinaces extiterint, cum se patenter Deo opponant.

Caveant ergo quique ne manifeste rebellantes ac inimicos ejus haereticos, scilicet qui hominibus simplicibus non intelligentes scripturam vel damnationis propinant in aureo calice Babilonis quasi bonum vinum eis primo offerrent et cum in ebrietate fuerint quod deterius est porrigunt prout proprium est eorum, eos sibi associant, eos defendunt aut quod est deterius, eos et alunt. Igitur te fili nobilis! qui incremento ejusdem fidei christiane vacasti semper et adhuc vacans studiose in ea firmiter persistendo, quemadmodum de tua nobilitate audivimus animo cum jocundo, si deum diligis, qui te in nobilitatis prosapia sublimavit, si ecclesiam matrem tuam, quae te regeneravit in Christo, veneraris, si propriam salutem non negligis, si famam non speruis, per viscera misericordiae Jesu Christi exhortamur et instantius deprecamur, ne te a complicibus praedictorum haereticorum dampnatorum a quoquam seduci patiaris, ne maculam in tua geneologia patris indebilem (indelebilem) favendo in aliquo dei et ecclesiae immitis (inminuas), sed in via veritatis ambulans et in semitis patrum, a quibus huc usque commendaris non declinare, illa labe respersos prosequaris et oppressis catholicis in eodem regno per fautores et defensores illius periculossimae haeresis juxta tibi a domino concessam (potestatem) in remissionem (peccatorum) praecamur fideliter et constanter feras auxilium et consilium apertum et praesertim fratrem nostrum episcopum Luthomislensem in tuae nobilitatis defensam affectuose commendamus, qui pro magno honore illius regni et commodo *solus inter praelatos ipsius regni in sacro concilio perduravit*, ejusdem regni bonum et honorem indubie procurando, unde meruerit teste Deo ut ipsum tua nobilitas defendat et favorabiliter prosequatur. Pro quo praeter animae tuae salutis praemium quod exinde tibi proveniet, a nobis possis, qui sanctam reputamus ecclesiam ac coram summo pontifice unico et indubitato pastore merito commendari, sciturus quod praefatum nostrum fratrem Episcopum Luthomislensem non delinquemus indefessum (indefensum), cum proposito intendimus mortificare virum tam mortiferum animarum et eradicare de vinea domini tantam pestem. Datum Constanciae VIII kalend. Septembris anno domini etc. IV. indictione VIII apostolica sede vacante.

Domino Johanni de nova domo militi de Constancia directa domino generoso.

19. Super materia unionis in Constancia, supplicatio concilii a theologis 1415.

Cod. Bibl. Univ. Lips. 176, Fol. 58.

Ad obviandum multis erroribus qui nunc oriri videntur circa materiam unionis ecclesiae petitur concilium (consilium) et deliberatio theologorum super dubiis infrascriptis quae *Johannis Hus* doctrinam erroneam sapere dicuntur.

Utrum dicere quod oblatio super modo elecionis futuri summi pontificis facta per dominos cardinales et acceptata per tres nationes est erronea aut ecclesiae periculosa vel scandalosa, sit erroneum et injuriosum ac pacis et tranquillitatis Sacri concilii turbatio.

Utrum dictam oblationem non acceptare nec aliam aeque bonam vel meliorem offerre et non velle super hac materia cum aliis conferre sed rem istam tam necessariam in longum periculosius differre, sapiat fautoriam scismatis et impedimentum unionis.

Utrum inducere potentiam saecularem ad prohibendum seu de facto impediendum ne supra dicta oblatione deliberarent aut respondeant aliae nationes, sit libertatis concilii turbatio et impressio metus aut ecclesiasticae unionis impedimentum.

Utrum dicere quod apostolica sede apud omnes notorie vacante non est facienda electio futuri Pontificis summi secundum canonicas sanctiones, sed quod post dictam vacationem ecclesia diu et sine determinato tenore maneat acephala i. e sine apostolico capite seu pastore et absque canonica provisione super modo et forma futurae electionis sit contra jus divinum videlicet contra ordinationem Christi de instituendo sibi vicario Petri successore.

Utrum praedicta assertio sit haeretica vel sapiens fautoriam pravitatis haereticae et specialiter haeresis contra *Johannem Hus* per hoc sacrum concilium condempnatae videlicet quod ecclesia melius potest regi sine papa quam cum ejus et Romanae ecclesiae auctoritate.

Utrum quaecunque hujus concilii decreta vel capitula vel juramenta sane intellecta possunt obstare praefato juri divino seu ordinationi Christi de substituendo sibi vicario. Et utrum hoc dicere sit erroneum et sapiens haeresim ac huic sacro concilio injuriosum.

Utrum dicere et efficaciter procurare quod non solum electio futuri summi pontificis sed etiam provisio super forma modo et tempore futurae electionis differatur, donec et quousque prius fiat refor-

matio capitis i. e. papae Cardinalium ac Romanae curiae quasi hujusmodi reformatio bene fieri nequeat papa praesidente, sit erroneum et sapiat haeresim *Johannis Hus* supra dicti.

Utrum canonica provisio super futura electione sit prima et principalis reformatio ecclesiae prae caeteris necessaria et debito ordine praeferenda aut saltem non postponenda. Et an contrarium dicere sit erroneum et debitae ordinis reformationis turbatio. An haec difformitas scilicet quod ecclesia ut praemittitur maneat acephala sit periculosissima et per consequens hujus deformitatis reformatio sit prae caeteris necessaria.

Utrum dicere quod minus inconveniens est ecclesiam carere capite quam carere capitis reformatione sit erroneum et a bonis moribus ecclesiasticis alienum.

Utrum consulere vel inducere potentiam saecularem, quod exerceat viam facti vel brachium saeculare adversus personas *ecclesiasticas* hujus sacri concilii absque auctoritate et expresso decreto suo sub praetenso colore quod isti vel illi sint turbatores concilii, reddat sic consulentes et inducentes reos poenarum juris statutorum contra violatores ecclesiasticae libertatis, quarum poenarum aliquae confirmatae sunt et noviter institutae per hoc sacrum concilium.

Utrum dicere quod Romana et universalis ecclesia non possit debite ac perfecte reformari nisi *per subtractionem* bonorum temporalium, quibus a principibus superflue est dotata, sit erroneum et expresse favens haeresim contra *Johannem hus* per hoc concilium condempnatam. Utrum tales consulentes et persuadentes quod dominus Rex Romanorum vel ratione suae dignitatis vel altero praetenso titulo sive conservatione huius concilii sive decretorum ab eodem concilio statutorum possit aliquam jurisdictionem in ecclesiasticos exercere absque speciali ipsius concilii mandato, dicendi sint errantes de jure et de fautoria scismatis vehementer accusandi tanquam praesentis concilii turbatores et violatores ecclesiasticae libertatis praedictas juris poenas dampnabiliter incurrendo.

20. Mandatum Regis Wenceslai.

1417. Oct. 5.

Cod. Univ. Prag. X. 9. 18.

Wenceslaus etc.

Universis et singulis monasteriorum abbatibus, abbatissis, prioribus, priorissis, commendatoribus, praepositis et praelatis nec

non magistris civium, consulibus, juratis et communitatibus civitatum ad regalem cameram nostram spectantibus districtus Pilznensis devotis et fidelibus nostris dilectis gratiam regiam et omne bonum.

Honorabiles devoti fideles dilecti. Scire vos volumus quod Johannes de Leskow pro tunc subcamerarius noster alias a nobis absque nostris requisitione voluntate et consensu de quo plurimum cruciamur recessu et quid per hoc praetendat penitus ignoramus, formidantes tamen ex hujusmodi suo recessu nobis et nostris citius imminere dampna et pericula quam commodum et perfectum evenire. Ideoque vobis omnibus in genere et cuilibet vestrum in specie praesentibus districte praecipimus et mandamus omnino volentes quatenus praedicti Johannis mandata et literas tanquam subcamerarii nostri nequaquam advertere et ipsum ex nunc et inantea ad monasteria et civitates vestras intromittere non debeatis, quovis modo, sed ad nos et nostro nomine famosum Johannem de Kostelecz camerae nostrae regalis notarium fidelem nostrum dilectum in omnibus vestris agendis et negotiis respectum habere tam diu quousque aliud non habeatis in mandatis, aliter non facturi prout gràvem indignationem volueritis evitare.

Dat. Pragae die V Octobris regnorum nostrorum anno Boemici LIII Roman. vero XLI.

Ad mandatum domini regis
Johannes de Bamberg.

21. Mandatum Regis Wenceslai.

1417, 2. Dec.

Cod. Univ. Prag. X. 9. 8

Wenceslaus dei gracia etc.

Fideles dilecti. Fidelitati vestrae praesentibus seriose praecipimus et mandamus omnino volentes quatenus universis et singulos presbyterorum et sacerdotum *census* aput vos per quemcunque arrestatos et hucusque retentos viceversa dearrestetis et eisdem presbyteris et sacerdotibus hujusmodi eorum census mox visis praesentibus dare et sine contradictione qualibet persolvere debeatis integraliter et ad plenum. Signanter etiam volumus et praesentibus vobis expresse mandamus, quatenus universa et singula in articulis praesentibus interclusis contenta sine mora exequi et eadem in antea firmiter observare et tenere debeatis, prout rerum et corporum vestrorum grave dispendium volueritis evitare.

Dat. Pragae die II Decembris regnorum nostrorum anno boem. LIII. Roman. vero XLI.

Magistro civium consulibus juratis ad mandatum domini Regis et communitatum civitatis Beronensis.

Johannes Wailburg decretorum doctor.

Sequuntur articuli.

Primo obedientia et reverentia ecclesiae Romanae et in ea praesidentibus secundum antiquam consuetudinem teneatur et observetur

Item quod plebani et beneficiati ad ipsorum beneficia et parochias restituantur et census eorum per amplius non tollantur.

Item quod praedicatores in exortationibus et sermonibus ipsorum non debent concitare populum ad lites et jurgia nec in praedicando ad singularia descendere nec aliqua scandalosa nunciare, sed legem dei duntaxat et aedificatoria praedicare. Alioquin per dominum Archiepiscopum si fuerint spirituales puniantur; saeculares vero per potestatem regiam seu consules coerceantur. Etiam quod nullus in ecclesiis parochialibus praedicare praesumat sine speciali scitu et voluntate plebanorum.

Item quod occupatores ecclesias debent deoccupare infra tres dies inclusive ita quod deoccupent et nullum penitus dampnum per eos committant tam in ecclesiis quam in domibus ad ipsas ecclesias pertinentibus, alias ad restitutionem dampnorum constringantur.

Item quod ornamenta et jocalia ecclesiae ministrantes calices et alias res ecclesiasticas, quae plebanorum beneficiatorum et altaristarum sunt, reponantur et assignentur sine omni diminutione aut distinctione, alioquin contra eos procedetur et ad restitutionem compellentur sub beneficiorum privatione.

22. Consignatio curiarum, vinearum et hortorum demtorum profugis et aliis datorum a communitate civitatis Pragensis.

1421—1423.

Lib. civil. Prag. misc. F. 1110—1113. Copia

Dationes curiarum profugorum anni etc. XXI. Curia in Lahonicz cum pratis et aliis pertinentiis Wenceslav Wosstnik, directe ante festum assumtionis Mariae.

Curia in Butonicz, quae fuit Carthusiensium et Divorzecz cum vinca Johanni Frolich.

Curia in Michel, quae fuit monasterii Brzenoviensis, Nicolao sub Stuba.

Curia in Owencz, quae fuit praepositi Pragensis, Kotloni *dollatori.*

Curia in Olssan, quae fuit abbatis S. Ambrosii, Johanni de Zacz.

Curia in Zlechov, quae fuit monasterii Carthusiensis, Procopio de Misa.

Curia in Kobolis Martino Przespole.

Curia in Nebussicz Strachoni et Stankoni de domo praepositi Chotiessowiensis.

Curia in Tryskowicz Petro de Hosczka et Jeronimo Ssrol.

Curia in Hodkoviczky Jacobo Wssernbecz.

Curia in Wrasowicz cum colonis ac pertinentiis universis Mistoni Rysslawy.

Curia in Kig cum prato decani Wyssegradensis Mathiae de longa platea.

Curia in Dobrziecbowicz, quae fuit hospitalis, Liderzoni.

Curia in Pracz Nicolao notario cum molendino et pertinentiis.

Curia in Lippan, quae fuit monachorum Aulae regiae, Martino Zumburgerz.

Curia in Krcz, quae fuit Anthonii, Janconi de Misa.

Munitio in Brzezan Janconi consuli dicto Frolich.

Curia in Zabiehlicz Welislao braeseatori (brassatori).

Curia in Polirad cum pertinentiis universis Hrneczkoni.

Molendinum pod skalu penes villam Zirzicz prope Costelecz Johanni de Kniezewes, centum VIII sexagenae.

Curia in Miessicz cum munitione Johanni de Kniezewes consuli et aliis universis pertinentiis et spectantibus.

Curia in Howorczowicz, quae fuit cruciferorum de pede pontis, Martino de domo Lanczonis.

Curia in Liben cum slup et aliis pertinentiis.

Curia in Okruhlik, quae fuit Ocks, Philippo Poribny ratione debiti lxvi sex. gr. in quibus sibi debitorie manet obligatus. Produxit testimonium tempore magistri civium Pechonis.

Curia in Podwinie cum curia in Hobssowicz Johanni Bradaty et pertinentiis aliis.

Curia in Ssarka, quae fuit praepositi Pragensis, cum rubetis et vinea parva Johanni Ssarka.

Munitio Chrzenicz, quae fuit magistri Albici, Nikolao sub stuba cum toto ad eam pertinentiis.

Curia in Klukonicz, qua fui Wenceslai, domino Pechoni consuli cum prato Cartusiensium eidem adjuncti et silon cum prato contigua.

Molendinum monachorum Chartusiensium cum agro retro murum Carthusiensem domino Laurentio de Wilhartiez consuli.

Curia in Motol tota, quae divisa est per partes, videlicet cruciferorum de pede pontis et abbatis S. Georgii, Johanni Zmrzlik.

Curia in Lahowicze cum vineis Henrici a corona et Loys, Wenceslao Wosstnik.

Curia dicta Labocz, quam prius convenit Mathias Oteska, Johanni Maxin.

Curia plebani cum agris cultis et incultis in Libeznicz, Rsehaconi de ibidem, qui debet de eadem censuare pro communitate.

Curia in Debnicz, quae fuit Troskonis, Mankoni *sutori*.

Curia in Ledczicz monasterii Doxanensis, Martino de Tyrnavia cum universis pertinentiis.

Curia in Strziezkow, quae fuit monialium S. Georgii, Wenceslao a carpone consuli.

Curia in Poczetiticz (sic), quae fuit cancellarii regis, Wenceslao a carpone,

Curia in Brzezan, quae fuit monialium S. Georgii, castri Pragensis, domino Janconi de Miza consuli cum omnibus pertinentiis.

Curia cum hominibus, censibus et aliis emolumentis, quae fuerunt monachorum de Plas, Procopio Judassek ratione debiti iiii^ce^, sex. et nomine centum XXX sex. gr. super quibus dicit literas cirografas habere.

Agri, qui sunt Bradaczonis, coci monasterii Brzewnowiensis, Petro Massopust.

Curia plebani in aratura Czachowiez Jeronimo Isrol civi majoris.

Curia araturae in Cžemicz, quae fuit praepositi Pragensis, cum pertinentiis Bohunconi de Bohňucz.

Curia in Libeznicz, quam tenuit magister Naso, Andreae dicto Hedwicae seniori et Johanni Hrnczek de Czerenicz, conventio de ix. sex. gr. Actum sabbato ante dominicam palmarum.

Curia in Jenecz majori, quae fuit quondam Langasti, Dorotheae conthorali Andreae notarii tabularum data propter sex. census annui et sex. retentis.

Curia in Brzwij Janconi *sutori*.

Curia in Lesczan, quae fuit cruciferorum de pede pontis, Tomae *pannifici*.

Curia in Srhecz cum piscinis, quae fuit praepositi Mielnicensis, Zdimiro notario bernarum, et cum agris plebani ibidem.

Curia in Welticz Jacobo *institori*.

Munitio in Roztok, quae fuit Reinhardi, Johanni pronotario praetorii civitatis cum pertinentiis universis.

Curia araturae in Lichoczewes, quae fuit abbatissae monasterii S. Georgii Pragensis, Martino de domo Chan.

Curia in Neutomicz, quae fuit abbatissae monasterii S. Georgii, Andreae Sstika cum socio.

Curia monasterii Carthusiensis dicta Drzinow data est Georgio *pannicidae* cum omnibus pertinentiis.

Curia in Odoleniwoda, quae fuit capituli Pragensis, Hedwicae juveni.

Curia Kamyk, quae fuit abbatissae monasterii S. Georgii, Pragensis, Benessio de Dozmazlicz, Girae amico ipsius.

Curia in Chodow, quae fuit monasterii Zderasiensis, Jankoni Pusskarz.

Curia in Kopanina cum II araturis, quae fuit monachorum, — Johanni Czelny.

Curia in Rusen, quae fuit monasterii Brzewnoviensis, Wenceslao Drdak et Petro Rezek.

Curia in Krzieczicz, quae fuit monasterii Strahowiensis, Jaxoni consuli.

Curia in Brzisstie, que fuit monasterii Brzewnoviensis, Johanni Syran.

Curia cum II araturis in Huhy villa, quae fuit cruciferorum de pede pontis, cum aliis pertinentiis Johanni a Stella.

Agri plebani in Pezech Petro.

Curia in Rzisuth prope Slanam Bohunconi consuli.

Curia in Kleczan, quae fuit Nicolai Gewiczer, Martino ab aureo babato et Girae.

Araturae plebani in Modrzan Janconi a pileis.

Curia allodialis in Brezkow, quae fuit canonicorum Pragensium cum piscina magistri Albici Mathiae notario de Zacz.

Curia cum II araturis in villa Dobrziecz, quae fuit monasterii monachorum de Ostrow, Petro de Ypolniessez.

Curia in Kbel, quae fuit magistri *Brodae* canonici Pragensis, Petro Krziwy.

Curia in Libochowicz, quae fuit altaristae castri Pragensis, Johanni apotecario.

Curia in Zalezlicz, quae fuit abbatissae monasterii S. Georgi castri Pragensis, Procopio dicto Obornik.

Curia in Mirossicz, quae fuit monasterii — Johnnny Czelny.

Curia in Taschow Thomae.

Curia sive munitio in Stienicz Martino Zumburgecz.

Munitio in Chrzenicz, quae fuit praepositi Wyssegradensis, Jacobo Rzehorz et Sigismundo Khelsky.

Hostiwicz curia Marci cum pertinentis Petro Prunhauser.

Curia Strahowiensis cum pertinentiis universis Laurino consuli.

Piscina in Dawlicz Bohunconi consuli.

Prata in Jessin et Hobssowicz cum pertinentiis et curia allodiali in Brezkow Jasoni et Wenceslao a carpone consuli et Jessin coco.

Debnicz Benessii et Priscae conjugum, Margarethae Wenceslai *vectoris* conthorali data est curia.

Curia in Krzowicz, quae fuit monasterii Strahowiensis, Johanni rectori scholarum in Welwar.

Curia judicatus villae Hostiwarz cum omnibus pertinentiis data est per communitatem campestrem et Prugae existentem Alssoni judici civitatis.

Curia in Vhonicz monasterii Strahowiensis Johanni Zateczky.

Curia in Colcz prope Sarkam Wenceslao a carponibus, quam tenebat Srank.

Curia in minori Palcz, de qua Czarda condescendit, Martino de Tirnawria cum pratis in Rudecz et in Czizicz praepositurae Pragensis.

Chynow curia Johanni Mydlarz de nova civitate Pragensi.

Curia in Kossierz, quae fuit Nasonis, quam Wxa (sic) tenuit, cum universis pertinentiis Nicolao de majori civitate Pragensi.

Prata monasterii Plasensis Wenceslao consuli.

Curia plebani de Horczelicz cum agris cultis et incultis et aliis pertinentiis Alssiconi pincernae quondam domini regis.

Curia in Slatina, quae fuit monasterii Brzewnoviensis, Jacx Tessarzik.

Pratum in Pticz, quod fuit magistri Cacabi et — Georgio de Oslow.

Silva parva, quae fuit monasterii Aulae regiae, Hassconi Tulacz.

Curia in Wescze, quae fuit monasterii Brzewnoviensis, Johanni Jiran.

Curia allodialis in Krzessicz, quae fuit Simonkonis pannicidae a tribus fratribus, data est per dominos consules et communitatem Johanni Biehal fratri suo germano, Margarethae et pueris ipsorum ad tenendum, uti fruendum etc.

Curia in Chaniczo, quae fuit monialium S. Magdalenae, cum omnibus pertinentiis Pothae dicto Czrt.

Curia in Nebussicz starostae Marssoni, qui fuit in Strahowia.

Bohemicz curia Kustrae Strnadoni civi majoris civitatis Pragensis cum ceteris agris.

Curia in Hostum Annae conthorali Cantoris ac baeredibus ipsius cum omnibus pertinentiis praepositi castri Pragensis, quam curiam prius tenuit et adhuc debet tenere ad tres annos.

Curia in villa Czernochowe prope Wranie cum pertinentiis Drznae quondam coco domini regis.

Molendinum cum prato et ceteris pertinentiis ad hoc spectantibus in Wockowitz Nicolao dicto Kviezala *sutori* cum piscinis.

Curia in parvo Nehwizd, quae fuit canonicorum de castro, cum omnibus pertinentiis Martino Farkoni.

Molendium prope Eilaw de Kffert Querconibus cum omnibus pertinentiis.

Curia in nova villa monasterii in Doxan cum omnibus pertinentiis ad hoc spectantibus Sigismundo.

Curia in Sedlcze, quae fuit praepositi de Skalo, Johanni Kukarz.

Pohorzice curia, quae fuit monasterii Rudnicensis, cum pertinentiis Andreae Czapek.

Nelabozewes munitio cum omnibus pertinentis Antonio ab Asino.

Pratum in Lysolai, quod fuit domini Raczkonis tumbarii castri Pragensis, Vlae Straboch.

Dolanky, quae fuit monasterii Skalicensis, Jaxoni *sartori* cum pertinentis universis.

Curia in Kopania, quae fuit monialium S. Annae de minori civitate P., Wanieczkoni de Radliez.

Curia in Horzicz monasterii Strahowiensis cum pertinentiis Hawloni *braseatori*.

In villa Przestupim, quae pertinet ad burggraviatum Brodensem, Witkoni Cbytri de Broda Boemicali, de qua tenetur fovere tres equos.

Curia in Butonicz, quae fuit Carthusiensium, Prokopio Strziebrsky et Jacobo.

Curia in Lysolai, quae fuit praepositi Lithomierzicensis, Jacobo *pellifici* et Vlae Strabocb.

Pratum in Sazenne Sigismundo a Dwienikow.

Curia in Poczernicz, quae fuit Sinie judicis, Lucae nato Marci cum fratribus.

Curia in Zlata, quae fuit Swassterii, Petro, Johanni et Jacobo fratribus germanis Nicolai sub Stuba.

Silva, quae jacet circa curiam Dworzecz et fuit monasterii S. Benedicti, Waczkoni Weickardi.

Curia arature alias naprawa, quae fuit plebani S. Benedicti de Hradczano, Johanni dicto Naroznik.

Unum laneum agri plebani de Wrben in Hrziwczicz Mawritio nato Mikonis.

In villis Zaborzic et Miekow una vinea et pratum, quae fuerunt praepositi Rudniczensis, Girae *pannicidae*.

Munitio in Hradissczko cum pertinentiis universis, quae fuit Nicolai Zarowsky, Jacobo de Hadrub.

Curia plebani de parwo Chuchel cum agris Jankoni.

Curia monachorum Carthusiensium in Butonicz Nicolao Temlonis et Philippo fratri ipsius cum pertinentiis.

Curia Welffonis II cum et dim. laneo in Elaw, Sedlaczkoni familiari domini Jaxonis.

Curia monasterii Brzewnoviensis dicta Tyn cum pertinentiis universis Jacobo Helmer, quae adjacet monasterio.

Pratum in minori Kuchari, quae fuit capituli ecclesiae Pragensis.

Curia in Wchinie, quae fuit monasterii Strahowiensis, Hawloni braseatori.

Curia dicta Nowy Dwuor Johanni apothecario cum pertinentiis.

Cbaino curia monasterii Strabowiensis cum pertinentiis universis Cunssoni apotbecario.

Curia in Slupy, quae fuit monasterii Aulae Regiae, Cztiborio et fratribus.

Curia in Genecz, quam tenuit Jacubco judex de minori civitate Pragensi, Petru Langust et Andreae Raz salvis censibus Dorothea conthorali Andreae notarii tabularum.

Curia in Chotuchow, quae fuit S. Procopii et cum villa Tatczic, quae fuit magistri *Albici* cum universis et singulis pertinentiis Wenceslao Czarda.

Curia in Luzecz, quae fuit monasterii Doxanensis, Raczkoni dicto Zak.

Curia araturae cum aliis pertinentiis plebani in Chrustoklat data est Johanni braseatori sub tali conditione, quod ipse Johannes teneatur fovere et nutrire communitati unum sacerdotem idoneum et unum clericum et omnes utilitates pro se percipere. Actum feria vi post St. Viti.

Curia in Tinecz, quae fuit cruciferorum de pede pontis, prope juvenem Boleslaviam Johanni de Zwierzeticz.

Curia in Neymytel, quae fuit monasterii Aulae regalis Johanni Preczka.

Curia in Ziepecz cum duabus araturis, quae fuit praepositi Boleslawiensis, Wenceslao de Horek dicto Wrata.

Curia in Klinecz, quae fuit monasterii Aulae regalis, Mathussconi.

Vgezdecz, Ppna et Trzebuticze cum vinea, quam dictae villae pro censu ipsorum excolunt, Petro dicto Krzicz de Chrast.

Munitio in Rsedhosst, quae fuit domini Humprechtonis, Nicolae Haras.

Prata in Vhonicz, quae fuerunt monasterii Strahowiensis, Dobessoni consuli.

Curia in Nucziezie, quae fuit monasterii Doxanensis, Podiwae stipendiario.

Curia in Maslnicz cum parva vineola, quae fuerunt domini Bohunconis presbyteri de castro Pragensii, cum universis pertinentiis Nicolao Tularz.

Area, quae fuit Benessii institoris et sita est in cimiterio monasterii in pede pontis cruciferorum, Petro dicto Waldinie.

Curia in Przielepy, Hosprzidy, Vnietieze, Nicolai a Rana cum pratis sub villa Holunoby Jacobo Holub. Actum feria v. post Procopii.

Curia in Hvrzeinizzicz, quae fuit monasterii Strahowiensis, Cunssoni *apothecario*.

Curia in Bynicz, quae fuit Nerolassonis, cum pertinentis universis Nicolao Skala de civitate Pragensi Actum f. iiii post Mariae Magdalenae.

Curia araturae cum incolis villae Chzzapy Petro in Thehow.

Curia allodialis quae fuit praepositi S. Apollinaris, in Vnieticz una cum orto humuli et aliis pertinentis universis Stephano *institori* civi majoris civitatis Pragensis. Actum feria iii post assumtionis.

Curia allodialis in Biechowicz, quae fuit Johanconis dicti Domczik, donata est Wenceslao Biely feria v. post Omnium Sanctorum.

Curia araturae, quae fuit monasterii Strahowiensis, ante civitatem Pragensem cum pertinentiis universis Martino de Hradczano.

Curia in Vnieticz, quae fuit praepositi S. Apollinaris, data est Mathiae de Zacz consuli cum pertinentiis universis, ad quod ceteri consules suum praebueruut assensum, eandem sibi conferentes.

* Notantur dationes vinearum profugorum.

Vinea Heinczmeier Mathiae olim notario.

Vinea Procopii de Ach et Francisci Krabicze Johanni pronotario praetorii.

Vinea S. Nicolai plebani Hedvicae seniori et Wenceslao de Hrobka.

Vinea Langhanussii Konczerio *carpentario*.

Vinea una Schworczsterner Dobessio Sslciferz consuli.

Vinea monasterii S. Georgi castri Pragensis Wenceslao Litochleb.

Vinea Anthonii od Wrssij Jaxoni consuli.

Vinea canonici Domczikonis Johanni Forstener.

Vinea secunda Schworczsteuer Zdenconi et Wenceslao Holecz.

Pars vineae, quae fuit domini Sstierkonis, Mathiae ab albo cervo.

Secunda vinea ipsi Mathiae ab albo cervo, quae fuit Vidolti.

Vinea domini Stephani, quae jacet sub monte, dicto Wilkowa hora, domino Janconi Frolich.

Vinea Hanussii Pachman Francisco Czeczik.

Vinea Saxenfeld cuidam Blazconi notario vinearum.

Vinea Wilhelmi prope vineam Zarowského Mixoni Risslawy.

Vinea a luceo Martini Bohunconi sartori consuli.

Vinea Paterzuikonis domino Laurentio de Wilhárticz consuli.

Vinea Nicolai Cundolt in Kossierz Wenzeslao a carpone consuli.

Vinea Ottliconis penes vineam Koczownikonis Michaeli Strziebrny.

Vinea Thomae Machutae Sigismundo *fabro* ratione debiti ix. sex. gr. cum humuleto.

Vinea Johanconis Ocks, quae jacet penes vineam Pachmani et Anthonii Wenceslao de Orzech.

Vinea Oremonissae, quae jacet penes vineam domini regis, Hensliconi Vinteri, Barthossio nato ipsius et Jo'ianni Rulant.

Vinea domini Wenceslai dicti Czamprlik canonici Pragensis Petro Zednik.

Vinea Waltheri Dorotheae Hanussii Schawr contorali institrici.

Vinea cruciferorum S. Benedicti, quae jacet penes vineam Strahowiensem, Philippo de Obora.

Vinea cruciferorum Zderasiensium, quae jacet ex opposito monasterii Carthusiensis, Johanni moram trahenti circa Maustifl.

Vinea Nicolai Conduth cum curia in Kossierz Katharinae virgini de Caplicz ratione debiti videlicet XIII. sexag. gr.

Vinea cujusdam sutoris dicti Sigismundo de Wrssowicz.

Vinea plebani S. Jacobi de minori parte, quae jacet penes vineam Sczepanconis, Victoni et Erasimo *sutori*.

Vinea magistri Moravi cum area Mathiae Beczwarz.

Vinea Bernhardi, quae jacet ultra novum castrum in monte dicto Witkowa Hora, Franczoni *carnifici*.

Vinea capituli ecclesiae Pragensis Cunssoni *apothecario*.

Vinea dicta Zdenikowska, quae jacet penes vineam monasteri Plassensis ex opposito vineae Sczepanconis, Cruci notario.

Vinea S. Benedicti de Hradczano, quae jacet ultra Strahowiam.

Vinea Johanis de Brunna Andreae dicto Dryzna coco regis.

Vinea Folgnewer Johanni Zateczky.

Vinea Nikolai od Truby Nicolao notario consilii.

Vinea Payerliconis Wenceslao a carpone consuli.

Vinea, quae fuit quondam magistri Galli, sub monasterio Strahowiensi Barocho cum orto et prato, quae omnia fuerunt quondam praepositi S. Apollinaris.

Pars vineae concernens Duchconem clericum, qui se cum dicto Hawlone univit, ipsi Hawloni est donata, quia pecuniam propriam pro ipsa dedit, et hoc testimonio comprobavit bono.

Vinea, quam laboravit M. Kbel, in minori parte, Bernassconi cirologo et Berkoni *braseatori*.

Vinea a Media Rota Michaelis Johanni *aurifabro* et Dorotheae conthorali ipsius, et jacet in bonis de Olcsan.

Vinea monialium S. Annae de minori civitate Pragensi Girae de Kossierz.

Vinea Thomae portulani domini archiepiscopi supra Kossierz Clementi et Sophiae uxori.

Pars vineae, quae fuit Lewonis, Nicolao Teml.

Vinea plebani de Zlechow Andreae *pannitonsori*,

Vinea secunda Michaelis a media rota, quae jacet penes vineam Tilmanni, Franczoni *carnifici*.

Vinea, quae fuit Procopii institoris, supra Malessicz, Jacobo *cingulatori*.

Pars vineae, quae fuit Lewonis cum torculari Wenceslao Przazka.

Vinea, quae fuit Jacubkonis judicis de minori civitate Pragensi, Mawritio *vinitori* a falcibus.

Vinea abbatissae S. Georgii, quae jacet prope villam Tynecz, Dorotheae et Martino *fabro* marito ipsius ratione debiti, videlicet XX sex. gr.

Vinea archiepiscopi, quae jacet in Kossirz, Martino *fabro* et Dorotheae conthorali ipsius ratione debiti LII sex. gr.

Vinea hospitalis, quae jacet sub monte penes agrum hospitalensem, Adam.

Vinea, quae fuit Wenceslai de Hrobka et jacet sub Wyssegrado, Bussconi et Katherinae.

Vinea, quae fuit Loys apothecarii, quae jacet ante portam equorum, Petro Prunhauser.

Vinea domini Wilhelmi, quae jacet inter vineas Stepanconis ex una et capituli Pragensis parte ex altera, Jankoni Ssisoca de minori civitate Pragensi.

Vinea Michaelis penes vineam Turler Mauritio dicto Strnad.

Vinea Purkardi, quae jacet penes vineam quondam Procopii de Ach in parte a dicta vinea Procopii usque ad torculare cum parte posteriori et tugurio, prout latius mensura magistri vinearum demonstrabit, Petro Prunhauser.

Partes vineae, quae fuerunt domini Jaronis altaris (tae) S. Annae in ecclesia Pragensi, Martini sutoris et Annae orphani, quas habuerunt

cum Bartholomaeo olim civi minoris partis, ipsi Barthossio donatae, quam vineam emit Biskupecz sub annuo censu.

Partem vineae, quae fuit Mauritii a pavonibus, sub patibulo ex opposito vineae Leonis, Nicolao Temlonis.

Vinea parva, quae fuit Oremonissae, et jacet inter vineas Vitkonis ex una et Marssiconis a falcibus parte ex altera, Mathiae pincernae dominorum.

Vinea, quae fuerunt Waczkonis Crucis, Wenceslao filio ipsius. Insuper praefatus Wenczeslaus commisit M. Johanni Rozemberg dictas vineas laborandi, colendi.

Vinea Alberti, quae jacet inter vineas Martini sutoris ex una et Lewonis institoris parte ex altera, Philippo et Wenceslao nato ipsius dicto Zateczsky.

Pars vineae Loys ad IV strichones domino Pechoni Walchars.

Vinea monasterii Strahowiensis, quae fuit militis Wenceslao Crbicze, cum aliis pertinentiis.

Vinea dicta Bruska, quae jacet penes vineam S. Georgii, quae fuit monasterii Strahowiensis, Johanni Hasskoni, Paulo, Martino et Johanni Oharz cum aliis pertinentiis.

Vinea monachorum de Plas inferior sub monte Petrino, Wenceslao Wosstnik.

Vinea Mauricii a pavonibus, quae jacet in monte Witkonis, Georgio Oremus, pars ejusdem et secunda pars Johanni Mokrinos, quam partem isto anno laboravit ipse Johannes.

Vinea, quae fuit conversi fratris Petri monasterii Carthusiensis, Henrico Kzel.

Vinea Procopii Kleczawy, quae jacet penes vineam Masczowconis, Johanni Mierziez.

Vinea Trenczlonis fabri Vlae, qui est custos portae.

Vinea Michaelis Hohendorffer retro Liben Procopio Postrzihacz ratione debiti videlicet ii. sexagenarum gross.

Vinea Johannis de Jemnicz sita inter vineas Martini Suchan et Henslini vinitoris penes Kossierz.

Vinea Zdenkonis cum fonte supra ecclesiam S. Laurentii in monte Petrino Petro Prunhauser.

Vinea capituli castri Pragensis prope Michel Johanni Finder cum rubeto et ceteris pertinentiis.

Vineola parva, quae fuit Katherinae relictae Fridlunissae *pellificis*, Martino Polak.

Vinea, quae fuit Alberti Camererz prope monasterium Brzewnowiense, Johanni de domo hofrichteri, quam vendidit Niclassoni Sedlarz.

Pars vineae monachorum Plasensium, in qua est fons penes stratam, quae ducit ad monasterium Plasense in monte Petrino, Simoni Aufftrager.

Pars ejusdem vineae monasterii Plasensis et cum fonte Johanni propheta.

Vinea domini Wenceslai Czamprlik Jacobo Gregorii.

Vinea Reinhardi de Renis Blazconi servitori domini Johannis de Kniezewes.

Vinea Carthusiensium ex opposito curiae Zlechowiensis Jacobo Gregorii.

Vinea Kbelonis cum humuleto in fundo monasterii Strahowiensis prope ortum Barochonis data Nicolao de Betleem.

Vinea Nicolai Cundolth, quae jacet in Kossierz, Maczak consuli cum pratis pertinentibus ac cum prato, quod tenuit Nicolaus Rol.

Vinea dudum ad vitalitia per dominam Claram consortem nobilis domini *Zdislai de Zwierzeticz* emta et comparata eidem dominae Clarae, conversa est in hereditariam possessionem eo jure, prout ceteris vineae assignantur.

Vinea monachorum de Plas, quae sita est in monte Petrino supra chorum monasterii praedicti, Nikolao *sutori* dicto Woziczky et Przibislav *piscatori*. Actum feria II post festum St. Petri et Pauli apostolorum.

Vinea quae fuit Mathiae dicti Zakrojil de minori civitate Johanni pictori.

Vinea Plasensis quantitas unius strichonis Kutoni Stephano ipsius vineae contiguo.

Vinea, quae fuit Chussenfenyk, quae jacet inter vineas Franconis ex una et Girae Olejnik parte ex altera, donata est Vlae Branny feria II post festum S. Briccii.

Domus et vinea olim Johannis Pairlikonis donatae sunt per dominos consules et totam communitatem utriusque civitatis Pragensis et restitutae Hlassoni militi de Kamcezniez et Katherinae conthoralis ejus filiae praedicti Pairlikonis ac heredibus ac successoribus ipsorum propter servitia et damna ipsis in pro[illegible]tione legis divinae

et in aliis legationibus propter commune bonum exhibitis percepta, ac etiam ratione consauguinitatis et affinitatis praedictae Katherinae conthoralis ejus, sic videlicet, ut ipsi praedictas domos et vineas teneant et possideant hereditarie, ipsas vendere, alienare, obligare valentes, aut cum eisdem facere secundum placitum suae voluntatis, tantum hoc excepto, ut ipsi cum personis, quae tenent et possident dictas domos et vineas, et eas a communitate emerunt, pro arra per eos contenti facta concordarent et cum iis componerent. Actum anno domini etc. xxiii dominica ante Luciae.

Lidéřowi dáwají Březany s populžími i s příslušenstírm s tú wsí i s platem k twrzi přiležícum, Actum ut supra.

Notantur dationes ortorum in minori parte.

Ortus humuli, qui fuit gladiatoris in Smiechow, Martino *ortulano*.

Ortus pomoerii, qui fuit domini praepositi Mielnicensis, Weuceslao portulano praetorii.

Ortus Stidlonis humuleti Stiepaconi dicto Caras, qui sedet circa portam.

Ortus, qui fuit Simonis fratris plebani in Zlechow, Nikolao Sirnik.

Ortus humuleti cum vineola parva, quae fuit Martini Krupnik, Cruci notario.

Ortus, qui fuit Johannis Tluxa, Johanni prouotario praetorii et Luciae sorori uxoris dicti Johannis.

Ortus, qui fuit Sestacztui penes ortum praepositi Mielnicensis, Johanni Riba.

Ortus parvus plebani S. Johannis Odrany Petro Zaluzsky.

Ortus Carthusiensis cum piscinis Wenceslao Sskorzipka.

Ortus in muro, ubi monasterium fuit Carthusiense, Nikolao notario consilii.

Ortus Benessii institoris, qui jacet penes murum civitatis, Mathiae Czwanhal balneatori.

Ortus in Nebowid, qui fuit Antoch pincernae archiepiscopi cum orto Laurentii Hanconi Suchdol.

Ortus archiepiscopi extra muros curiae Radslav *braseatori*.

Ortulus penes ecclesiam S. Stephani in muro, qui dominae a Scal. fuit, Georgio *pannicidae*.

Ortus, qui fuit priorissae a S. Maria Magdalena in Nebowid, Petro *candelatori.*

Ortus orphanorum, quem divisit Johannes Coldicz inter homines infra scriptos Andreae et Johanni partem ipsius orti IV strichones, Laurentio unum strichonem, Johanni et Jacobo IV strichones et Petro II strichones.

Ortus in Owencz, qui fuit abbatissae monasterii S. Georgii, Hedvicae seniori et Rzehaconi.

Ortulus parvus, qui est contiguus muro et braseatorio, cum fonte Nicolai Teml in Jerusalem est assignatus ipsi Nicolao Teml.

Ortus humuleti cum vineola parva, qui situs est in Smiechow, quae omnia fuerunt quondam patris ipsius Jacobi dicti Mlynarz, Paulo nato ipsius communitas donavit, resignavit Margarethae conthorali suae.

Ortus Ssimonkonis prope Przechonem et Martini cum humuleto inter muros curiae Brzewnowiensis Petro dicto Relniczek.

Ortus domini Jaxonis canonici Pragensis Dobessio *consuli.*

Ortus domini Petri Bzdinka in Pohorzelecz Andreae Zak.

Obora prope Owenecz Jaxoni *consuli.*

Ortus monachorum Brzewnowiensium inter muros penes campanile, Vitoni.

Partem agrorum ad IV. strichones, qui fuerunt monasterii S. Ambrosii, Johanni Siran, qui jacet penes vineam Lewonis.

Ortuli quidam Cirpssonis pellificis et alter monasterii Brzewnowiensis, quem tenuit Przecho claviger monachorum dicti monasterii, Petro dicto Faber et Paulo Zalunarz.

Ortus humuli, qui fuit monasterii dicti in Insula ad S. Kylianum, Wenceslao Przazka cum domino Johanne Bradaty.

Ortus humuli in Ostrow monasterio Johanni Bradaty.

Ortulus, qui fuit Chwalonis clientis in Vgezd, Johanni Chimerae notario.

Ortus, qui fuit Benessii presbyteri, qui jacet ante civitatem juxta campum hospitalensem, de pleno consilio datus et assignatus est Katherinae viduae et successoribus suis loco orti et casae ipsius hereditariorum, quae infra effossionem fossati magni sunt sibi destructa et annichilata. Actum feria II ante Johannis baptistae anno domini Mccccxxii.

Ortus, qui fuit monialium S. Mariae Magdalenae, Jeronymo Ssrol.

Domuncula Agnetis virginis natae Nasouis cum testudine, cellario et ortulo parvo Petro Chudi.

Ortus monachorum S. Thomae Witkoni dicto Markrabie.

Ortus humuli, qui fuit Wenceslai Cunssik, in villa Nussl, Jacobo de Lithomierziez, prout litera cirograffi, quam resignavit domino Wenceslao Wosstnik.

Ortus Liphardi Johanni Marava.

Ortus plebani de Obora Michaeli.

Ortus monachorum S. Thomae in muro cum pekarna Witkoni Strziebrny cum aliis II ortulis penes assatorium, in quibus tres arbores uuao(?)

Ortus cum curia monialium S. Annae in minori parte Duchconi molendinatori, Mathiae et Martino fratribus.

Ortus, qui jacet intra muros curiae archiepiscopalis, Andreae *braseatori*.

Ortus monachorum Brzewnowiensium, qui jacet penes murum in sinistra manu transeundo ad monasterium, cum parva vineola, Martino et Przechoni fratribus.

Area curiae monachorum Brzewnowiensium, in qua ligna reposuerunt, penes ortum Benessii, Sbinkoni Rohan.

Ortus parvulus penes balneum Nicolai in minori parte, qui fuit cruciferorum in pede pontis, Johanni dicto Hoch et Andreae fratribus.

Curia cum orto, quae fuit monachorum Ostrowiensium, ubi resedit Cunsso burgravius in Karlstein, Petro dicto Polodne *pannitonsori* cum pueris.

Ortus, qui quondam fuit Angeli in nova civitate, nunc autem Loisae, Cunssoni *apothecario*.

Ortus Thomae portulani archiepiscopi, qui jacet penes ortum pontificis, Erasimo.

Ortus Crucis dicti Kvoch, qui jacet penes balneum in Piesek, Milhostoni.

Ortus Briczonis, qui jacet ex opposito curiae S. Georgii, Bartossconi *sutori*.

Area, quae fuit domini Wenceslai dicti Trdlo, penes domum Krzsstienonis, ipsi Krzsstienoni cum pueris.

Ortus humuleti, qui jacet sub monasterio Strahowiensi, Andreae *braseatori* et Johanni Hoch dicto.

Ortus Eliae *sartoris*, qui jacet in Piesk, Benessio Hrnczierz.

Ortus, qui fuit Waczkonis Crucis, penes ecclesiam s. (sio) in insula sub ponte pragensi, cum area (arcu), in quo lateres laborantur, qui fuit Andreae judicis de minori parte, Sigismundo et Nikolao fratribus de Glathowia.

Ortus Mikonis, qoem sibi donaverat archiepiscopus, Stiepankoni Calus.

Ortus Hasseonis carpentarii in Nebowid, Andreae de Owencz.

Ortus in Trzessowicz, qui fuit Blazconis Poledne, ratione debiti II sexag. gr. ipsi Andreae.

Ortus Lapkonis in Pieska Alssoni et Margarethae conthorali.

Ortus Lipbardi cum area et molendino, qui fuit quondam domini regis, Johanni Spiez et Katharinae ac heredibus suis.

Ortus humuleti cum parva vineola, quae fuerunt Martini Krupnik, Johanni Clementis de Praga, dicto Chudoba.

Ortus, qui fuit Tilikal, nomine bereditatis Simoni postrzihacz.

Ortus cum vineola ex opposito monasterii Carthusiensis, quae fuit ipsorum monachorum, Petro Prunhauser.

Ortus monasterii Jerusalem contiguus gazae Simonis Mandlarz (et), Dorotheae ipsius conthoralis eisde mconjugibus est assignatus.

Agri monasterii Zderasiensis in Buben contigui agris Wenceslai dicti czrny *sutoris* ad XI. strichones se extendens vel citra, eidem Wenceslao sunt assignati.

Partem Nicolai Gewiczer, quam habuit in fonte, ubi alumen aquiritur, dederunt Mathiae dicto Poribny.

Ortus cum area Rotensstainy cum ortulo filii Fridlonis sae et Girklini notarii penes Sulkam viduam Przibconi de Camenicz et Mathiae notario hospiti.

Ortus commendatoris de pede pontis, Nicolao *balneatori* de minori civitate.

Decimae in alun, quae fuernnt capellani dominorum Saxonum, Johanni nuncio dicto Uher.

Ortus Brzewnowiensis monasterii ante claustrom, Simoni Zednik.

Magister civium, consules nec non communitas senior feria II in festo S. Egidii matura deliberatione praebabita consenserunt ac consentiunt ad laborandum fontes, in quibus alumen aquiritur, penes villam Przelep in campis, Brictio, Wenceslao, Johanni et Friderico, ita videlicet ut de eisdem fontibus more solito censum persolvant pro communitate. Actum anno domini etc. XXI.

Partem agrorum ad xii strichones se extendentem, qui fuerunt monasterii Zderasiensis, in Buben ratione debiti, videlicet III sex. gr. in quibus sibi debitarie manent obligati, Simoni chorali a S. Michaele sunt per dominos consules donati.

Vgezd Pragensis.

Domus cum orto et vinea ceterisque pertinentiis, quae fuit quondam Mathiae Luneta, et ultimo Henrici aurifabri ab Adam et Ewa, data est Benessio *domestico curiae* domini Czeneonis prope monasterium S. Annae.

Hradczany.

Petri Laska domus Barthossio notario de Ledecz civi minoris civitatis Pragensis.

XII.

De caede Kuttenbergensium.

Cod. Univ. Prag. XIV. G. 20.

Magister Hermanne praedicator ymo verius praevaricator.

Sane olim te pusillum et pannosum vidimus et audivimus de natalis soli tui specu ut verisimiliter praesumitur a fama, ab enormi reatu expulsum ad nobiles regni Boemiae fecundam pervenisse provinciam, ubi revera caritatis fraternae ulnis blande susceptus plusquam propriae matris oblactatus uberibus in virum, quem heus nunc turpiter agis, succrevisti et hactenus in tuo malignitatis livore necifero patientissime tolleraris. Tu vero tantorum beneficiorum munificentiae oblitus, omni fera crudeli crudelior in ejusdem beneficiatricis tuae liberos et haeredes pietatis specie seu ovina pelle contectus desaevire non cessas, divino postposito et humano timore ipsorum celebrem famam quantum poteris vertens in infamiam et quod detestabilius est ac piis auribus offensivum, ipsos tanquam fidei katholicae corruptores scismaticos et haereticos populo rudi et caeco dolose perswades occidi, polluti oris tui laxatis habenis tanquam eo ipso accep-

tum domino obsequium praestaturus. Ex cujus perswasionis viperino genimine quanta jam prodiere flagitia, tu ipse utpote auctor sceleris nos ti plenius et nemo sanae mentis ignorat terrigena, cum etiam nülla queant tergiversatione celari. Nescisne caput malignantium ac fidelium Christi exterminator acerrime quid olim in sinu alitricis tuae Boemorum provinciae tuo dogmate pernicioso egisti, cum ille incultus et agrestis ac divinae legis ignarus populus montanorum tuis pestiferis suggestionibus concitatus utriusque sexus fideles, amico foedere congregatos in Malynas occidit immaniter ac flammis vibrantibus exussit, ymo quidem (quod) humanitatis natura exhorret, nonnullos infantes matris adhuc arcano conclusos qui nondum mundum aspexerant, de mundi climate necis crudelitate decerpsit. O effrenata rabies etc.

Nec enim montanorum vulgus poterat illos innocuos trucidare fideles, nisi per te pridem in animis perempti ipsi homicidae fuissent. Praeterea num oblitus es o armiductor sceleris, quam grande et horrendum crimen etiam laesae divinae et humanae majestatis in ipsa urbe montanorum die solempni purificationis beatissimae virginis Mariae patratum est ex tuae perversae doctrinae amara radice, fel et amaritudinem germinante subortum, cum ipsa gens dura montanorum humano foederis jugo rejecto tuis suggestionibus irritata conspicuos ac nobiles Illustrissimi Rom. et Bohemiae Regis nuncios officiales et ministros, quibus ex speciali et in scripto redacto mandato ipsius domini Regis montani adeo corporibus et rebus fideliter tenebantur astare, quosque assecuraverant per suos concives quasi praecipuos et ad se accessiverant et accessitos honeste tractaverant ut amicos, praefatam treugarum et assecurationis fidem irregulariter disrumpens in platea hostiliter invasit, in confugii domo trucidavit crudeliter et ferocium ferarum more dissectos et discerptos ejecit in publicum et ejectorum membra dire dispersit ac dispersa tripudiando calcavit. Et quidem inhumanum auditu et visu horribile, nec erat presbyter nec erat levita nec erat scolaris nec erat religiosus, qui misericordia motus occisorum aut cadaverum honore aut certe honore dignitatis regalis, quae in se et suis est merito colenda ab omnibus, morticinia servorum eius fidelium ecclesiasticae sepulturae mandasset in tanta plebe et clero copiosa urbe, in tanto conventu coenobii Zedlicensis non est inventa Thobiana miseratio, quae interfectorum corpora sepelisset, quonsque seniores urbis praedictae oculis suis parcentes et naribus aut metu servili perculsi crastinae diei vespera in unius fossae tumulo adhumari

praecipiant eosdem. — Tam horrendae stragis plebs rea tripudiat et extenso concivium belli banderio tanquam triumpho potita victoriae succinit *carmina*, fundit opprobria et ad lares clericorum tota madens sangwinibus catervatim declinat, gratum illis nunciatura flagicium et salarium tam nephandi operis susceptura. Conlaetatur clerus sui status immemor tanquam de suorum adversariorum ruina.

In fine:

Explicit epistola Israelis ad sicofugam montauorum.

XIII.

Relatio coaevi de sententia et morte M. Johannis Hus.

Ordo et processus qualiter sententiatus examininatus et crematus fuit Johannes hus.

Cod. Musei Boh. 4. D. 12. — Cod. Univ. Prag. X. F. 10.

Me ipsum pro salute amice karissime etc. Feria V in die sancti Procopii sessio solempnissima est celebrata, in qua dominus Karolus de mala testa procurator Gregorii in sua obedientia nuncupati habens mandatum ejusdem plenissimum, ut tunc legebatur, papatui ipsius Gregorii et juri, quod se praetendebat habuisse, in eodem cessit libere renunciavit et resignavit, sic quod illae duae obedientiae, nostra videlicet et Gregorii omnino sunt conjunctae. Restat autem obedientiam Benedicti nominati attrahere et adunare, pro quo serenissimus princeps Sigismundus Romanorum rex et Ungariae etiam infra duos vel tres dies est exiturus cum deputatis de concilio sibi conjunctis et spero quod ibi difficultatem non habebit, unionem sanctae matris ecclesiae plenam et integram procurandi. Caeterum die sabato sessio non minus solempnis post festum sancti Procopii presente domino Rege Romanorum est celebrata, in qua magister *Johannes Huss* est sententiatus, doctrina sua et libri et opuscula similiter sententiata juxta formam vobis directam et in *pertinacia sua nimis gravis fuit*, de quo (qua) non sperassem et heu iguis voragine est suffocatus et una cum vestibus et indumentis et aliis in cinerem est redactus, quae cum terra, ubi haec facta sunt, satis profunde recepta in Renum sunt projecta, ne aliquod vestigium suis relinquatur sectatoribus ex errore et infidelitate pro reliquiis babere volentibus, quod et factum fuisset, nisi hoc modo per principes katholicos provisum fuisset. *Sed dolens*

de sua pertinacia vobis innotesco, *quod cum eo per duos Cardinales, multos praelatos* et *notabiles doctores est fideliter* et *pluribus vicibus laboratum,* ut articulos XXX ex libris manu sua scriptis extractos et articulos per eum tentos et dogmatizatos, *de quibus per testes fide dignos et plurimos est devictus,* revocasset, qui induratus flecti non potuit, manu propria scribens, quod articulos non omnes de libris collectos vellet abjurare et revocare timens, ne offenderet in (eo) veritatem; articulos vero, de quibus per testes est convictus, nullo modo abjurare voluit, allegans contra suam conscientiam, timens perjurium incurrere, cum eos nunquam tenuit et praedicavit. Nihilominus habentes compassionem et *eum volentes ab errore revocare,* pro sua salute feria sexta immediate suam sententiacionem praecedente, certi domini Cardinales Cameracensis et Florentinus cum aliis multis praelatis et doctoribus omnium nationum ipsum ad se duci mandaverunt et procuraverunt et iterum ac iterum modis plurimis reducere temptaverunt, sed nullatenus perficere potuerunt, unde ad alleviandam conscientiam suam et tollendum perjurium, quod formidabat, sibi condescenderunt in tantum, *quod articulos de libris suis excerptos propriis manibus scriptos abjurasset et revocasset;* articulos vero contra eum per *testes* probatos, quos dixit esse falsos testes, sic debuit emendare dicens: *quod illos articulos nunquam tenui nec praedicavi* et *si fecissem, male fecissem, quia ipsos assero erroneos* et *juro quod eos nolo tenere nec praedicare;* tamen illum modum noluit acceptare. Qui modus cum domino Regi per Archiepiscopum Ragusinum fuisset publicatus, *de hac moderatione fuit bene contentus* et direxit ipso die de vespere illustrissimum principem dominum Ludovicum ducem Bavariae et comitem Palatinum Reni cum tribus militibus boemis Wenceslao de Leskan (sic), Lazenbok et Johanne Kepka, qui assumptis praelatis ad eum in carcerem intraverunt ipsum hortando ad conversionem et emendationem. Ut autem obstinatum eum reperirent, inter caetera Johannes Kepka latine est eum allocutus per hunc modum: Magister vos estis sapiens et nos sumus laici, vos scitis quid facere debeatis; si tamen errastis, deberetis sequi consilia sapientium. Et ipse respondit, quod vult stare in responsione propria manu scripta et ita suam pertinaciam continuans in crastino *irreverenter se habuit* et contra articulos reclamavit, articulos ex libris suis excerptos mirabiliter glosando ad sensum quem ante praetendebat; articulos vero per testes probatos

omnes negando, *non obstante sua reclamatione falsa* in condempnatione articulorum (et) pronuntiatione ac dictorum [1]) testium promulgatione personis non nominatis. Sententiae legitime (lectione?) fuit processus (processum) usque ad degradationem, in quacum vestes sacerdotales sibi praesentarentur ad induendum, dixit: *se nolle habere militem Pilati qui eum indueret*, et induendo casulam et albam sibi appropriavit facta Christi, quae in ejus exutione et induitione tempore passionis agebantur. Et cum episcopi in sua degradatione cito non procederent, sed aliqualiter de ordine disceptarent, clamavit dicens: „*Ecce tot asini nec possunt in ista blasfemia concordare.* Et demum omnibus insigniis sacerdotalibus depositis et capite raso et infula supposita alba et rotunda daemonibus depictis in eadem et titulo ista verba continente, huss haeresiarcha — judicio saeculari est relicta, nulla tamen absolutione excommunicationis postulata. Scriptum per eum qui *haec omnia vidit et audivit* et verum est testimonium ejus ut et vos credatis. Acta sunt autem Anno domini MCCCCXV. in Constantia [2]).

XIV.

Querimonia contra Regem Wenceslaum.

Cod. Palat. Vienn. 4902.

Quia secundum B. Jeronymum super Ezechiele ad regem Christianum pertinet defensio fidei, divini cultus conservatio et amplificatio ratione suae unctionis similiter ad episcopum et ad imperatorem, similiter ad papam ymo connexae (sunt) cunctis amplius quia, quod non potest papa, ipse exequeretur, quapropter infrascripta haeresim sapientia in fide et moribus ecclesiae, inferuntur contra nonnullos de regno Boemiae.

In primis dicitur quod Serenissimus Wenceslaus Rex Boemiae ex multis causis de crimine haeresis et fautoria ejus vehementer est suspectus.

Item quia tolerat ymo fovet ac defendit praedicatores haeresium ac errorum Johannis Wycleff et Johannis Hus in hoc sacro concilio

---

[1]) diclis. Cod. Altovad.

[2]) Sacro Concilio celebrato. Cod. Univ.

dampnatorum, veneratores haereticorum videlicet Johannis Hus et Jeronymi dicti Pragensis in hoc sacro concilio dampnatorum et etiam quorundam haereticorum in sua civitate Pragensi decollatorum in favorem Hussitarum et Wycleffitarum.

Item quod non solum praedicatores haeresium fovet ac defendit, sed etiam eorum defensioni per subditos literis suis hortatur praecipit atque mandat.

Item excommunicatos et aggravatos in causa fidei praecipue Johannem Hussinetz (Jessinecz) in contemptum clavium tolerat eisque communicat, propter quem in ecclesia Pragensi et in aliis ecclesiis et monasteriis civitatis ejusdem per plures annos tentum est iterum interdictum ac (a) sacris ipsum de haeresi vehementer suspectum et excommunicatum et divinum cultum propter ejus praesentiam scandalose et noxie dimissum (omissum), ipsum tamen libenter actenus audiebat et multa pro eo faciebat et facit.

Item tolerat et fovet communionem calicis sub utraque specie videlicet panis et vini contra decreta sanctorum patrum et observationem ecclesiae generalis atque hujus sacri concilii in favorem Hussitarum et Wicleffitarum.

Item abstulit reliquias cum eorum ornamentis quas ad hunc diem detinet hodiernum in favorem haeresium dampnatarum.

Item bona temporalia monasteriorum et ecclesiarum et cleri aufferri et spoliari commisit et mandavit et aufferentes et spoliantes defensat et in curia sua nutrit in eo, quod, quo plures gratias (ecclesias) monasteria ecclesiasticasque personas offendunt, plus caros sibi habet; in favorem dictorum haereticorum partem quoque praedae recipit, quique sacrilegam hujusmodi offendit, eum offendisse imputat et crimen laesae majestatis incurrit propterque spoliatio(nem) secuta est divini cultus diminutio per plures annos monstrosa et praesertim in ecclesia Pragensi, in qua cultus divinus noctudieque sine intermissione per 300 presbyteros agebatur, de cujus cultus diminutione modice curat in favorem Hussitarum et Wyclefistarum.

Item clerum catholicum et sedi Apostolicae obedientem opprimi et trucidari permittit, oppressores et trucidatores hujusmodi similiter nutrit et fovet non faciens aliquam justitiam seu vindictam de eisdem in favorem Wycleffitarum et Hussitarum.

Item destructionem *studii Pragensis* per Wycleffitas factam dissimulat, ymo eandem procuravit et fovit.

Item clerum sedi apostolicae et catholicae obedientem ad prophanandum divina compelli per spoliationem temporalium et praesertim captivationem mandavit et procuravit per scabinos civitatis Pragensis et suos familiares in favorem Wycleffitarum et Hussitarum.

Item literas Apostolicas juxta stilum et tenorem Romanae curiae bullatas in contemptum et vilipendium sedis apostolicae ymo fidei catholicae per quendam Voxam de Waldstein iniquitatis filium publicis meretricibus ad colla suspensans in biga seu caruca praeconibus et Wycleffitis cumarmis et gladiis et fustibus in magna multitudine praecedentibus et sequentibus per plateas minoris et antiquae civitatis usque ad novam civitatem Pragensem deduci permisit et tandem de suo scitu et consensu circa mediastinum in publico foro seu platea prima hora vesperatim congregari et eundem Voxam hodie in curia sua tenet pro dilecto suo familiari nec de hoc fecit aliquam vindictam usque hodiernum diem.

Item quod idem Rex de condempnatione haeresis Hussitarum et Wicleffitarum tam in concilio ratione quasi praesenti certificatus per literas apostolicas authenticas quam alia litera docente infectos de hujus haeresi conservat et manutenet, illis expresse adhaesit contra sacrorum canonum decreta.

Item ymaginem crucifixi et sanctorum foedatores earumque combustores et destructores ecclesiarum et monasteriorum effractores atque ipsarum et ipsorum spoliatores non punit rex eisque non resistit, sed potius eis in maleficiis consentire videtur multaque alia commisit atque committit enormia, propter quae etiam ac etiam in suprascriptis de haeresi vehementissime suspectus habetur.

XV.

Querimonia contra reginam Sofiam.

Item quia illustrissima domina Sophia regina Boemiae conthoralis praefati regis praefatum Johannem Hus post et contra processus et sententias excommunicationis et aggravationis et interdicti fovet et defendit atque ipsius sermones saepe et saepius visitat et ipsum in sua pertinacia et haeresi defendit prout de praesenti Johannem Jessinetz post et contra processus apostolicos protegit et defendit.

Item quod praefata domina regina processus mandata apostolica et decreta hujus sacri Constanciensis concilii publice et notorie contempnit et communicans ipsa sub utraque specie sectam Wycleffitarum et Hussitarum publice fovit et fovet, protegit atque defendit.

Item plebanos Wycleffitarum (Wicleffitis) resistentes et se eisdem opponentes de sui s ecclesiis expellit et spoliat eosdem et in suis oppidis et villis Wicleffitarum et Hus haereses et errores publice praedicantes et populum sub utraque specie communicantes intromisit et intrudi mandat atque ipsos coram rege et aliis quibuscunque defendit et tuetur.

XVI.

Incipit litera de civitate Pragensi continens lamentationes de actis et factis quondam ab haereticis ibidem commissis.

Cod. Mellic. Sign. Contra Wi clef quaedam e libro Jo. Paris. Saec. XV. Fol. 79.

Verbum meum ad te, ne moleste feras, o civitas, quaetemet ipsam biis infaustis temporibus urbem inclitam aut blande pateris aut fastuose percipis vocitatam, panis ac salis nec non deliciarum, *quas inte quondam habui*, non immemor, cogor, tuas, quas amiseris virtutes, deplangere, tibi vero tuisque seductoribus malitias, quas admittis et perpetras, imputare. Vere quondam poteras nedum urbs inclita, verum anaclita dici, dum in dispositione politica civitatum regni Bohemiae caeteras excellebas. Nunc autem, quod absque lacrimis non profero, magnificis destituta civibus atque bonis viris tuis quondam incolis exulantibus anticlita vere manes. Bene quondam poteras propter visionem pacis jocundissimam, quam industria tua per circuitum regni procurabat, Jerosolima nuncupari. Poteras etiam propter viros sapientes ac scientificos, donec in te venerabilis ac toti mundo spectabilis studiorum sacrorum *universitas* tua duravit in robore, Careatsepher aut literarum civitas appellari. Poteras insuper propter civium excellentem prudentiam Abela proprie nominari. Sic ut antiquum de te ipsa proverbium queat adimpleri: qui interrogant, interroget in abela id est in *pragensi* civitate, quae propter sapientiam et prudentiam quasi mater aliarum fueras civitatum, Civitas pietatis et clementiae, Civitas consolationis et laetitiae, Civitas absque penuria, Civitas in qua habundantia victualium copiosa, vere gloriosa dicta

sunt de te. Quondam civitas dei gloriosaque semper fuisses, si rugam seu maculam in tuam gloriam non misisses.

Rex illustrissimus christianissimus pater Karolus hic prout valuit te semper studuit amplificare. Nunc fer judicium, quale supplicium meruit frater ejus legitimus, qui vellet filium exhaereditare, o heu civitas immemor accepti, non times esse boni (oneri ?).

Karolus ipse divae memoriae Romanorum imperator semper augustus Bohemiaeque rex te solam, quasi despiceret alias, prae omnibus regni civitatibus diligebat libertatesque nec non privilegia, quae duntaxat optar e praesumpseras, concedebat. Tu contra haec mala pro bonis, stiptica (stipulas ?) pro dulcibus, filiis ejus regibus propinasti. Regem enim Wenceslaum dominum tuum jam defunctum non prout decuit honorasti. Quia ymo Re alium exequiarum ei gratiam denegasti et filium ejus alterum Sigismundum dei gratia Romanorum Ungarorum etc. Bohemiaeque regem in et ad ipsum regnum Bohemiae iure haereditario succedentem, primo susceptum a te veluti dominum naturalem, iniquoru m decepta suasionibus, ne super te regnet, ne tibi tuisque praesit seductoribus, ab eiusdem haereditate seu regno praesumptuose licet de facto conaharis ejicere, nec non alium regem, cum ad te nullo iure pertineat, postulare. Nec hiis contenta malis famam insuper ipsius regis praestantissimam et excellentissimam poenas criminis legis majestatis non verita scriptis amarissimis veluti caninis morsibus lacerasti.

O heu generatio prava simulque perversa, haeccine reddis Karolo domino gratioso? O popule, popule, popule stulte et insipiens, rem immanem et inanem, rem supervacuam ymo fatuam. O si scires ultra vires negotium attemptasti, perpende, revolve inter tuae mentis archana, discerne. Quis te dominum constituit contra dominum naturalem, quis te fecit liberam et non subjugalem? Quo jure vis procedere, tuum nunquam erat eligere, nunquam haerede superstite quempiam postulare, alios quaeritare. Sed heu quae tibi met provida putabaris, pro bono malum pro sapido sensum reprobum elegisti. Palam infatuata diceris ab hiis quibus maxime credidisti. Magistri tui praedicatores verique praevaricatores tui dominatoresque tui consilium insipiens dederunt tibi. Consilium inquam ut notos vitae cives prudentia moribus, divitiis, honoribus et quod plus reputo virtutibus praeditos sperneres necares exulareque cogeres, *mechanicos vero*, (sartores) *sutores*, credones, fabros ac banasos quos-

libet, rurales etiam advenas tibi praeponeres nec non eorum iussionibus obedires. Non erat sic pristinis temporibus ut te videlicet urbem nobilem *communis populus* gubernasset. Non enim obligarciam (sic) sed aristocratiam te veri philosophi judicabant, consules veridici virique magnifici te quondam regebant. *Suberant* mechanici, fabri, penestici, non leges edebant, bonisque viris praedita tunc eras urbs inclita, vere speciosa. Defleo cum lacrimis productis ex intimis cordis luctuosi; vae gens acephalica, vae tibi malefica finis monstruosi. Misisti heu maculam in gloriam tuam, gloriam olim dulcem et celebrem, nunc heu perditam cum singultibus et suspiriis gemebunda, memoranda quondam o civitas! et fures incendiarii latrones falsarii tecum amicitias ac pacis inducias nullas penitus habuere. Pavor fuisti malorum, lima pravorum, justa punitio maleficorum. Nunc autem heu fautrix malorum, clima pravorum, collectrixque hominum pessimorum. Nomen tuum quando solum auditum impios ac tyrannos stupidos faciebat. Nunc vero probos pios ac deificos terret, mellica nominis tui quondam recordatio versa est proh dolor in venenum. Olim tu moestos ac lugubres variis deliciarum apparatibus laetificasti, pauperes et humiles diversimode nutrivisti. Nunc autem opulentos incolas et subsides necessitatem vitae habentes congruam, quia tuis jussionibus contra ritum ecclesiae catholicae dispositis ac editis (parere noluerunt) quosdam nece crudeli peremisti, quosdam vero, licet aufugerint, rebus temporalibus, quas reliquerant, perperam spoliasti, heu heu. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite olim platearum. Dic o civitas, rogo dic, quid tibi tunc decrat, dum pace peroptima tenebaris, cum ubique terrarum tu celebris habebaris, tuam pulchritudinem vicinae provinciae longe lateque distantes mirabantur et filii eorum scientiis ac moribus in te nec non virtutibus ornabantur? Magna laus tua magnaque fuit gloria dum tuis venustissimis disciplinis vicina territoria pollirentur et fama tua velud suavissimus odor per orbem terrarum se diffundebat, adeo quod ab extremis quasi mundi partibus te quatenus videant, adventarent. Dic adhuc rogo te, quid tibi tunc defuit, cum alma *tui nominis universitas in* te floruisset? Nunquam non consiliarii, non erant tibi aut confessor (sic), nunquam verbi dei mellifluus ac providus seminator.

Scio, veraciter scio nec tu ipsa dicere vales aliud, quam quod hiis adusque nausea habundabas. *Universitas* enim ipsa ne dum tibi

viros ydoneos gnaros ac sapientes, verum etiam *circumsitis provinciis* largiflue propinabat. Sed tu proh pudor ingrata nec non bonorum multiplicium oblita, dum illa venerabilis universitas *opprimeretur ab aemulis*, dum ejus libertates iura statutaque jurata sigillis etiam regalibus ac aliis roborata *publice frangerentur*, tu quantum ad te pertinuit, non fovisti, non protexisti, non te murum pro ea contra malevolos posuisti, quin potius ad *pestiferorum* instantiam eam a te recidere haud dubium in proprium dedecus permisisti.

Nolebas ex ea magnum honorem tuum perpendere. Nolebas ex ea venientia lucra pensare. Quot putas millia personarum alma *Pragensis universitas* continebat, ubi doctores scientiae sacrae jurisque canonici venerabiles, ubi magistri medicinae, liberalium nec non artium spectabiles, ubi licentiati, baccalaureique facultatum variarum notabiles, e quibus in magnis ecclesiis sunt episcopi, praelati nec non abbates, praepositi, decani canonicique commendabiles, ubi studentes genorosi pariterque et nobiles, ubi scolares de pulchris moribus etiam in variis artibus abiles in tuis laribus decubabant? Quot putas aureos unusquisque annuatim consumpsit, pone quaeso numerum, si vales quot milla florenorum in numero resultabant, tibi tuisque remanebant incolis? Illi vero haustis in to scientiis, consumptis pecuniis cum scartabellis ad propria remeabant. Quantum de domorum arrendationibus seu commodorum locationibus, quantum de victualibus seu rebus venalibus fructum babueras? Quis est, qui valeat singula declarare? Perdidisti proh dolor haec et majora. Qua (quare) si honorem ac utile bonum advertisses, potius universitatem ipsam conservare, quam mineras aureas debuisses. Coacervasti pro veris philosophis scientificis, pro doctoribus ac honorabilibus viris magistros de scolis sophisticis prurientes auribus, qui te verbis fucatis ac tumentibus, blanditiis *stultisque consiliis* ducerent in abrupta.

Suaserunt primo, ut ab obedientia papae praelatorumque recedas.

Secundo, ut regem proprium contempneres.

Tertio, ut mouasteria nec non ecclesias destrueres.

Quarto, ut sacra vasa, calices, monstrancias distraheres ac monetam ex eis cuderes.

Quinto, ut sacerdotes et clericos domini necares atque combureres.

Sexto ut sanctimoniales nuptui traderes.

Postremo ut gladio crudeli compelleres omnes alios tuam facere voluntatem.

Quis cogitavit haec super Pragam quondam inclitam et coronatam, cujus *negociatores principes*, institores ejus incliti terrae. O Praga, tibi Francia, tibi Anglia, tibi Ungaria, tibi Polonia, tibi Veneciae, tibi quaevis adjacens provincia sua mercimonia porrigebat. Ob quod non solum civitas aut urbs dici inclita poteras, verum in terris nostris *amoenissima civitatum*. Jam autem quid inquiunt attende. Pervenisti ad mundum muliebrem etc. (Sequuntur lamentationes ex propheta Isaia.)

Vocasti namque *desperatissimos*, crudelissimos ac nephandissimos homines ymo latrones, qui semper inter proscriptos ac homicidas secundum justiciarios tenebantur; illos donis numeratos largifluis, postposito vero Rege videlicet Sigismundo, judices et capiteanos praefecisti, per quos foetere fecisti fragrantem odorem tuum magnamque gloriam tuam in ignominiam commutasti.

Quo facto cogitasti consilium, quod non poteris stabilire, dixisti: congregabo militum et clientulorum exercitum, fractis calicibus et monstranciis dabo stipendium multis politicis, congregabo vulgarem populum, sic triumpho potiar contra renitentiam singulorum, civitates, fortalitia tributis subjiciam, barones et nobiles in *feudum* redigam et compellam et sic utar velut *Ratispona* seu *Venetia perpetua libertate. Regem habebo quemadmodum Veneti ducem suum.*

Hoc erat consilium, haec finalis intentio quatenus domina voceris omnium. Sed non est prudentia, non est sapientia, non est consilium contra dominum.

O civitas vae timeo ne veniant tibi haec duo subito, sterilitas videlice et viduitas. — — Secundum duritiam cordis tui et cor impertineus (impoenitens) thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii dei, cujus ad aures piissimas cottidie intonat vox oppressorum. Credisque quod propter communionem sub duplici specie, quam facis contra ritum ecclesiae vel propter illas, quas prophani seductores tui praecipiunt vel injungunt, observancias, victoria potiaris. Multi proh dolor qui debent ex officio sic sumere, manducant sibi judicium atque bibunt. Multi mathematici seu ingrammatici jejurânt multas observantias, faciunt quas nemo recte sapiens deo judicat placuisse. Credis semper esse justos qui cum adversarlis confligentes victoria potiuntur? Videlege etc.

Denique mittis falcem in messem domini dei, regem, non quem ipse dedit, sed quem tu desideras, eligendo. — Cum ergo subesse non vis ei, quem tibi proposuit, contra deum profecto recalcitrare niteris et ejus non pares ordinatissimae voluntati. — —

Tu nomen dei et fidem katholicam judaeis et gentibus blasphemare fecisti. Tu sancta dei polluisti, ecclesias diruisti, monasteria cremasti, monachos per ignem et presbyteros nec non magistros venerabiles incinerasti, moniales tuis promissionibus prostituisti, ymagines Christi nec non matris ejus sanctorumque luto ac stercoribus maculasti. Sacerdotes etiam et ministros dei manibus auribus membris etiam variis mutilasti. Quodque gravius est et crudelius, parvipendens praeceptum domini, quod per fidelem David ediderat, inquiens: nolite tangere christos meos, pluribus interfectis in illorum cadavera saevivisti, dum eos jam extinctos, humanitatis oblita, quos sepelire debueras, combussisti. Ymo quod horridum est ad memoriam reducere, nec in *die paschae* a tam nephariis abstinuisti. Tu cultum divinum quasi penitus anihilare decrevisti. Tu vestes nomini divino consecratas sacrilegis latronum manibus distrahi, prophanis usibus insui cum vocibus ac risibus permisisti. Calices monstrancias ac alia divini cultus clenodia in monetam sanguinariam convertisti, veros ecclesiarum pastores et rectores ad prophanorum instantias ab eorum ecclesiis et oviculis ejecisti. Taceo quod ab obedientia papae nec non ecclesiae katholicae recessisti, quodque sanguinem innoxium non solum domi sed per circuitum *Bohemiae* effudisti, propter quae mala viri probissimi virgines ac viduae, tenentes fidem altissimi saeculares et spirituales, in magna penuria partes extraneas inhabitant, magis exilium, quam in tuis transgressionibus consortium eligentes. Videsne jam o civitas mala seu crimina, quorum origo ac initium exstitisti? — — Jam pervenit ad te calix vel calix domini nostri J. Chr. quem tu *puerulis* nec dum fari seu discernere valentibus porrigi praecepisti, vel calix punitionis vel vindictae malorum, quem juste pro demeritis meruisti. — —

Nec silentio tegendum puto, quod scioli tui, qui se magistros autumant, magistrorum literas vel epistolas tibi vere noxias tuo nomine per mundum dirigunt universum, in quibus et per quas de rege Sigismundo nec non de sacro Constantiensi concilio varie querulantur. Inauditae res, insolita apud veros philosophos non nisi risu digna censentur, de hoc quod secundum eorum sententiam

verius fidem inevitabiliter debuit evenire, quod ut intelligas, scire velis. Illi tui magistri diu tenent, etiam velud evangelium firmiter credunt, hanc Wicleff haeresiarchae sententiam: quod omnia de necessitate eveniunt et non aliter potuerunt nec poterunt evenisse.

Quod si sic est, necessario talis rex venit et non poterit aliter evenire. Necessario tunc temporis tale concilium fuit Constantiae. Necessario fecit, quodcunque fecit, nec aliter potuit effecisse. Propter quod ergo deus punit malos et praemiat bonos, si de necessitate mali peccant et boni de necessitate meritorie operantur? Ad quid ergo leges et jura condita sunt? Ad quid Christus natus est et passus? Non opus erat evangelio nec epistolis, si cuncta necessario debent evenire.

Caeterum in quadam tua litera scribis ita: dudum per Wenceslaum de Lestna in concilium Constantiensi direximus et loc congruitate et vitae inpunitate habita, quod praedicta communio sc. sub utraque specie sit veritas, divino ore sancita et praecepta, venire optamus et sicut tunc ita nunc ardenter probare exspectamus, si est duntaxat, qui armis magistralibus cum nostris magistris velit confligere, et quod verum est, non armis sed argumentis extorquere, ita tamen ut in adveniendo sit nostrae vitae impunitas, in audiendo non contumeliosa sed tranquilla maturitas, in praesidente non obliqualitas, sed indifferens aequitas conservata.

Haec sunt o civitas verba tua pulchra tuorumque magistrorum. Vox quidem vox Jacob manus autem sunt manus Esau. — — Ut magis intelligas ea quae potenter acta sunt in te, ad memoriam evocabo: *Petrus* et *Johannes* prodeant in exemplum. *Petrus* professor theologiae, frater monasterii sancti Clementis de Praga, et *Johannes de Gräcz* in artibus liberalibus magister et fecerant hi duo testimonium ut alios non occupem, quibus armis et qualibus et an magistralibus, tui, de quibus te jactitas, magistri cum eis et aliis confligebant. Certe non armis magistralibus sed materialibus, non argumentis sed tormentis; non auctoritatibus scripturae sed cruciatibus litture, non locorum laycalium sedibus sed cipporum et laycalium (sic) compedibus, non rationibus sed coactionibus arguebant. Nam captivato fratre Petro jam dicto post afflictiones varias unum e duobus eligere coegerunt, ut vel revocet, quae contra eosdem magistros vel contra Wicleff Anglicum praedicaverat vel in eorum manibus ultimum debitum mortis exsolvat. Pauper homo volens

tantam crudelitatem evadere, veritatem pluries a se praedicatam coram astantibus omnibus in collegio Karoli Pragae publice revocavit [1]).

Magister Johannes de Grecz et facta pronuntiataque positione communione sub utraque specie in lectorio communi coram omnibus respondens opponentibus more scolastico postilico captivatur tormentis compedibus verberibus alapis inedia siti multis etiam aliis incommodis inhumane per eos cruciatur, videns probus homo non aliud restare nisi morte supplicia terminare, petebat magna cum instantia, quatenus ei confessorem ydoneum concederent, cui de peccatis suis debitam faceret rationem. O saeva crudelitas. O crudelis ac tyrannica saevicia! Denegatur pio viro peccatorum antidotum, quod etiam juste damnatis latronibus non negatur. Sed omnipotens deus, qui prope est hiis, qui tribulato sunt corde, praedictum magistrum Johannem de eorum manibus crudelibus mirabiliter liberavit.

Igitur o lector perpende quaeso, si Parisiensis, si *quondam antequam tres nationes de ea recederent, Pragensis*, si quaelibet universitas christiana cum suis respondentibus vel opponentibus armis unquam talibus dimicavit. Ecce clare quislibet ex hiis elicere potest, *quod facta eorundem verbis plenarie non respondent.*

Postremo etiam tui fastus nimiam ut verum fateor dementiam non silebo. Concilium quod nec re nec nomine quin potius ridiculo censeo dignum, inter merita tua nomine tuo fieri voluisti. Quatuor pestiferos letali veneno plenos, quos tu viros dicis, revera non a virtute sed a virus i. e. veneno certissime nominatos, illi tuo *conciliabulo* stolide praefecisti, potestatem eis plenariam de divinis officiis missarum horarumque nec non de aliis statum spiritualem concernentibus tradidisti, *quasi ad te solam pertineat totius ecclesiae gubernatio* alias rectitudo. In tantum arrogantiae fastum elata es, ut illos 4 virulentos carnifices totius mundi sapientibus praeponeres, quasi non fuerint a 1400 annis nec modo sint viri scientiis vitae sanctitate vel etiam moribus meliores. Qui praeter alia suis in constitutionibus dicunt, nefas esse recedere ab ecclesia primitiva. Sed quum in ecclesia primitiva *circumcisio* purificatio et quaedam legalia tenebantur, — — consequens est, ut illorum carnificum parentes concilio

[1]) Diese Revocation findet sich mehrfach in Prager Manuscripten.

judaizent. Posuerunt etiam illi conciliatores et primicerii tui horas canonicas diurnas et nocturnas arbitrarias esse. Qui si scripta sanctorum perlegissent, eas arbitrarias non statuissent. Ecce quid B. Jeronymus — dicat. — —

O quanta praesumptio, quantave temeritas, ponere jam arbitrium, quod ecclesia dei per tot annorum curricula cum magna diligentia tenuit ac servat.

Sufficiant haec pro praesenti, de quibus utinam poenitentiam debitam peragere et ab omnipotenti veniam obtineres. Gaudemus vere magno gaudio, si te ad statum bonum reductam cum incolis cernerem prout opto.

XVII.

Satira.

E MS. capituli Prag. D. 51. Fol. 331 *b* sq.

Parvus magnorum staturam gigantium altitudine transcendens pigmaea diva deorum alludente clementia sacri Zlechoviensis (Cechoviensis) juniperii praefectus neocastrensis militiae comes palatinus ac sacri ducatus Carloviensis tribunus praecipuus potestate ubilibet resonans nec non Atri montis furnus vulgariter nominati specialis incola atque fotor, universis et singulis principibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militibus, clientibus, purgraviis, judicibus, ceterisque sacri juniperii Zlechoviensis omagialibus, vasallis, officialibus ac aliis eidem Zlechoviensi juniperio inexplicabili lege substratis fidelibus, dilectis gratiae suae salutem et ab omni adversitatis periculo praemuniri. Illustres, magnifici, nobiles, spectabiles, strenui, famosi, et prudentes ceterique nostri et sacri imperii fideles dilecti! Quod ante modici temporis cursitamen, prout vestrae universitati patescit praelucide, quidam latronum tirunculi *Zmrzlik* videlicet atque *Mrázek* multos suorum complicum circumsepti comitatu regnum Zlechoviense temerarie et frivole subintrarunt atque regnicolas jacturis gravibus pariter et molestiis affecerunt eo, quod celebris memoriae illustrissimo principi et domino domino Gallo (Wenceslao) Zlechoviensis juniperii duce eximio universae carnis ingresso, non sit biskup neque reges, qui nos tegant, *ne sub legem intremus rusticeam*; sapientis acclamente eulogio: Ubi non est gubernator, corruet populus. Quibus tamen generosus *Mocrovasky* egressus in occursum eosdem diis faventibus nostro suffultus praesidio potenter prostravit, alios in ore gladii perimendo, alios domo-

rum de summo praecipitando, sic quod vulgus residuum turpi nece peremptum litora occupavit Multaviae radiisque inibi solaribus liquefactum disparuit. Aliud autem captivatum in *Misnam* est abductum vinculis perpetuis mancipandum. Et quarum (quamvis) praefati hostes nostri tot et tanta, ut praetactum est, jam perceperint rerum et corporum discrimina, tamen suo pertinaces in errore nobis et nostris dudum illatis non contenti dispendiis adhuc plura machinantur irrogare. Duo namque latrunculi priorum de numero superstites, qui a facie dicti Mocrowsky (Mekrowenzky) fugerant campo derelicto, videlicet *Lacembok* de *Stradalovic* et *Hlodanek de Nemanic* rursum agregato exercitu ac terram nostram subintrantes castrum Zlecboviense fortissime oppugnarunt, habitatoribus plurima incommoda infligentes.

Quod autem illustris Gallus supranominatus adhuc vita comite nostrae Serenitati teterrimae literas patentes super dominio Zlechoviensi ceterasque pertinentias, quas ipse habere poterat, gratiose condonavit auctoritate juniperiali, qua fretus est clementius conferendo, demandans universis et singulis gratiae sub obtentu, ne quispiam nobis (quasi molestatis), nostrae majestatis nomini glorioso, in terra universa admirabili, cujus ad honorem tartarei famulantur averni et omne genu curvatur populorum, omnisque lingua laudis concinit praeconia, humillima subjectione velit substerni, sed (si) potius totis pro conatibus famulans obsecundet res; nos itaque curam circa subditos gerentes sollicitam, tantamque hostium ferocitatem in subditis ostensam non valentes tolerare, per omnes civitates nostras, oppida et villas larga stipendia jussimus proclamare banderia seu vexilla juxta morem et ritum regni contra hostes erigentes.

Quà propter vobis universis et singulis districte injungimus in mandatis omnino volentibus, quatenus die Salls (Sabbati) populi, tam omagiales quam liberi una cum civibus civitatum et oppidorum cum gentibus armorum bene fulcitis numero majori, quam poteritis, ad reprimendum maleficorum, quam poteritis et regni nostri invasorum temerariam insaniam in *montanis Zlech* cum gentibus nostris, ubi constitutae fuerint, sitis parati, attinentiis omnibus, quibus dictus Lacembok possit reprimi et a viribus totaliter destitui, de quibusdam etiam, quae scribere non expedit, ibidem tractaturi; in casu vero, quo quispiam ad ipsum exsequi renueret, contra et

adversus eundem vellemus tam rigi(de) procedere, quod eidem in dampnum, ceteris autem similia perpetrare praesumentibus cederet iu exemplum. Datum in castro nostro Strodak die lunae nostrae majestatis sub sigillo.

XVIII.

Coronae regni Boemiae satira in Regem Hungariae Sigismundum.

Cod. Uiv. Prag. III G. 16. Fol. 100.

Nuper coram supremi Caesaris throno assistens in totius creaturae generali concilio libellum adverum te o insensate princeps! palam obtuli et de te mihi justitiam fieri instantissime postulavi. Qui utpote vivorum ac mortuorum censor praecipuus universa plene cognoscens sine figura et strepitu judicii causae merita simpliciter et de plano discutiens, te ut reum si memineris corripuit et castigando palam (coram) omnibus castigavit, misericordia tamen dulcedinem justitiae acerbitati commiscens. Sed tu instar aspidis surdae et aures suas obturantis arguentem non audiens et *tanquam asinus, positus ad liram* non intelligis castigantem et veluti dormiens crapulatus a vino tractus non sentiens ac vulneratus non dolens ad percutientem te judicem noluisti ipso teste converti, sed veteribus peccatis nova cumulando delicta, auges injurias, coacervas dampna, congeris molestias, me insontem viduam ymo matrem afflictione multiplici lacessere non cessans. Propterquod non tam de illata mihi injuria quam de apoplexiae morbo, quo mente vexaris, hic genitricis ritu illacrimans pote natura filium, actu hostem ad partem paulisper abductum placuit modesto affari sermone, si forte privatum mature affabilitatis verbum nunc erga te proficeret, cui pridem attonito correptio publica non profecit.

Dic hic quaeso, impie princeps, me sola auscultante responsum, ne assistentia aliorum confusus conticeas profitendum: quonam jure, quo pacto, quave fronte Castrum meum Pragense mihi duntaxat sponsoque meo legitimo dedicatum tanquam fur et latro clam et fraudulenter intrasti et id tanquam malae fidei possessor non jure sed facto occupans, te in regem per quendam alienigenum contra juris ordinem unguere sacro disposuisti liquore, ac in solium meum praesumptuose conscendens mei decoris diadema a nonnullis baronibus fraude collusis tuo turpilenti capiti non passim sed angulatim, non aperte sed operte nullo sacramento juramenti circa hoc debiti praemisso, civitatum et communitatum irrequisito ymo negato assensu ac proinde non

servatis servandis, me etiam reclamante fecisti imponi teque sponsum meum Regemque Bohemiae non es veritus publice profiteri, cum sis dignitatis meae praedo notarius, gloriae raptor, depopulator substantiae ac liberorum meorum acerrimus tua conscientia attestante peremptor. Dic rogo quonam pacto unctionis sacrae tibi munus debetur, qui sacrae ymo divinae legis exterminator dinosceris agnitaeque veritatis impugnator blasphemus. Quae enim conventio Christi ad Belial ac sacrosancti crismatis ad brachium omni viciorum nelvo (?) pollutum? Cur quaeso diadematis mei honos tibi jam temere vindicas, qui honoris mei intemeratum decus coinquinato ore pariter et scripto contaminare non cessas? Certe si sane sapis, non decus sed dedecus, non honos sed onus tuae cervici imposuisti. Hoc quippe diadema aureum, quo tuum caput tanquam stemmate glorioso ornasti, est meae ut notum est dignitatis insigne, quod tu utique verbo et manu debonestare contendis. Quam vero ob rem te regem Boemorum appellare praesumis, quos haeresis labe pollutos asseris et funditus evellere machinaris? Revera turpe est principem esse latronem, multo turpius regem haereticorum, quod si illos prout cupis evelleres, quid restaret? nomen sine re possideres velut Episcopus titulatus, sed ille nomen gloriae retineret, tu vero titulum inanem, ymo infamem haberes. Utilius tamen visum est sagacibus, rem honestam cum nomine possidere. Si igitur te delectat nomen et rem aspernari, nulla ratione deberes, cum nomen sit signum rei et semper praestantius dinoscitur signo ipsum in veritate signatum. Sed ut priora lucidius tecum pertractem, scisne quid ajebat dominus Samueli: imple inquit cornu tuum oleo et veni et mittam te ad Ysai bethlehemitam. Providi enim mihi in filiis ejus regem et cum vocatus David astitisset, inquit: surge et unge eum. Ipse est enim. Et in deuteronomio generalius exprimit dicens: cum constitues in regem quem dominus elegit. Certe si dissimulare nolis, te non provisum sed invisum, non electum sed abjectum, hac ratione cognosces. Scriptum enim de Saule novimus. Usque quo, inquit dominus Samueli, tu luges Saul, cum ego projecerim eum, ne ultra regnet super Israbel, et causam subdit, eo quod mandata mea opere non impleverit. Hic te ipsum judica, quomodo te dignitati regiae ingeris, qui dominicis praeceptis corde ore et opere assidue contradicis. Ymo quidem detestabilius est, praeceptum ejus tanquam haereticam perniciem eliminare omni conatu laboras. Sed forte dices, Constantiense sacrosanctum concilium illud pro errore

dampnavit et mihi boc ad extirpandum injunxit. Audi qnaeso, ex cronicorum serie comperimus, nonnunquam concilia in suis errasse decretis, ubi patrum multitudo affuit nulla peccatorum iniquitate suspecta. Quid putas illos non potuisse errare, ubi major et principalior pars erroribus dinoscitur fore respersa. Johannem quidem XXIII constat esse baereticum hujus concilii primum ut sic loquor autorem, quamplurimos quoque scimaticos excommunicatos degradatos omnique ordine dignitate officio destitutos fore. Quis ambigit per triginta et amplius curricula annorum ipsiusque Johannis cardinales, quis non errasse censebit, qui eundem Johannem virum criminosum etiam ante electionem noscentes metu quodam humano perculsi asserunt a forte muneribus corruptis atque (ad) dampnum irrecuparabile ecclesiae generalis, quis quaeso istorum aut illorum de tam inveterato et generali scelere cum lacrimis veniam postulavit? Quis absolvere et in gradus pristinos reddere potuit, cum omnes pariter ista catena peccatorum constrinxit. Scelesti itaque mansere et erronei. Non itaque mirum, si erga veritatis tramitem viciorum excaecati tenebris erraverunt, cum dicat scriptura: error et tenebrae peccatoribus concreatae sunt. Sed dices, non est verisimile, boc concilium errare potuisse, cum ex omnibus christianismi provinciis illic affuere majores. Audi quid dicatur in lege: astiterunt reges terrae etc. et alibi: non sequeris turbam etc. Non enim pensat dominus hominum multitudinem, sed inconcussae fidei qualitatem. Non igitur mirandum, si illa congregatio etiam militantem quomodo (ecclesiam) repraesentans erravit, ex quo ipsam ecclesiam, quae sua repraesentatione utique est potior, saepe contingit errare prout ipsum decretalis una fateatur. Tutius ergo tibi foret infringibilis veritatis verba amplecti, de quibus sapientia increata ait: coelum et terra transibunt etc. quam ad humana et errori subjecta decreta converti, quae velut umbra cum suis auctoribus evanescent. Si enim servus Christi Paulus suae praedicationis verba in tanta firmitatis stabilitate voluit a fidelibus observari, ut etiam angelo aliud nuncianti nullatenus credi deberet: quid putas dei virtutis et sapientiae Christi doctrinam non solum ore sed et manu practicatam perpetua firmitate debere constare. Adeo ut si omnis creatura oppositum fateatur, etiam nemini ullatenus illi dissentire et huic assentire liceret. Quanto magis illi facinoroso concilio contra legem Christi evidenter erecto, in quo tot centena ut nosti convenere acortorum, quae etiam olim gentiles a sui exercitus contubernio propul-

sare sueverunt. Ubi revera nostrum humilitatis specimen visum est, nullius fere virtutis imitabilis forma apparuit, sed superbiae tumor, livor fervor avaritiae, foetor luxuriae, gula crapula ac omnium viciorum turba confluxit. Non itaque erubescis te illorum fore lictorem aut certe speculatorem, qui tuorum praedecessorum ymo et inferorum principum elemosynarii esse noscuntur, quibus utique es regia dignitate praelatus. Quis nempe dubitat Papam auctoritate Imperii omnibus ecclesiis fore praelatum ipsiusque dotatum et ditatum substantiis ac Episcopos Reni aliarumque regionum a regibus et principibus dominationis privilegia sub specie pietatis propter deum suscepisse. Cur itaque illis te adeo subjicis, ut illorum iniquas sententias executioni aut effectui mancipare cogaris *policiarum omni speculatore deterior*. Ille namque aliqua mercede conductus censorum judicata prosequitur, tu vero tuis stipendiis illos interimis, pro quibus justo jure mori deberes et praesertim cum sint observatores legis divinae, quam tu praecipue observare teneris, quanto potiori honore ipsius dono potiris propter quod in deuteronomio invenitur descriptum. Postquam, inquit sederit Rex in solio regni sui etc. Tu vero legem ipsius non per angelos, ut illa fuit, sed unigeniti dei fore prolatam persequeris et divino posttergato timore in ipsius exterminium omni nisu moliris. Te igitur illorum numero connumera, de quibus ecclesiasticus inquit: reliquerunt legem potentes etc. Et per prophetam dicitur: ipsi regnaverunt etc. Teque illum crede de quo Isaias ait: corona coronabit etc.

Sed ut parumper ad superiora redeam et tecum ipsa ratione disceptem, animadverte quaeso, quid evangelii praedicator Paulus dicat egregius. Nemo, ait, coronabitur nisi qui legitime certaverit. Numquid tu legitima manu bellasti, dum olim ex cunctis formae jactibus orbis innumero bellatorum agmine aggregato stipatus, Turcorum gentem bello *aggressurus campestri unius scorti oblectamento adeo effeminatus, ut nec armis indui nec hostium cuneos ausus fuisti contemplari*, sed mercenarii more cognito lupo, tam ingenuum militum gregem deserens, turpissima fuga fugisti, quem quidem pastore orbatum gregem hostilis effera turba tanquam lupus rapax hostiliter invasit fugillavit strangulavit trucidavit et tanquam vehemens turba stipulas miserabili nece involvit. Et ut de dudum lapsis conticeam et recentissime te contestante narrabo. Numquid legitima manu pugnasti, dum structuras ligni exiguas prope filiae meae senioris

carissimae Pragensis civitatis moenia ad instar caularum erecta expugnare omni studiositate contendis robustissimis admotis legionibus et aciebus instructis virili ut dicitur impetu adiisti, sed inde folii volantis horrido sonitu aut forte rustici trutinantis terribili adspectu deterritus, tanquam a facie ordinata strenue rebellantium castrorum profugiens, elegantiorem exercitus tui falangem stupendo metu attonitam et caecatam in praecipicium induxisti, adeo ut plerique de aclivo montis impetuoso cursu ruentes et fractis corporibus et contritis equis et artubus expirarent? An ideo te mei diadematis honore dignum conjiciam, quod nemine resistente parvulam murorum partem concrematae et penitus desertae urbis parietinas ambientem etiam aliena manus potestate rupisti? An quia nonnullas utriusque sexus personas inermes et imbelles occidi ac exuri jussisti? An certe istam causam potissimam praetendes, qua te ydoneum Boemorum corona putabo, quia filiam meam praefatam debellaturus, ingenti armorum turma ex Pannoniae, Austriae, Stiriae, Carinthiae, Moraviae, Bavariae, Prussiae, Misnae, Turingiae, Hessiae, Holandiae, Westfaliae, Saxoniae etc. regionibus et provinciis tam stipendialiter quam mendaciter adunata grandi et onerosa obsidione vallatus, dum civium saepius discriminose temptata bella merito perhorresceres, tandem cum serpentium murium scorpionum ac buffonum ebulientium de terra nec non endium vermium muscarumque stimulantium numerosa cohorte congressus duroque habito conflictu, cum tibi vires ad resistendum non sufficerent, novo generi bellantium terga dedisti ac nocturno tempore fugae praesidium pro expugnandi virtute asumpta, tam numerosae cohortis militiam tanto studio tanto tempore tantoque sumptu congestam per orbem terrarum tam turpiter disparsisti? Sed dices, potiora strenuitatis judicia etiam te spectante ostendi, quibus me ydoneum tuo reputabis honore. Nam sanctorum reliquias auri et argenti stemate decusatas animo virili invasi, omni semoto timore easque argenti et auri thecas audaci manu concutiendo detraxi et vinculis unionis conglutinata disruptis ea regni Boemorum praedonibus ymo tortoribus liberali manu despersi. Sane si haec praefata dignum corona efficiunt, quis ambisset meticulosissimum ferarum lepusculum merito coronandum, qui a natura inermis per rapidos canes instigatos nonnunquam in fugam vertitur ac suis invasoribus terga dare suapte consuevit. Caeterum quis sensatus lapicidus aut latomos a coronae dignitate secludetur, qui exigua mercede conducti non solum ruituras

diruunt macerias sed rupes solidas deficiunt ac caducos muros ingenio oppressos restaurant. Quis denique policiarum speculatores aut tortores ipso privabit honore, quorum cruenta manus (sibi) torquet innocuos urit ignibus suffocat fune ac diro ense mucronis occidit. Quis demum publicos stratarum praedones aut sacrilegos dyademate censebit indignos, qui se et sua discrimini audacter exponentes vivos spoliant et mortuos, nulli aetati nulli sexui nullique religioni parcentes? Praeterea si angularis coronatio regem instituerit, quid refert coronae custodem aut furem cervici suae ipsam imponentem aut *asinum* eodem diademate redimitum regem titulo justo dicendum? Equidem non sapis sed desipis, si te Regem Boemiae propter hujus enormis coronationis arbitraris effectum. Quae enim contra juris ordinem fiunt, pro non factis et contra rationem putantur. Quae vero coronatio scilicet civitatum baronum communitatum unaminis et canonica electio pariter et assensus, quibus te congrua censura orbatum dignum instituunt principem regem atque rectorem? Ignorasne quod utique scire deberes quod juxta decreta sanctorum patrum Rex etiam unanimi et concordi omnium voluntate electus, priusquam diadema susceperit, jurare tenetur jura regni sui et honorem coronae illibate servare juxtaque legem mearum sanctiones coronandus in regem in publica populi audientia juramentum debet manifeste praestare de non obligandis et non alienandis provinciis civitatibus castris ad regalis monarchiae dicionem quoquomodo spectantibus et ut barones, clientes, cives et quoslibet terrigenas, quibuscunque nominibus censeantur, in eorum privilegiis libertatibus imunitatibus inviolabili stabilitate manuteneat tueatur et conservet. Quod revera juratorium, si non praestitisti, non per bostium ut pastor sed aliunde ut fur et latro in hujus regni ovile intrasti. Si vero praestitisti, constat nec ulla potest relatione celari, te juramenti transgressorem notorium ac perinde regia dignitate indignum. Ecce ex praemissorum serie, si vis sapere, luculenta est ratione probatum, quam temere, quam enormiter, quamque inique mei decoris diadema nomenque regium usurpasti eandemque coronationem cassam irritam nullius roboris nulliusque fore momenti. Erubesce itaque o insensate princeps! saltem coram me, qui in totius creaturae synodo erubescere noluisti, et in animo supradicta diligenti meditationi revolve ac revoluta in te ipsum more corripientis retorque, poenitentiam age in cinere et favilla, si forte tui velit misereri deus, cujus profecto majestatem tam innumera criminum iniquitate

laesisti teque in culmen erigat, a quo dinosceris ipsius animadversione dejectus, qui olim Manasser ydolatram ac prophetarum crudelissimam peremptorem in vincula conjectum ac dignos fructus poenitentiae facientem a reatus et vinculorum captivitate absolvit et in apicem regiae dignitatis restituit.

XIX.

Tractatus de origine Hussitarum.

A Magistro *Andrea de Broda* bohemicali oriundo, in studio Libtzensi editus.

Cod. Bibl. Reg. Monac. n. 186 lat. 14029. Emmeran. 29.

Bonarum mentium est vitia, non homines odisse, malarum vero non solum pravos diligere sed eorum apertas quoque malicias defensare. Nam amor et odium pervertunt jndicium a deo ut secundum psalmistam: laudetur peccator in desiderio animae suae. Ps. 8. Vehementer enim claudit oculum humani cordis amor privatus, nescit habere modnm nec pudore frenatum nec rationi paret nec a consciencia retrahitur. Sed nec iusuper consilio temperatur.

Hoc heu nostris temporibus liquet. Surrexit populus ***arrogans crudelis ingratus*** et cupidus, ***vulgaris*** videlicet et ***militaris***, praelatos despiciens, clerum odiens, censuram ecclesiasticam respnens, ceremonias deridens, sanctiones canonum conculcans nec non doctrinam sanam praedicantium contempnens, totam ***jurisdictionem ac statum cleri penitus enervare, destruere nec non funditus eradicare cupiens*** et affectans.

Cogitans autem quod funiculus triplex difficiliter rumpitur (eccl. IV), ***ligam*** et societatem, quam ipsi ***firmitatem*** dicunt, ***iniit cum quibusdam magistris*** ypocritis et presbyteris ejusdem propositi Wiclefistis, qui cleri vitia detegerunt, lingwas contra praelatos extenderunt, dentes contra monachos acuerunt, statum omnium spiritualium destruxerunt, ipsique layci eos adversus praelatos et clericos manu valida potentiqne brachio defensarunt. Impletum est verbum apostoli dicentis: Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus II. Tim. 4. Funiculum illum triplicem ad longa tempora spiritu sancto doctus Jesus filius Syrach ex triplici hominum istorum genere compegit. Ex susurrionibus videlicet, ex bilinguibus

et ex tertia lingua et per susurrones *cives* et *vulgares*, per bilingues *clientes* et *militares*, *Magistros* vero *presbyteros* et *scolares* wiclefficos per linguam tertiam innuendo cum dixit: susurros et bilingues subaudi quibus (quilibet) eorum maledictus, cujus rationem subdit dicens: Multos enim turbavit pacem habentes. Lingua tertia supple magistrorum presbyterorum et scolarium wicleficorum, multos commovit et dispersit illos de gente in gentem, civitates muratas divitum destruxit et domos magnatorum effodit, virtutes populorum concidit et gentes fortes dissolvit lingua tertia. Mulieres fortes i. e. sanctimoniales alias velatas ejecit et privavit eas laboribus suis. Sap. XXVIII. Sic itaque factum et ad litteram est impletum. Nam illi magistri errantes et in errorem mittentes cum suis in hac parte discipulis condempnatos haeretici Wicleff articulos audacter in ambonibus praedicarunt, per quod maximam ad se plebis multitudinem attraxerunt. Dum autem praelati sub censuris ecclesiasticis talia fieri probiberent, nullus eorum mandatis licet justis et debitis paruit, allegantes per se, verbum Dei non debere humanis jussionibus obligari sicque excommunicati denunciati interdictique divina officia prophanabant ecclesiarumque rectores et plebanos similia facere compellebant. Multi vero plebanorum nolentes acquiescere exilium pocius elegerunt. Tanta vero per illam praedicationem ad eos confluxit populi multitudo, ut fere non esset castrum, villa, munitio, vel civitas, quod non inibi licet occulte quinque Wiclefitae morarentur. Diabolus autem eos excaecaverat ut quidquid illi praedicatores vel magistri praeciperent, etiam si mors immineret aut aliud grave periculum, ad statim facerent vel quo mandarent ire, procederent cum effectu. Et non mirum. Error enim et tenebrae peccatoribus concreatae sunt Eccl. 81. Sic etiam illa venenosa amaraque dogmata Wicleff haeretici fuerunt eis inculcata quod pocius totam christianitatem vellent quantum esset in eis destruere quam ab eis efficaciter resilire. Nam aquae furtivae dulciores sunt et panis absconditus suavior. ps. IX. Hinc venit ecclesias excutere, monasteria sanctimonialium et monachorum invadere, sacrilegia committere, homines interficere, sanguinem innocentem effundere, nedum peccata non reputent sed contra sindercsim propriam grata deo se dicant per hoc obsequia praestitisse. Talem eis nequam spiritus per doctrinas pestiferas indidit malitiam et audaciam, ut contra totalem ecclesiam suis acerbissimis dentibus fremerent et protervirent, omnemque sententiam eis contrariam sanctorum etiam patrum claris

traditionibus approbatam destruere illamque conspirate penitus extinguere molirentur. Quapropter in unum chaos conglobati juramentisque mutuo de nimia multitudine praesumentes in tantam ausi sunt insaniam prorumpere, ut contra dominum regem haeredem legitimum et dominum naturalem ad campum hostiliter se ponerent, regiasque civitates munitiones aliorumque dominorum eis non adhaerentium velut ad se pertinentes invaderent captasque non virtuose sed proditorie eas suis usibus applicarent. Hiis non contenti sed magna magnis, mala malis cumulantes in ipsius domini regis grave scandalum et offensam nec non totius christianitatis praejudicium et ruinam quendam *Witoldum ducem Littwaniae* quamvis neophytum in regem suum et dominum postularent. Itaque plurima non quae facere licuit sed quae libuit ad tempus proh dolor nemine probibente, propter quod publice dicebant ymo praedicabant, *Deus nobiscum est, ipse nos sensibiliter juvat.* Fides nostra vera katholicaque fides est, quia contra hostes nostros laudabiliter triumphamus. Illi vero maledicti qui nobis contraria senciunt credunt et praedicant, *Machometi sunt* et haeretici, quos Deus visibiliter deprimit, ut cernimus, et incumbunt. Non attendebant neque cogitabant miseri verba Salomonis: est via quae videtur hominibus recta et novissima ejus ducunt ad mortem. Prov. 16. et iterum: sunt justi etc. Eccl. 8. Sed quid ait psalmista, qui cottidie singulorum pungit et purgat oculos, videant et attendant. Vidi inquit impium superexaltatum etc. ps. 36. Non enim recens est quosque malos in sua malitia fortunari, sed a casu describe diem, inquit Ganifredus in poetria: Non solis ab ortu claudit non atra diem nubilaque serenum, non est insolitum fortunam alludere malis. Abakuk propheta contra dominum deum invehitur super hoc dicens: mundi sunt oculi tui domine ne videas malum etc. Abakuk 1. Quociens filii Israel in deserto licet voluntate robustaque manu seu potentia domini ex aegyptiaca captivitate ducerentur, miserabiliter sunt prostrati. Quot etiam militia populi jam ducti per philisteos sub regum Israhel et Juda temporibus corruerunt; quid putamus de primo Abel, quid de Sampsone, quid de Juda Maccabeo cum fratribus; ut de alio taceam, caput martyrum pono Christum Jesum dominum nostrum. Nonne isti omnes quia justi et boni crudelium persecutorum se martyrio pertulerunt (obtulerunt) et mortui sunt una cum suo capite saltem corporaliter a manibus impioorum. Confirmat autem justos dominus et brachia peccatorum conterentur; non salvavit utique impietas impium. Eccl. 8. Nam inter-

dum dominatur homo hominem in malum suum. Et subdit Salomon ad propositum: valde vidi impios sepultos etc. Eccl. 8. Certissimum tamen est quum (quod) peccatores peribunt et si exaltati fuerint et honorificati, quia cum sunt inimici domini deficientes, quemadmodum fumus deficiet. ps. 36. Non mentitur ipse salvator dicens: omnis plantatio, quam non plantaverit pater meus coelestis, eradicabitur. Mat. XV. Judicet qui vult si deifica sunt opera, talium plantatio deifica, si vero non, juxta Gamalielis sententiam dissolvetur. Act. 5. propter quod non praesumat de sua multitudine quia scriptum est: multigena impiorum multitudo non erit utilis nec sperent longis temporibus eorum saevitia perdurare. Nam adulterinae plantationes non dabunt radices altas. Sap. 8. Consumet dominus nequitiam peccatorum et diriget et eriget justos. *Et ergo certissime teneo finaliter ecclesiam triumphare.* Porta namque inferi non praevalebunt adversus eam sed neque portarii ejus Wiclefitae, *quamvis ferratas habeant tritulas et cambucas.* Ecclesia namque secundum B. Hilarium libr. VII de trinitate hoc proprium habet, dum persequitur, floret, dum opprimitur crescit, dum contempnitur proficit, dum laeditur, vincit, dum arguitur intelligit, tunc stat, cum superari videtur. Navicula namque Petri quamvis interdum fluctuet, non mergetur, verte impios et non erunt, inquit Salomon prov. XII. Domus autem justorum utique permanebunt. Ut ergo sciant homines et cognoscere valeant, Wiclefica dogmata *non a deo sed permissione dei* propter peccata hominum a diabolo procedere, ne etiam propter amorem indebitum personarum curent eorum malefacta laudare vel quomodolibet defensare, insuper ne velut excoecati caderent in illud vae dampnationis aeternae, de quo Isaias V cap. Vae, qui dicunt bonum malum etc.

Visiones reverendissimi in Christo patris ac domini *Johannis* quondam Episcopi Misnensis et post Archiepiscopi Pragensis de mandato suo pietus magistri curiae seu domus pontificalis in minori civitate Pragensi nec non et in Castro Rudnitz ad intelligentiam plenam reducere non inutile judicavi (judicavit). Quibus in scriptis potuerunt (sic) cognoscere deo permittente statum ecclesiae multis tribulationibus et incommodis molestari quae deus ante annos plurimos praefato pontifici voluit revelare. Vidit praedictus Archiepiscopus Johannes in sompnis nigrum hominem velut Ethiopam in trono papali residentem habuitque in capite suo tiaram seu papalem infulam h. e. tribus ex

coronis compositam, trabebat autem claves de manibus induti papalibus coronatique coram se stantis veri papae. Vidit etiam cardinales et plurimos adhaerentes, vidit quoque *Hiorconem (Hinkonem) dictum cluck* pro tunc decanum ecclesiae Pragensis, vidit et *Currisionem* decanum ecclesiae Wissegradensis et alios quam plurimos ei supplicationum cedulas more curiae porrigentes. Convocatis autem doctoribus et praelatis spiritualioribus petens instrui quid significet, praedictam eis exposuit visionem, qui graviter exterriti velut ori consono responderunt: o reverende pater in manu dei sunt omnia, convertere dignetur monstrum hoc in melius. Timendum est attamen, ne in ecclesia *scisma fiat* seu veniat pro papatu. Paucis autem evolutis ebdomadis et visum in somnis et interpretatum scisma pestiferum publicatur. Nam cardinales electo Romae Papa Urbano VI, quem domino Karolo Imperatori Romsnorum semper Augusto Boemiaeque Regi gloriosissimo caeteri que principibus christianis velut Christi Jesu vicarium Petrique successorem legitimum suis literis et nuntiis potentibus commendaverant, quem etiam Cardinales per plura ac notabilia tempora pro vero et induhitato papa concorditer et unanimiter tenuerunt, post hoc impellente eos avaritia nec non ambitione secedentes ab urbe recreationis gratia fictitie praecepta, non omnes tamen, sed quidam Robertum Gebennensem Francorum regia (regibus) consanguineum pront dicitur, non de jure sed de facto proprium in scandalum et jacturam ecclesiae fideique katholicae gravissimam in papam, verius in antipapam elegerunt. Quanta vero mala provenerint ex illo scismate, quis est qui singula debite et quae, ubi contigit, valeat enarrare; partes Italiae nec non Franciae et Angliae sciunt haec, ob quod non dubito eos haec suis annalibus commendasse. Duo autem praedicti praelati Hinco Pragensis et Currissio Wissegradensis decani dimissis praebendis jam dicto Roberto Gebennensi realiter adhaeserunt. Post hanc dominus omnipotens et aliam eidem episcopo visionem ostendit, quae veluti prior in eisdem locis prout ipse jusserat est depicta. Vidit hominem nigerrimum stantem in cappa glauca, quae non monachica fuit sed choralis, habebat in capite pontificalem infulam albam circulumque rubeum in parte bassiori infulae, qui caput circumtegit, a quo circulo praetendebatur quasi tiara idest lamina rubea versus infulae summitatem, nasum magnum aures apri oculosque scrofinos babuit totumque corpus ejus nigrum velut ursina pelle cirumtectum et tam in manibus quam in pedibus habere velut accipiter ungulas

videbatnr. Inerant membris ejus *instrumenta mechanica* praesertim offendentia nimis multa. Ibi gladii, ibi lanceae, ibi cultelli, ibi falces, ibi secures, ibi sagittae, ibi tela varia, ibi claves, ibi frate (sic) cambucae, ibi tritulae, ibi cuspides, ibi quasi cuncta quae vulnerare queunt seu laedere videbantur. In dextera vero scapula pharetra grandis, multis repleta sagittis apud eundem hominem videbatur. Trahebat et stans claves per violentiam de manibus veri papae. Vidit etiam idem Episcopus quasi dominum Jesum Christum stantem post tergum papae velut annuentem seu talia fieri permittentem. Ibidem vidit etiam amoenissimum ac delicatissimum pratum omnium redolentium florum varietate consitum et ornatum, in quo pulcberrima nobilissima ac venustissima virgo cum puero decentissimo placide residebat, quam idem Arcbiepiscopus beatissimam virginem ac matrem J. Chr. genitricem Mariam fuisse pie reputabat. Haec idem vidit Arcbiepiscopus quae propter memoriam vel potius ad cautelam pingi praeceperat futurorum. Dominus Deus justus et misericors quando vocat ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt, qui tempora mutat et aetates, transfert regna atque constituit, qui revelat profunda et abscondita mysteria quamvis pro delictis juste valeat peccatores punire semper et omni tempore cum non sit homo super terram, qui faciat bonum et non peccat, nec sit qui semper dicere possit: mundum est cor meum, purus sum a peccato, prov. 20., tamen quia misericors est et vult omnes salvos fieri 3 Tim. 2., dissimulat peccata hominum propter poenitentiam. Ergo bonis interdum hominibus per visiones aut per somnia futura denuntiat mala ut praecaveant, vel ut eo minus feriant venientia, quo fuerint prescita quatenus contra baec propter scientiae clypeum diligentius muniantur. Sic dignatus visiones praescriptas ostendere et gregem suam pontifex a futuris malis, quae deus ipse propter peccata ejusdem gregis voluit praemuniri, ut valerent aliquatenus praemunire. Quid igitur ista significent, videamus, visiones enim prophetias nonnulli priusquam veniant, intelligunt et cognoscunt. Alii vero postquam expletae sunt per sensualem experientiam, quae de talibus praeostensa fuerant, coapprehendunt.

Homo itaque nigerrimus, qui sic ut praescribitur, apparuit seminator omnis mali, qui tenebras inhabitat perpetuas, qui miseros et infelices homines ad opera tenebrarum suis iniquis suggestionibus inducit et ne resipiscant, penitus indurat, auctor mali, origo nequitiae, rerum hostis, corruptor saeculi, hominis assiduus inimicus

diabolus fuit. Ille humano generi laqueos tendit, fovens fodit, aptat ruinas, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat dissipatque inter homines bonum effectum. Ille inquam quanto propinquius finem mundi videt, tanto crudeliores executiones exercet, tanto plus contra fidelium animas fremit, tanto saeviora molimina contra sponsam Christi ecclesiam inducit, ut qui se continuo dampnandum conspicit, socios sibi multiplicet, quibus gehennae ignis adjiciatur. Hic volens maliciam diu tentam evomere acquisitis cooperatoribus et ministris ydoneis scilicet *magnatibus* ypocritis arrogantibus cupidis et tyrannis in unum ut dictum est funiculum colligatis, *universitatem solennissimam Pragensem, quasi tetragonum sine vituperio ex quatuor nationibus compositam, in qua viri valentissimi, grati deo et hominibus, discreti humiles et modesti habebantur, destruxit nequiter ac dissolvit aliamque inibi, quae suam pravam atque letiferam voluntatem perficeret, ex quatuor generationibus,* quae descriptae sunt in proverbiis, *contexuit atque fecit,* prov. 30. Generatio quae patri suo maledicit id est papae et praelatis et quasi matri suae non benedicit id est ecclesiae katholicae. Ecce *prima natio hominum ingratorum.* Ingratitudo inimica animae exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus urens, siccans fontem pietatis rorem misericordiae graciaeque fluentem. Sic dicit B. Bernhardus super cantica homilia in quadam.

Sequitur *alia natio,* generatio quae sibi munda videtur et tamen non *lota a sordibus suis.* Ecce ypocritae qui praedicant praecepta et legem domini, sed contraria in operibus faciunt. De quibus B. Gregorius sic ait: vult ypocrita scire divina eloquia non tamen facere, vult docere, loqui, nec videre, libro moralium 27.

Tertia vero natio est haec generatio, cujus excelsi sunt oculi et palpebra ejus in alta porrecta. Ecce superbi qui de sua praesumebant sententia omnes pene doctores aspernantes, Anglicum vero caudatum Wicleff cunctis praeferentes, ex quo ad tantum sunt elati ut nulli jam obediant potestati. Hujus autem nationis quatuor consiliarii sunt scilicet *amor dominandi, amor propriae laudis, contemptus proximorum, inobedientia praelatorum.*

Natio quarta est tyrannorum, de qua Salomon sic scribit, generatio quae pro dentibus gladios habet in molaribus suis, ut comedat inopes de terra et pauperes ex hominibus. Ista natio nec deo nec sanctis ejus nec monasteriis nec ecclesiis parcit; potest etiam per

hanc generationem quartam non incongrue detractio signari. Ista ergo *universitas diabolica* libros Wicleff et articulos prout supra tetigi per nonnullos Archiepiscopos doctores et magistros, ymo per duo generalia concilia videlicet Romanum et Constantiense condempnatos dogmaticans et praedicans, non dico ydiotas et simplices homines sed bene literatos, barones, nobiles, cives, milites et clientes quinimo regna, terras et provincias adeo seduxit et infecit, ut layci contra clerum et ecclesias plus saevirent quam pagani et fremerent. Vidi vastatas (a bellum) agentibus provincias, non tamen destructas ecclesias nec exustas. Hii vero spoliis ecclesiarum non contenti sed incendio jam consumtas rumpere et in nihilum redigere festinabant, raptos monachos magistros et presbyteros ad statuarum flammas injecerunt; alios membris corporeis orbatos reliquerunt; alios manu feroci mortificatos non morte placati sed quod est crudelius saevientes in mortuos eorum cadavera incinerare studuerunt alias curaverunt. Unde silentio transire non debeo miraculum, quod ostendit omnipotens in corporibus mortuis aliquorum.

Capti fuerunt a Wiclefistis quidam presbyteri, quorum aliquos et *ex nomine* et *ex moribus novi.* Cumque ad aridam spem (sepem) manibus pedibusque vincerentur, hortabantur se mutuo constanter et viriliter pro fide catholica pati. Seps incenditur, stramina cum lignis plurimis adhibentur, accedit et appropinqnat volens consummere flamma. Commendat quivis eorum in manus domini spiritum suum. Sic itaque constanter mortui animas domino tradiderunt. Videntes autem ipsi carnifices Wiclefistae, non eos ab igne quamquam ingens fuisset consumptos, sed tantum spiritum exalasse, furiam et maliciam prosequentes nec parcendum mortuis decernentes, multa plura stramina simul ligna et vasa arida comportaverunt super corpora praedicta; positis et accensis etiam et consumptis corpora praedicta reperta sunt veluti prius, fuerunt non plus laesa.

Saevierunt itaque per *totam bohemiam et moraviam*, viros probos et nobiles spirituales et saeculares trucidantes, non ob aliud in primis, nisi quod amplecti noluerunt perfidiam. Nec sufficiebant eis haec, sed humano sanguine cruentati sacras aedes manu valida et sacrilega invadentes ecclesiastica clenodia calices videlicet et monstrantias *libros* et casulas capuciaque distracta prophanis visibiliter usibus adaptabant. Nam inter eos *rustici* nati, qui vix ante panno griseo tegebantur, *post illud inauditum ecclesiarum spolium jam sericis joppu-*

lis factis ex cappis et casulis utebantur. Et quod stupendum et nefarium est: sacratissimum corporis dominici de servaculis vel pixidibus ejicientes capta pixide vel quod valuit, corpore Christi sic relicto absque timore et reverentia debita ad continuandum coepta sacrilegia celerius procedebant.

Ecce niger, ymo nigrior nigerrimus diabolus, quot quanta et qualia tenebrarum opera per suos cooperatores et discipulos fieri procuravit. Quod autem coronam episcopalem habuit in capite, notat usurpationem potestatis et auctoritatis pontificis, quam temere sibi ipsis attribuunt et arrogant Wiclefistae. Omnes enim venientes ad se ab omnibus indifferenter casibus absolvunt, dicentes neminem debere mitti ad talem auctoritatem, cum ipsi et sacerdotes sibi hoc ex avaricia seu quaestus gratia reservaasent, omnibus inquientes dictum fuisse et esse sacerdotibus et non solis episcopis: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Ob quod illa facilitas veniae multis incentivum praebuit prohdolor delinquendi. Nunquam autem erant homines ad rapinas ad sacrilegia ad homicidia ad depopulationes et incendia, ad tradimenta nec non perjuria et ad alia nefaria sic inclinati prout ipsi Wiclefistae, (postquam) sibi talem auctoritatem perperam et temere contra dispositionem ecclesiasticam et juris ordinem usurpaverunt. Egerunt autem hoc malum versute, venena sub dulci poculo propinantes, tegentes nequitiam propriam quasi palliolo pietatis. Captabant et alliciebant sibi laycos favores qui conatum odium adversus clericos habent, simulantes humilitatem, mentientes honestatem, ostentantes benignitatem verbalem sed non realem, praedicantes in ambonibus caritatem, cunctos honorantes, univerais inclinantes, *vulgaribus* affabilitatem nimiam exhibentes, hortantes et promissionibus jam factis commoventes ut eos in eorum erroribus defensarent. Tales autem coram vulgo fecerunt apparentias velut haec agerent ex praecepto domini etiam fervida caritate, propter quod circulus rubeus in parte infulae bassioris, qui talem fervorem sophisticum denotat, videbatur. Non est autem dubium, angelum Satanae (nonnun)quam in angelum lucis transfigurari, licet enim gravissimis afficiatur tormentis et doloribus non tamen quantum est in eo, a malicia cessat. Ita et haeretici quamvis multa mala patiantur et plures eorum vitam malo fine concluserint, non tamen a suis erroribus et saevitiis resipiscunt, sed mala malis cottidie cumulant, suae perfidiae stimulis agitati, propter quod etiam tiara seu lamma rubea ab illo jam dicto circulo se praetendebat versus infulae sum-

mitatem. *Aestimant namque totam christianitatem convincere et suis eam erroribus subjugare.* Cappam glaucam seu ceruleam babuit, per quam doctrinam haereticam intelligere possumus et non male. Quondam enim convicti haeretici ad gratiam ecclesiasticam recepti cruce glauca vel crocea signabantur. Isterici glauci fiunt in facie et si cito non providetur patienti, cum invaluerit vix curatur. Sic et haeretici si non in principio colliduntur, dum increverint, non sine dispendio sanguinis eliduntur. Ex modica scintilla surgit vix inextinguibilis flamma, propter quod Ovidius dixit: principiis obsta, etc. Ecce Arius in Alexandria modica scintilla fuit, sed, quum non statim oppressus est, totum orbem ejus flamma depopulata est. Sic et alibi venit, *noluerunt qui potuerunt* et ex officio debuerunt scintillam extinguere. Ignem hunc sic inflammatum excepto deo nescio quis extingueret? Haec autem cappa glauca ex multis haeresibus sicut ex *Waldensibus, ex Rimicariis, ex illis de libero spiritu, ex Adamitis,* qui nudi gradiuntur, *ex Luciperianis* et variis aliis texitur, praesertim tamen et maxime per libros Wikleff Anglici reconsuitur et frematur, quos insipientes homines laudipetae fastuosi tumidi, reputari scientifici cupientes, postposita patrum antiquorum tuta et certa scientia contra scripturam dicentem: non transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui (Prov. 22.) heus avide susceperunt. Qua propter delinquentes iter rectum, ambulant per vias tenebrosas et quia caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo misit illis deus operationem erroris, ut credant mendacio et iniquitati. Sic scribit Apost. 2. Thess 2. Sapiens enim mulier i. e. doctrina katholica aedificat domum suam. Insipiens autem, id est haeresis extructam manibus i. e. magnis et gravibus laboribus destruet, quod *in Bohemia et in Moravia* ad literam est impletum. Quid autem per nasum magnum volumus intelligere? Num quid illum de canticis canticorum de quo scribit cap. VII: nasus tuus sicut turris libani quae respicit contra Damascum. Minime; libanus enim dicitur candidatio et significat Christum, qui in se credentes candidatos facit sive in baptismate sive in virtutibus et operibus bonis. In hoc monte scilicet libano posita est ecclesia doctoribus et scripturis munita et hoc contra Damascum, id est contra diabolum humanum sanguine sitientem. Nasus diaboli non respicit contra Damascum, quia satanas satanam non expellit. Luc. XI. Sed nasum ipsius Job explicuit cum dixit: gloria narium ejus terror. Job. 9. Et iterum

per se dominus dicit: de nasibus ejus procedit fumus sicut ollae succeusae atque ferventes. Job 41. Per nasum ergo magnum grandis eorum superbia figurata est.

Nam *destructa* illa venerabili, de qua superius tactum est, *universitate* Pragensi contra superbiam eorum (resistente?) Wiclefitae ad tantam proruperunt superbiam, ut totius christianitatis doctores et magistros, qui non acquiescebant eorum dogmatibus, ydiotas et nihil scientes publice praedicarent, ipsum vero Wicleff caudatum super doctores sanctos et praecipuos extollerent suosque sequaces, fures, homicidas, perjuros, sacrilegos, imbutos omni spurcitia et malitia sapientes et scientificos repraesentarent. Et quomodo adhuc lucifer nulli subesse noluit, sic et isti *ne que papae* tamquam Christi vicario ecclesiae praesidenti, *neque regi* tanquam in terris praecellenti et per consequens nec *deo* regularisissime disponenti et qusnquam ea quae nobis displicent juste et rationabiliter permittenti. Et ut eorum superbia non lateat, opera, quae potentissime fecerunt et faciunt, judicentur. Annon in superbia contra regem erigitur, qui haereditatem ipsius praesumit invadere, qui familiares et servos ejus moliunter destruere vel occidere? Annon superbit contra regem prae superbia, qui purpuram imaginem aut clypeum aut clenodium ejus vel matris vel servorum ejus nobilium maculat et deturpat, procul dubio talia faciens, juste sedi (secundum) leges politicas crimen laesae majestatis velut superbus et protervicns incurrit. Caro namque prout vulgo dicitur sunt omnia cara. Qui ergo regi subesse vult, non solum regem matrem aut fratres ejus sed etiam minimos vernaculos ejus et omnia quae illius sunt, dignificat ac honorat. Videamus haereditatem domini, quomodo jam stat: *ecce monasteria singula quasi per Bohemiam exusta sunt et Moraviam*; *ecce collegia, ecce altaria sunt diruta. Ecce parochiales ecclesiae, ecce structurae spectabiles devotionis primitivae destructae nec non ad solum usque redactae.* Vis videre clenodia Christi, videres ymagines crucifixi maculatas lanistas et destructas nec eas videres communiter juxta stratas. Videres B. virginis Mariae pulchras ymagines *humanis*, quod est turpe dicere, *stercoribus inquinatas.* Videres ministros dei monachos, magistros, presbyteros, clericos multosque civiles utriusque sexus homines, alios mutilatos turpiter, alios occisos crudeliter et alios ferociter concrematos, non tantum finaliter incineratos. Ecce quanta praesumptio, quanta superbia. Bene igitur dictum est: super gloria narium ejus

error et etiam ex dentibus ejus procedit fumus v. 8. Sed nunquam illa superbia (contra) deum poterit perdurare. Quaere psalmistam qui dicit: vidi impium etc. ps. 36. Superbiam sequitur humilitas. Prov. 29. Superbia turrim evertit, linguam confundit, prostravit Goliam, suspendit Amam, interfecit inchavorem (sic), egyptios submersit, peremit Antiochum et Senacherim interemit. Sic dicit Innocentius de vilitate humanae conditionis: sedem enim ducum superborum destruxit dominus, radices gentium sublimium arefecit. Eccl. X.

Auscultate et attendite superbissimi Wiclefistae. Superbia de coelo corruit, de paradiso propulsam habuit, credite nec in Moravia nec in Bohemia valebitis diu stare. Omnis enim mons et collis humiliabitur. Ys. 40: Et quia contra regem regum Christum dominum contraque matrem ejus contra sanctos et ministros eorum in arrogantia surrexistis, prosternemini et destruemini et ad nihilum redigemini cum eis, in quibus totalem vestram fiduciam posuistis. Et quia sicut olfactus fit per organum nasi, recte cupiditas et ingens Wicleffistarum avaritia per nasi magnitudinem etiam designatur. Nam *aliena rapere* non esse peccatum sed meritum non illicitum, ymo licitum esse publice praedicabant. *Praebendas canonicorum*, collegiaturas magistrorum, parochias plebanorum, altaria vicariorum, *domus civium* proborum et *agros rusticorum* (cum) domesticis et suppellectilibus censibus et cum pecuniis occupaverunt, propter quae spolia plurimi cives honesti matronae venerabiles presbyteri monachi mendicare vel eleemosynam petere in extraneis partibus cogebantur; sed non defuit divina ulcio, quia multi Wiclefistarum, qui aliena rapuerant, cito post propria bona, si sic dicere libet ymo corpora perdiderunt. Juste namque perdit propria, qui rapere didicit aliena. De residuis autem quid fieri debeat, scimus quod de male quaesitis non gaudebit tertius haeres.

Porcini vero quid innuant oculi, diutius cogitavi, unde revolventi saepius hoc occurrit. Porcus aut sus non ad coelum oculos erigit, sed eos ponere semper ad terram deflectit. Videmus animalia caetera visum in altum erigere, suem vero non coelestia sed terrestria, non pulchra sed foeda, non deliciosa sed scabrosa potius contemplari. Sic enim commune proverbium dicit: Sus magis in coeno gaudet quam fonte sereno. Permisit dominus Jesus legionem daemonum intrare in porcos, innuens per hoc secundum B. Ambrosium super Lucam: quod siquis (non) porci (modo) vixisset, nunquam accepisset in eo diabolus potestatem; per oculos igitur illos porcinos congrue Wiclefistae nota-

bantur, qui non in coelestibus sed in terrenis potius, non in multitudine et pulchritudine divinorum officiorum sed in aggregatione et multiplicatione maleficiorum et destructione beneficiorum proh dolor delectantur.

Quaecunque pulchra, quaecunque delectabilia, quaecunque devotionem provocativa in ecclesia, in ceremoniis, in apparatibus, in picturis et imaginibus, quae sanctorum patrum institutione ponderosa sunt sancita, singula talia juxta omnem suam possibilitatem cassare destruere et annullare penitus moliuntur. Nam quidam eorum sine casulis et aliis appendentiis, non in ecclesiasticis, non in altaribus sed in tabernis horreis et in silvis et nemoribus missas, si tamen missae dicenda sunt celebrabant. Coelestia etiam cantica: puta introitus, gradualia, caeteraque ad officia pertinentia contempnentes, procaces et sirenicas cantilenas rumorum et homicidiorum provocativas in missis suis virt feminae nec non parvuli *vulgariter* concinebant. Revera statuerunt oculos suos declinare in terram. p. 16. Ecce porcini veraciter oculi, qui plus lutum · ideat turpitudinem, plus illas spurcitias rumorum diligunt, quam delicias beatorum, quae per universalem ecclesiam ubilibet tenebantur. Cum igitur hoc contra consuetudinem et situm ecclesiae faciant, justo dei judicio prout a multis veridicis communiter dicebatur, interfecti Wiclefistae vel submersi non oculis aut facie versus coelum erectis, sed in terram conversis in ventre miserabiliter jacuerunt. Multorum et talium corpora a porcis et a canibus vorabantur. Econtra vero corpora bonorum a Wiclefistis interfectorum nec a canibus nec a porcis laesa velut nix alba seu quasi lota a sordibus ad coelum versa facie jacebant quasi sompno dulcissimo soporata, per quae saepedicti tortores Wiclefistae vehementissime mirabantur. Sic igitur eorum lues et spurcitia per porcinos oculos est descripta. Aures autem apri solertem Wiclefistarum diligentiam ad audiendum et sciendum, quae contra eos ab aliis dicerentur, figurabant. Et ut intelligas, quae dico, parumper ausculta, jam facta conspirationis *liga secularium et spiritualium* hoc est *civilium* et *rusticorum clientum* et *militum* cum illis magistris presbyteris Wiclefistis ut supra dixi. Comportabantur pecuniae societatum, alias *fraternitatum sutorum, sartorum, braxatorum, lanificum, textorum et aliorum mechanicorum, quibus in magna copia congregatis, primo dilectos principis datis muneribus corruperunt; post hoc quosdam presbyteros et clericos inopes promissionibus allexerunt.*

Aliis praebendas canonicales, aliis ecclesias parochiales tribuere pollicentes nuncios et exploratores ad romanam curiam, ad curiam principum per omnes fere provincias et quod est gravius ad procurandum incendia datis largiflue pecuniis transmiserunt. Ex hoc venit ut eis patescerent ea quae vix cum sibilo dicerentur. Tanta fuit inter homines diffidentia ut nec frater de fratre bene praesumeret nec pater de filio nec etiam maritus de uxore. Faetique sunt et in tantum aucti traditores, ut vix esset vel haberetur domicilium, in quo faventes eorum dogmatibus non fuissent. Conducebant precio *laycos* et *mulierculas ut praedicatores* veritatis, dummodo contra eos aliqua dicerent, *suis obruerent clamoribus* et ut sic populum ad rumores et contentiones concitarent. Cum secundum Hugonem in libro dyastolicon primum principium disciplinae humilitas sit. Cujus cum multa documenta sint, haec praecipue necessaria sunt auditori: 1. ut nullam scientiam vilem teneat; 2. ut a nemine discere erubescat; 3. ut docentem non contemnat; 4. ut caritatem cum proximo de auditis conferens non contendat. Nam secundum Isidorum libro 3. de summo bono: sicut instruere solet collatio, ita destruere solet contentio; haec enim relicto sensu veritatis lites generat et pugnando verbis etiam deo blasfemiam facit. Inde haeresis et scisma, a quibus fides subvertitur, veritas corrumpitur, caritas scinditur et evacuatur. Non sic ibant Wiclefistae ad sermones, ut addiscerent et meliores in moribus et animo fierent, sed ibant detrahere, discere more pharisaeorum, ut praedicatorem catholicum caperent, in sermone diligentius audiunt contra se, sunt haeretici quam christiani (sic), propter quod diabolus apparens saepedicto praesuli aures habuisse videbatur, ut illud commune dictum: nos apis auditu praecellit etc. in hoc veraciter impleretur.

Ungues autem accipitris ferocitatem eorum et aviditatem ad rapiendum aliena merito designabant. Scribebant olim in parietibus et cantabant in theatro decalogum in quo ponitur a domino: non concupisces rem proximi tui. Nunc autem tollunt et rapiunt aliena. Verissime dominus de talibus dixit: hic populus labiis me honorat etc. Si concupiscere non licet, dicite quomodo rapere licet. O seductores maledicti, o magistri perversi qui ad talia populum induxistis! O heu tutores et defensores talium, cur unquam hoc facere praesumpsistis! O heu heu, o vae vae omnibus vobis induratis, quos nec pauperum innocentia nec pupillorum infantia nec viduarum penuria nec spiritualium

reverentia movit ad pietatem crudeliores lupis, qui prout in historiis quibusdam legitur, infantes expositos nutrierunt, leonibus servierunt, qui secundum testantem Solinum in libro de mirabilibus mundi clementiae signa plurima (dant), in viros potius quam in feminas saeviunt; infantes non nisi gravi fame pressi perimunt. Jnsuper parcere prostratis scit nobilis ira leonis. Vos vero nihil talium habetis, licet enim jam ecclesias et monasteria vastaveritis, non tamen cessatis alios spoliare. Vae qui praedaris, nonne ipse praedaberis? V. 33. Quot enim bona abstulistis, tot clamores contra (se) vos habetis in futuro. O quot lacrimae civium, quot clamores pauperum, quot gemitus oppressorum seu orphanorum, o quot suspiria monachorum, quot ejulatus presbyterorum, quot querelae flebiles spoliatorum, quot singultus conjugatorum, quot miseriae lugubres viduarum venient de vobis flebiliter querulantes. Audite scripturam dicentem Eccl. XXXI. Sap. XI. Petrus Damiani. Gregorius Pp. XII Moral. Orig. homil. XIX. . .

Radix omnium, quae Wiclefitae faciunt, malorum cupiditas est: haec sacrilegia committit intrepide, furta prosequitur, avide rapinas exercet et praedas, bella gerit et incendia, inique carpit corrumpit et rapit omnia. Instat dolis et vivit ex fraudibus, pactum violat juramentumque dissolvit, testimonia et judicium verum pervertit: haec et alia quam plurima ungues in manibus et pedibus visae bestiae figurabant. Quid autem quod ursina pelle tegebatur, non aliud judico quam iracundiam et crudelitatem permax mam qua suas displicentias ulciscuntur. Dicunt venatores bestiarum silvestrium quod ursus quemlibet ictum vindicare vult et irruit subito in eum qui vulnerarat ipsum. Tales et Wiclefistae sunt quinimo crudeliores. Nam verbum etiam levissimum eis contrarium per aliquem ex nostris prolatum in eorum praesentia durissime vindicabant. Si aliquis ex nostris solummodo Wicleff nominasset vel aliquem Wiclefistam esse diceret, *subito prosiliit in furiam* et si cultro percutere non valuit, lingua tamen aspera facie iracunda rugosa ac pallida dentibusque concrepantibus vulnerabant, delationes et accusationes *in praetoriis* faciebant de probis innocentibusque viris et mulieribus, contra quos Wiclefistae per juramenta sua deponebant dicentes, eos *Regem et Reginam totamque communitatem haereticasse* et quod incredibile videtur, conspiratores illi, qui nec aderant nec audierant quidpiam ab ore delati, perfide tamen ac diabolico spiritu ducti pro parte defendentium ac accusantium coram consulibus *iurabant, se praesentialiter affuisse*, qua

propter plures honesti utriusque sexus homines pessime tractabantur; alii in praetorio arrestati postea depactati (sic), alii circa mediastinum flagellati, alii super mediastinum positi luto stercoribus ladipibusque sunt projecti, alii in membris mutilati, alii capite truncati, alii bonis propriis domibus videlicet et possessionibus sunt ejecti. O miseri praevaricatores non praedicatores, o non philosophi sed falsilogi magistri, qui legem evangelicam tenere vos ipsi dicitis, sed nullam patientiam nullamque mansuetudinem retinetis.

Nonne Salomon dicit: si inimicus tuus esuruerit, cibes illum etc. prov. XXV. Vos autem e contrario non solum adversariis in sententia malefacitis, sed quod est deterius, praesentibus sociis et amicis pejores quo ad hoc volatilibus brutis. Nam ciconiae vicem parentibus et hospitibus apud quos inhabitant, reddunt. Unde Solinus de mirabil. mundi. B. Ambrosius in exaemeron. Math. V. Luc. VI. Qui pocius innocentes affligi percuti vulnerari mortificari crudeliter et impie procuratis, pejores judaeis qui proprias injurias proximis condonabant. Exemplum in David 2, Reg. 16. Filii ecce Israhel contra praeceptum domini non exterminaverunt Geboresum et aliaa gentes quas dixerat illis dominus disperdere, sed pepercerant contra praeceptum domini inimicis. Vos autem nec amicis parcitis nec inimicis, cum tamen deus in evangelio dixit: diligite inimicos etc. Mat. V. Pejores etiam gentilibus, qui eos, qui se non offendunt, non interficiunt, non molestant, ymo legimus de Alexander M. prout et recitat B. Augustinus in 4 libro de civitate dei. Macrobius in libro de somno Scipionis. Pejores estis insuper canibus. Nam si hospes activus seu domesticus quemvis canem percutit et post hoc dolore cessante eum ad se vocaverit, oblitus plagarum currit ad dominum suum seu domesticum non memorans verborum vel plagarum. Vos autem eos qui nec verbo nec facto vos molestarunt nec nocuerunt cuipiam ex vobis, spoliari molestari ymo sicut praedictum est interfici procurastis. O maledicti fraudatores animarum, ubi est sanctitas vestra. Ostentastis vos ipsos quantum ad humanos oculos esse perfectos et sanctos, quasi mulierculas fatuas publice non curastis. Et ubi est compositio morum, quae requiritur ad sanctitatem? Nonne multi gentiles prophani castitatem vitae laudabaliter tenuerunt et tamen salutem consequi sine fide moribusque non meruerunt. Audite quid B. Ambrosius super Lucam lib. 2° dicit: cum deposuero, psalm. 26. Appellamus mansuetos idest pacificos et mites qui alienas iniquitates tolerant nec aliquem

gravare praesumunt, tales haereditabunt terram, non vos ypocritae, qui estis anniductores et instigatores bellorum homicidiorum ignium et rapinarum. Audiant ergo mansueti et laetentur. Ps. 33. prov. 30. ps. 149. ps. 146. Nam et pellis ursina communiter non ad alium usum disponitur nisi ad pedum substratoriam ante lectum. Instrumenta mechanica, quae in corpore prefatae bestiae videbantur: *Mechanicos* alias artifices varios *eidem unitos* et *incorporatos* suosque defendentes articulos juxta species proprias designant. Nam gladiatores, cultellifabros, tritulatores, falcis messores significabant. Iste sunt scuta et squamae bohemot Job. 45 super quo B. Gregorius moral. 33.

Hii namque cum supradictis pariter conglobati facti sunt ad irrogandas injurias validi, ad lacessendum alios importuni, ad subjugandum, ad destruendum libros proni; ad ea quae jure facere debent, ignavi; ad ea quae vero facere nec mente concipere licuit (plus) quam pati (parati). Et quid inquam de talibus? grossi et inflexibiles sunt, nullis flectuntur exhortationibus, nullis mulcentur precibus, nullis etiam quantumlibet miseriis miserentur. Isti sunt filii dura facie et indomabili corde. Ezech. 2. Corde inquam indomabili, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus nec minis cedit, ingratum ad beneficia, infidum ad consilia, serum ad judicia, inverecundum ad turpia, inpavidum ad pericula humana, temerarium ad divina, praeteritorum obliviscens, praesentium negligens, futura non providens, promptum ad turpia et nefaria, sed ad opera bona et laudabilia nimis tardum. Inter quos erant agricolae, sutores, sartores, braxatores, fures, incendiari, raptorês, fornicarii, et breviter dicendo, erant ibi homines de omni malorum genere et cum *mulieribus congregati venientesque ad villas et oppida*, bonos et probos homines, qui sectam eorum nolebant accipere, gravissime devastabant et quamquam feminae tales graviores crudeliora(que) quam viri seu milites faciebant, poterat istud verbum: femina res fragilis res pavida, res puerilis, in hoc commutari veraciter scilicet: femina res flebilis res perfida resque crudelis semper prona rei quae prohibetur ei. Nam veridico pro relatu scio quod quaedam wiclefica femina virilibus armis et vestibus induta more clientis insidens equo manu lanceam gerens quendam strenuum militem invasit, qui reputans virum in se militarem irruere, fortiter eidem se opposuit, quam vulneratam letaliter e sella projecit. Potitus igitur victoria dum miles spolia

capere vellet aut voluisset quam prius clientem aut militarem aestimabat, depositis armis illius et vestibus reperit mulierem. *Rustici* vero et *mechanici* vel *artifices* ad obtinendas munitiones vel civitates etiam fortissimas sic erant fervidi, ut in prima semper acie ponerentur. Quanta autem occisorum hominum hinc inde fuerit multitudo aut quis eorum sit numerus, novit ille qui nihil ignorat cui sunt simpliciter omnia manifesta. A viro tamen audivi nobili, qui quendam Wiclefistarum capitaneum bene sibi faventem petiit ut numerum sibi *de parte sua diceret occisorum.* Qui capitaneus respondit, *quod in anno domini MCCCXXI currente ab eo tempore quo se domino regi praesumpserunt opponere, de parte Wicleff CXX millia corruissent.* Si est verum nescio, attamen dubito hinc inde plura millia cecidisse. Dicite nunc dicite verum, jam decernite clerici presbyteri magistri pestiferi cives nec non ceteri cuncti Wiclefistae, *quis vestrum exsors sit homicidii*? Completam jam ysaias 24 prophetiam cernimus occulate. Et erit sic populus sic sacerdos populi, arreptis armis et offendiculis currit ad stragem et sacerdos accepto corpore dominico praecedit. *Exhortatur et praedicat devastandum, spoliandum, interficiendum rapiendum ac exurendum.* O quot homicidia, quot incendia, quot spolia, quot adulteria, quot sacrilegia quotque mala prob pudor induxistis. Qui absolvet vos? quis dispensabit vobiscum? quis refundet? quis satisfaciet pro vobis quae vos omni (sic) prout est notarium omnia procurastis. Et ut sciatis poenam domini dei pro homicidio inflictam, respicite Cain illum homicidam primum vestrum capitaneum ac praecessorem. Postquam enim occidit fratrem suum Abel, maledixit eum dominus dicens, Gen. 4. *Istae* procul dubio poenae, nisi satisfeceritis, evenient et graviorem timeo prout jam pluribus vestris in hac parte complicibus venit; dixit namque dominus: quicunque. etc. Gen. 18.

Et cum secundum patrum sanctorum dicta non liceat etiam malefactorem interficere, nisi ei qui habet judiciariam potestatem et hoc adhuc suficienti apposita diligentia, quomodo vos viros innocuos monachos presbyteros cives et mulieres aliosque plurimos facto vel verbo idest exhortationibus provocativis interficere praesumpsistis? Forte dicetis: o maledicte! nos hortabamur populum defendere legem dei propter quod non sumus irregulares nec homicidae. Nam et Christus mortuus est et machabaei pro legibus patrum pugnabant prout habetur per ambos libros Machabaeorum, qui etiam plurimos peremerunt. Ad hoc respondeo capiendo sagittam tuam pro mea contra te ipsum defensa:

Christus mortuus est non armis pugnando, non occidit sed vivificando moriebatur et alii sancti pro fide Christi moriebantur quidem sed non mortificabant, sufferebant injurias, non inferebant, molestabantur, non molestabant. Non est haec via domini, mala pro malis reddere, sed contraria prout Apostolus dicit ad Romanos XII et 2 Cor VI. Docuit nos haec dominus Jesus per exemplum cum Petrus amputasset auriculam illius Malchi etc.

Ergo via vestra, quam vos heu miseri practicastis, non est dominica sed diabolica, *non Christiana* sed *tyrannica*. Luc. 22. Et quis vos posuit seu constituit judices in fide tam arida causa; revera vos ipsi judices in causa propria fieri non potestis. Quod ergo de Machabaeis allegatis, non pro vobis, sed contra vos. Nam illi contra gentiles et contra judaeos legum paternarum praevaricatores dimicabant; vos autem contra christianos optimos videlict contra Chartusienses, contra Cistercienses, contra monachos et fratres, *in quibus evidenter viget christianitas, contraque probissimos cives ac fidelissimos incolas regni, dimissis ac intactis judaeis et haereticis Waldensibus Taboriticis* et *Adamitis* crudeliter desaevistis. Jnsuper in ligam et conspirationem vestram *praedones latrones fures* et *homicidas* nec non omnes publicanos et maleficos collegistis. Nec vos revelat illud palliolum de sumptione sacramenti dominici *sub utraque specie,* per quod *begutas* et *beghardos* nec non rudes et simplices homines ypocritae seducistis dicentes, praeceptum domini est Jo. VI dicentis, nisi manducaveritis etc. Necille clypeus, *quo populum mechanicum* ad invadendum aliena bona perperam excitastis, proteget vos, videlicet pro justitia agonizare pro anima tua et usque ad mortem. Certa pro justitia et deus expugnabit pro te inimicos tuos. Eccl. 4. Praedicastis et clamastis: ecce haec est justitia dei nisi manducaveritis etc. Quilibet eam tenetur armis et manibus defensare prout hoc ecclesiasticus facere consuluit et mandavit. Non sic o crudeles homines non sic; audite Paulum apostolum dicentem: litera occidit. II. Cor 3. Nam secundum B. Hilarium libro 3 de trinitate haeresis de intelligentia non de scriptura est; sensus et non sermo fit crimen. Illa ergo litera Salvatoris, nisi manducaveritis, si non eam solus explanasset salvator, adhuc intelligi deberet sic prout ecclesia catholica receperit atque tenet: *nam omnis scriptura sacra in tantum est authentica, in quantum eam ecclesia catholica acceptavit* teste B. Augustino qui dicit, ego evangelio non crederem nisi me auctoritas ecclesiae commoveret, in

libro contra Faustum. Sed quia scripturam illam nutantibus apostolis et duram esse dicentibus solus D. N. J. Chr. explanavit et exposuit quodammodo, redarguens eos de intelligentia literali atque dicens: num quid et vos etc. Job. VI. Recepta igitur pro literali intelligentia certare aut agonizare non est pro justitia certare sed pro determinatione catholica et intelligentia, quam approbavit ecclesia, certare est veraciter pro justitia agonizare. Qua propter vos miseri *literales et non intellectuales* magistri et presbyteri *taliter praedicantes mechanicos* pauperes plurimos seduxistis. Quod autem *non oporteat* illum textum nisi manducaveritis *teneri ad literam* praeter alia sic probatur. Nam gloriosa virgo Maria B. Petrus et alii discipuli antequam Christus illa verba protulerat, *dixit*(dixerunt) ad Jesum: beatus venter qui te portavit. Quod et propter se salvator corroborans dixit: quin imo Luc. 81. Etiam ipse salvator dixit Petrum esse beatum, dicens Mat. XVI. Idem beatificat apostolos dicens, Luc. X. Ecce isti omnes erant beati et per consequens habebant vitam in semetipsis et tamen non manducaverant adhuc ejus carnem nec biberant ejus sanguinem ad literam, cum hoc sacramentum nondum fuerit institutum. Etiam post institutionem ille beatus latro per confessionem innocentiae Christi et per recognitionem divinitatis ejus et per fidelem orationem sine literali sumptione sacramenti obtinuit paradisum. Et quidem alii post illum tempore primitivo. Quid igitur illis impiis et miseris rusticis et mechanicis dicam qui tanti christiani sanguinis ut praedictum est, obnoxii sunt, si non penituerint, illam vindictam perpetui ignis et nivis quae ponitur Eccl. VII., consequentur. Magistris autem praedicantibus dico quod idem scriptum est: seminastis mala in sulcis injusticiae, metetis ea in sextuplum sine fine.

De pharetra vero magna, quam non in cingulo communi sagittariorum consuetudine sed in dextra scapula seu brachio deferebat, quid significet, videamus. Scapulae protectionem innunt, unde psalmista: scapulis suis inquit obumbrabit tibi altissimus si habitaveris in adjutorio suo. Non te fervor libidinis uret, non te furor iracundiae vincet, non te jaculum cupidinis, tanquam quasi scapulis suis, inquit, obumbrabit tibi deus. Aliter autem diabolus hiis qui voluntatem ejus faciunt, obumbrat. Nam veritatem obnubilat, falsitatem blande propinat, pietatem abjicit, inducit feracitatem, adimit pravitatem et injicit foeditatem, destruit utilitatem et procurat calamitatem. Retrahens enim a bonis et mala suggerens obumbrat mentes eorum, ne faciant opera lucis sed tenebrarum. Pharetra

igitur grandis in hrachiis *fortitudinem tyrannicam* notat, non tamen mediocrium sed *magnatorum* atque potentium, qui contra potestatem ecclesiasticam et jurisdictionem saeviunt gravius ut frequenter (videmus?) Non est enim verisimile, quod *civiles homines aut rustici aut mechanici potestatibus sublimioribus tam spiritualibus quam temporalibus restitissent, si non secum quorundam nobilium conspiratam potentiam habuissent.* Quis unquam cogitasset, quod homines, in quihus christiana religio *paene prae ceteris viguit,* in quibus fides et fidelitas virtus et omnis honestas cuhile suum locaverant, ad tantum honorem (honorum) vilipendium se deflecterent, ut et ea, quae dei sunt, contempnerent nec non destruerent et ea, quae sunt Caesaris, non solum non redderent, sed ei totis virihus rehellarent? cum dominus in evangelio dicat: reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et Paulus Apostolus ad Romanos XIII: omnis anima etc. Et Deus pater Pilato super J. Christum judicandi contulit potestatem ipso testante atque dicente: non haberes in me potestatem. Joh. XIX. Quid movit eos ad resistendum principi et ad demoliendum sancta? Non reor aliud quam *pharetra magnatorum* suh quorum umbraculo sua prava defideria perficere conahantur. Sed nescierunt neque intellexerunt: in tenebris heu ambulant et moventur jam fundamenta terrae. Hoc erit latihulum, haec iniqua cogitatio, hoc doli machinamentum in pharetra magnatorum. Ecce *jam cives praecellunt nos in operibus; clerus dilatatus est in possessionibus, Rex habundat in thesauris et regionibus.* Sagaci consilio providendum est, *ut cives contra regem,* si sectam eorum amplecti noluerit, *moveantur. Quo facto quorsum res divertit, ditabimur et bona temporalia sive clericorum sive civium inter nos ipsos gratuito dividemus!* Nam si dominus Rex civibus consenserit et eorum dogmatihus adhaeserit, certum est, secundum civium voluntatem non debere clericorum (clericos) hona temporalia possidere, *nobis infallibiliter donabuntur.* Quod si rex eis *non* acquieverit, movebuntur arma, surgent hinc inde hella, venient non parva sed copiosa stipendia et *sic clientes et milites utique ditabuntur. Quidquid autem bonorum temporalium nostris munitionibus et castris adjacet, hoc nostrae dicioni perpetuae subjacebit.* Hoc erat ahsconsum latihulum in quorundam, non tamen omnium, pharetra magnatorum. Bene scriptum est, radix omnium malorum est cupiditas. Quam quidam appetentes erraverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis I. Tim. VI. Nam cupiditas est transgressionis mater, nocendi magistra, primipilaria totius iniquitatis,

auriga maliciae, siccaria virtutum, origo seditionum nec non fovea scandalorum. O detestabitis ambitio, o execrabilis intentio, o inexpiabilia executio magnatorum, *quia bona propria gulose pompose luxuriose prodigaliter miserabiliter dispenderant, per rapinam volunt denuo sublevari.* O ambitio quam caeca semper! o praesumptio temeraria! o desiderium iniquum et perversum, o infanda rabies iniquorum, o luporum edax affectus! o saevior quam bestiarum aspectus, sed non vere durabilis profectus. Non audistis quondam praedicatum: vae qui praedaris. Ys. 33. Non audistis, non vidistis illud commune dictum de male quaesitis, *non gaudebit tertius haeres.* Quid ad hoc evangelium dicit: eadem mensura perdetis concessa, qua rapitis inconcessa. O heu heu, vos miseri perpendere debuistis saltem retributionem justi judicis in futuro. Nam si mittitur in ignem, qui rem propriam pauperi non dedit, ubi putabitis vos mitti, qui rapitis aliena. Si sterilitas in ignem mittitur, o heu rapacitas quid meretur? Sicut inquit B. Gregorius in omilia de divite epulone, finaliter ideo dico: O vos magnati praebete aures et auscultate. Non potestis juste quomodolibet possidere. Non enim ad januam coelestem introibis, donec minimum reddideris quadrantem. In illa vero pharetra sagittae sunt hae: accelera, spolia, detrahe, praedare, incende, combure, nulli parcas, nulli miserearis, nec viduae nec pup illo. O magnati insensati. O milites pompetes (pompati), o clientes inspicientes (insipientes), non quae honnrem intelligentes sed quae sunt dedecoris exsequentes, nomen etenim bonum quod secundum Salomonem melius est quam divitiae multa prov. XXII. proh dolor abjecistis, gloriam in ignominiam famam bonam et optimam in infamiam perpetuam commutastis. Docuit quidam sapiens filium, dicens curam habe. Eccl. XLI. Vos autem propter aliena rapere, bonum nomen et honorem vestrum ita levipenditis, quasi lutum, pro quo patres vestri terras longinquas non parcendo sumptibus cum vitae suspendio perlustrabant. Generosi nobilissimique parentes et praedecessores vestri regibus et principibus obsequentibus honoribus eximiis largifluisque muneribus dotabantur. Insuper propter ipsorum constantiam ac nobilem magnificentiam filiabus principum matrimonialiter jungebantur. Vos autem honore postposito favoreque principum spreto et, quod omnia superat, dei timore penitus calcato, *civibus malae fidei atque ruricolis vilibus ad praedam seu persecutionem ecclesiae vos ipsos turpiter copulastis.* O turpis et magna caecatio! o foeda et fatua ligatio. O detestabile scandalum. O vix recuperabile malum contra fidem catholicam et

ritum christianum, contra honorem proprium et divinum in *unam diabolicam fraternitatem nobiles milites et clientes cum civibus perfidis et rusticis conspirare.* Haec est ferri lutique commixtio, quam Nabuchodonosor diu vidit, quam vir desideriorum Daniel reservavit dicens. Dan 20. Tu rex etc. Et quamvis illa visio per ipsum Danielem exposita sit de regnorum successione, nihilominus nostro proposito poterit aliquatenus adaptari. Nam secundum Apostolum quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Ro. XV. Haec statua habuit caput aureum. Erant enim primi nobiles et milites regni de omni (sic) fervida caritate diligentes, ecclesias et monasteria fundantes et dotantes. Pectus et brachia, quae fuerunt argentea, fuerunt successores eorum in aspectu caritatis aliquantulum remissi, non tamen aliena rapientes, sed propter deum propria pauperibus presbyteris et monachis largientes ac bona ecclesiastica fortiter defensantes. Venter autem et femora ex aere significant successores horum gulosos et luxuriosos; nec illi clerum vel ecclesias spoliaverant, sed vitam duntaxat in voluptatibus deduxerunt. Ecce venter et femora ex aere. Tibiae vero ferreae sunt vel fuerunt illi qui nec declinabant nec conferebant nec aliqua pietate ad ecclesiam seu personas ecclesiasticas movebantur, sed cervice dura sanctionibus et consuetudinibus ecclesiae resistebant et ubi commodose poterant spiritualia spoliabant. Pedum autem quaedam pars ferrea, (pars) fictilis, est *moderna* sed (sive) praesens *legatio magnatorum clientum et militum cum civibus et rusticanis hominibus colligatio monstruosa.* Non enim ferrum cum luto adinvicem masserantur sed quantocius separantur. Lapis ille Christus J. D. N. abscissus de monte sine manibus conceptus de spiritu sancto et natus ex Maria semper virgine percutiet statuam illam in pedibus ferreis et fictilibus i. e. *destruet illam fraternitatem diabolicam* et comminuet illos pedes sic compositos et convulsos. Comminuet illos ut pulverem ante faciem venti. Psalm. 17. Et tunc conterentur pariter ferrum et testa, argentum et aurum, quam dicit: si etenim boni qui per aurum et argentum figurantur mortui sunt quanto magis mali sicut gloriosi et . . . (deest aliquid) qui per aes et ferrum et per testam denotantur vel sic et tunc conterentur pariter ferrum testa et aes i. e. milites et rustici et argentum et aurum tollunt alii, quod ipsi per rapinam et spolium collegerunt. Venient utique super generationem illam pessimam, quia spes impiorum peribit et nec pax erit impiis, dicit dominus deus, quoniam qui malignantur, exterminabuntur. Ps. 36.

Qua propter piissime domine J. Chr. refugium unicum omnium fidelium tuorum libera nos a laqueo venantium a sagittis istorum hominumimpiorum quae vere (sic) quia volant in die, contere pharetram, collide sagittas, destrue machinamenta rusticorum ut *populus in te confidens et pro fide tua sancta exilium patiens* de tuae virtutis adhuc potentia glorietur. Qui cum Deo patre et spiritu cujus et regnas deus in saecula saeculorum Amen.

Sed nec hoc silentio debeo supprimere, quod de pharetra jam dicta non in cingulo juxta communem sagittantium usum sed in brachio videbatur. Cingulus enim stringit vestimenta, quapropter restrictionem vel cobibitionem (significat), ubi primo notandum, non enim habere cingulum haec bestia visa fuit, sed in brachio prout dicitur pharetram detulit, per quod libertas malefaciendi cui placuerat designatur. Quotquot enim qualescunque haeretici ad illos confluebant, quos ipsi gratissime velut probos homines capiebant, *quanto vero quis erat sceleratior, tanto major et gratior habebatur.* Non erant furcae non erant (seu) patibula, non maleficum quemquam digna poena vel ulcio sequebatur, nec fures nec sacrilegi aut spoliatores tunc plectebantur. Nam simile alludebat. *Libertas erat omnimoda quidquid mali voluerit faciendi*, nisi quis eorum temeritatem et malitiam redargueret, aut eorum sectam et mores contempserit, aut quae pacis vel justitiae sunt, consuleret et ipsi perciperent vel ad eorum notitiam deveniret quicunque fuisset cujuscunque status vel conditionis *mortis sententiam non evasit*. Ex hoc venit ut nullus ea quae justitiae vel pacis essent, auderet consulere, sed ea duntaxat quae pro fovendis et continuandis latrociniis spoliis et invasionibus et proborum hominum molestationibus valuissent. *Tali igitur libertate* habita nobile regnum *bohemiae* cum suis pertinentiis destruere notaque indelebili turpiter polluere, ecclesias et monasteria exuere, civitates et villas destruere, homines interficere, sanguinem innocentem effundere nec aetati nec statui nec sexui parcere, sed solum spoliare et aliena rapere, deum inhonorare, imaginem Christi et Mariae matris ejus semper virginis humanis stercoribus maculare, sanctos et sanctas vilipendere, gentiles et judaeos contra fidem katholicam animare, sacerdotes, magistros, monachos, venerabiles ymo strenuos clientes et milites mutilatos crudeliter interficere, nec ita satiari malitia, sed post comburere, moniales prostituere, sacra vasa cruentis manibus contingere, deo dicatas vestes cum risu polluere ac in usus prophanos convertere, sacer-

dotum, plebanorum, monachorum, monialium, canonicorum et clericorum bona distrahere, plebanos et veros pastores a propriis repellere, vagos autem et haereticos ac prophanos nescio si presbyteros in eorum loca colligere, statuere ac fovere. Et ut finem faciam, omnia diabolica opera, si dicere phas est promptissime perpetrare, sanctum bonum atque licitum reputabant, sed quos ecclesiarum et clericorum spolia bonos exitus habeant, quae(ve) utilitatem occupantibus ea conferant, praeter miseram stragem plurimorum aliter etiam divinae miserationis hoc in iudicium patefecit (sic). Nam fere cunctis regnicolis notum est, qnosdam magnae reputationis homines, qui bona ecclesiastica receperunt, propria multo meliora turpiter perdidisse; nec est necesse plus dicere, cum hoc sit omnibus manifestum. Et quid de cottidianis periculis et dampnis talium dicam? Nullus eorum est qui non timeat cottidie perdere quae possidet cuncta aut per manum validam iniquorum aut per proditionem familiarium etiam propriorum? Quantas expensas et raysas inutiles faciant, quanta dampna percipiant, quot afficiantur taediis, quot excrucientur molestiis; quis est, qui singula determinate valeat explicare; ille qui quondam pro tuendo suo fortalitio sex vel octo contentabatur vernaculis paucis vel nullis eisdem dictis (datis?) stipendiis, cogitur duplatos aut fortasse triplatos sub gravibus stipendiis pabulare. Alius qui nec extraneos pertimuit, cogitur jam amicos et proprios domesticos, ne tradant aut noceant, formidare. Erant et adhuc sunt evangelici fratres duo videlicet: date et dabitur vobis, quousque milites et clientes nec non barones dabant deo et habundabant. Postquam autem inceperunt quae Deo dicata sunt rapere, cito post in bonis temporalibus defecerunt secundum quod scriptum est proverbior. XI. Alii dividunt propria et semper ditiores fiunt; alii rapiunt non sua et semper in egestate sunt, quod scriptum est, prov. XI. Alii dividunt propria et semper ditiores fiunt. Alii rapiunt non sua et semper in egestate sunt. Justus est dominus et justitias ejus dilexit. Sicut nullum bonum irremuneratum, sic etiam nullum malum permittet vel etiam patitur impunitum. Haec etiam bestia claves de manibus veri papae, prout vidit episcopus, eripere nitebatur. Nam sacerdotes et magistri tantam talemque habentes assistentiam, totam jurisdictionem et auctoritatem apostolici praelatorumqne tam spiritualem quam et temporalem cassare, annullare nec non penitus destruere conabantur. Sed portae inferi non praevalebunt adversus eam. Mat. XVI. Tunc enim secundum Gregorium in moralibus sancta ecclesia valentius reficitur,

cum ardentius pro veritate fatigatur. Novit enim secundum Cassiodorum sup. ps. XII ecclesia de beneficio domini de suis cladibus triumphare, siquidem ingravata persecutionibus semper proficit, augetur afflictionibus, sanguine martyrum rigatur et tristitia magis erigitur, angustia dilatatur, fletibus pascitur, jejuniis reficitur, et inde potius crescit, unde mundus deficit, haec ille. Quemadmodum archa Noae inundantibus aquis et fluctibus non fuit mersa, sic nec ecclesia quantascunque persecutiones patitur (vel) procellas, utique persistit. Arcturus etiam inter stellas apparationis non est aeternae, quia non occidet ecclesia, quantiscunque motionibus crudelium agitetur. Unde B. Gregorius X° mor. super illo verbo Johannis 9°. Quid facit arcturum, arcturus inquit semper versatur et nunquam mergitur. Sic et ecclesia persecutionem tolerat, sed sine defectu perdurat. Proprium enim est ecclesiae prout supra tetigi, quanto plus opprimitur, tanto plus crescit, proficit et augetur.

Ex his omnibus, o lectores et auditores, colligite et judicate, si Deus juvat eos puta Wiclefistas; probate spiritus, si ex Deo sunt et non potestis melius cognoscere seu judicare nisi per documentum infallibile Salvatoris. A fructibus inquit eorum cognoscetis eos. Si bona sunt homicidia spolia incendia furta etc. quae faciunt: utique dicetis quod non sunt bona. Quomodo ergo Deus qui summe bonus est, erit auctor et adjutor malorum? Concluditur ergo, quod illa secta non venit a Deo tanquam ab auctore, sed a diabolo taliter ut praescriptum est, illi Pragensi Archiepiscopo demonstrata. Et quidem Jesus Christus D. N. qui est veritas et vita haec ipsa quae praemissa (sunt), quasi permittere videbatur et revera juste. Justum enim est et rectum judicium ejus, mandavit justitiam et testimonia sua custodire nimis. Nos autem heu declinamus a mandatis ejus. Ipse est via per quam non ambulamus. Ipse est veritas quam non tenuimus. Ipse est vita quam proh dolor sprevimus et ad mortis autorem per opera mala declinavimus et ei potius obsecuti fuimus quam bonorum omnium largitori.

O Domine J. Chr. misericors *juste et misericorditer punis*, quia non ivimus per viam tuam. Omnes viae tuae veritas. Non stetimus in veritate nec quo ad te, nec quo ad proximum nec quo ad nos ipsos sed inique egimus in testamento tuo.

Iniquitatem locuti sumus et non veritatem cum proximis nec grati (gratis?) fecimus de bonis quae nobis praestiteras habundanter. *Aver-*

timus nos a vera vita et ad vitam nos convertimus bestialem. Alius ad *voluptates venereas, alius ad vestes pompaticas, alius quaerebat honores, alius petebat favores, alius multitudinem praebendarum, alius sollicitudinem divitiarum, alius domorum aedificia sumptuosa, alius ortorum spectacula deliciosa, alius pingebat palatia, alius parabat convivia, alius lusor et aleator, alius et (erat) negociator, alius vix ibat ad ecclesiam, alius vix vel raro exibat tabernam, quidam pecunias imbursare, sed nunquam vel raro missare voluit.* Quid inquam. omnes declinavimus, simul inutiles facti sumus, a planta pedis adusque verticem non est sanitas proh dolor in nobis. *Ecce in clericis quasi nulla penitus disciplina; ecce in curiis pontificum publica simonia; ecce in statu monachico si fas dicere cupiditas infinita.* Et ut finem faciam, *non erat vitium in laycis, quod non prius et heu notabilius clerici practicassent.* Non aliud ergo (est) dicere nisi hoc, quod ecclesia sancta legit atque canit: *omnia quae fecisti nobis domine, in vero judicio feristi,* quia peccavimus tibi et mandatis tuis non obedivimus. Sed fac nobiscum secundum multitudinem misericordiarum tuarum. Destrue quaesumus hanc sectam perfidam et crudelem, ne pereant animae, quas praetioso sanguine tuo redempti (redemisti [1]).

O piissima virgo, o dilectissima genitrix, o promptissima consolatrix miserorum Maria, tu jam resides in viridario coeli cum unico et dilectissimo tuo filio omni pulchritudine gaudiorum ac suavitate referto: dignare quaeso intervenire pro nobis. Tu namque caput serpentis contrivisti, tu genimina viperarum comminuisti, tu sola cunctas haereses interemisti in universo mundo. Hanc etiam tibi contrariam interime Wicleficam sectam, ne moesti deficiant, ne debiles vacillent, ne fideles trepident, ne diffidant exules et ne perfidi de sua malitia glorientur. Amen. O virgo maria intercede pro nobis omnibus. Amen.

---

[1]) Cupiditas sacerdotam pompa et superbia quam habent et faciunt de potestatibus suis et dignitatibus destruunt non solum virtutem sacerdotii in se ipsis sed ultra hoc pravacant dominum ad sustinendum vindictam gravem super dominos et communes.
Verba Wilhelmi Thorph ad Archiepiscopum Cantuariensem. 1407.
Cod. Bibl. Capit. Metr. Prag. XXIX. Fol. 200. b.

Nonne omnibus notum est, quod deus propter peccata clericorum majorum et minorum hoc scismaticum scandalum oriri permisit.
Henricus de Hassia de scismate 1405.
Cod. lat. Monac. 5361. p. 95.

XX.

Thomas Prischuch von Augsburg Ticht von Kostenz.

Cod. Bibl. Monac. n. 594. f. 84—107.

Das ticht von Costentz ist genent
Des heyligen Concilis fundament
Wer des tichts namen geren west
Es hayst des Coucilis gruntfest.

An anfang mittel vnd an endt
Bistu got her dein genad mir gesendt!
Gib mir vernuft, hilf, radt vnd ler,
Des ich von deinen genaden beger!
Sendt mir des hayligen gaystes feur
Vnd deiner werden můter steur,
Daz ich meines tichtes anfang,
Pring zu ainem guten ausgang!
Verleich mir sinn, weyshayt vnd kunst:
Des han ich lang zeyt gewunst
Vnd lust mich von meins herzen grunt,
Daz ich von gros kunig Sigmund,
Dem lobwirdigen fursten schon
Ticht von conciii synodon
Daz aller pest ich kan vnd mag
Vnd von dem römischen kunig sag
Dye hochsten wirdichayt vnd er,
Von der ich hört sagen mêr,
Dye got ye fürsten gab ain zeyt
Da so vil lobs gelücks säld an leit
Ich ward fast ymaginieren
Vnd gedacht ich solt studieren,
Ob ich etbas goschriben fund,
Daz mir darzuo wol gedienen kundt,
Daz mir gåb ein weysung pass,
Do ich also studiert und las,
Da fügt es sich von geschicht,
Daz ainer nach mir fragt und spricht:
Wo ist mein frewnt Thoman prischuc
Von Augspurg, dem ich flek schůch,
Wann mir ist vil von im gesayt
Daz er gar geren einen hiet

Der das concil im ausricht
Daz er davon macht ein getiht
Ich wardt gar ich in enphfieng
Vnd padt in, daz er mit mir gieng
Daz er mich pass informieret
Wy daz conceily war geziert
Do fragt ich in vor an der mår?
Von wannen oder wer er wår
Er sprach von Constentz ich her reitt
Ich sag dir pald nit lang mir peitt
Ich pin ein söleher mayster gelart
In aller kunst waz dein herz begert,
Daz vinstu grüntlich als pey mir
Wes dein herz lust sag ich dir
Wann mir ist aigenleich kunt
Umb das concili ein ganzer grunt
Darumb frag mich wasz du wild?
Mit antwurt ich dir daz vergilt.
Ich fragt, wie man ze Costenz lebt
Wie sichs conceili het erhebt.
Er sprach: der kunig ist hauptman
Vnd hat daz concilis gefangen an
Mit grosser swårer arbayt
Durch notdurfft der kristenhayt;
Daz beweist er manigfaltig.
Er war wol reich vnd gewaltig
Daz muss ich wol in warhayt iechen
Ob er romisch reich nie hiet gesechen
So biet er landt vnd kunigreich vil
Dye ich euch erzelen wil
Kaysser Karls sun ausserkoren
Im reich ze Bechöm ist er geporen
In Vngern gewaltig kunig vnd herr
Ze Siben pürgen daz ist verr
In Zeuggen landt in pilgerein
Da ist er mechtig herr und frey
Er tråt auch kron in Seraphey (Serbien)
In Wossen (Bosnien) vnd in Balachi (Walachey)
Zus Talmatzy tråt er auch ein kron
Da sizt er kuniglich auff seinen thron
In Crawatzyen in seinen reich
Hat er küniga kron wirdicleich

Daz habent sein veindt aim tayl verderbt
Daz Behemisch reich hat er geerbt
Et cetera auch vil Furstentöm
Daz ich von der vorredt kum
Dunkt yemant hye auff erden weyt
Der so vil künigkreich vnd herschaft hab
Als Got dem edelen Fürsten gab
Dem romische kron pass auff stand
Der so vil kunigreich hab vnd landt
Mit romischem reich er herzogt
Des ist er gewaltiger künig vnd vogt
Darzů erwelt von Got mit recht
Mit veraintem willen ganz vnd schlecht
All churfürsten waren dapey
Götlich an all simoney
Wo ward ye furst dem fursten geleich
Wo ward ye kunig so erenreich
Der so vil müe vnd arbeitt tett
Vnd leib und gůt so gar dar legt,
Als der hochgeporen furst durchleicht.
Der maister sprach: wie mich daz deucht,
Daz er allain der loh fürst ist,
Da daz concili auff die frist
Ze weg mit fleiss hat erdacht
Vnd mit Gots hilff zesamen pracht
Nu sag mir maister wie es gieng
Do daz concili sich anfieng?
Er sprach: ich sag dir, daz ist war
Da man zalt vierzehen hundert iar
Vnd vierzehen jar mer ich sag
An aller gottes heiligen tag
Da hub an daz concili sich
Oh Got wil haylig vnd säligklich.
Der maister sprach; nu merk mich eben
Ich wil die red recht schier an heben:
Dich vom concili vnderweisen
Du solt auch sagen nun zu preisen
Den weysen vnd den toren nit
Daz narren dein nit schimphen mit!
Waz ich dir sag solt schreiben an
Dem chunig ich glük vnd sälden gan
Sich hat die red also gelückt,

Das got künig Sigmundt hat erkuckt
Alz ich Got traw vnd geporen worden
Daz er mach ainichkayt auff orden
Ich hoff zu Got die gnad vnd er
Sey im beschaffen von Got her
Dem fürst vnd über wunden geben
Von allen fürsten die da leben,
Daz eisma hat vast vnde danckt (sunder dank)
Gebort laydor vil zo lanck (XL jar nun)
Daz sol ain gotwil haben endt
Ich hoff kein irrung daz erbontt
Nu sag mir maister, wie es gat,
Ze Constentz in dem heilgen rat:
Wer bei dem ersten kom dahin
Darnach sbet mir mein herz vnd sin
Du merkst wol von künig Sigmund das
Daz er der sach ein anfacher waz
Darnach kom Johannes der bapst
Mit grossem volk, daz du mir gelaubst
Der hat vnrecht too gar grossleich,
Daz er vom concili pössleich
Vom kunig von Costenz haimlich floch
Daz schatt ymmer vnd auch noch;
An eren ist er condempniert,
Das er also apostetiert,
Doch wards io geweissagt ich vernim
Von Calabria apt Pacha Panchim (Gioacchimo)
Daz ez im solt also ergan,
Vand ich gemeldt vnd geschriben stan
Im puch da ich droissig püpst inn vind
Dye kunftig vnd vergangen sind.
Ao der es keinem nie hat gefelt
Vmb apex geschrifft vnd gemaldt
Dar chomen auch vil cardinal
Ertzbischoff vnd bischoff ao zal
Der patriarch von Antioch
Gaistlich zum concili zoch
Constantinopel patriarch
Kom auch mit seiner weishayt sarch
Patriarch zu Aglaw vnd Frigaul
Kom zu babat Martein von der Saul (Coloona)
Dar komen die gelortesten weisten leut

Von allen orden ich bedeut
Vil ambasiatores vnd legaten
Die all gen Costenz sich freuten
Gfürst äpt, gfürst pröhpst eintraten
Schlecht äpt pröhst vnd prelaten
Daz lass dir gleich wol gefallen;
Von den höchsten schûlen allen
Die grösten maister auff die zeit
Gen Costenz komen nachen vnd weit;
Besunder schon von ieder schul
Sizt iedes collegium auff seinen stûl
Da ez durch recht hin sitzen sol.
Ist alz geordent weisslich wol.
Ze Costenz vom concili schon
Von den fünff herlich nacion
Die ich nit gar wol loben kan:
Aller erst hebt sich mein ticht an.

Die turlicht schûl von Parciz
Komen köstlich fürstlich vnd mit fleiss
Mit hochgelopten maister weiss
All hochschul habent gross lob vnd preiss.
Poloni daz wonsslich studium
Mit grossen werden maister kom;
Dye hochwirdig schûl von Lunden
Ist herrlich im concili funden;
Mit vil gewerter maister lere
Dye tieffen weissen kunst ere
In Hyspania man vast studiert
Da ist ein gross wirdig schul geziert
In allen kunsten anfanck
Die stat der schûl haist Salemank
Hat auch ir lob maister gesendt
Wissent der geschrifft fundament.
Daz sint die vier schûl principales
In aller cristenhayt non sunt tales.
Wo römischen hoff ein bapst halt
Da ist ein hochi schûl gezalt.
Athenis ein schûl wol gelert,
Da sant Paul Dionysium bekert
Dye herlich schûl von mampeliar (Montpellier)
Die sant gen Costentz pald vnd schier

Ain preisslich schûl von avion (Avignon)
Wolt weisslich im concili aton
Ain glücklich schûl ist ze Tolos (Toulouse)
List man gramatica die ros
Dye eusserwelt schûl von Orlentz (Orleans)
Ich main dass kunst ds schein vnd glentz
Ain nüzlich schul ist zû Tölät (Toledo)
Da man list leges vnd verstet
Dye löblich schul Annesy schreib
Da sy nit vnderwegen pleib
Ds mans concili celebriert
Ain kostlich schul gar wol geformirt
Ist ze Valerna (Valencia) in der stat
Der maister mich die sezen padt.
Ain fruchtpar schût sag ich dir zwar
Ist ze Larda daz ist war,
In katholoni die stet leitt
Ds man grosa kunst ze lernen geit.
Dye wirdig schûl von Padow wass
Ze Costentz chomen mit ze lass.
Dy kunstreich schul von Ochssenfurt,
Da von man klug weiss maister spurt.
Von Wienn die fürstlich schûl genant
Gar furstlich maister die schûl sandt
Gross wirdicleich gen Costenz dar
Hoch weisshait kunst habent all schûl gar
Köln ein durchgruntlichti schûl gezelt,
Sant trostlich meister ausserwelt,
Der weissheyt schul gar vein und clûg
Cham mit hohen ersamen meister genûg
Das collegium von Haydelbergk
Kan boflich-kunst witz vnd werk.
Ain hochgelopte schul erlich
Von Erdtfurt kom loblich herlich;
Dye schul hat zemen pracht ir kunst
Vnd ist ir aller will vnd gunst
Wye man dye cristenhayt providier
Mit einem frummen bapst florier
Hab ze Costencz darnach frag
Ain kuniglich schul auss ze Prag
Dye hat der Huss han ich gehört,
O layder ganez und gar zerstört!

Dye schûl hat man gen Leypz geleyt
Als mir ein weyse potschafft seyt,
Der ern ein schûl so hayst sie wol
Da mans Leipsz furpass loben sol.
Hat das concili auch haim gesûcht
Dar vmb so ist der Huss verflûcht
Daz er dyo schûl ze Prag verbûst
Vmb kezeroy er sterben mûst.
Vss allen den schûlen dio weyssen vesten
Dye gelertesten maister brisen pesten(?)
Endlich erlich vnd behenden
Wolt yede schûl dem concili senden.
Ich fragt, maister wer chom mer
Gen Costenz zu der höchsten er?
Er sprach, wol gefelt dein fragen mir
Mich lust daz ich sage dir
Von allen orden vnd ir regel
Habent kert ir gefert vnd segel
Gen Costenz hin; han ich vernumen
Vnd ist ir gar vil dar kummen
Von nachen vnd von gar verren
Von mangen pistûm tûmherren
Dio sint gar köstlich aller herst.
Sant Pachumi orden der erst
Sant Bailien orden nit liess
Gen Costentz man in komen hiess.
Sant Benedicten hailiger orden
Ist im Concili funden worden.
Der orden het sich dividiert
In manig klaider gealteriert:
Dye kutten verändert verkort.
Daz concili het sy gelert
Daz si tragen iren alten habitum
Daz ist ir nuz er vnd frum.
Der wirdig orden von Citel
Sand Berenharts die waren schnell
Gen Costen ins concili raot.
Der orden götlich wol bestand
Si hayssent citercienses.
Der orden von Mandolenses
Trägt weissi clayder allenthalb

Gleich vngegürtet alz alb
Ain hoeher orden kom mit fleiss
Trät rott blau creuz auf eitel weiss
Der löblich haist mit beschaidenhayt
Oder (Orden) der heiligen drivaltikayt
Der ritterschafft orden edel
Jesu Christi in mein zedel
Stat hie pillich diligenter
In meinen tiebt reverenter.
Herlich teutschs herren chomen dar
Vnd namen des concilis war
Sant Jorgen orden ausserwelt
Sein werden ritterschafft gestellt
Trût weiss gewandt piss über knie
Ain rott creutz auff den mantel gie.
Der ersame orden Johanniten
Kom gen Costenz zu den zeiten
Anthonier orden auff die frist
Ze Costenz auch gewesen ist
Der orden von dem heiligen grab
Ze Costenz sich ze erkennen gab
Kurtz mantl, swarz, zway rotte creus.
Ab so vil orden niemant schentz
Des maisters orden von Caletra (Calatrava)
Ist mächtig in Hyspania
Der orden tregt vnverdilget
Auff swarzem gewant rott creuz gegilget.
Da ist ein orden mer im landt
Trät plabe creutz auff weissem gwandt
Sant Lazarus orden hayst man in
Innen ze Costenz ich worden pin
Sant Jacob der hat orden drey
Ir ietweder hat seinen namen vnd krey
Der erst hat ein vnderschayt
Trät rote schwert auff swarzem klayd.
Der ander trät swarz vestiment
Ain rote muschel darauff stend
Der orden hayst von altespass (Altopasso).
Den dritten orden nit verlass
Der gewandt ist schwarz auff ir haupt
Rott muschel, rot kreuz alz ir syt

Der orden ist in Gallicia
In grosser leticia
Korherren hayssent regulares
Dye hayssent spirituales
Celestini ein orden halten
Dem concili si ir red erzalten
Dye orden vnd all die andern
Wollten all gen Costenz wandern
Der herren orden von dem tempel
Swarz claid rott creuz exempel
Der orden von der schûler tal
Ze Costentz im concili hal
Got geb den orden allen sterk
Carteuserorden du mir merk
Ich hoff sie furen heiligs leben
Ain englisch leben ist in geben
Wann mich dunkt wol ynn
Daz götlich minn yn in prinn (brüen)
Der orden nit da haim plaib
Götlich lieb sie ze Costentz traib
Ich hoff sunder habes angesigt
Wirkenz leben der orden pfligt
Vnd götlich schawen leben hoch
Got foremlich vnd götlich zoch
Der creuzger ordē setz ich gern
Weiss cleyd rott creuez dar auff ein stern
Der sålig orden sant Wilhalm
Lazs ze Costenz mengen psalm
Ain orden swarz Grandmontensz
Dye orden habent viel differentz
Sant Benedicten heremiten
Der orden kom gen Costentz geritten
Gen Costenz spittelorden lad
Weiss clayd, darauf ein rotes rad
Ain swarz haizst die pleumten
Daz concili sì lobten reumpten
Dar komen auch die gütigen
Der orden der Demütigen (Humilizti)
Der seligen orden der matrer schreib
Weiss gwant rott creuz auch da pleib
Daz creuz hat vnder sich ein spiz

Chun auch ze Cistena wol mit wiz.
All orden habent presentirt
Vnd dem concili adorirt
Der orden von dem tal vmbrose
In kutten grav kom gloriose
Creuz orden ist auch dargesant
Ain creutz tregt jeglicher in seiner hant
Bey allen den orden in dem chor
Soll stan der orden sant victor
Der orden von hebendes prunn
All orden solten als die sunn
Leuchten scheinen alz die vakkel
Glenzen an aller sünden mackel.
Der heilig bischof Ambrosius
Hat gemacht ein orden alsus
Den orden hat er confirmiert
Hats Concili geratificiert
Ain lieplicher orden der palnier (Pauliner)
Ich traw sie sein götlich diener
Calomaeenses an wonden
Ist auch ein orden besunder
Ainen orden hat der hailig gaist
Hat dem concili auch geleist;
Swarz mäntl kurz weiss creuzer away
Der vnderschayd ist mengerlay
Ain orden haist die bekorten
Das concili lopten erten
Der orden weiss premonstratiert
Sind im concili klug hofiert
Mit erwirdikayt vnd zuchten
Sullen all orden fruchten
Ain orden swarz von calomana
Ich dörfft wol der kunst Alans,
Das ich mein ticht weisslich volprecht
Der orden silanorum schlecht
Swarz gewand doch vnderschayd vnd mittel
Hat yeder orden sunder tittel
Ain orden der tregt liechtplab farb
Ze Costentz auch sein potschafft warb;
Doch furwar ich nicht recht waiss
Wie der orden mit namen hayss

Mer was ein orden da illorum
Dye fremd regel armenorum
Ain orden dye sin eitel winden
Dye liessen sich ze Costenz finden
Sand yennaphsn auch an trifft
Daz si orden hat gestifft
Severini auch ein orden tragen
Hör ich in dem concili sagen
Der schotten sol ich nit vergessen,
Habent das concili auch besessen
Sant Albertus orden kutten graw
Und krumstab in der hant all daw
Der orden tregt lang gross pert
Sand stegnis orden wol bewärt
Tret weiss rock vnd swarcz schappran
Vnd sollent in swarz mentel gan.
All orden habent sich vast genaigt
Dem concili demût gehorsam gecaigt.
Sagt maister mein getrewer,
Von einem orden haisset rewer,
Daz wil ich von euch verdienen
Sand marien magdalenen
Haisset ir orden penitencier
Fragten ze Costentz guter mer
Ain orden gross weit vnd namhaft
Layscher werdor priesterschafft
Der ich hie nit vergessen wil
Der ist gen Costenz komen vil
Setz mer fünff orden die ich mein
Maria's der gotes mûter
Ain orden ist wirdig guter
Vnser frawen de mercede
Hayst der orden mihi crede
Weiss gewand darauff ein creuz gepilt
Ist rot vnd strogimi der schilt
Vnser frawen creuzerden setzt
Daz er ze Costenz sich ergecz
Dem orden man solch clayd gepott
Auff weiss ein gross creucz das ist rott
Hat man ze Costenz gesechen
Vnser frawen orden prechen

Von dem perg haisst oliphet
Zo Costentz auch sein potschafft het
Der orden vnser frawen knecht (Serviten)
Die komen zum concili recht
Vnd liessen sich ze Costenz schauen
Průder unser lieben frawen;
Wolten sich da ostendieren
Dem concili complacieren
Man haisst auch Carmeliten
Der orden Ieronimiten
Kom gen Costentz Cyntisy
Was dem concili dienstlich pey
Du solt ein orden mer notieren:
Wollt sich gen Costens laborieren
Der preger (Prediger) orden die gelerten
Die löblich yo die geschrifft merten
Teologice sapienter
Philosophico prudenter
Das beweist Thomas de Aquein
Gross albrechts kunst ist eitel sein
Ain orden haisst Petriner
Von maylant sant peters schiner
Es kom mit reverentia
Ain orden de penitencia
Den sand Dominicus hat gemacht
Ain besundern orden ich betracht
Ich wil dir sagen das du es wayst:
Der parfůssen ist aller mayst
Der orden gar vil closter hat
Wo man hin in der welt gat
Der orden hat gross maister genůg
In aller geschrifft gelert weiss vnd clůg
Zu allen kunsten disputieren
In hoehen schůlen arguieren
Ainsidler orden sand Angustein
Solt auch ze Costenz billich sein
Ain orden weiss vnden oben
Sand Alberten wil ich loben
Von Zisisligia man in nennet
Ward ins concili auch gesendet
Schreib mir des wil ich piten dich

Sant Brigiten orden wirdiklich
Des ordens maister auch da waas
Ze Costenz bruder her Lucas
Der hat kunig Sigmund heimlich gesagt
Daz ain glück vnd sälden tagt
Daz auff seim paum im pluet hail
All eren fruecht wechst im ze tail
Vnd wess sein herz an got begert
Ob er sein gewalt zu rechtikayt kert
Darnach im als daz glucklich gieng
Wass er auff aller erdt an fieng
Er hat im noch mer weissagen lan
Daz hailig grab werd im ind handt
Vor seinem tod vnd manig landt
Dye im noch widerwertig sindt
Mit bertikayt die werdent lindt.
Grosa wirdikayt mer im erzelt
Wie vil jar er solt werden alt.
Er weissaget auch onder augen
Balthazar Coscha nit taugen;
Haist bapst Johannes sin flucht
Daz er von Costentz mit vnzucht
Vom concili wolt fliechen
Er sprach: heiliger vater laat euch ziechen (iechen)
Eur herz mut sinn kert von der schant;
Ich setz euch des mein trew zu pfantt;
Fleucht ir aweg daz es euch gerewt:
Die vrtail ist vor got ernewt
Vber euch geben vnd geschriben
Vnd werdt von er vnd gewalt vertriben
Von der bapstey darzu gefangen
Ist daz nit alz an im ergangen
Daz er ist schämlich, erloss
Worden laider toren gnoss?
Daz ist allen menschlich wissen kunt.
Wider an vach ich ze stund
Von orden wellent sich ordinieren
Vnd daz Concili confortieren
Mit weisshayt kunsten aller maister
Daz Got kum mit seinem heiligen gaist
In aller herz also erleucht,

Daz si mit gotz vorcht werden feucht.
All schůl vnd ouch die orden gemain,
Dye siodt des komen vber ain
Wiess kristen glauben defendieren,
Helffen ainen bapst eligieren.
Got wolt ein frumen, gerechten
An simonay weyssen vnd schlechten,
Wie sich der bapst hab gelassen an
Nit schelten vil noch loben kan:
Es (ist) zeit das cisma vergang
Dye ainnikayt hat geschlaffen lang
Daz mans auffweck auss dem schlaff
Ich bit daz got daz cisma straff
So wurds denn erst clarer lichter tag
Von allen orden ich mer sag
Von in allen ausserlesen
Dye gelertesten weysen da gewesen
Ir oberst mayster vnd general
Minister vnd provincial
Ir lerer mayster heiliger geschrifft
Da mit ist das concili gfrist,
Sind vil gen Costentz zůgefaren
Vnd wolten leib noch gut nit sparen
Ander mayster in theology,
An zal da ist vnd gewesen sey,
Gar vil doctores canonisten,
Vnd gross mayster decretisten
Utriusque juris juristen,
Hochmaister lerer legisten
Astrology mit klugen listen
Den ist wol kunt der himel ganck
Wiss auf das endt von dem anfanck
Von der welt angang von erst
Ich dir mer ob du pegerst
Siben planeten vier element
Zwelff zaichen ist in alz wol erkent
Ir vermugen vnd natürlich krafft
Vnd aller maister maisterschafft
Gut tichter in retborica
Gut singer in der musica
Da wass gramatica gruntlich

Geometria ganz kuntlich
Aritmetica die guldin sal
Lert raitten sal hochweyt vnd selmal
Dye laydig suffistrey reginiert
Da warhayt offt wird deputiert
Im römischen hoff vnd in der welt
Layder vmb guldein vnd vmb gelt
Manig cortisan vnd advocat
Der zwayer kunst sich vast begat
Senecs vnd all poeten
Wass die waishayt klughayt hetten
Daz was ze Costenz gegenwärtig
Auf aller weisest sinn vnd artig
Avicenna solenus (Galenus?)
Ir kunst subtil jovis venus
Kunst weishayt Aristotiles
Platonis vnd auch Socrates
Kunst aller mayster weiss,
Der haydnischen vnd auch ze Pareiss
Naturlich kunst gross Albrecht
In philosophia ganz vnd gerecht
Der gewaltig steren cor leonis
Dye höchsten puech kunig salomonis
Dye puech lernen einen fragen
Auff piss in der gothayt taugen
Vnd ab in aller ding abgrunt
Vnd was man wunders denken kundt
Himlisch hellischen vnd irdischen
Allez daz begriffen ist da zwischen
Waz krafft vnd macht hat all natur
In allen wesen vnd phur
In wurtz kraut frucht in welchem grad
Si haist feucht dür kalt von gnad
Ez hab vernufft es wachsst es leb
Ez flieg, fliess, kreiss, wie ez got auffheb
Ez lauff wildes zames wurm vnd tier,
Aller elementen krafft ist vier
Von allen gaisten pöss vnd gut
Waz all nature vermag vnd tut
All tier stim wass vogel sing
Auff ein ganz endt in vollem ding

Die pûch gar vast verporgen sindt,
Ich fürcht daz man ir lüzel findt
Si sind verpargen vnderdruckt
Vnd was der frumen handt gezuckt.
Der maister sprach vnd liebt es dir,
Schreib an noch mer kunst von mir.
Got geb euch maister dank vnd lon,
Ir mugt mir nit wol liebers tûn.
Seta maister in geometri
Vnd in der kunst in alchemy,
Ydromy mir nit vergiss;
Zu andern kunsten die secz vnd miss
Weiss mayster in ciromacii
Vnd in der kunst pyromanti
Ain kunst die haysset h e r m e s
Dye macht die pild ymaginea
Enigmaticі man da vindt.
Klûg, hofflich sprach, dye kunst da begundt
Vil maister in cirogramacy,
Bestandt den wunden leuten pey,
Gross maister in leib arzeney
Complexion, physolomey.
Erkennen vnderschaidenlich;
Sanguinei frölich, waidenlich
Colerici haiss trucken gestalt
Fflegmatici faist, feucht vnd kalt
Melancolici dye trauren
Also kennens dye naturen
Merck mer, daz ist mein will vnd gunst
Phylosophia naturlich kunst
Mit stainen, wurtzen vnd kreuteren
Temperiert man da mit leuteren
Balsam bisem rcub erbarum
Ganfer, feni, mirr vnd allugum:
In all den kunsten will ich raten
Sind ae Costena licenciaten
In yeglichen kunsten besunder
Lass dich das nit duncken wunder
Vil baccalari vnd studenten
In aller kunst gen Costena lenten
Gardiani vnd priores,

Vil gelert weiss lectores.
Noch han ich drey kunst hin vor,
Dye gent ob andern künsten enpor
Dye gross kunst hoch notoria,
Her in deiner höchsten gloria
Ker das concili in allem ding
Das man das loh wol nach loh volbring
Dir ewigen herren vnd Got,
Im rat ze Costentz her Sabaoth!
Dye kunst get vber die lnna
Auff ir der gothayt archana.
Dye swars kunst **nigromancey**
Ich glaub das auch ze Costenz sey;
Wer mit der kunst gotlich vmbget
Dye kunst vor got recht wol beatet.
Der maister sprach: nu mark genug!
Ain hochi kunst ist fein vnd klûg
Dye maister von Arabia
Dye sagent wol, man vinde da
Den warn stain philosophorum.
Ist kunt den doctor doctorum.
Da fragt der maister etwe vil,
Der ich tayl hie nennen wil,
Der maister Binus vnd Gebw er
Der grossen kunst orthceber
Ressinus vnd Massidael,
Ofidius die waren schnell,
In der kunst philosophus
Von arabis Massineus.
Maister phebus vnd Therabit
Gwannen golt gross gut da mit.
Maister arnold von Nova vil,
Wie haist der stain das ist mein will?
Er hayst rebis vnd elixyr
Natanaset das sagt man mir;
Sag mir gleich nichs von apuma
Er haisst das gross nützlich guma,
Vnd ist genant echt matur
Der stain ist kostlich fein vnd phur
Zu solicher hocher kunst vnd sachen
Siech gesundt vnd **fein gold machen**

Es ist die böchst erzeney klar,
Sn sie auff erden ist für war;
Darnach so wirt dar auss der stain
Philosophorum, den ich mein
Der stain ist gut fürd' pestilenz:
Man sol in finden ze Costenz.
Nun schreib ich fürbass aber mer
Nacb des gar weisen maisters ler;
Sn hoff ieb, das mein ticht nit lecz
Ob das ieb etwas darin secz
Ain kunigkreich oder schul vngefär
Ich täts doch nur in der figur
Mein ticht zu einer floritur
Nun han ich ordenschul aussgericht
Vnd manig kunst in meim ticht.
Vun alle künigkreiebs beb ieb an
Dye ich gar nachent alle nennen kan.
Der künig all vil fürsten pottschafft
Gen Costens kom mit gewalt vnd krafft
Was das Cnncili wartt ze ratt;
Ein jeglieb künig da pey bestat.
Mer fürsten herren vber al,
Dye sebickten kamen zu der wal
Vnd geben dem Cnncili gewalt
Was sy da sezten, daz mans halt,
Vnd habent daz trewlich vest versigelt.
Dye künig vnd kunigkreich ieb erzel.
Vor allen künigen ich erwel
Sigmund zu romischem reich bestätt
Hat selbs Concili gen Costens gelät
Vnd ist da selbs mit seiner person
Mit römischer vnd mit vngrischer kron
Et cetera kron die er selb auff trat,
Von den ich dir vor han geseit
Der leib vnd gut nit hat gespart
Vnd noch nie vber wunden ward
Ob Got wil nymmer mer werden soll,
An eren ieb vmb den fürsten wol.
Der kristenlich künig von Frankreich
Sant pottschafft dar gar wirdiclcich.
Der durchleuchtend künig fürst genant

Schickt künigleich potschafft von Sigenlandt (England)
Von Hispania der künig mächtig
Schickt hoch gelopt potschafft sein trächtig
Der gross wirdig kunig von Arragoni
Ist künig vnd graf in Cathaloni
Vnd andrew künigreich, die hat er
Serdenia vil herrschafft mer.
Meliorita im auch zugehört
Das ist ein künigreich unzerstört,
Das kostlich künigreich aus cecili
Die künigreich all dem concili
Sant ir pottschafft vnd von pravens
Von in allen vnd von gross valens,
Der lobwirdig künig von portigal
Schickt pottschafft auss seinem fürsten sal
Der herlich kunig von castillen
Sant löblich pottschaft dar mit willen
Von navarren hoch künig gross
Kostlich potschafft in nit verdross.
Daz fruchtpar künigreich auss pullen (Neapel)
Wolt des concilis pot erfüllen
Mit ersamen weyser pottschafft vil
Vnd vil wass daz concilis will.
Ain weisslich potschafft vest vnd stark
Sant das kostlich reich von tenmark;
Das preisslich reich von Schweden
Schickt nützlich potschafft jn bayden
Dem künig vnd dem concili weiss
Got mit seiner gnad sie speiss
Daz hochwirdig künigkreich norwegen
Ist verr ein endt der welt gelegen,
Noch ist es doch nit auss peliben
Vnd hat darpoten vnd geschriben.
Von hocher purd künig von Schotten
Sant dem concili klůg poten.
Ain reich edler künig von polen
Hoch potschafft er dahin gwan.
Der hochgeporn künig von behem
Liess sein potschafft ze Costans sechen
Got aller engel vnd throni
Der sant den künig von Poloni

Den man haist künig von kraggaw,
Hilff werde mûter unser fraw!
Gib dem Concili kunig genad,
Daz standen auff der warhayt grad.
Der kunig von Ciper wardt citiert
Zu dem concil postuliert.
Ain nutzlich herlich potschafft kam
Von kriechen auss den kaisertum,
Des kaisers prûder von kriechen
Ez möcht wol im himel riechen
Auff zû Got in die majestat;
Das ist Got in seiner trinitat:
Der hochgelopt vnd hochwirdig
Was nach der ainikayt gierig
Künig des hailigen reichs von unger
Er bett grossen durst vnd hunger
Daz er möcht machen ainikayt
Gar in der heiligen kristenhayt:
Wann sålig sind alle die hungern, dürsten
Nach redlichkayt als den edlen fürsten
Mathei quinto das geschriben ist
In acht selickayt sprach Jesus Christ.
Auss allen sein reichen vnverdrossen
Dar kom potschafft vnd von bossen,
Vnd auch aus dem reich dalmatien
Vom königkreich von croacien,
Auss allen seinen landen, als ich main
Pleib gelerter leut wenig dabaim
Kom menklich alz ir komen wolt
Ainen bapst erwelen helfen solt.
Der maister sprach: du solt nit lan
Mein gnädige fraw die sol auch stan.
In deinem ticht, daz rat ich dir,
Ich sprach daz ist mein will vnd begir:
Dann ich wil nit vergessen zwar
Der hochgeporen fürstin clar
Von art, von purd ein edli frucht
Hochwirdig löblich er vnd zucht.
Durchleuchtig preisslich ist ir art,
Ir wort ir werk gancz fein vnd zart
An all presten ist ir gestalt.

All tugend sind ir zû gezalt
Wol künnent nit ze schlecht ze wâch
Gût syten pård man in ir sach.
Nit zu lüzel nit ze vil, ist ir wort
All eren schäz ein edel hort.
Ir wort, ir werk si zelt, wigt, mist
An kainen dingen sie sich nit vergist.
Das küniglich zucht nit löblich wär
Vnnützlich wort sind ir vnmär
Si fleisst sich aller sach auf das pest
All zeit von anfang auf das lest,
Milt vnd weyse wort angefärd
Vnd fürstlich küniglich schon gepärd
Ich mein Fraw Barbara geleich,
Die kunigin in dem römischen reich
Die kuniglich herlich fürstlich sass
Ze Costenz wirdicklichen wass,
Pey des concilis zeyt vnd weil
Dar kom ober wenig meil
Vnd küniglich er gephflegen.
Got geb ir sin gnad vnd segen.
Ich fragt mer maister ausserwelt:
Habt ir dye herschafft all erzelt
Dye gar gen Costentz komen sind,
Daz mans in meinem ticht auch find?
Er sprach: der ist so gar an zal
Daz niemant gancz weiss überall
Von so vil landen verr vnd weyt
Kom herschafft manigfalt ans der Zeit
Sy selber vnd ir potschafft hoch
Dye kunigklich köstlich fürstlich zuch
Gaystlich weltlich auff ped tayl
Irs concili in rechter nott
Durch einigkayt man in pott.
Daz concili ward wachsen:
Dar kom der herzog von Sachsen
Dye herzogen pfalzgrafen pey Rein
Fürst Ludwig must vicarie sein
Des hochen heiligen conciliums
Vnd des künikglichen Kayserthums
Von Payren herczog Ludwig. Ernst

Herczog heinrich, wilhelm all gerenst.
Von Görtz die Fürsten graven zwen
Graff heinrich graff (?) auch bye sten
Fürst margraff Fridreich von Meichssen
Wurden all ze Costenz reichsaen.
Von nürenberg purchgraff fridreich
Kom gar glückleich wirdieleich
Dem ist groas er zů gangen
Daz Concili hat in empfangen
Vnd der könig in dez ist erworden
Ein kurfürst in dem hochen orden;
Daz ampt von Brandenburg er hat,
Daz er an kurfürsten klayder gat
Vnd umb sein fürstlich piderkayt
Hat er daz kurfürst ampt an glåt
Von Nürenberg purckgraff fürst Johann
Der kom auch mit der eren fan
Mit vil edelm plůt her schowen
Von orlem vnd swarczburg plawen
Kund ich die weysshayt sag vnd weg
So lobt ich pillich ewig
Den fürsten herzog Ludwig
Der hat gewunnen offt den sig
Da manlichs herz solt sein ein helt
Hat er mit leib vnd gůt bestelt
Vnd ist kunig Sigmund bey bestanden
In mangem kunigreich vnd landen.
Man hat ein newn fürsten gemacht
Ze herczog stat in hocher acht,
Der was vor graff zu kleff in der mark
An er, leib, gut, so ist er stark:
Nun furpass so haist er gar weysslich
Ein edel fürst löblich preisslich.
Berenhart marckgraff ze paden
Vnd manig fürst wurden gladen
Ffürstlicher pottschafft ich geneig
Von holandt, pravant, praunschweig
Von marckgraffen landgraffen brieff
Kaines fürsten potschafft nie verschlieff.
Welcher fürst herr nit selb kam dahin,
Der sant sein potschafft prieff vnd ain

Wass yeden daucht das aller pest
Von poland menig herczog vest
Von litaw herczog schvitrigal
Was auch da an der fürsten zal,
Von wissen reussen ein hercsog
Mer ein fürst herczog von ostrog,
Von geberberg vnd flander
All fürsten mit ainander.
Von orlentz, ponsoy
Der new herczog von sophoy.
Von burgundien, hicardien
Britanny, perrin, normandien
Von arminak matsa erkiesen
Auss hängew selant vnd friessen
Von brandenburg stettin preussen
Von eili graff winden vnd reussen
Von tuczschan vnd lamparten
Gross gût dem concili noch verzarten
Von österreich ein potschafft waiss
Luttringen, westerreich ich preiss
Von Birtenberg ein fürstlich graff
Kom auch zu des concilis lauff
Von swarzburg graff an weyshayt gross
Von Öttingen graff sein gnoss
Dye habent ein schatz an wayshayt peid
Künig Sigmund geb vns vnderschayd
Daz er auss vnrecht recht erkiess,
Dar an er gwinn vnd nit verliess
Gen Got vnd seiner sel ze stener
Vnd went im ewig hellisch feur.
Noch fürsten vil mit irem leib,
Dye ich mit namen nit all schreib
Von henneberg, hessen, turgen,
Von landen, steten vnd purgen
Edel grafen, herren, freyen
Erher ritterschaft da seyen
Auss sachssen franken vnd schwaben
Als weyt wir kristen glauben
Wolt got sein wunder würken
Auss hayden tatten (Tartarn) vnd türken
Von kriechen vnd armenis

Auss hibernia vnd slesia
Vnd gallia vnd germania
Von italia vnd allania (Alamania)
Von kerrenden, payrn, krayen,
Glert pfaffen münch vnd layen
Vil erbar purger auss den steten
Kaufleut ir gawerk da teten.
Mengi fraw daucht sich gemayt
Daz wol ist löhlich wirdikayt
Des vor doch wenig gehört ist
Seyt ward geporen Jesus Christ
Daz erberg potschafft ist gesent
Auss india von orient
Gen Costenz dem concili her:
Ist dem concili lob vnd er.
Nun frag ich fürpass aber pass
Vnd sprach: sagt maister noch daz?
Wass wil dye gross herschafft schaffen
Gross fürsten vnd gelertsten pfaffen
Dye kommen sind gen Costenz dar
Ein sölich hochlobwirdig schar?
Der maister spricht: daz wiss furwar,
Das cisma hat pey vierczig iar
Gewert daz ist lang ze vil,
Ist daz dye ewig drivalt wil,
So deucht mich wol daz er (es) war zeyt
Daz man der irrung vrlab geyt.
Nun merck der herschafft meinung eben,
Wass das Concili well anheben,
Daz wil ich kürzlich dir erzeln:
Man wil ein rechten bapst erweln,
Vnd ein ainig haupt ereieren
Got sein kristenhayt florieren
Daz ein ainig bapst werdt
Daz die kristenhayt werd gesezt
Got selb nun einen bapst hat gesezt.
Gemacht über all welt auf erdt
Daz hat sich leider offt verkert,
Gross symoney vnd vnglück gemert:
Daz sind auss einem worden drey
Daz zeucht sich vast auff kezerey

Daz klagt dye müter dar kristenhayt
Gross symoney ir herczenlayt
Daz si verwundet ist so ser
Von drein bäpsten (hart) lang piss her
Das schreibt gross maister Berenbart
Das got ainikayt hab lang gespart
Das phaffthayt nit hat gotes huld
Das machet symoney ir schuld;
Vnd wolltens symoney ab lan,
So liess got ainikayt auff gan,
Gross maister Berenhart das spricht:
Ich han es nit von meinem aigen ticht
Der maister in phylosophy
Hats funden in astronomy
Vnd in zwayn püchern ich vernim
Daniel vnd apocalysim;
Wer die pûch verstundt ze grundt,
Darinn man alles das verstundt,
Was ye geschach vnd geschehen mag
Piss dass vergat der jüngste tag
Dye irrung vnd auch das sisma,
Hat abt ioachim von calabria
Geweisssagt vor gar clärlich
Offenlich ganz lauter warlich,
Daz findt man in seins pûches ler
Vor vierdhalb hundert iar vnd mer.
Daz sätzt in seim pûch vnd schreibt
Ach bapst vor Got dir chainer pleibt
Am sechsten Vrban das anfieng;
Der wass der erst da er gieng
Das cisma vnder bäpst ächt
Von dem apt Joachim saget recht
Von den er in seiner weissag spricht,
Der kainer bapst vor got sey nicht
Wan nur einer ist darunder
Dem beschehen ist schandt vnd wunder
Gregorius (XII) so was sein nam,
Der also von der bapstey kam,
Den er vnder den achten halt
Für ein bapst von aail vnd gwalt
Ist er verstossen gar schemlich

Das setzt nun abt Joachim māmlich (sic)
Nun hat es Got gefügt vom himel
Daz er den malentest von rimel (Rimini)
Gepeten hat vnd aussgesandt
Gen Costenz her in schwabenlandt
Vnd sin gantzen gewalt aussgeben
Well nach'z Concilis rat leben
Vnd wil von der bapstey stan,
Mit gutem willen da von lan.
Von hessen gross meister hainraich
Hat auff die acht bapst meisterleich
Vers gemacht auff avaricia
Septem student in malicia
Octavus primus hunc erat
Daz ist sein unglük vnd sein schad.
Der newnt soll sein payren geschlecht,
Der vberwindet vnd tut recht
Dye kristenhayt er wider pringt
So er sein bāpstlich ampt erst singt
Wann nun der selig bapst schier kompt
Der aller kristenhayt gefrompt,
Herlich den bapst man coroniert
All kristenhait im ordiniert,
Gerechtikayt warhayt er kückt
All symoney er vnderdrückt
Dem hat abt Joachim gesezt ein zil
Got pey dem bapst nit leiden wil
Mer symoney geistlichen alevanz.
Das muss endt haben gar vnd ganez
Das zil man wol gesagen wist
Bapst mit drein panern das zil mist;
Daz ist sein wappen vnd sein schilt
Drew paner in drein spiessen gilt
Das got doch wol verenden mag
All iar all monat all stund all tag.
Doch miessen vor zwen bāpst sterben
Am dritten symoney verderben
Er hat gemacht mer ein tractat
Der jnn so gross wunder stat
Vnd so vil fremder schöner stuck
Der überflusshayt ich versuck,

Von römischen kaisern künigen all,
Von der köstlichen hochen sach ich vall,
Er ist meiner einfalt vil ze tieff
Vnd gar ze hoch meinem wits vnd brieff.
Das cisma ist in ander weisa
Geoffenbaret zu pareiss
Ainer hailigen frawen da sie schlieff
Ir kam ein scheützlich tier vnd rüfft;
Gar greulich tet daz tier vnd für
Dye fraw das tier beschwür,
Daz in saget über laudt
Waz es mit maint waz es bedaüt?
Es sprach ich peut bapst clement
Von Avion der wirt geschentt
Vor gott. Zwey iar daz vor geschach
E Zisma anfieng daz mans sach
Ach herr in deinez himmels gral
Das cisma ist zum vierden mal
Geoffenbaret worden vor
Petrus ward ein pruder minor
In arragoni er künig wass
Durch got er des künigreichs vergass
Ward ein ellender armer parfuss.
Got tet im sein gnad vnd gruss
Dem seligen hailigen petro rain
Nach einer complet er im erschein.
Cristus zu petro selber sprach:
Der pabst Clemens gwinnt vngemach
Von avion vnd sein nachvaren
Da soltu mäniklich vor bewarn
Deim fleisch deim blůt tu das kunt
Dem künig von frankreich pald ze stund
Andern künigen deinen frewnten vil:
Ich got vnd herr dich hayss vnd wil!
Petrus tet als in Got hiess;
Ain antwort er vnderwegen nit liess
Sein potschafft er gar treulich warb.
Mich dunckt auff dye sy verdarb
Dye potschafft pracht nit nutz noch frucht
Daz was der grossen künig vnzucht,
Daz si nit volgten gottes ratt f. 98.

Daz sich ze Costenz funden hat
Daz er ein falscher pöswicht ist,
Von arragoni mit ketzern list.
Sagt auch maister mir von Hussen
Von dem vil kezerey aussflussen?
Er sprach der Huss der ist verprennt
Ich glaub sein sel sey abgesent,
Die tiefel in der hell in haben
Bei dem reichen mann begraben.
Alspald der Huss dye hell anplickt,
Schier er nach seinem gesellen schickt
Jeronimum fürt man in's feur
All götlich parmung ist im tewr
In der sind payd ertrenkt
Vnd in ewigem tod erhenckt.
Si habent wol tan als narren toren;
Gottes marter ist an in verloren
Si wolten Kristenleichen glauben
An seinen höchsten eren barauben,
Den dye heiligen zwelffpoten all
Gemacht habent nach Gottes gevall:
Des sind dye kezer gelestert vnd geschent
Daz sy dem heiligen sacrament
Sein götlich er habent vast verschmächt
Darumb sy sind in Gottes ächt,
Ewigklich ymmer vnd ymmer
Vnd alle dye in volgent nach
Den ist zů ewigem todt gach,
Des můt got erparmen heut,
Daz sy ir Kezerey nit rewt.
Der sprach ich muss sagen
Noch mer ob symoney clagen
Man hat die drey bapst all quitiert
Von allen aren absolviart
Vnd sag dir von jn allen drein
Wer sy haissen wer sy sein
Dar erst hayst Gregorius,
Der ander de luna Petrus
Den man hayst banedictum
Der dritt ist weder gerecht noch from
Der hayst iohannas von balthasar

Vor dir ieb nieht verpirg noeh spar;
Dye wolten glanben haben zerstört
Sy solten doeh wol haben gehört
Wissen, das ein Kristenglaub ist
Vnd ain viesri Jesus Christ
Der auff Sand peters stûl sol sizen
Mit rechtem gwalt warhayt wiczen,
Als wenig drey war gothayt sind
Als wenig mag man drey bepst han,
Das woltens layder nit verstan
Daz macht Symoney der distel (sic)
Si solten lessen die epistel
Dye sanctus Paulus sehreibt:
All Kezer hinder sieh treibt,
Gen Ephesos in enpott
Es ist ain glaub ain tauff ain gott;
Irr gegangen sind sy lang
Als Dedalus im irrgang
Gleieh offenlieh an seham an voreht,
O lieber Got das dein gnad worcht
An in dein straff vnd wunderzayeben
Das werd warhayt also layehen
Sy layehent warlieb selber sieb.
Des werdents innen, das glaub ieh,
Nach irem tod vnd irem sterben
Mûss ir leib vnd sel verderben
In ewigem todt vnd armmut
Gen got vnd welt jn sehaden tut
Sy habent dye Kristenbayt verwüst
Das sehier verderben gar sein müst:
Daz macht ir symoney durch viert
Ir gutikayt daz si vast regirt,
Jeez jn aller bapst vnn glerter hoff
Vnder cardinal vil bisehoff
Prelaten, pfarrer gmainieklieh
Lebent nit allgötlieh rainielieh
Ir habent ein tayl kein conseiens
Vmb symoney nu (und) alsvenez
Stet ir herez mut all ir natanr
Daz mag irr sel wol werden saur
Ieh mein die pfaffen sehuldigen

Dye in lassend symoney angesigen
Der frummen ich zû Got gedenk
Ir wirdichayt ich nit beschrenk.
Sy solten den layen tragen vor
Gut ebenbild an arg hekor (sic)
So denkt der mer tayl pfaffen hin
Daz nur auff geitikayt stet ir sin,
Vnt doch geiz verpoten hat,
Dye miltikayt ist gotes rat
Vnd wellend mit geitz ir sel verlieasen
Wellends nit ansechen noch studieren,
Dye heiligen geschrifft vnd daz decret
Wass im decretal geschriben stet
Von symoney so manig capitel,
Guldein sind irer herczens titel:
Da leit ir ewig leben an
Got von in gar wol sprechen kan
We we euch ewigkleich we!
Ve vobis ve ypocrite!
Wye gar vergessent sy die wort
Dye sand Lucas von Christo hört,
Dye er zu seinen jungern sprach,
Zû aller pfaffhayt er das sach:
Ir habt empfangen gar vmb sunst
Von mir all Gots gab vnd kunst
Vmb sunst so solt irs meneklich geben
Das dunckt mich ein seligs leben
Daran sich selten kainer kert
Vmb all gots gab man pfenning gert
Gots gab verkaufft man in der welt
Alz rechten kauffmanschatz vmb gelt
Manig pistum, abptei, prelatur
Probstei, pfarr, pfrewnd in der figur
Ich sags in ernst vnd in schimpff
Es sol gross weyshayt sein vnd glimpff
Der symoney hat aller maist
Vil pfarr, pfrewnd gozgab teufels laist:
Den haysst man nit ein weysen man
Der nach vil gozgab stellen kan
Der aller maist pfrewnd kirchen hab
Ecce wenn leben im gat ab

Daz duneks ein gross pomp, kunst vnd wicz
Sech mir das dye sel darvmb nit schwitz
In hellisch teuflisch marter sitz.
Ds ewig tod an sterben hicz.
Sand Pauls ler dye nimmer me felt
Der spricht dye weisshayt dyser welt,
Daz sey vor Got ein rechtew torhayt
Götlichew weyshayt dye ist prayt
Was selds geit aber got vmb sindt
Den besen sundern daz vrkindt
Sand pauls epistel daz bezeugt
Der im nit volgt sich selber traugt
Stipendium pro peccatis
Eterna mors inde gratia
Dye Symoney sagt dye geschrifft
Mort vnd dott dye sel als gifft
Den menschen von dem leben pringt
Wer nach dem geistlichen bůcher ringt
Gleich als aspis vnd der unk
Den man haiysset basiliscum
Wer kaufft pfarr pfrewnd vnd pistum
Vnd des tieres gifft ist scharppff
Dez man im tiriackers darff
Also gifft symoney die sel,
Vnd fürt es in ewiges todes quel
Welcher hat mer pfarr den ain
Dye selsorg hat das ist vnrain
Vnd ist der sel gar ungesunt.
Was hulff den menschen daz er gwunn
Gancz all dye welt vnd darumb prunn
Sein arme sel in teufels feur
Daz wär ein cläglich wechssel neu
Nyemant daz hab für vbel mir
Got selber spricht daz sag ich dir
Daz dye menschen nit reden kunnent
Got den stainen würde ginnen
Daz sye dis warhayt wurden sagen
Vnd ab der welt sinden clagen
Ich hoff vmb das mich nyemant straff
Wie halt der cläglich schedlich lauff
Gesaget von pingen sand hillegart

In irem pûch dye weiss dye zart
Wer ir pûch list das mans wol breuft
Dye muter der kristenhayt reuft
Auff zu got mit betrûpten herczen
Mit jamer vnd mit grossem schmerczen
Vnd clagt mit geschray vnd wainnen
Über symoney vrainnen (vnrainen?)
Alz ir dar glenczent antlütz sein
Noch lichter wenn der sunnen schein
So gar mit sûnden ist betaubt
Von pfaffheyt symoney bestaubt
Vnd kostlichen mantel weyss
Der print als morgen rôten gleiss.
Den hat ir symoney zerrissen:
Daz lat sy got im himel wissen
Vnd clagt mer durch der himel wolk
Vber pfaffheyt gaystlich volk
Das sy den leichnam nit wandelen
Jrs gemachels an sündt handelen
Vt (sic) pitt Gott daz er sy well strauffen
Dye in der symoney lauffen
Wellent sye sich nit zû Got pass keren
Vnd ein heilig leben leren
Got vber sy verhengt ein plag
Wass daz sey mich niempt frag
Vnd fürcht sy gangen in den todt
Da ewigklich ist angst vnd nott
Vnd sorg man werd jn vor an füren
Vexilla mortis werd sie rüren.

Ich will dir sagen noch mer ains:
Das dunckt mich sicher nit ein clains.
Ich wayss drey fürsten dye sint mächtig,
Sye wollten mit dem kunig anheben
Vnd im vil gulden haben geben
Ze sechs molen hundert tawsent
Ab dem concili ward jn grausen
Daz ers concili het getrogen
Vnd haym gen vngern wäre zogen
Vnd daz Concili het verlan;
Der sprach so must ich stan

In schandt in laster vnd in spot
Gen dem concili vnd vor Got;
Darvmb gedenk sein nymmer mer,
Daz gieng mir an mein küniglich er.
Doch sprich ich wol an allen scherz
Daz er haisst eind piderbs hertz
Daz nit erwaycht solich gross golt,
Der kunig het wol sein er, als holt,
Daz er darumb solch gût nit nem,
Daz allen fürsten geviel vnd zem.
Er merk wol daz auff dem gefert
Solich gross gût ist so vil verzert;
Das manz nit kan sumieren
Geraitten noch calculieren;
Daz selber golt vnd gross gût
Daz man ze Costenz zerung tût
Von herberg auss vnd wider haym
Daz trifft ain grossen schatz ich main;
Wer an kunig Sigmund das hab begert,
Der hat ain tayl seiner ar verert;
Zu gûter sach er nymer taugt.

Von dem von Österreich ich fragt (Herz. Friedrich)
Wye im concil er sich gehab
Gehalten, sprach er: daz lass ab!
Er hat vergessen sich ain tayl,
Daz pracht dem bapst Johann vnhayl
Daz ainer volgt dem andern nach
Von Costenz fliechen wass in gach
Ein gross unwitz sein herz berurat
Daz er aus dem concili furet
Bathassar Cossa heymlich hin;
Der flucht habent sy paid weder nutz noch gwin
Der bapst den fürsten hat verweyst
Payd mans darumb nit lopt noch preist,
Mein herr von Oesterreich ich clag,
Doch ist daran gemach ein tag,
Daz er von Gots gnaden ist verricht
Daz sy sich paid habent verpflicht
Kunig vnd herczog zû samen
In puntnuss in gots namen.

Noch mer ein gleichnuss sag ich dir,
Das setz ze lieb in dein ticht mir,
Ich tů recht als sand Augustein
Dez geleich ich layder (nie) mag sein.
Do er eins tags gieng vnd studiert
Daz pûch der drivalt colligiert,
Do er klein kindlein vand
Pei dem mer, das mer macht jns sandt
Das Gots kind ein klein glühlein
Das woltz das gancz mer scheppfen ein f. 101.
Sand Augustin sprach an zoren:
Kind dein arbayt ist verloren,
Das kind sprach augustino zů
Du tust vnweyser, dann ich tů
Du wilt dye hochen drivalt zwingen
Vnd in dein klein pûch pringen
Dye ungemessen vnd ungruntlich ist,
Vngreiffenlich du gothayt pist!
Darumb lass davon, daz rat ich
Vnser payder werk sind vnmuglich
Ze tun besunder an Got:
Alle seine werk sindt wort vnd pott.
Noch mer ich in meiner einfalt ich für leg
Daz man hör, daz ich torhayt pfleg
In einem pûch ich küniglich lass
Wye sprich der prophet Jeremias
Ein anfang seiner weissagung,
Ich pin ein kindlein klein vnd jung
Vnd kan nit reden weyslich wol
A a a ich auch sprechen sol;
Daz ich (an) weyshayt pin ein kint
Vnd an weltlich tichten paind (plind)
Gleich pin ich vnverricht
Daz ich in mein klain künstlich ticht
Main daz concili gancz,
Ich dörfft durch leuchter wayshayt glancz
Vnd aller mayster kunst vnd wort
Daz ich halbs pracht pisz an ein ort,
Daz allerminst von tawsend tayll
Daz im concili beschicht ze hayll
Daz notdurfft ist vnd auch anget

All kristen vniversitet
Daz man für kom vnd auch vermach
Aller kristenhayt not nutzlich sach.
Doch tû ich nun daz pest darjnn
Ze lob dem künig von herts vnd synn
Mer ein hystori ich anheb
Vnd lob kunig Sigmund dye weil ich leb.
Im ersten jar sich dar vergieng
Daz daz Concili sich anfieng
Dez selben jars sich das beschach
Daz man ein gross eclyps sach
Daz dye sunn was gar verdackt
Mit finster liechter tag ersteckt
Im Junio am sybenden tag
Beschach daz für war alz ich sag;
Dezselben jars beschach auch daz
Daz ein grosser streit in Frankreich was:
Da lagen nidar dye franzos
Manig fürst herr da sein leib verlos.
Dye von Enganland lagen ob
Das sagtens Got pillich lob
Daz ir gelück gewan den strait
Do hub sich kürzlich nach der zeit
Der durchlauchtend fürst geporan hoch
Gar küniglich furstlich er auszog
Von Constenz vom concili auss
Vnd sûcht da haym in irem hauss
Dar grossen künig etwo vil
Den mächtigen graffen von Saphoy
Macht er ze herczog per Mesoy.
Das erst werck auf derselben vart
Der wirdig graff ze herczog ward,
Der harczog halff mit leib vnd gût
Künig sigmund vast den adeln plût
Künig Sigmund kam zu Petro Luna
In ein stat haisst Perpinuna
Vnd radt selb mit im muntlich
Von dar Kristanhayt gar gruntlich
Vnd pat in daz er Got ansäch
Das er sein glimpffan nit macht so wêch
Vnd von da Bapatey durch Got liess

Vnd käm gen Costenz ers verhiess
Vnd süchet da recht zü hayl seiner sel;
Er ward vor schrecken playch vnd gel.
Mer sprach kunig Sigmund zu dem alten:
Mugt ir mit recht die bapstey behalten
Da will ich ze helffen raten
Vnd als Concili weyss Senaten?
Er gab ain antwurt pald vnd schnell
Vnd dacht daz recht ist sinwel.
Hoch glopt ers kunig Sigmund ze stundt
Es wär sein will wol daz er gund,
Daz man zü ainnichkayt nnn griff.
Daz eisma endt nem vnd zerschliff.
Seinne wort er schnelliklich colligiert
Jronice er respondiert
Er wolt gen Costenz komen geren
Vnd helffen ainnichkayt vast meren.
Alzpald er ymmer kunt vnd möcht
Vnd sprach: daz cisma nymmer taugt
Gen Costenz er auch komen wolt
Wann er durch dar komen solt.
Dye redt wass alle vnwarhafft
Er wend daz er den künig Sigmund afft:
Mich dunkt daz ar sich selber trug
Mit falchen Worten und mit lug
Vnd hat sein trew lieber geschentt
Vor Got vnd welt wirt er genent
Ein falcher, erleser, pösser wicht,
Daz ers concili süchet nicht.
Er nimpt den tod Absolonis
Vnd ist filius perdicionis.
Nun waren noch sechs kunig verheczt
Von dem bapst Avion (Avignon) geleczt
Dya wolten für einen bapst han
Dye sechs künig all ir undertan
Der doch künig Sigmund nit gerücht
Den künig von Arrogani haym sücht
Künig von Hyspani sücht er haym;
Den Künig Naverren ich auch main
Vom Castilyen den künig verr
Den künig Cecili grosser herr

Der künig von Schotten ist der seehst
Von den seehs künigen nymmer wechst;
Das eisma hahent sy gelassen ab;
Got dureh künig Sigmund in daz gab,
Kunig Sigmund recht dye potschafft warh
Ez gerat gar wol in reehter varh
Vor sy der grossen ainvalt wielten
Daz mit Petro luna hielten;
Künig Sigmund pat's daz sy plihen,
Vnd den vnrechten bapst vertriben.
Das geloptens pald künig Sigmund all
Man halt daz kainer da von vall
Vnd pleihen hey der aianickayt
Ze Costenz pey der kriatenhayt.
Man glauht si haltens trewlieh stät
Vnd hahent den valsehen bapst ahgesayt
Da hat's künig Sigmund all zů praeht
Gen Costenz hahent geeilt vnd gaeht
Mit potschafft hebants gnad hegert
Vnd gänczlich zum Coneili kert.
Künig Sigmund haltens dye reges
Nun sagent iura vnd leges:
Daz wil ieh hye aueh erzeln
Man soll kain römischen bapst erweln
Wann mit aines kaysers künigs rat
Im reeht půeh das gesehriehen stat.
Wer kan das weysslieh denken gar
Durehgründen genezlich niemen war,
Dye im jn höehster wirdickayt
Gesehenkt erpoten ist geert
Hoeherwirdig zueht ist er wert
Von grossem Kleinot gold vnd stain
Gesehenkt dem edelen fürsten rein
Von künigen fürsten vorgenent
Zu den jn Got jn den het vorgesent,
Daz er die irrung maehe sehlecht
Des was er pott vnd Gottes knecht.
Künig Sigmund tet noch arhayt me
Seym leib vnd gůt dem tett er we.
Noch ferrer zoeh der fürst für sich
Zů den zwayn künigen adelich

Gen Frankreich vnd gen Siggenlandt (V. 737)
Da er erst fremde mär erfandt,
Mein knie ich vor künig Sigmund pieg,
Er wolt den grossen alten krieg
Zwischen der künigreich payder
Der lang gewert het layder
Den hiet er geren geaint, versönt
Frankreich Engenlandt gekrönt.
Nit volgen wolt im der ayn tail
Vnd ist doch manschlacht vnd vnhayl
Darauss gangen mercklich ploss,
Schaden an leib an gůt gross
Vnd noch layder nit an endt
Got selb daz richt nnd schier erwendt
Manig zeyt vnd vil er da belaib
Fürstlich schimpff er da vil traib
Mein hercz so verr vnd gross nit denck f. 103.
Was hocher er jm da ward geschenkt
Daz man jn ert dünckt pillich mich
Lob aller fursten ich das sprich
Den künigen er interpretiert
Sein baymlichhayt deliberiert.
Nicht mer ich da von sagen wayss
Do er volpracht den langen kraiss,
So hat sich gelück vnd seldt gemert
Daz er herwider hat gekert
Gar frolich frisch stark vnd gesunt
Vnd geswaigt manigs torn mundt
Sprachen er kam herwider nymmer
Auff dye pin ich hässig grymmier
Vnd sind worden ze lugneren
Gar feint ich pin den trugneren.
Gott soll wir sagen lob vnd danck,
Des kunigs zukunfft vnd sein einganck
Das er gen Costenz komen ist
Des sollen wir loben Jesum Christ,
Maria vnd alle engel gar
Vnd all heiligen die grossen schar,
Daz er komen gen Costenz
Mit hocher wird vnd reverenz
Miessig er da nymmer wirt

Ist des Concilis trewer hirt,
Als got spricht allen menschen vor
Ego sum bonus pastor
Dem evangeli volgt er nach
Ich glaub alz vnrecht ihm verschmach.
Der kunig des nit geniessen kan
In get vil widerwertickayt an
Vnd nit darvmb lon noch dank
Doch macht er leib vnd gut mit kranck
Vnd clag den edlen fursten vnd trawr
Daz im das concili wiret so saur
Dye welt geit aber, was si hat
Lon noch danck von ir nit gat:
Daz jamert vnd erparmet mich
In rechter warhayt ich das sprich
Daz ich den fürsten gleichen mag
In dem concili jar vnd tag
Moyses ders volk von israhel
Füret auss egypten auss der quel
Durch das rot mer durch die wiest
Das da verdorben gar sein miest
Hiets Meyses nit ausgefürt.
Der sin künig Sigmund eben rürt
Als Moyses gross mie arbayt tett
Mt dem volk von Israhel hett,
Solich mie vnd arbayt weit
Het Künig Sigmund stund vnd zeit.
Moyses het darum klainnen solt
Vom volk daz ward im selten holt
Verdient wenig dank vmbs volk.
Got herr deck deinen gnaden wolk
Vber den andern Moysen frum
Mit deiner krafft se hilff im kum!
Kunig Sigmund des volkes fürer ist
Ze losung yetzund auff der frist
Darum deinen lon im selber gib
Mit deiner gnad sein albeg pflig
Mit deiner gnad durch vast aussreitter
Daz daz cisma nit mer werd weitter
Fürpass ewichlieben nit
Mach in herr zu deinem treuen schmid

Mit deines heiligen geistes elammer
Daz er der rechten warhayt hammer
Für in seiner handt gerechtickayt
Vnd würk dein ewig löhlichhaytl
Send im dein zangen vnd amposs
Dass er darauff wirck klain vnd gross
Als dez die cristenhayt hedarff
Welt posshayt ist worden scharpff
Schalkayt vnrecht posser gewalt
Ist von dem frumen vnhezalt
An zal gleich als der sunnen stanh
Als griess im mer, grass vnd laub
Darumh hedarff künig Sigmund wol
Herr Got deiner weysshayt sein herz vol
Sendt im die rechten wag vnd gewicht
Daz ers nach Warhayt als aussricht
Das mencklich hey rechter urtayl pleib
Allen valschen rat von im vertreib f. 104.
Erzayg im herr dein gotlich krafft
An seinen veinden werd sighafft
Als Abraham vnd kunig David
Vnd Moyses mit rainnem sitt
Herczog Josue vnd Gedeon
Vnd Judas Macabeus son
Grosser Kayser karl manlich mût
Dye all hettest in deiner hût
Vnd lagen iren veinden ob
Mit deiner hilff in deinem loh
Also hilff Kunig Sigmund ligen
An seinen veinden angesigen!
Sendt in sein heres im allermaist
Der weyshayt kunst den heilgen gayst
Schick her dem Kunig das eren clay;
Daz er verhappent sey für layd.
Daz heilig creucz verwappen jn
Ain helm der gecronet sey
Mit der sel höchsten krefften drey:
Das ist vernufft, dechtnuss, will,
Löhlich von Got krefft stand still
Ain helem von der grössten gah
Der heilig götlich Kristen glaub

Beschaydenhayt zû helem deck,
Daz kein sein veindt in nit erschrek
Ain goller mit gotlicher vorcht
Verstendnuss weyss ein goller worcht
Verstendnuss weiss ein gotter worcht
Ein panzer sein lauter warhayt,
Gegilht gezirt mit mäasikayt.
Ain platten götlich gnad mit fleiss
Got kem in da durch brech vnd gleiss
Zû ainem spiegel aller disser welt
Ain gotlich fried sei sein zelt
Wo er in allar welt wandelt
Tag vnd nacht vnd wass er handelt
Sein prustpleeh sey sein götlich glayt
Vnd all sein schuld got wider rayt
Dein götlich ratt zû einem schurz
Sein frewnt (freut) saien lang sein layd sey kurz
Dein götlich trost sein aremzeug
All valschen hercz vor verschmüg
Dir herr Got dienen piss an das endt,
Gib zwen hantschûch an sein hendt
Sein wappenrock dein götlich huld
Ain gürtel darumb recht gedult,
Der sundt vnschuld dein götlichen segen
Gib im ze harnass messer, degen
Sent im dein gewalt zu einem swart
Damit sich all gerechtickayt mert
Von diemût auss dem grauem tuch
Gib im ze paingwandt zwen stächlein schuch
Gahorsam gib im ze zwain sporen
An im dein tod nit werd verloren!
Gib im ein schild deiner götlichen sterck
Mit deiner heiligen gnad in merck
Parmherczig armen leuten milt,
Ziert wol sein kuniglich furstlich schilt
Sant im dein pauier her jns landt
Deinen götlichen fried vnd kunst vnd handt
Ain panier dankparkayt dye stang
Sein hercz sein giar nach belang
Ain panier schilt einen riem ich lass
Spricht fides spes et caritas

Der sel füncklein sinderesa(?)
Sey in seinam herezen gerecht gewiss
Mit fleiss taglich sein pet verrieeb
Ainen claren spiegal all tag sech
Deines heiligen leichnams reichen schaz
Vnd kostlich hord ze layd vnd tracz
Allen veinden sind in der helle
Get in jn hůt hab pflegen walle
Der dein gotlich nam der sey sein krey
Daz er got teglich lobend sey
Den hochen schatz götlicher minn
Allzeyt in seinem herczen prinn
Auff vesticksyt daz ross in setz
Daa nit se vil hört noch waich in leczl
Gůt gewonhayt an dem pfard seinn zam f. 105.
Sent im Marien aus der kram
Deiner aller höchsten gnad vnd eren;
Gerechtickayt, warhayt soltu leren:
Daa er dein lieber diener werd
Dort ewigkleich vnd hie auff erd
Ain satel stätickayt gar vest
Auff sein pferd auff daz allerpest
Daz er mariam darinn sica
Mit aller heiligen ratt vnd wicz,
Aller engel freuntschafft sich nit schayd
Von im vnd gaben ain geraid
Ain satl alz gelückss genug
Und ein war erkantnuss clůg
Daz er Got sich selber kenn
Daa er Got danck vnd loblich nenn
In allen seinen wercken vnd wort,
Gar geren sich daz sach vnd hort
Allmechtig daz alz ich pit
Gib im vernufft weyshayt da mit,
Daa er kund sprach hystorice
Gar meysterlich rethorica
Gestrachsyt leibs langs leben
Sol im de n ewig drivalt geben
Daa sey sein crzney vnd sein tranck
An sel an leib gesunt nymmer kranck,
Hilff herr daa ers von dir erwerb

Vor daz er an dem leib sterb
Doch werdt im vor dein gnad gesent
Rew peicht vnd heiligi sacrament.
Daz schick dein götlich gnad im vor
Für darnach sein sel in den kor
Da ewig freud an trawren ist.
Des pitt ich dich herr Jesu Christ
Daz da künig Sigmund sey gelömpt
Ain himelischer fürst werd gereůmpt
Vnd da treib herr in deiner krafft
Ewig kuniglich himelisch herrschafft
Da von sand pauls redlich spricht
Got dienen daz sey anders nit
Wann wer hye künigklich herschafft treib
Herr in dein lehenz pûch jn schreib
In der drivalt consistori
Daz wir durch das liecht der glori
Dein clar ewig antlietz sechen
Deiner feinnen gothayt da durch prechen,
Almechtiger Got es scheint die sunn
Vnd ist auffgangen freud vnd wunn
Vnd ist vor Got verpracht
Als daz concili hat verpracht
Ze tôndt, daz ist gar concludirt
Ob Got wil weysslich deliberiert
Si habent ein papst gar erlich
Erwelt götlich gar herlich
Vnd ist auff das höchst gradiert
Ze bapst gemacht vnd confirmiert
Von dem ganzen concilium
Des loben wir der Gothayt filium
Er hayst der funffte papst Martein
Wenn mag die wal beschehen sein?
Des jars do zält man tausent vierhundert
Vnd siebenzehen iar noch mer
An dem heiligen sand Marteinstag
Der wal das hoch concili pflag
Got geb im gnad kunst vnd witz
Vnd seines heiligen gaistes hitz
Daz in Got also illustrier
Daz er ans endt perseverier

In allen dem daz got wol gefall
Des sullen wir got piten all
Wo ward ie bapst so hoch erwelt
In hat's Concili ausserzelt
Ze Costenz auss allen gelerten weissen
Darvmb soll man in pillich preissen
Wann ich glaub ganez an allen zweifel
Daz kain geizhayt miet noch feifel
Kain symoney noch controversi
Hab da gehebt weder pfaff noch lay
In der öbristen höchsten wal
In dem concili heiligen sal
Got hat sein kristenhayt begabt
Es war not mit einem heiligen haupt
Hochprechtikait weyshayt vnd eren!
O lieber got wye gar geren
Lobt ich in daz ich weste wie
Daz ich nit ze vil noch ze lüzl gie
Sein lob ze hoch noch ab ze tieff
Got herr zů deiner gnad ich rüff.
Lob in selb darnach er verschuld
Gib in sein hercz ion recht, im recht geduldt,
Daz gerecht sey sein anfang
Ain selig mittel vnd aussgang
Ich pitt got daz er im benedicier
Vnd jetzen bapst martein confirmier
Mit allar tugendt götlicher forcht
Alz der heilig götlich segen worcht
In abraham issac iacob
Allen iren veinden lagen ob:
Also muss er aller sundt angesigen
Vnd aller symoney obligen
Daz ers verschmäch schätz für ein gift
Daz sein hercz also sey geschifft
Ich hoff traw Got zů dem herrn
Er soll leuchten als ein lucern
Vor Got vnd welt in gerechtikayt
Lasa sich kain valschen rat verkern
So wirt sein lob sein glück sich meren
Sech an etlich sein vorfaren
Wye sy in teufels necz vnd garen

Mit symoney gefangen vnd bedeckt
Sich selb mit schandt laster erschreckt
Als si die tiefel habent gejagt
Daz sey Got vnd herr geclagt
Da hüt dich vor der vater new
Nym in dein hertz götlich trew
Sich an wass man geschriben vindt
Ir richtend recht der menschen kindt
Im psalter das her David spricht
Wer gwalt hab er sich darnach richt
Nym für dich gleichs recht vnd gwalt
So wert dein gwalt lang vnd wirt alt
Verkauff dein vrtayl nit vmb golt
Wer war vnd recht het dem piss holt
Von recht vnd warhayt nyemant tring
Wer falschlichen tw zů schand jn pring
Got dienst du doran vnd dir selb
Am jüngsten tag du nit ergelb
Stest du vor Got an sorg an schriek
So du ansichst gotz anplick
Der zornig ist auff sünder feint
Auff sein frewnt gnediklich er scheint
Got geb das da Künig Sigmund stand
Vnd wir mit jm zů rechter handt
Daz got zů vns sprech venite
In mein reich vnd sprech auch ite
Zů den pösen get in dye hell
In ewig todt sinds teufels gesell
Ain bapst sol genezlich sein an sündt
Clar leuchten scheinnen zů urkündt
Daz er gar selten dörfte peicht
Lept er also Got im nichtz verzeicht
Vmb bass er pitt vmb klein vmb gross
Vnd wär den höchsten engeln gnoss
Das er hett prudersehafft mit jn
Ach lieber got daz wir den sin
Nit weyslich wellen recht verstan
Daz mäneklich in den todt muss gan
Dez wirt doch nymant v̊berhebt
Wass geporn ist und alles daz lebt
Wass hilfft vnsa so wir in dar nott

Ligen vnd so wir sein tedt
Der allermaist sündt hat verpracht
Ze hell ze fegfeur er pald gacht
Hab ain seinen gwin nit mir sein geb
Der in selichen süntlichen wessen leb
Daz ist der sel ein ewig schlag f. 107.
Da mit dem ticht ein endt ich sag
Daz ich Kunig sigmend han berayt
In loh seiner höchsten wirdickayt
Den ich vor allen fürsten preiss
Daran ich gelegt han meinen fleiss
Das es Kunig Sigmund wol geviel
Se ffür ich auff glückes kiel
Vnd deucht mein müe mich nit ze wår
Nech das mein arbayt verleren wär
Das ticht alse gemacht ist für war
De Christus bet vierzehen hundert jar
Im achtzehenden jar es gieng
De sich der glans aller erst anfieng.

XXI.

Ulrich Richental über Hus und Hieronymus.

Dis Buch ist Gebhartt Dachers von Costentz vnd seitt von dem concilium daz danne zu Costentz gewassen ist als danne Vlrich Richental ain Burger von Costentz zu denselben zitten gar aigenlichen was darinne beschechen ist verschriben vnd laussen maulen hatt vnd ich Gebhartt Dacher das ernuwert hab anno MCCCCLXIIII jar. (Cod. Univ. Prag. XVI. A. 17. Augsb. 1483.)

F. XL. Als nu das Concilium gen Costentz komen was vnd also die sessiones wurden do wurden sy ouch ze ratt das zy den vnglouben in Behem demen wolttend vnd die Kätzery vertilgen vnd luden für jr gericht den hussen vnd ouch Jeronimum und bienend die. Die woltten sich ninters daran keren vnd woltten ouch jrem bann vnd gericht nit gehorsam sin. Do schribend sy kunig Wentzesslaw von Becham das er so wol tätt durch Cristens glouben willen vnd die zwen gen Costentz sante wenn doch da yetz der grund vnd die ler alle Cristenhayt wäre vnd hettend vnssern herre den kung Sigmunden Romischen kung Das er darumb sinem Bruder ouch schrib

Das tätt ouch er, noch dannocht wolteutz nitt komen vnsser herr der Romsche kung santte dann den selben maister hannsen hussen ein fry sicher geleitt mitt sinem brieff vnd insigel sicher ze sind dar vnd dannen Das gelaitt santt jm ouch vnsser herr der kung.

Also santt jn kung Wentzla von Beham erlich gen Costentz vnd ritten mit jm die jn belaitten her watzla von der Thuhen vnd her hainrich Latschenbock mer dann mitt drissig pfärtten vnd zwain wägen. Do hett der huss selb ein wägellin Daruff er vnd sin capplon vff saussend vnd zugend jn der pfistrinen hussen an Sant Pauls gassen.

Do sy nun da ain tag oder zwen růwten Do nam der huss vnd hett jn dem hus in der kamer nebend der stuben mess Vnd kamen vil der nachgeburen vnd horttend by im mess das des louffens vil ward Doch hett er do ze maul mess als vnser pfaffen Do nun das vernam vnser herr bischoff Ott von Costentz Do santt er zw im sin vicarien Maister hannsen Tenger vnd sin Oufficial Maister Cunratt Helie. Die zwen komend zw jm vnd rettend mitt jm warumb er mess hett nun wisti er doch wol das er lang zittes jn des Babstes Bann wär vnd sunder yetz in des hailgen concilio Da antwurtt er Er hieltte kain Bann vnd wolte mess haben Als dick er sin gnaud hett Do verbott der Bischoff dem volk das sy sin mess nit hortten.

Do das der huss marcktte vnd ouch anders das man jm zu trethen woltt Do für er zu dem andern Sunnentag jn der vasten so man singt jn dem Ampt ouculi nach siner mess vnd nam ain brott vnd ain fläschlin mitt win zu jm vnd verbarg sich in des latschenbock wagen wen die karren nach ymbis wolttend vssfaren vmb höu vnd futter jn ain dorff Da sy es koufft hetten Do die Ritter ze tisch kamen Da fragten sy dem hussen nach Do man sin nitt finden kond Do luff der lattschenbock zu dem burgermaister vnd klegts dem der hiess an stett die statt beschlüssen vnd mänklich beraitt sin ze ross vnd ze fuss jm nach ze louffen Das beschach gelich jn dem ward er funden vnd ward mänklichem wider botten [1]).

Gelich nach ymbis do es ains schlug Do nam der selb her heinrich latschenbock denselben hussen vff ain ross vnd sin capplon

[1]) Ulrich Richenthal, welcher selbst von dem Rathe von Constanz beauftragt war, die Polizei zu handhaben, f. vi und bei einer Nachricht, die ihm nicht ganz glaubhaft erschien, hinzufügt: das gelaubt ich nitt, wenn es ich nit sach f. xvi, konnte nicht blos, sondern musste auch wissen, ob „der Latschenbock" zu dem Burgermaister kam. Diese Nachricht hat somit nichts unglaubliches an sich.

mitt jm vnd ander Behem vnd fürtten jn vff den obern hoff für die pfallentz für Bauhste Johannsen Do sprach der huss er soltt jn kain vancknuss nitt bringen wan er hett ein fry gelaitt Do sprach der latschenbok es ist also angesechen das ir vwer sachen sond zu bringen oder villicht darvmb sterben Also tratt er behends ab dem ross vnd woltt vnder das behamsch volk gelouffen sin won ob achtzigtussend lut vff dem hoff wärend die sin jnnen wärend worden Das man jn dem bauhst bringen woltt Do die Püttel des Baubsts das sächend die die silbrinen stecken oder tremel tragen Die erwuschten jnn vnd fürtten ynn jn die pfallentz vnd beschlussend sy vnd liessend den Capplan anweggon. Da er da also lag in dem hett jm vnsser herr der kung gern geholffen vnd maint Es wär jm ein grob uner soltt jm sin fry gelaitt gebrochen werden. Do antwurtten jm die gelertten Es mocht noch enkund nitt sin in kainen weg jm rechten Das en kain kätzer kain gelait haben soltt Do er jrn ernste erhortt do liess er es gůtt sin Do ward er gelaitt zu den predycru in ain sunder gemach vnd da behůtt vnd giengend all tag zu jm die gelertesten in der theolyg vnd saitten jm vor ob sy jn ab sinem bösen glouben briugen möchtend. Darnach am mentag nach dem hailgen tag ze Oustran Do kam Jeronimus mit ainem schůler haimlich gen Costentz Das es niemand wist von mangfallte das volkes vnd schlug an ain brieff der saitt Er wisti anders nitt Dann das maister hanns huss recht gelertt vnd gebredyett hett Doch wärend jm ettlich artikell zu gezogen von fyentschafft wegen wäre das er die hieltt Da verkunde er jnu nitt schirmen Als bald er den brieff angeschlagen hett Do luff er gelich anweg Do ward ich vnd ander vil gefragt war er komen wär Do wist niemand nünt darumb Darnach vber sechs tag Do ward man jnnen das er ze her bergwas gesin by dem gůtt jar an Sant pauls gassen vnd hett von forchten hinder jm verlaussen ain schwert vnd kam also in den Behamer wald vnd wolt da růwen vnd als jegler gelerter man den andern sucht Also kam er zu dem lupriester da selbs der bett von geschicht all pfaffen gelatt Do kam Gregorius (Hieronymus) ouch in dem moul vnd darnach vieng er an ze reden won er vast gesprüch was wie er ze Costentz gewesen wer jn den concilium Das da wol hies ain schul des tüffels Sathane vnd ain sinagog aller verkerten lutt vnd hett brieff by im wol mit sibenzig insigel Das maister hanns huss vnd er wolbestanden wärend vnd kund noch möcht kein gelerter man noch herr nit wider sy reden vnd seitt vil vbels von dem

concilium des do die pfaffen vhel erschräkend vnd wurden haimlich ze ratt das sy das dem herren daselhst saittind der antwurtt das sy also baittottind vntz morn mornen des do hielt der herr mitt sinen dienern uff jnu vnd fieng jn vnd sprach Maister jr habtt gester ettwas gerett von dem concilium da muss ich ye wissen ob das war sy oder nitt vnd mussend mitt mir gen Costentz also brächt er jnn gen Costentz an dem XXI tag nach Ostran De' ward er an stett gelaitt gen gottlieben in die veste jn ain sunder gemach vnd ritten vud furen ouch gelertt lutt zu jm die maintten er wäre vil vnd grosser vierfaltt an kunste dann der huss vnd giengend die gelertten als dick zu jnen baiden das sy baid sprächend sy woltten von jrem bösen gelohen laussen wöltten das wider predigen was sy gelert hetten des was mäuklich fro vnd lutt man aber laudes.

Darnach ward ein sessio Do ward darin ertailtt das man sy hie uss in Schwabenlanden haltten soltt in welhem Clouster vnd Orden sy woltten Oder an welher statt sy woltten vnd das yr yecklicher selb sechst gnůg haben sollten Doch das sy gen Beham niemer mer komen soltten vnd das sy och mitt jr aigen hand vnd mitt jrm aigen insigel gen Behame schriben sollten das sy falsch vnd vnrecht gehredyett hetten vnd das (sy) es nun hinnan für niemand mer haltten soltt Das alles wollten sy gerne gehaltten haben vnd da hy beliben Daun allein vmb das schriben gen Beham das woltten sy ye nitt tun vnd woltten die demuttikaitt nit vffnemen vnd sprächend das laster wellen wir ye vns selh nitt tůn wou wir nämend mit wortten mangen vsser dem himelrich den wir darin braucht haind mit vnsser ler als man das alles in der lattin vindet.

Am Samstag nach Santt vlrichs tag am achtenden tag im höwatt anno domini tussend vierhundert vnd XV jar Do wurd aber ain sessio mitt gantzer pfaffhait vnd was vnsser herr der kung selb ouch da by herczog ludwigen von paigern von haidelherg vnd ander vil welttlicher fürsten vnd herren vnd heschach die Session an der sechsten stund nach mitternacht Do ward hesentt Maister hanns huss von Beham der kätzer vnd predigett da vor jm der hochwirdig göttlich maister Johannes thacheri der obrosten schůl ze paris in göttlicher kunst regierer von siner bösen kätzery vnd ward mit rechter göttlicher lere vsser der hailgen geschrifft vberwunden Das sin artikell die er gebredyet vud gelertt hett valsch vnd rechte kätzery

was vnd gabend ain rechtt vrttail vber jnn Des Ersten als ain priester gewichtt was das man jnn dann degradiren soltt vnd sin wiche abnemen Do stůnd zů im her nicolaus der Grossmaister vnd Ertzebischoff zw Mailen zwen Cardinäll vnd zwen bischoff vnd zwen Wichbischoff vnd leitten jnn an als ainen priester vnd zugend jnn wider ab als mitt gehett vnd woschend jme sin karakteres ab Do macht er ein gespött daruss.

Do nun das vergieng do gaubentz ain vrttail vber jnne also das, er wär ain Ertzkätzer vnd ain vnstrauffber vnd vnwiser man siner bosshait abzestan vnd empfalchen jnn dein weltlichen rechten vnd hattend vnssern herren den kunig vnd das welttlich rechtt das man jnne nitt totte vnd jn sust behieltt Do nam der kung vnd sprach zu hertzog ludwigen Sid ich der bin der das welttlich schwert jnn halttett, lieber Öchan hertzog ludwig vnsser vnd des hailgen Römischen riches curfürst vnd vnsser Ertztrucksess so nemend jnn vnd tůnd jm als ainem kätzer an vnsser statt Do růfft hertzog ludwig der von Constentz vogt Der von des Richs wegen vogt was Das was Hanns hagen der och ze gegen was vnd sprach vogt nun nim den von unsser baider wegen vnd von vnsser urtail vnd verbrenn jnne als ain kätzer Der hiess die Ratzknecht vnd den henker das sy jnn vss fürtten ze verbrennen vnd jm aber kain sin häss gürttel gewande sekell messer pfenning hossen noch schůch nitt nemen noch abzuchen Das beschach och vnd hott doch zwen gůtt schwartz rock an von gůttem tuch vnd ain gürttel was ain klain beschlagen vnd zway bymesser jn ainer schaid vnd ain lidrin seckel Da mocht wol ettwas jnne sin vnd hatt ain wiss niffeln vff sinem hoptt als da gemault statt Da stůnden angemault zwen tüffel vnd ye enzwüschend geschriben Eresiarcha Das ist so vil ain ertzbischoff aller Kätzer vnd fürlten jnn die von Costentz vss mer dann mitt tussend gewauppnotter mannen vnd die laigen fürsten vnd herren ouch gewauppnott vnd furtten jnne hertzog ludwigs diener zwen ainer zu der rechten sitten der ander zu der lingen sitten vnd was nitt gebunden won das sy sust nehend jm gieng vnd růfften mir Ulriche zu jnne vnd giengen vor jm des Ratz knecht vnd hinder jm ouch des Rattes knecht vnd furtten jnne zů Selttinger thor vss hin vnd von grossem trang můst man jnne füren den brül vmb hin vmb Richmans widen hus vnd wurden der gewappneten mer danne drü tussend ane ungewappnott vnd an frowen vnd must man die lutt

uff der hrug an Selttinger thore halten das ye ain schare vher ein kam vnd forcht man die brugg zerhräch vnd fürt man jnn vff das klein inder vsser feld enmitten vnd an dem vsshin füren do bette er nitt anders danne Jhesu Christe fili Dei vivi miserere mei. vnd do er kam zu dem vsser feldt vber das brügli vnd er sach das fuerholtz vnd stro do viel er dri stund vff sine knie vnd sprach lutt Jesu Christe fili Dei vivi qui passus es pro nobis miserere mei. Darnach fragtt man jnne oh er bichten wöltt Do sprach er gern won daz es hie ze eng ist. Do er nun käm jn den ring da machtt man ain witten ring Do fragtt ich jnn oh er hichten wöllt da wäre ain priester hiess her Ůlrich Schoraod der bett des Conciliums vnd des histums gewalt. Da sprach er ja Do růfft ich demselhen her vlrichen der kam zů ime vnd sprach lieber herre vnd maister wend jr ahtretten des vnglouhens vnd der kätzery darumb jr liden müssend so wil ich uch gern Bicht horen wend jr aber das nitt tun So wissend jr selh wol das in gaistlichem rechten statt Das man kainen kätzer kein göttlich sach nitt tun noch geben sol. Do sprach der huss Es ist nit nott Ich bin kain todsünder nitt. Dornach wolt er angefangen haben ze predyen jn tütsch Das wollt hertzog ludwig nitt vnd hiess jnn verbrennen Do nam der henker vnd hand jnne mit häss vnd mit allem an ain vffrecht brett vnd staltt im ein hochen schämel under sin füsse vnd leitt holz vnd stro vmh jnn vnd schutt ain wänig hech darin vnd zuntt es an Do gehuh er sich mit schrigen vast vbel vnd was bald verbrunnen Do er aller ding verhrunnen was dennocht was die niffel in dem fur ganez do zerstiep sy der henker do verhran sy ouch vnd ward der höste schmak den man schmecken moucht won der Cardinalle pangracius hatt ain grosses mul das starb an der Statt von eltte das ward davor da jn graben vnd von der bitz tatt sich das ertrich vff das der schmack herus kam Darnach furt man die ascben was da lag gänczlich jn den rin.

F. XLIV. Am Samstag vor des heilgen Cruztag in dem herpst do hetten sy ain gross Session mitt allen geistlichen lutten vnd gelertten herren vnd mit ganczem Concilium und was ouch jn der session hertzog Ludwig von paygern von haidelberg dem ouch vnsser herr der kung das concilium empfolhen hett vnd lutt man nach der mette ainost zů den tag frü vor der tag mess zum andern vnd nach der tagmess zesamen vnd singend ain lohlich mess von der heilgen Trivaltikait. Nach der mess ward besantt Jeronimus der kätzer vnd predyett ain

maister göttlicher kunst vss Engellandt nach der predig Do wisten die maister göttlicher kunst mitt göttlicher geschriffte das er valschlich gehredyet vnd gelert hett vnd woltt ouch nitt davon laussen noch gen Beham schriben vnd ward ouch vertailt als ein kätzer vnd ward ouch geben hertzog Ludwigen von paigern Der hiess jn vssfüren vnd verbrennen vnd fürt man jn uss gelich als den hussen wonn das nit alsvil gewappents volk mit jm gieng wen des hedorfft man do nitt won die Beham die laigen des mertail die ze Constenz wärend gesin, die wärend mitt vnsern herrn den kunig geritten die andern wären hain geritten vnd als man jnn vss hin fürtt Do bettet er den credo in unum deum vnd wenn der usshin kam Do vieng er an ze singend die lettanig vnd ward ouch verbrennt an der statt da der huss verbrennt ward und hort man jm ouch kain bicht als dem hussen vnd lebt jn dem für vast lenger dann der huss vnd schraig grülich won er was ain vaister starker man mitt ainem schwartzen tickken grossen bartt vnd do er verbrennt ward do ward ouch die asch vnd alles das da waz jn den Rin gefürtt vnd waintten vil gelerter lutt vmb jnne Das er verderben must wonn er vast bass gelertt was daz der huss Er was worden maister in artibus zu prag in der statt zu lundens in Engelland zu köln vnd zu Erdfurt. Acta sunt hec anno tussend vierhundert vnd funffzechen jar (1416).

F. LIII. An der mittwuchen nach sant peter vnd pauli tag (1416) do ward ain congregati zu den parfussen Da hin ward besantt her heinrich latschenbock Ritter vsser beham vnd maintt man er wär ouch begriffen mitt des hussen glouben der schwur davor offenlich das es nit wär noch gehaltten hett vnd nam jn den aid das jnn duchte das der huss vnd jeronimus mit rechter vrtail wärend urtailt vnd hiess man da an stett brieff schriben wie die zwen kätzer vurtailt wären worden gen Beham Vnd jn die land da sy predyett hatten Die brieff nam da der Latschenbock vnd maintt er wöllt sy füren gen Behem Ob er das tatt oder nitt das wais ich nitt Ich waiss das wol das er starb darnach zw Grätz do ich jn Bechamer land was jn des hussen glouben.

F. LXXXVII. An dem zinstag am zwölfften tag im aberellen do wurden verbrennt maister dominicus de laude bücher uff den obern hoff die er gemacht hett vnd maintt man sy werent ettwas uff des hussen lere genaigett vnd wider rufft ouch da derselb meister vnd noch ainer siner Kätzerey die sy gehalten hatten vnd schwuren die füro niemer mer ze halten (1418).

XXII.

Fratris Johannis Andreae Ratisbonensis cronica inedita de expeditionibus in Bohemiam contra Hussistas haereticos.

Cod. Bibl. Reg. Monac. A. XXIX in Fol. maj. membran. Saec. XV. Fol. 148.

C. 1. Quid Sigismundus rex Bohemorum gesserit statim post concilium Constantiense et de prima et secunda expeditione in Bohemiam ad delendum Hussistas haereticos.

Cum anno domini MCCCCXVIII° Sigismundus Rex Romanorum decimam reddituum et fructuum ecclesiae per Alemanniam a clero ex concessione Martini Papae quinti tanquam advocatus et defensor ecclesiae accepisset, ipse tamen anno eodem a concilio Constanciensi circa festum sancti Martini per Ratisponam in Hungariam profectus, in Bohemia vivente adhuc fratre suo Wencezlao rege Bohemiae pro extirpatione haereticorum parum fecit. Anno autem sequenti defuncto circa festum assumptionis sanctae Mariae Rege Wenceslao, cum haeretici statim ecclesias destruerent et fideles diversis modis persequerentur, ipse tamen Sigismundus venire in Bohemiam pro defensione fidelium fere per annum distulit, unde haeretici orthodoxos acrius sunt persecuti. Anno tamen sequenti qui est MCCCCXX circa festum sancti Johannis baptistae ipse Sigismundus rex Romanorum et Bohemiae, pro extirpandis haereticis civitatem Pragensem obsedit fuereque ei in adjuto-

rium ut promissum est Duces Bavariae scilicet Johannes Henricus et Wilhelmus et inter ceteros Fridericus Margravius Misnensis haereticorum fervidus impugnator, habens in exercitu suo fere triginta millia virorum, ex quibus multi, dum incaute sive improvise in fugam provocantur, ab ipsis haereticis numero fere sexaginta miserabiliter in monte, in quo est patibulum civitatis pragensis quem montem novo vocabulo sicut alios montes, in quibus convenire solebant, vocabant Tabor, sunt interempti. Unde cum exercitus ille magnus obsidionis, qui centum millium virorum dicebatur, circa festum sancti Petri ad vincula non deletis haereticis dissolvitur, ipse Fridericus marchio magis accensus plura apud certos(?), quos habebat inimicos, in via a Praga usque in terram suam incendio vastat. Rex vero Sigismundus in castro Pragensi in regem Bohemiae coronatur et nobilissima clenodia reliquiarum in auro, argento et lapidibus praeciosis in usus militum utpote defensorum ecclesiae distribuit protestans ut dicebatur, se hoc facere ne haereticis relinqueretur facultas aufferendi. Reliquias vero imperiales, quae hactenus conservatae erant, in castro dicto Charelstein per Moraviam misit in Ungariam. Interea tempore obsidionis praedictae venit Ratisponam Magister Oswaldus ferens bullam Martini papae V, quam ad praedicandum crucem contra Hussistas ad petitionem regis Sigismundi dederat. Unde primum in montibus Chutnis dioecesis Pragensis in mense Augusti facti sunt processus qui missi sunt Salzpurgam ad concilium provinciale ibidem celebratum. Anno eodem in mense Septembri, dum haec fierent, oritur verbum in populo de Sigismundo Rege quibusdam eum talem nominantibus qualem non decet Regem Romanorum nominare; aliis autem eum excusantibus ac dicentibus quod deceptus sit per barones et potentes regni Bohemiae, qui tempore obsidionis praedictae petiverunt exercitum dissolvi promittentes non coacti etiam totum populum perversum ad fidem orthodoxam convertere. Inter hoc infideles (fideles) crudeliter persequuntur. Unde factum est ut anno eodem in festo omnium sanctorum Pragae Wisshart (Wissegrad) castrum, quod fideles denique contra haereticos potenter obtinuerunt, multi nobiles et praecipue barones potentes regni Bohemiae ab haereticis in proelio occiderentur, Rege cum exercitu suo personaliter ibidem existente. Dicitur autem quod dum dicti barones cum a Sigismundo ut aut consulte hostibus crederet (cederet) aut eis in proelio auxiliaretur, peterent, ipse Sigismundus dixerit: *Vos infamem me in universo orbe fecistis, promittentes michi facere fideles ex infidelibus*

ut *exercitum dissolvam, volo ergo ut fidem et verba operibus comprobetis.* Quibus verbis dicti barones numero XVI moti turbam infidelium hostium aggrediuntur et omnes cum suis in eodem proelio occiduntur, Rege ut dicebatur personaliter volente eis ferre auxilium, sed a suis retento, tanquam qui potentiae adversariorum resistere non valeret et licet ista sic se habeant, dolus tamen utrique parti scilicet Sigismundi et baronum fuit imputatus. Deinde circa festum purificationis sanctae Mariae Husitae obsiderunt Tachowiam vulgariter Tachaw. Quos dux Johannes congregato exercitu in via sua discriminosa defendere voluit. Quod audientes haeretici ab obsidione recesserunt et multi ex iis in claustro Chladruva vulgariter Chladraum se receperunt: quos rex Sigismundus ibidem obsedit, sed sine victoria inde recessit descendens per Moraviam in Ungariam. Post cujus recessum Moravia, in qua hucusque pauci fuerant infideles, erroribus et haeresibus exceptis paucis polluitur.

Dum haec ita fierent, fit vociferatio communis in populo: cur superiores principes spirituales et saeculares sic patiantur scindi ecclesiam et fideles persequi? Interea ad excitandum katholicos contra haereticos processus bullae Martini Papae V., quam dedit Sigismundo regi Romanorum, in universum mittuntur. Qui processus modicum curabantur, eo quod originalis bulla Martini Papae data erat ad instantiam petitionis Sigismundi regis et ad requisitionem ipsius tantum habebat vigorem, de Sigismundo autem spes pro extirpandis haereticis esset sepulta. Fit cum (tum) ex dicto (decreto) Sigismundi regis Romanorum anno domini MCCCCXXI ante festum pentekostes in civitate Nurmberga congregatio electorum et principum civitatumque Romani Imperii, ubi rex Sigismundus quatuordecim diebus exspectatus non venit, fitque communis fama, quod gentiles terram ejus scilicet Ungariae impugnarent et ob hoc ipse Sigismundus non posset venire. Et cum nullum responsum ab eo haberetur, hii qui convenerant, de alia congregatione fienda ad tractandum de hujusmodi negotio simul concordarunt, denique summus Apostolicus Martinus videlicet Papa quintus vigilans super gregem sibi creditum Brandam Cardinalem ad praedicandum crucem contra haereticos in Bohemia et Moravia in Germaniam cum plenitudine potestatis misit. Post festum igitur pentekostes electores et principes oratoresque civitatum in oppido Wesalia Treverensis dioecesis, prout Nurembergae conclusum fuerat, convenientes, accedente assensu Brandae cardinalis

velud fervidi katholicae fidei defensores simul concordarunt, ut expeditio propter hujusmodi negotium in Bohemia fieret et prope oppidum Egram Ratisponensis dioecesis exercitus congregandus convenire deberet in vigilia Bartholomaei. Post has duas jam dictas congregationes fiunt etiam aliae duae successivae causa hujus negotii in partibus Reni, ad quarum ultimam venit dominus Georgius Episcopus Pataviensis ferens literas ex parte Regis Sigismundi, quibus electoribus principibusque ipsius congregationis de voluntate sua dabat plenam auctoritatem, ut ipsi modis omnibus, quibus melius possent, hujusmodi expeditionem contra haereticos in Bohemiam ad debitum perducerent finem. Confortati igitur principes ceterique auctoritate papali et regali in vigilia Bartholomaei cum armigeris caeterisque ad expeditionem congruentibus prope oppidum Egram, de quo supradictum est, conveniunt tractaturi ibidem de summo capitaneo totius exercitus; proh dedecus de cunctis catholicis deflenda sera deliberatio de eligendo. Nam Branda cardinalis fultus plena auctoritate apostolica ad tractandum hujusmodi negotium et sacri Romani imperii electores principes quoque et oratores civitatum imperialium viri electi qui moribus et studiis improborum haereticorum dissimiles videbantur, quibus etiam maximum propositum erat pessimis haereticis displicere, agitati circumflantibus procellis *non electo* ex (omnibus) duce sive capitaneo tantae expeditionis cum numeroso exercitu Bohemiam intrant et cum adjutorio Friderici Marchgravii Misnensis civitatem Sazensem teutonice Satz nuncupatam haereticis refertam obsident, sed proh dolor res illa laetos exitus non habuit. Nam exercitus ille magnus qui ab Italia et principatu Sabaudiae teutonice Sophoy coelisque longinquis partibus causa hujus negotii confluxerat et centum et vigintiquinque millium virorum reputabatur, dum membra singula eo *quod caput videlicet ducem sive capitaneum non haberent*, sibi invicem dissentirent, exinsperato nescitur quomodo sine omni effectu coepti operis est solutus et nostri haereticis desuper irridentibus circa inutiles sarcinulas diripiendas sunt occupati. Ad hanc expeditionem civitas nostra Ratispona etiam armigeros suos equestres et pedestres misit petivitque reverenter ab ecclesiis seu monasteriis civitatis ad hoc negotium in curribus et equis subsidium. Quod praemisso consilio cleri coram Johanne Streyperger tunc Ratisponae ecclesiae electo sicut petiverunt, obtinuerunt. Eramus autem tunc et nos sub dominio ipsorum, unde ad petitionem ipsorum currum

cum equis et servis ipsis assignavimus. Quod erat nobis magnum in comparatione subsidii aliarum civitatum. Erat autem capitaneus horum armigerorum ex parte civitatis, Petrus Maller tunc temporis scultetus et orator. Hiis signum crucis feria tertia ante assumptionem virginis gloriosae primum in ecclesia cathedrali praedicatur, ubi thema sermonis erat: in hoc signo vinces. Qui deinde feria quarta in die sancti Bernhardi iterum facto sermone, cujus thema erat: Abrahae dictae sunt promissiones etc. ad expeditionem proficiscuntur et dominica XXI in die sancti Maximiliani revertuntur. Interierunt autem de nostris in obsidione civitatis Sazensis viri tres: scilicet Johannes Wiltingerus stipendiarius vir bonae famae, Petrus Ingelstater civis in praeurbio de ordine sagittariorum et Petrus quidam operarius vinearum, qui accensus zelo fidei in propriis sumptibus transierat. Interiit etiam miles nobilis Conradus Murhar qui etiam anno praeterito in Wischerat, de quo supradictum est, cum caeteris ab haereticis obsessus fame compulsus et (erat) pluribus diebus carnes equineas comedere. Hic apud duces Bavariae magnus fuerat et praesertim tunc esse poterat eo quod lis magna tunc inter eos cassaretur.

C. 2. In Bohemia tempestive non eradicatis haereticis crevit ipsorum haereticorum pertinacia.

Rex Romanorum Sigismundus post combustionem Johannis Hus in concilio Constanciensi, dum verberibus in sequaces dicti Johannis Hus haeresiarchae temperius (tempestive) vindictam non faceret, more Helii sacerdotis filios suos non castigantis sed suspicans vivente adhuc Wenceslao Rege Bohemiae fratre suo, ne forte, dum nimis cuperet eradere aeruginem, frangeret vas; ipso etiam Wenceslao mortuo mansuetius egit cum Bohemis de extirpanda haeresi utpote dominus et haeres regni, ne forsitan ipse daret ipsis Bohemis occasionem rebellandi perderetque gentem et locum. Fit igitur Sigismundo rege non amputante acrius haereticam perversitatem ut ipsi Bohemi a falsa deviis erroribus magisque abducerentur, in tantam denique in brevi veniunt pertinaciam ut non solum apostolicae sedi sed et ipsi Sigismundo regi ipsorum temporali haereditario domino in regemque ipsorum coronato niterentur rebellare. Quod ut fortius possent, auxilium a Witoldo duce Lituaniae vulgariter Hertzog Witold nuncupato fratre regis Cracoviae nuper christiano facto postulant. Qui Witoldus super eo negotio scripsit Martino

papae V°, a quo et rescriptum recepit, quod tamen non curavit, sed anno domini MCCCCXXII circa festum paschae Sigismundum nepotem suum non attenta exhortatione et mandato Martini papae in auxilium haereticorum cum multitudine magna ut dicitur paganorum in Bohemiam misit. Sicque factum est ut dum ipse Sigismundus rex Romanorum Ungariae et Bohemiae differret perdere Bohemos haereticos, non solum perdidit quosdam sed et populum et regnum prout ex praenarratis sive praescriptis clarius haberi potest.

C. 3. Res gesta et de congregatione principum Nurimbergae.

Post expeditionem secundam infructuosam factam in Bohemiam per principes electores Romani imperii ad extirpandam haeresim husitarum Sigismundus Rex Romanorum et Bohemiae veniens in Moraviam facto tractatu sive liga pro extirpatione haereticorum in Moravia prout superius habetur, famam, antea fulgatione populi denigratam, splendidam fecit splendidioremque faciens pro conversione Bohemiae venit in Bohemiam. Et anno domini MCCCCXXII circa festum Epiphaniae domini constitutus in montibus Chutinis vulgariter Zum Kuttn ubi primum nullus haereticorum tolerabatur, videns invalescentem (contra) se haereticorum potentiam succensa civitate recessit venitque in Moraviam, in qua plurimi non obstante tractatu ante breve tempus habito velut canes ad vomitum redierunt. Deinde rege Sigismundo existente in Ungaria, dum haeretici crudeliter in catholicos saevirent, Theodericus Archiepiscopus Coloniensis in principio quadragesimae descendit per Ratisponam in Ungariam et post medium quadragesimae reversus Ratisponam statuit ibidem ante festum Ascensionis domini causa negotii de extirpandis haereticis utilitateque rei publicae fieri congregationem principum prout concluserat cum rege Sigismundo. Post haec igitur rege Sigismundo circa festum paschae castrametante in Moravia contra haereticos alius Sigismundus scilicet nepos Vitoldi ducis Litwaniae cum multitudine paganorum venit Pragam civitatem capitalem Bohemiae suscepitque haereticos in defensionem, faciens famam fuco illitam scilicet eos suscepisse non in defensionem sed ut ad sanctae ac universalis ecclesiae gremium redirent, prout supra habetur in epistola, quam dux Bitoldus misit Martino Papae. Audiens autem Sigismundus rex tunc castrametans in Moravia Sigismundum praedictum cum potentia venientem in Bohemiam, relicta Moravia venit in Ungariam quam tunc pagani impugnabant. Interea Bohemi haeretici

obsiderunt civitatem Teynem nuncupatam quam dux Bavariae Johannes congregato exercitu defendere voluit. Sed interim haeretici et mulieres haeretici quae proterviores ut dicebatur viris erant, assalti civitatem impetiverunt: Katbolici autem in civitate et praesertim presbyteri viriliter resistentes ex eis plures occiderunt. Quod pensantes haeretici et quod dux Johannes catholicos defendere voluit, ab obsidione recesserunt. Igitur feria secunda post dominicam: vocem jocundidatis, Branda cardinalis sedis apostolicae legatus causa congregationis regis et principum post horam vesperarum venit Ratisponam et susceptus est reverentissime cum processione et reliquiis. Venerunt etiam Ratisponam causa bujusmodi congregationis principum prout Rex Sigismundus scripserat Episcopi de Anglia et Gallia. Interea vulgatur hujusmodi congregationem fieri Ratisponae in divisione Apostolorum quibusdam dicentibus eam fieri Nurimbergae. Branda etiam apostolicae sedis legatus ad partes Reni et deinde Nurimbergam ad principes electores se contulit, qui principes praeter Arcbiepiscopum Coloniensem, qui ibidem adhuc non erat, volebant hujusmodi congregationem fieri Nurimbergae et tamen convenerant hospitia Ratisponae quae postea in articulo temporis resignabant. Pensantes igitur Ratisponenses dubium hujusmodi congregationis mittunt oratores suos ad Regem Sigimundum tunc in Ungaria existentem volentes certificari super hujusmodi congregationem. Vulgabatur enim quod ipse Rex Sigismundus ad bujusmodi congregationem omnino non veniret et praesertim ad Nurimbergam mittunt et Nurimbergenses ad eundem regem eadem de causa oratores suos. Certificantur igitur Ratisponenses a Rege Sigismundo quod hujusmodi congregatio debeat fieri aput ipsos, unde et sibi hospicium et caetera necessaria Ratisponae providentur. Certificantur statim post boc sicut ego audivi ab eo etiam Nurimbergenses quod bujusmodi congregatio debeat fieri apud ipsos. Igitur XIII cal. Augusti Sigismundus Rex cum conthorali sua Barbara post vesperas vénit Ratisponam vulgaturque quod ipse Rex causa hujus congregationis ulterius progredi nollet prout ipse rex saepius dixerat, electores vero vellent hujusmodi congregationem babere Nurimbergae et nequaquam venire Ratisponam ad regem excepto uno scilicet Arcbiepiscopo Coloniensi. Interea veniunt Ratisponam Ambasciatores Regis, quos praemiserat Nurimbergam ad electores, cum quibus erat Branda A. S. L. Qui Ambassiatores postquam in die S. Mariae Magdalenae in praetorio Ratis-

ponae legationis suae seriem aperuerant, conclusum fuit, quod hujusmodi congregatio debeat esse Nurimbergae vulgo famante quod quidam de magnatibus fuerint attracti muneribus. Rex igitur Sigismundus in die S. Jacobi apostoli exiens Ratisponam ad Nurimbergam proficiscitur, tractaturus ibidem de gubernatione regni (et) de statu reipublicae. Ubi diversis tractatibus habitis inter caetera fit concordia inter Regem Sigismundum et Fridericum Marchionem Brandenburgensem eo *quod inter caetera laesae majestatis* etiam ad *regnum Romanorum aspiraverat*, non obstante, quod ipse Rex Sigismundus ante paucos annos ipsum Fridericum quondam tantum Burgravium Nurimbergensem fecerat Marchionem Brandenburgensem electoremque Romani Imperii, *cum tamen nullum jus sibi in eo competeret*. Tractaverant enim sic, ut vulgabatur, electores inter se de eligendo alio rege Romanorum in casu quo rex Sigismundus ad hujusmodi congregationem personaliter non veniret. Item in hac congregatione facta est etiam concordia inter civitatem Spirensem et ejusdem civitatis episcopum atque clerum per eos nuper expulsos sub conditione faciendi talionis, scilicet ut ipsi Spirenses Episcopo et clero persolvant secundum quod audivi XXXII millia florenorum. Item ad hanc congregationem nuntiatur pax facta inter ducem Wiltoldum atque paganos et dominos ordinis Alemannorum in Pruscia, sed quia regi Sigismundo displicuit, statim eadem pax est ab Alemannis revocata et dux Ludovicus palatinus Reni filius quondam Ruperti Regis Romanorum in auxilium Alemannis a Sigismundo Rege et deliberatione congregationis contra paganos est deputatus. Interea nunciatur victoria Alemannorum de paganis, unde rex Sigismundus plurimum laetatur. Sed statim post hoc auditur maxima valentia paganorum contra Alemannorum ordinem et expeditio Ludevici praedicti in auxilium Alemannorum. Item in hac congregatione feria sexta in octava B. Augustini in ecclesia S. Sebaldi Nurimbergae celebrata missa solemni de sancta cruce per Hermannum praepositum in Newnkirchen ordinis B. Augustini canonicorum regularium Branda A. S. L. prout ordinatum fuerat, vexillum vivificae crucis tradit Sigismundo regi secundum formam, quam postea huic operi inserui, qui Sigismundus rex hoc idem vexillum (accepit) et statim tradit *Friderico Marggravio Brandenburgensi* faciens ipsum capitaneum ad expugnandum sive delendum haereticos in Bohemia praesentibus electoribus et aliis pluribus, quo facto ipse Fridericus cum exul-

tatione magna tubis clangentibus usque in hospitium suum est deductus. Qualis autem ab electoribus facta fuit ordinatio ad pugnandum tunc contra haereticos defendendumque catholicos colligere potes ex literis quas electores et Rex Sigismundus causa hujusmodi negocii miserunt Reverendo in Christo patri et domino meo gracioso domino Johanni Streyperger Episcopo Ratisponensi, quas ipse mihi propter cronicas ordinavit ad rescribendum. Unde eos postea huic operi insererc curavi.

C. 4. De guerra principum per Brandam A. S. L. Regisque Sigismundi sollicitudinem Ratisponae sedata.

Item in congregatione saepius praenarrata facta Nurimbergae gwerra gravissima principum scilicet Ludovici ducis in Ingelstat ex parte una et principum aliorum Bavariae scilicet Ernesti et fratris sui Wilhelmi de Monaco, Heinrici ducis in Lantshut, Johannis filii Ruperti quondam Regis Romanorum ducis zum Neuenmarkt, Friderici Marggravii Brandenburgensis et Episcopi Eystetensis aliorumque parte ex altera, quae per creberrima incendia rapinas et obsidiones castrorumque et urbium expugnationes plus quam per alterum dimidium annum continue duraverat, nullo modo placari potuit eo, quod praedictus Ludovicus dux solum volebat causa hujus negotii venire Ratisponam secundum formam primae convocationis praefatae congregationis prout paulo superius patet et nequaquam poterat induci ut veniret Nurimbergam. Soluta igitur congregatione Nurimbergae Sigismundus Rex Romanorum et Branda A. S. L., qui a Martino P. in speciali habebat mandato, ut principes praefatos reduceret ad concordiam, in profundo noctis S. Mathaei Apostoli veniunt Ratisponam. Ubi dum essent, nunciatur victoria magna ducum Ernesti et Wilhelmi facta prope Monacum et captivitas plusquam centum nobilium virorum de potioribus ducis Ludovici praeter ignobiles insidiis ab ipsis ordinatis in nullo sibi subvenientibus. Habitis igitur multis laboribus et viis attemptatis Ludovicus dux difficulter inductus venit Ratisponam, ubi largiente domino qui, sua divina providentia actus hominum et successiones temporum dispensat, feria quinta in die sanctorum Remigii Germani et Vedasti ipse Ludovicus foedera pacis in manus Sigismundi Regis Romanorum die advesperascente flexis genibus palmittando promittit. Ex quo Regi Sigismundo aliisque magnum factum est gaudium fitque pax ad quatuor annos hac con-

ditione facta Ludovico duci, quod causa hujusmodi negotii sine guerra infra annum ab ipso Rege Sigismundo judicialiter debeat determinari. Dicitur quod Ludowico, insisteute R. Sigismundo de civitatibus et de castris seu caeteris ablatis ipse Sigismundus Rex, ut eum ad pacem induceret, dixerit, quod tanta sibi alibi vellet dare, quanta sibi hic essent ablata. Mira etiam in hoc rege Sigismundo virtus est pensanda. Nam quamdiu fuit Ratisponae semper Brandam A. S. L. ad tractandum negocia ad hospicium est sequutus. Deinde facta pace Branda Nurimbergam, Sigismundus vero sequenti cum Ludovico duce feria secunda post Francisci versus orientem in navibus proficiscitur.

C. 5. Sermo secrete editus de Sigismundo R. R. secundum gestorum ejus conditionem.

Dictat juris naturalis aequitas, probat hoc rectae rationis perspicacitas, attestantur hoc annales, quod regum ac principum gesta conveuit conscribere. Congruit insuper saepius eadem conspicere, quatenus ex eis elucescat, unde bonus commendetur et malus vituperetur, ut sic tanquam ex relucentia cujusdam speculi valeant extergere sordes criminum et immaculatum laudare dominum. Idcirco ego innominabilis timens iram daemonis in occulto sermone nitor laborare et ex communi fama quasi apis argumentose colligere simul in unum bona et mala ut sic ex bonis de Rege nostro conscriptis illectus ad boua in bono roboretur et de malis correctus magis humilietur et convertatur. Non de meis propriis quidquam ponendo, sed pocius de multorum verborum serie summam brevem compilando iutueri libeat suae exaltationis principium ut pateat quam honestum fuerit suae couversationis initium. Nam splendor paternae gloriae et icandor lucis aeternae claro fundens ex aethere thesauros suae graciae in ipsum tam morum quam sapientiae, duos enim vibrantes et minantes radios largifluos circulum suae clementiae sic quod prae omnibus regibus ac principibus terrae quasi columpna nubis candida Christi fidelibus esset divinitus missa, nova lux oriri in ecclesia dei visa est ipso in Constantiam veniente nova fax sparsim suos radios convocando universalis ecclesiae almos praelatos. Currunt senes et parvuli ad tam grande spectaculum desiderantes videre faciem prudentis. Quis inquiunt est hic et laudabimus eum. Gratulabatur alma mater ecclesia festum agens laeticiae, quia cornu salutis hodie dominus in

turribus erexit, qui de partibus Ungariae nobis hunc direxit. Ecce quam longe lateque ejus praeconia digna laude memoria divulgabantur per mundum universum. Nam paene tota Francia, Germania et Anglia singularem gubernatorem sperabant, Lombardia et Italia. Navarra et Aragonia ad apicem sacri Imperii velut alterum Aaron ad sacerdotium a Deo vocatum aestimabant. Moravia, Bohemia universa plebs deicula redemptorem et salvatorem expectabant totius mund orbicularitas et omnia regnorum climata indefessa ejus ancillari imperio affectabant. Clamabant omnes et singuli, non est inventus similis illi. Ecce plus quam Titus et Vespasianus, ecce plus quam Salomon. Hic non enim ydolatra, sed unius veri dei et christianae religionis cultor et testes per universum mundum voces intonabant: merito est nomen ejus vocatum Sigismundus, quasi is mundus conscientia, prudentia ecclesiam reformabit, summa providentia notabili scientia mundum perlustravit. Optabat plebs christicola, fraudis ejus inscia ipsius adventum, dicens cum Simeone: quando venit? putas (ne) videbo? putas (ne) durabo? Ecce rex tuus venit tibi, vidisti et audisti eum. Et quem hucusque cum taedio magno expectasti, venit tibi. Sed quid dicis jam de illo, cum forte vox quidem vox fuerit Jacob in principio haereticam pravitatem supplantare se velle dicentem, sed manus, id est opera ejus sunt Esaw, mala in regno Bohemiae facientis. Et qui simplicitate tibi venit columbae, ostendit tibi calliditatem vulpinam et ut breviter concludam, aurem tuam praebuisti prurienti. nclina nunc aurem tuam secundum communem famam veritatem dicenti; nam opposita juxta se posita magis elucescunt. Audisti commendationem ejus, audi et ejus correctionem quia a progenie in progenies fecit Deus misericordiam suam qui eduxit Abraham de Ur Chaldaeorum, reservavit suam sponsam etiam ab insidiis inimicorum et praesertim Regis Ungariae, quia, si in imperatorem jam coronatus esset, novum destructorem ecclesia habuisset et virgo sine ruga novam maculam contraxisset. Sed benedictus deus per omnia qui hanc liberavit ab hoc onere. Intonat vox ecclesiae; plange ergo o mater alma ecclesia, ullulate pastores et rectores omnes christianae religionis in Bohemia, exue te vestimentis jocundidatis, induere cilicio et cinere luctum unigeniti fac tibi dicendo lamentabiliter et flebiliter: filium enutrivi et exaltavi. Ipse autem sprevit me, factus est mihi quasi leo insidians, versum est in luctum gaudium meum. O plebs misera huc usque in malicia praesentis exilii posita, quoniam rex novus surrexit

super terram, non gubernator sed desolator Christi fidelium, non extirpator haeresium sed spoliator ecclesiarum omnium, non consolator sed depraedator monachorum et virginum; non protector sed oppressor viduarum et orphanorum omnium et quem sperabas redemptorem Israhel, factus est amator uxoris fratris sui Jesabel; a quo sperabas consolari in laetitia, venit tibi cum tristitia ac omni prorsus saevitia. Non consolator sed turbator, ut cum Pharaone te affligat. Et est communis rumor in populo, ubi alius sic alius sic dicit: hic secundus ille Antiochus scelestus, qui tulit vasa de templo domini.

Hic secundus Joab omni dolositate plenissimus. Hic est secundus Achab qui de vineis domini Sabaoth et locis sacris hortos fecit olerum. Hic secundus Absolon qui conspirationem facit cum filiis sceleratis et haereticis contra christianos domini. Hic sceleratissimus judas simulando pacem decepit membra domini. Hic est Golias superbissimus omnium religiosorum inimicus hostilissimus, qui deprimit justos et erigit heraeticos, quod fecit in Christi fidelibus de montibus *Chutnis*. Hic est ille secundus Holofernes impudentissimus semper crapulatus a vino. Hic est ille secundus Sampson quem excoecavit malicia mulierum. Huic frons meretricis facta est quod nescit erubescere amplius, hic est veritatis inimicus, qui juramenta praestita violare non veretur. Hic est patrimonii Jesu Christi prodigus despensator et dilapidator. Hic est sincerissimus *meretricum leno* amator. Hic est draco ille perniciosus qui persequitur sponsam Christi ecclesiam, qui perturbat terram et ponit orbem desertum, qui percutit regna, destruit urbes fidelium. Hic est mutatione filius dyaboli, qui non dormit, sed continue machinatur malum, cujus consilium est cum impiis et semper stat cum consilio iniquorum. Et ut evidentius patere valeat ejus confusionis opprobrium, in medium producam experimentale. Nam Domicianus et Diocletianus erant viri crudelissimi, Dacianus et Maximianus viri sceleratissimi, Africanus (et) Julianus Apostata vir desperatissimi, Herodes, Nero et Adrianus viri defectuosissimi, quorum nullus fecit tot et tam perniciosa quantum vir iste. In populo nomen facit grande non in bono sed in dolo, non parcit factis, non timet deum, non formidat homines, non veretur exterminari sacras virgines, non pudet sacrilegium, committens loca sacra prophanare, sepulturam progenitorum contaminare. Plus timet Jesabel suum ydolum, quod secum ducit, offendere quam deum creatorem suum vilipendere. Jam enim sua mala in Ungaria perpetrata,

quae quodammodo erant sopita, quantam stragem commiserat, quot monasteria destruxerat, quot episcopatus et ecclesias devastaverat, vix lingua sufficit enarrare, quae propter suam agilitatem et sollicitudinem circa ecclesiam ypocrite factam oblivioni erant data. Jam de novo merita per eum, qui pandit, sunt renovata. Breviter consulite mundi sophistae, volvite omnes annales et non invenietur similis illi unquam fuisse. Hic fautor singularis omnium haereticorum, hic persecutor clericorum, *hic stuprator mulierum*, hic violator virginum, qui quasi novacula continuo dolum facere non cessat, qui juramenta in concilio praestita non servat, qui vota domino facta indifferenter violat. Sed revera si quaeris voluntatem divinae permissionis: respondetur, quod propter peccatum populi facit dominus regnare ypocritam. Quid ex hoc? Audistis enim prophetam olim dicentem: nolite confidere in principibus. Iterum: maledictus homo qui confidit in homine. Tu vero honorem sibi soli Deo congruum exhibuisti. Nam sub tenore et pompa magna eum ultra Deum honorasti, tantum soli deo competens cantasti dicendo advenisti desiderabilis etc. Nunc factus est tibi insidiator abominabilis. Vadit sacerdos cum sacramento eucharistiae, non est qui procedat aut sequatur illum. Et quod plus hominem mortalem quam Deum honorasti et quodammodo ydolatriam commisisti et deum sprevisti et oblitus domini dei tui fuisti, merito haec pateris quia peccasti in fratrem tuum Christum. Idcirco venit super te ista tribulatio. Sed quia peccasti, quiesce et age penitentiam in cilicio et cinere. Et forte si in domino tuam spem posueris, misericordia recordabitur et dabit benedictionem pro maledictione. Ne igitur longa sermonis protractio taedium ingerat audientium auribus, vertam stilum ad Regem Ungariae. Intende quaeso et inclina ad me aurem tuam, o Regule. Ubi quaeso sunt juramenta, quae sacro concilio Constantiensi fecisti? Ubi quaeso vota quae domino jurasti in veritate haereticorum extirpationem? Sed heu factus est peripsima et purgamentum omnium illorum ypocrita. Bene prophetavit de te propheta David dicens: os tuum abundat malicia et lingua tua concinnabit dolos. Cum adulteris portionem tuam ponebas. Non audisti baptistam Christi, Herodi dicentem: *non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Qua ergo via, qua fraude et desperatione dyabolica non dimittis Herodianam incantatricem et pessimam?[1]) Forte non est, quia species decepit te et concu-

[1]) Sophiam, Wenceslai Regis viduam.

piscentia subvertit cor tuum. Obscuratum est enim insipiens cor tuum et excoecavit te malicia mulierum. O utinam saperes et intelligeres sine dubio vitam emendare. Cito adimplebitur tempus tui regiminis. Jam enim regnasti per tempus et tempora et vix per dimidium temporis regnabis. In proximo est ut a deo puniaris et hoc tibi signum. Nam aurum tuae sapientiae est obscuratum, rumor tuae famae et cor tuum infatuatum. Mutatus est color optimus ut jam per totum mundum dicaris *haereticus*. Et qui mane decore in sacro concilio velut lucifer oriebaris, jam *per fatuas mulieres infatuaris*. Jam non diceris sicuti olim rex illustrissimus sed *nunc adulter perjurus mendax maximus sacrilegus et haereticus*. Et quomodo posses tibi existens imperator universum mundum subjugare, qui non vales tuum regnum pacificare? Obmutesce ergo nec cogites quovis modo de sacro imperio.

Datum ubi scriptum anno etc. XXII.

C. 6. De presbytero qui haeresim abjuravit.

Anno domini MCCCCXXII, 20 die [1]) sabbati X cal. Februarii hora primarum in aula episcopali coram reverendo in Christo patre et domino Domino Johanne Episcopo presbyter quidam natione Turingus abjuravit haeresim et qui articuli et errores ejusdem continentur in juramento quod fecit. Ideo juramentum praestitum et a Magistro Conrado de Hyldesheim licenciatn decretorum practicatum ac ab aliis doctis et peritis viris in theologia et jure canonico acceptum et approbatum pro cronicis hic inserui prout sequitur in forma:

Ego Heinricus Ratgebe de Gota Moguntinae dioecesis presbyter indignus cognoscens veram catholicam et apostolicam fidem anathematizo et abjuro omnem haeresim et praecipue illam, de qua ne dum infamatus et suspectus fui sed etiam repertus sum publice asseruisse et dixisse, ymo etiam in audientia publica cum super fide mea requirerer respondere, alias animo pertinaci tenuisse et defendisse videlicet: non est fides catholica in terra tam quoad sensum ejus communem consuetum ac proprium verborum, quam quoad sensum ejus per me extortum, scilicet cum dixi mea praefata verba intellixisse sic, quod non esset fidelitas dilectio et amor in terra et in hominibus terrenis.

---

[1]) 30 die Fol. 133.

Exanathematizo etiam et abjuro errores et baereses, quas praeteritis temporibus dogmatizarunt et tenuerunt Johannes Wicleff et Johannes IIus dampnatae memoriae in suis opusculis seu libellis seu sermonibus ad clerum et ad populum, propter quamcausam praedicti cum suis dogmatibus et erroribus dampnati sunt a Sancta Constanciensi synodo moderna tanquam baeretici et ipsorum doctrina praedicta similiter dampnata maxime nonnullis in sententiis expressa per idem sacrum concilium contra ipsos latis, quorum quidem articulorum aliqui subscribuntur, in quibus habeor vebementer suspectus propter mea fatua erronea temeraria seditiosa et scandalosa dicta. Consencio autem sanctae romanae ecclesiae et apostolicae sedi et dicto sacro Constantiensi concilio et ore et corde profiteor fidem catholicam esse in terra etiam quoad utrumque sensum praescriptis ac alias in omnibus et per omnia praesertim de clavibus, de sacramentis, religionibus, ordinibus et officiis, de indulgentiis et sanctorum reliquiis ac ecclesiastica libertate nec non de ceremoniis at aliis omnibus ad christianam religionem pertinentibus prout ipsa sancta Romana ecclesia et apostolica sedes et dictum Sacrum Constantiense concilium nec non sanctissimus dominus noster Martinus P. V. profitentur et professi sunt. Et specialiter quod dictorum articulorum plures sunt notorie baeretici et dudum a sanctis patribus revocati, quidam vero blasfemi, alii erronei, alii scandalosi, quidam etiam ipsorum piarum aurium offensivi et ipsorum nonnulli temerarii et sediciosi et pro talibus fuerunt memorati articuli ab eodem Constantiensi concilio condempnati. Nec non inbibitum omnibus et singulis catholicis sub anathematis intimacione ne de cetero dictos articulos aut ipsorum aliquem aliis praedicare dogmatizare vel tenere praesumerent. Item ego Heinricus antedictus ut cunctis pateat, quae fuerit causa, quare reputatus sum, ut de fide suspectus et praefatis erroribus adhaerere et sequacibus dictorum Johannis Wicleff et Johannis Hus favere: notum facio per praesentes, quod cum nuper devagando et peregrinando perlustrassem diversas mundi partes et tandem ad has Bavariae perveniens, plura verba sediciosa temeraria et scandalosa tam coram clero quam laicis improvide ac incaute dixissem, fui in oppido Ambergensi hujus Ratisponensis dioecesis per quosdam doctos et literatos viros coram quam plurimis clericis et laycis super his ad verba positus, coram quibus inter caetera dixi, quod non esset fides catholica in terra, propter quod et alia scandalosa et periculosa mea dicta fui vobis Reverendissimo in Christo

patri et domino Domino Johanni Ratisponensi Episcopo et vestris carceribus praesentatus. Cumque coram vobis ac vestras vices tenentibus fuissem per vos et ab eis de fide mea in publica audientia et praesertim super certis articulis pro tunc contra me oblatis requisitus, timui respondere; inter caetera constanter asserui pluribus vicibus, quod non esset fides catholica in terra, licet postea exposuerim me, dicens, quod sic intellexerim, quod non essent fidelitas dilectio et amor in terra, ymo pro majori confirmatione erroris mei respondendo dixi me eundem articulum cum bona deliberatione dixisse et hoc ideo, quia non sumus unum nec unquam fuisse majorem errorem quam modo, nec unionem esse. Quae quidem dicta et verba mea detestor et revoco. Praeterea detestor etiam alia mea dicta injuriosa et scandalosa cum in quadam responsione mea dixi, me non credere Martinum Papam quintum verum esse apostolicum, quia simonia regnaret in curia sua et si alius esset apostolicus, magis crederem hunc fore *Benedictum* pro eo. Quia in peregrinatione mea ad S. Jacobum audiverim eundem Benedictum canonice fuisse electum. Et etiam quod in alia quadam responsione ut promittitur asserui, non esse unionem habitus, forsitan sum suspectus favere scismati sive scismaticis, dicto videlicet Benedicto per suos complices sic nominato, atque tenere aliquos de articulis dampnatis sibi scriptis. Caeterum alia quaedam dicta mea injuriosa scandalosa atque piarum aurium offensiva omnino detestor cum dixi, *Archiepiscopos et Episcopos fore perfidos et malos* et quod *excommunicationem ipsorum parvipenderem* et nullum ipsorum adverterem nec cuiquam ipsorum obedirem. Et licet hos articulos negaverim me dixisse, tamen quia testes deponunt me sic dixisse et alias repertus sum dixisse in publica andientia, quod *praelati omnes sunt mali*, detestor omnia et singula praemissa. Similiter detestor alia quaedam meà dicta scandalosa mala et perversa propterque suspectus forte habeor de fautoria dicti Johannis Hus et suorum sequacium videlicet quod non vellem dicere quod husitae essent haeretici vel alias injusti. Et iterum quod *hussitae essent meliores* memoratis viris qui me ad verba sic ut praemittitur posuerunt. Item detestor et revoco etiam alia quaedam mea injuriosa et scandalosa dicta per quae videbar impingere *interdictum concilii Constantiensis* et ejus *potestatem* et praesertim circa condempnationem Johannis Hus et suorum sequacium, videlicet, quod nec Papa nec archiepiscopi nec episcopi caeterique sacerdotes possent scire hussitarum veritatem vel falsitatem

in suis opinionibus, et licet dixi in quadam responsione ad hunc articulum, quod non scirem quicquid de hussitis nec de eorum opinionibus et super hoc juraverim in coelum, tamen quia iterum in quadam publica audientia (dixi), quod si omnes haeretici forent cremati seu adhuc deberent cremari, tamen multi essent talium praelatorum et aliorum qui fuerunt in concilio haeretici simoniaci mali et falsi, etc. reddidi me culpabilem et suspectum nimis, praesertim quia dixi, in quadam alia responsione, quod si ego fuissem in concilio et habuissent potestatem et vicem concilii, tunc ipsum Hus *non* condempnassem, sed ipsum servari disposuissem, quia *famosus erat, quod forte avertisset et conversus fuisset.*

Praeterea detestor et revoco quaedam alia in publica audiencia et alias per me dicta qualiter et sine limitatione (dixi), quod religiosi in monasteriis existentes sunt reprobi et mali et quod tunc alias ipsos multipliciter vituperavi, reputor forsitan suspectus de quodam articulo dampnato Johannis Wikleff, qui de religionibus loquitur et sibi distribuitur.

Item ego Heinricus praedictus licet per dictum Reverendissimum in Christo patrem et dominum dominum Johannem Episcopum Ratisponensem atque alios viros doctos ac magistros cum omni humanitate et caritate informatus et ammonitus super mea reformatione et dictorum errorum abjuratione et revocatione atque poenitentia suscipienda salutari in publica audientia responderim, quod non vellem reformari nec revocare nec abjurare neque gratiam petere, tamen jam denuo reformatus et ad cor reversus recognoscens errores meos in praemissis humiliter me submitto determinationi reformationi et correctioni sacrosanctae Romanae ecclesiae sanctissimoque domino nostro domino Martino ejusdem ac universalis ecclesiae summo pontifici unico et specialiter etiam dicto domino meo Johanni Ratisponensi Episcopo nec non cuicunque alteri vel aliis locum ipsius seu vices tenenti vel tenentibus atque ceteris magistris et doctoribus, quorum interest errantes corrigere ac reducere ad viam veritatis. Petens humiliter et devote me absolvi a sententia excomunicationis majoris, quam propter praemissa censeor incurisse nec non pro praemissis mihi injungi poenitentiam salutarem mecumque fieri secundum misericordiam et non justiciae rigorem.

Item praedictus Heinricus Ratgeb presbyter Moguntinae dioecesis praestito juramento prout supra scriptum est, a reverendo in

Christo patre et domino domino Johaune secundo hujus nominis Episcopo Ratisponensi prout petivit, absolutus est susceptusque ab eo ad poenitentiam salutarem secundum misericordiam, vero secundum jurisrigorem positus scilicet non in turrim sicut antea secundum meritum suum, sed ad quandam stubellam secus turrim aulae suae tractatusque honeste et reverenter, procuravit quoque dictus dominus Episcopus sibi tunicam novam capucium et caetera amictui necessaria, volens eum libere permittere abire. Interea dum aliud non esset impedimentum ipsum dimittendi nisi discrimina viarum, quibus tunc temporis impediri poterat non posse dioecesim exire: ipse dictus Heinricus ambulans juxta proprias concupiscentias ad ipsam suam perditionem velut canis reversus ad vomitum, in haeresim est relapsus contigitque in illud verti proverbii: sus lota in volutabro luti, qua propter dum in defensionem suae haeresis scedulas propria manu scriptas per quandam fenestram in plateam publicam pro transeuntibus jactaret, dictus Johannes episcopus attendens et considerans eum pertinacem in haeresi dampnata, quam ipse pridem abjuraverat, feria secunda post dominicam qua cantatur: quasi modo geniti, quum numeratur annus domini MCCCCXXIII, in ecclesia kathedrali post missam publicam praemisso pulsu majoris campanae astantibus clero et populo eum canonice et solempniter degradavit relinquens eum curiae seculari, a qua ductus ad ignem, poenam sui meriti accipiens, combustus est perpetuo igni arsurus. Huic negotio ego interfui, vidi et audivi, unde et sermonem factum primo latine ad clerum et post hoc materne ad populum per egregium doctorem Theologiae Perchtholdum provincialem ordinis beati Augustini Heremitarum Ratisbonae et senteutiam dampnationis dicti Heinrici pro cronicis huic operi inserere curavi. —

C. 7. Sententia dampnationis supra memorati haeretici relapsi.

In nomine sanctae et individuae trinitatis patris et filii et spiritus sancti Amen. Johannes Dei et apostolicae sedis gratia Episcopus Ratisponensis ad perpetuum rei memoriam. Christus Deus ac salvator noster vitis vera, cujus pater agricola est, discipulos caeterosque fideles suos in illis instruens dixit: si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes et arescet. Cujus summi doctoris et magistri doctrinam sequentis et juxta ipsius praecepta curam pastoralis officii tam apostolica quam ordinaria auctoritatibus communiter vel divisim

omnibus melioribus et efficacioribus modo et forma, quibus possumus seu debemus, reverenter et humiliter exequentes, in causa inquisitionis haereticae pravitatis pridem coram nobis mota, fama publica referente et clamosa insinuatione monstrante contra Heinricum dictum Ratgeb de Gota presbyterum Maguntinae dioecesis hic praesentialiter constitutum legitime processimus et ex actis causae invenimus, Heinricum tenuisse asseruisse et dogmatizasse pertinaciter nonnullos articulos haereticos et erroneos dudum a sanctis patribus reprobatos, quosdam vero blasfemos alios scandalosos, alios piarum aurium offensivos temerarios et seditiosos sapientes haereses dampnatae memoriae virorum Johannis Wikleff et Johannis Hus nuper per sacrum Constantiense concilium condempnatorum. Cujus etiam Johannis Wikleff memoria et dicti Johannis Hus nec non Jeronymi de Praga discipuli sui personae per idem Constantiense concilium et ejus sententiam de haeresi dampnata et dampnatae fuerunt. Quem quidem Henricum per nostram diffinitam sententiam quam in scriptis tulimus, pronunciavimus decrevimus et declaravimus sensisse et asseruisse manifestam haeresim, in eo praesertim, in quo asseruit et pertinaciter defensavit quod fides katholica non sit in terra. Ipsumque vehementer suspectum et graviter infamatum fuisse de et super nonnullis articulis et praecipue infra describendis dictorum haeresiarcharum Johannis Wikleff et Johannis Hus sic ut praemittitur condempnatis. Verum quoque praefatus Heinricus et tunc asserebat, prout etiam in quadam scedula propria sua manu scripta nobis offerebat libere ac puro corde et de conscientia non ficta, se revocaturum et abjuraturum nedum errores et haereses memoratas sed et generaliter quamlibet aliam haeresim nec non se susceptarum et peracturum poenitentiam salutarem pro praemissis sibi per nos injungendam prout cum certa solempnitate coram nobis in publica audientia, pro tribunali in hujusmodi causa sedentibus revocavit abjuravit et petiit, cognoscens et profitens veram katholicam et apostolicam fidem nec non juravit sacrosanctis evangeliis corporaliter tactis se in unitate ecclesiae et hac fidei veritate semper et sine dubio permansurum. Et si ipse aliquando contra sentire seu praedicare praesumeret, canonum severitati subjacere et aeternae poenae voluit obligari, prout in quadam suae professionis abjurationis et recognitionis cedula propria ejusdem Heinrici manu subscripta ac nobis per eundem flexis genibus humiliter oblata et ad acta judicialia redacta plenius et

expressius continetur. Considerantes igitur quod pia nostra ecclesia non claudit gremium humiliter redeunti, dictum Heinricum Ratgeb, sic ut premittitur lapsum more pii patris tanquam filium prodigum in sinum sanctae matris eclesiae alacriter recepimus redeuntem, sibi pro commissis misericorditur injungentes poenitentiam salutarem. Sed post dictas professionem abjurationem et penitentiae susceptionem multis diebus transactis, cum idem Heinricus erederetur, facere dignos fructus poenitentiae, sic ut canis ad vomitum rediens ut virus pestilentissimum, quod latebat in suo pectore, publice evomeret, in quodam loco prope ecclesiam nostram kathedralem pro poenitentia peragenda sibi deputato quandam fenestram versus stratam publicam civitatis ascendit et coram populo ad ipsius clamorem concurrente dictam suam professionem et abjurationem revocavit et detestatus fuit prout post coram nobis in publica audientia pro tribunali in hujusmodi causa sedentibus non erubuit publice confiteri, dicens se fuisse seductum in eo, quod inductus fuerat ad praefatam suam abjurationem faciendam et dolere de hujusmodi abjuratione per eum facta. Profitebatur quoque se dictos articulos per ipsum abjuratos adhuc tenere tanquam veros ac dictos, Johannem Wikleff Johannem Hus et Jeronymum de Praga fuisse viros justos et katholicos et veros praedicatores, nec non a sacro Constantiensi concilio injuste condempnatos fore subjungens: Hussistas in hoc bene agere, quod destruunt et comburunt ymagines in ecclesiis haberi conswetas. Plura quoque alia verba insana injuriosa scandalosa et seditiosa impudice ore polluto evomere non erubuit, profitens finaliter se nolle converti, sed cum dictis haereticis Johanne Hus et Jeronymo permansurum in non modicam divinae majestatis offensam ac universalis ecclesiae scandalum ac quantum in eo fuit katholicae fidei detrimentum. Praefatos autem articulos per dictum Heinricum Ratgeb expresse et in propria forma abiuratos hic duximus inserendos per tenorem qui sequitur in haec verba:

Item primo quod fides katholica non sit in terra.

Item non est aliquod caput unum in ecclesia in spiritualibus regens ecclesiam, quod semper cum ecclesia militante conservetur.

Item nullus est praelatus vel dominus civilis, dum est in peccato mortali.

Item nullus praelatus debet aliquem excommunicare nisi prius sciat ipsum excommunicatum a deo.

Item quod religiosi viventes in religionibus privatis scilicet Augustiniani, Benedictini, Blasii et aliorum non sunt de religione christiana.

Item articulus Ulrici Grünsleder [1]) haeretici dampnati: quod Constantiense generale concilium propter demerita seu peccata personarum in eodem tunc existentium non habebat potestatem seu autoritatem condemnandi Johannem Wikleff et Johannem Hus.

Qua propter visis videndis ruminatis ruminandis ac gestis confessionibus actis ac actitatis causae hujusmodi debite recensitis, communicato etiam vobis sacrae theologiae et utriusque juris doctorum praelatorum et peritorum consilio, (de) quibus desuper relationem fecimus diligentem, petente et instante discreto viro Magistro Thoma de Berga instigatore seu promotore nostri officii ac procuratore fiscali, ad nostram in hac causa diffinitivam sententiam procedimus in hunc modum Christi nomine invocato pro tribunali sedentes praehabentes oculis solum deum per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam ferimus praesentibus in hiis scriptis, pronuntiamus decernimus et declaramus Heinricum dictum Ratgeb de Gota presbyterum Maguntinae dioecesis supradictum haereticum et in haeresim prius per ipsum abjuratam dampnabiliter relapsum, excommunicatum et anathemizatum atque relapsorum poena puniendum fore et puniri debere. Nec non eundem ab ordine sacerdotali et aliis ordinibus, quibus extitit insignitus fore et esse deponendum et realiter degradandum, deponimus et degradamus atque ut palmem putridum et in fide aridum ac in vite fidei non manentem foras mittendum esse et fore atque mittimus auctoritate omnipotentis dei patris et filii et spiritus sancti Amen [2]).

Tunc degradetur et post degradator dicat:

Et attento quod ecclesia dei ultra non habeat, quid faciat, praefatum Heinricum Ratgeb decernimus seculari curiae relinquendum et relinquimus judicialiter in hiis scriptis.

---

[1]) Cfr. Bibl. S. Emeraoi Ratisb. (Reg. Moaac. B. LXXXIII). Siehe Beilage.

[2]) Hiemit ist die Verurtheilung des Jakob Bremer von Verden in Magdeburg zu vergleichen, von welcher Hermann Corner ad 1420. (Eccard II, p. 1238) weitläufig berichtet. Bremer kam von Prag und war Magister artium Pragensis. Er wurde gleichfalls verbrannt.

C. 8. Quem effectum habuerit ordinatio principum de armatis in Bohemiam mittendis. 1422.

Igitur ex consilio magno Sigismundi R. R. et electorum concluso in congregatione facta Nurnbergae anno domini MCCCCXXII quemadmodum supradictum est, Fridericus Marchio Brandenburgensis et Burggravius Nurnbergensis factus capitaneus Crucesignatorum sive armatorum a quibuslibet secundum taxam sibi assignatam contra haereticos ad occupandum eos per annum integro cottidiano bello in bohemia dirigendorum prout habetur ex literis supradictis electorum et Sigismundi regis Romanorum. Ipse Fridericus capitaneus cum suis circa festum S. Michaelis venit in partes secus oppidum Egra nuncupatum Ratisponensis dioecesis, ubi aliquamdiu expectans adventum armatorum in adjutorium sibi dirigendorum adbuc non visis inimicis crucis Christi, graviter laesit ibidem degentes et specialiter ad monasterium Waldsachsen pertinentes. Dum itaque ibidem ipse capitaneus cruce signatorum moraretur, Johannes episcopus Ratisponensis pro se et clero suo misit armatos, quorum capitaneus erat Johannes *Satelpogner de Geltelfingen*, magister curiae suae, signans eos in ecclesia kathedrali signo crucis personaliter in die S. Marci Papae. Post haec miserunt etiam Ratisponenses armatos suos, quorum capitaneus erat dictus Wiguleus Gebolff. Venit et inter ceteros Johannes episcopus Herbipolensis personaliter cum militia bona. Ad Fridericum igitur capitaneum sic armatis confluentibus fit vociferatio in Bohemia de exercitu contra eos veniente et praesertim ad defendendum castrum Carelstein, quod Hussitae obsederant potenter. Praefigitur etiam dies quo circa festum omnium sanctorum deberet fieri congressus belli, si ab obsidione non recederent. Friderico itaque capitaneo ingrediente Bohemiam praecedit eum inter caeteros Johannes Satelpogner cum suis venitque cum Johanne Parsperger, qui erat capitaneus Ludovici comitis Palatini Reni ducisque Bavariae et quibusdam aliis non multis prope castrum Carelstin ad distantiam quatuor milliarium expectantes congressum belli. Interea *episcopus Herbipolensis*, considerans quod Rex Sigismundus, Dux Austriae et caeteri potentes armatos suos non mitterent et quod ipsi essent pauci hoc est citra quatuor millia, taxa vero conclusa Nurnbergae citra viginti millia pugnatorum, dixit: *Ut quid ego hic facere debeo*, sicque deserto opere capto primus iter suum domum dirigit.

Dum haec fierent, venit relatio ad eos qui venerant prope castrum Carelstein, quod Fridericus marchio Capitaneus in auxilium eis non appropinquaret quodque quidam retrocederent, quapropter ipsi considerata potentia obsidionis haereticorum, dum adhuc terror ipsos haereticos teneret, consultius agentes statim priusquam haec devenirent ad notitiam haereticorum, coeperunt tractare cum eis de pace. Sicque facta pace ad annum inter eos et Christi fideles de Carelstein, tandem ipsi haeretici ab obsidione recesserunt. O bonum pacis bonorum omnium excellentissimum, tu suavis desiderabilis hominibus bonae voluntatis, quomodo nunc lacrimosa et dolosa advenisti. Tu enim gloria jocunditatis nostrae, necessitate tua modo legem fregisti quam dedit dominus Moysi servo suo dicens: non inibis foedus cum habitatoribus terrae. Nondum autem quod obsidio ista castri Carelstein atrocissima fuit. Nam sicut scripsit decanus [1]) collegii ibidem, qui tempore obsidionis fuit in castro dicto, in obsidione fuerunt machinae quinque, ex quibus machinis fuerunt IX millia jactuum et XXXII jactus cum lapidibus. Item jecerunt DCCCXXII vasa cum igne. Item pixides IV magnae non multis emissis lapidibus nutu divino sunt fractae. Hoc fuit obsessis solatium, quod quidquid erant facturi in obsidione ut frequenter eis per fautores occultos innotescebat. In hac obsidione sollicitudo militarium et praecipue Johannis antiqui camerarii Bohemiae summi capitanei in Carelstein digne laude memoretur. Deindo Fridericus capitaneus praedictus in vicinis civitatibus nemori ordinans quosdam pro defensione fidelium in Bohemia domum revertitur, post quem unus post alium exiit. Nostri quoque ultimi existentes dominica invocavit, quando numeratur MCCCCXXIII, Ratisponam sunt reversi, narrantes, quod pax sit facta et quod haeretici velint converti, cujus oppositum statim est auditum. Hocmodo ordinatio Brandae A. S. L. Sigismundi R. R. et electorum Romani imperii facta in concilio magno in congregatione ipsorum Nurmbergae sicut ex suprascriptis habetur, cessavit.

C. 9. De casu inopinato et mirabili.

Dum armatis praedictis Johannis Episcopi Ratisponensis in Bohemia constitutis defecissent victualia, scripserunt ipsi Johanni Episcopo, ut mitteret eis sumptus remiseruntque currus vacuos ad addu-

[1]) Cfr. Andreae Ratisb. diarium ap. Öfele I. p. 19.

cendum eis vinum. Qui oneratis curribus vino misit eos in Bohemiam dicens ministris quod proficiscerentur; nam statim post eos vellet etiam mittere sumptus sufficientes quemadmodum et fuit per Martinum aedituum in summo. Quod attendentes filii quidam iniquitatis ministri curruum cum venissent usque in Regenstauff currus praemiserunt et praedictum Martinun aedituum in via prope bustum vulgo Ponholtz vocitatum invadentes ob pecuniam occiderunt. Hii filii iniquitatis erant qnatuor e quibus duo per longa tempora et extra erant noti et famosi et hii erant etiam ibi autores iniquitatis, unde de eis plurimi mirabantur. Confidebant denique sibi ipsis et non fugientes simulabant se omnino factum ignorare et intrantes Bohemiam cum curribus qnartum ex eis remiserunt ad Johannem episcopum pro sumptibus, nunciantes ei, quod nuncius deferens sumptus ad eos non pervenisset. Johannes igitur Episcopus ex gestibus nuncii illius eliciens dolositatem procuravit ipsum teneri. Qui conventus fassus est primo et non negavit. Statim igitur Johannes Episcopus scripsit Johanni Satelpogner capitaneo suo in Bohemia rem gestam; qui mittens nuncios suos de Bohemia post currus qui jam ab eo reexierant, reperit currus et eorum ministros in territorio Schönsee, quod est sub dominio Vlrici Waldawar adbuc adolescentis, in quo omnes comprehensi facto dilucidato innocentes sunt dimissi et tres rei agente contra eos dicto Johanne capitaneo sunt decapitati[1]). Mira res quod isti omnes finaliter sic fuerunt obstinati, quod nullus eorum pecuniam ablatam voluit monstrare sicque hodie ignoratur quo pecunia pervenerit, exceptis paucis florenis, quos cum nuncio remisso ad Johannem Episcopum uxoribus miserunt. Hic etiam nuncius cum primum fateretur factum, postea nunquam potuit induci ut occisum monstraret. Qui tamen a quibusdam non elapsis multis diebus est inventus. Haec autem ita scripsi[2]) secundum quod *tunc temporis* potui perscrutari. Postea officialis monasterii in Pilnhofen, quem vocant equitatorem, equo fuit spoliatus; hic equitator die quadam apud hospitem in Pilnhofen vidit quendam monoculum, quem dicebat hunc esse, qui eum equo suo spoliaret, unde statim idem monoculus cum duobus sociis suis capitur et vinctus in Calmüntz deducitur. Monoculus iste Zink vocitatus per omnia a principio usque in finem

---

[1]) Diarium sexennale Andreae ap. Öfele p. 18.
[2]) In diario.

vitae dicebat, se non babere equum equitatoris supranominati, fecisse antem plura alia quibus digne mortem meruisset. Hi tres vespiliones anno domini MCCCCXXIII feria VI. in die sanctorum Marci et Marcelliani in Calmüntz ad mortem judicialiter sententiantur et duo ex eis fatentur, se Martinum aedituum supranominatum, quem Johannes Episcopus cum sumptibus miserat armatis suis in Bohemiam, occidisse, per boc excusantes eos, qui hac eadem de causa prout suprascriptum est in Schönse fuerant decapitati. Tunc saepius occurrebat mihi lex quae suadente B. Ambrosio statuta est per Theodosium Imperatorem scilicet judex XXX diebus causam examinet, antequam sanguinis sententiam fulminet de qua habetur XI. q. III. Cum apud Thessalonicam.

C. 10. Quem effectum habuerit ordinatio principum subsidio ferendo cruciferis in Prussia.

Statim post congregationem principum babitam Nurnbergae, cujus saepius superius facta est memoria, Ludovicus comes palatinus Reni et dux Bavariae et Ericus dux Brunswicensis vulgariter von Prunschwick in partibus inferioris Saxoniae in Prusciam cum exercitu in subsidium cruciferorum contra Regem Poloniae et ducem Witoldum atque gentiles proficiscuntur. Heinricus autem dux Bavariae eadem de causa intendens proficisci, iter aggredi noluit, nisi certus esset de futuro bello. Qui auditis diversis rumoribus jam pacem jam bellum futurum famantibus, certificatus tandem de futuro bello iter in die sancti Clementis versus Prusciam aggreditur, in qua dum venisset, facta erat pax ad tempus congruum placitacioni, quae tamen per postea gratia dei in proxima Quadragesimá est solidata. Ludovicus igitur comes palatinus Reni cum quibusdam in conversione S. Pauli quando numeratur MCCCCXXIII, revertitur et in Reychenbach pernoctatur; quidam vero de exercitu Ducis Heinrici feria II post esto mihi Ratisponam veniunt et ipse Heinricus huc usque scilicet proximum sequens festum pentecostes cum Rege Sigismundo perseverat.

C. 11. De ducibus Saxoniae et quod Marchio Misnensis factus est dux Saxoniae atque elector Romani imperii.

Albertus dux superioris Saxoniae et elector Romani Imperii de congregatione principum facta Nurmbergae anno domini MCCCCXXII reversus in Saxoniam decessit sine liberis. Quo defuncto Ericus dux inferioris Saxoniae de Prunschwick nuncupatus cum fratribus suis

Bernhardo et Ottone sicut mihi de eorum officialibus quidam retulit, jure haereditario debebant succedere in partibus superioribus Saxoniae, cum revera illa dominia nunquam erant separata, nisi quod alter illorum tempore alteram partem actu gubernaret. Interea Ericus antedictus cum in legatione Sigismundi R. R. et electorum prout conclusum fuerat in congregatione Nurimbergae, missus ad Prusciam in subsidium magistro Prutenorum ad pugnandum contra infideles sicut superius tactum est, ipse defuncto patruo suo Alberto electore Duce superioris Saxoniae ducatum petere non posset, quod absens Sigismundus R. R. dictum dominium contulit sive ut ego audivi pro certa summa florenorum *vendidit* Friderico(e) Marchionibus Misnensibus, faciens jam dictum Fridericum ducem Saxoniae et electorem Romani Imperii, dicto Erico aut fratrum aliquo suorum non vocatis aut consultis, ymo omnino invitis, non obstante quod prius dictum Ericum in antedicto dominio in genere infeodaverat in Frankfordia dicto patruo suo superioris Saxoniae duce praesente. Praedictus vero Ericus in octava sanctae Agnetis quando numerabatur MCCCCXXIII pro conservatione haereditatis per Ratisponam descendit ad regem in Hungariam. Dignetur dominus iter suum prosperum facere et cum gaudio in Saxoniam reducere.

C. 12. Quomodo Gegelo paganus jam Wladislaus Rex Polonorum ad fidem sit conversus.

Kasimirus quondam rex Polonorum duas filias habuit, quarum nomina ignorantur. Habuit et sororem Elyzabeth nomine reginam Ungariae. Ista regina genuit Ludovicum Regem Ungariae. Rex Ludovicus genuit filias duas, nomen uni Mariae et nomen alteri Hedwigis. Mortuo igitur Kasimiro rege Poloniae Ludowicus Rex Ungariae suscepto etiam regno Polonorum tulit duas filias Kasimiri, quarum unam desponsavit Lantgravio in Zeil, alteram vero ad paganismum. Postea idem Ludovicus R. Poloniae et Ungariae filiam suam Hedwigem tanquam haeredem Regni Poloniae locavit in Cracovia, Mariam autem filiam alteram locavit in Ungaria. Haec Hedwigis quendam paganum genere Littwanum dictum Gegelo accepit in virum, qui conversus per eam ad fidem accepto baptismo vocatus est Wlatislaus. Hic est ille qui jam est Rex Polonorum. Huius Wlatislavi pater habuit fratres duos: unus generavit ducem Witoldum vulgo Hertzog Witold nuncupatum, qui suscepto baptismo vocatus est Alexander.

Alter generavit Sigismundum, quem dictus Witoldus in Bohemiam in adjutorium haereticorum misit. Hedwigis igitur Regina Poloniae, dum mortem sibi vicinam sentiret et sine liberis esset, vocat ad se virum suum Wlatislaum Regem rogans eum, ut, si subiret mortem temporalem quatenus eam audire dignaretur in duobus: unum, quod nullam aliam duceret uxorem, quam filiam filiae Regis Kasimiri, quae desponsata fuerat comiti in Zeyl, nomine Annam, eo quod ipsa ex parte matris vera haeres esset regni Poloniae, et super hoc peteret licentiam sedis apostolicae. Quod et fecit, ex qua Anna genuit filiam nomine Hedwigem, quam hiis temporibus desponsavit Friderico filio Friderici Marchionis Brandenburgensis et Burggravii Nurnbergensis. Et dicitur esse fere decem annorum. Secundum quod petivit, quod ea mortua erigeret studium generale in Cracovia, quod etiam fecit et hoc principaliter per Magistrum *Mathaeum*, qui postea factus est Episcopus Wormaciensis, quem ad hoc specialiter vocavit eo quod de Cracovia esset oriundus. Mariam autem supradictam quam Ludovicus rex locaverat in Ungaria, Sigismundus filius Karoli Imperatoris regisque Bohemiae duxit in uxorem. Qua defuncta sine liberis ipse Sigismundus Barbaram filiam Comitis de Cili duxit in uxorem, ex qua genuit filiam nomine Elisabeth, quam, cum esset Rex Romanorum, desponsavit Alberto duci Austriae in Vienna.

C. 13. Rex Poloniae scribit electoribus, quod velit mittere exercitum in exterminium haereticorum et quod non credant famam suam depravantibus.

Wladislaus dei gracia Rex Poloniae Litwaniaeque princeps supremus et haeres Russiae etc. Venerabilibus patribus Conrado Archiepiscopo Maguntinensi locum tenenti, Theoderico Coloniensi et Ottoni Trevirensi Archiepiscopis S. R. J. per Germaniam, Italiam, Galliam et regnum Arelatense Archicancellariis, Illustribus Ludovico Palatino Reni S. R. J. Archidapifero ac duci Bavariae, Friderico duci Saxoniae ejusdem sacri Imperii archimarescalco Marchioni Misnensi et Lantgravio Thuringensi ac Friderico Marchioni Brandenburgensi Archicamerario Burggravio Nurnbergensi, Principibus electoribus amicis nostris carissimis Salutem et fidei profectibus pleno desiderio animi intendere.

Venerabiles patres ac Illustres principes amici et fratres carissimi.

Literas vestras de mense Julii proxime praeterito nobis scriptas et aliorum venerabilium patrum et principum inclitorum S. J. R.

electorum meminimus recepisse et nostria ad eaadem sinceritates vestras rescripsisse. Ex quibus patuit qualiter apud vestras sinceritates et eorundem principum paternitates de receptatione et subsidiis baereticorum perniciosissimorum de Bohemia fuimus delati innocenter, licet tnnc inclitus princeps dominus Alexander alias Witoldus magnus dux Littwaniae etc. frater noster carissimus, cui jurejurando promiserunt errores relinquere et ad sinum sanctae matris ecclesiae universalis reverti, si eos ad protegendum susciperet, ad illos quasdam gentes suas direxerit, putans ipsos potuisse suasu honi consilii ad viam reducere veritatis, quos viderat in perniciem tantae iniquitatis prolapsos nec alia via absque gravi multorum Christi fidelium periculo et scandalo convertendos. Sed postquam adhibita fideli et constanti opera et sollicitudine in conversione eorum nequivisset proficere et magis ac magis comperisset in devia ipsos declinare et durae cervicis, semper sequi sententiam, continuo non distulit se ab ipsis subtrahere et gentem suam, quam hoc zelo et non cupidine vel ambitione aliqua extranea in medio ipsorum posuerat, revocavit. Ex quo vero cum serenissimo principe Domino Sigiamundo R. R. et Ungariae etc. fratre nostro carissimo postquam odia, quae inter nos satore procurante zizaniae fuere paulisper suscitata, sine tamen gravi discrimine domino providente undique pacatis discordiis, ad summae caritatis redierimus amplexus ob profectionem fidei orthodoxae et Christi fidelium consolationem et tutelam decrevimus contra praefatos haereticos nostram et praefati fratris nostri Alexandri etc. potentiam exercitus in exterminium eorum, quos propria excoecavit malicia, cum praefato domino Sigismundo R. R., etc. domino exercituum dirigente destinare, contra quos dudum praefato domino Sigismundo etc. per notabiles amicos nostros *obtulimus subsidia*, quae tunc a nobis distulit recipere, forte commoditatem contra ipsos adhuc praestolando meliorem. En vestrae sinceritates poterunt oculis subjicere et etiam experimento palpare, si vera sunt, quae de nobis et fratre nostro domino Alexandro praedicto in conspectu vestro et aliorum principum orthodoxorum procax aemulorum nostrorum effudit invidia et aestus audientium conflevit. Quapropter sinceritates vestras petimus ut de caetero famam nostram coram vobis depravantibus, quos non zelus boni sed malicia movet, non velitis fidem apponere, sed eos qui audent innocentiam puram hominum apud vos sub specie religionis christianae accusare, velitis exacerbare et a vestra ejicere praesentia, ne valeant conscien-

tiis vestris scrupulum involvere et poenitudinem vobis, quos nulla factio domino protegente accusavit, procurare. Datum in Cracovia X die mensis Aprilis anno domini MCCCCXXIII. Ad mandatum D. Regis. D. Albertus Episcopus Cracoviensis Cancellarius regni Poloniae. Referens Stanislaus Czolek vicecancellarius.

C. 14. Res gesta et de dispositione expeditionis tertiae in Bohemiam ad haereticos extirpandum.

In tempore illo scilicet quando numeratur MCCCCXII sedata guerra saevissima principum Bavariae stante etiam quibusdam dicentibus, cessante guerra longissima inter regnum Franciae et Angliae per mortem regum scilicet Karoli in Francia, qui erat sororius Ludovici Ducis Bavariae in Ingelstat et jam per multos annos amens fuerat, ac Heinrici in Anglia, qui regnum Francorum potenter sibi subjugarat, eadem tamen guerra statim post haec valentins ingravescente. Facta quoque pace in die annunciationis virginis gloriosae quando numeratur MCCCCXXIII inter Sigismundum R. R. etc. ex parte una et Wladislaum Regem Poloniae et Alexandrum alias Witoldum magnum ducem Littwaniae parte ex altera, ac etiam pacata discordia inter cruciferos scilicet ordinis Theutonicorum in Pruscia et jam dictos principes scilicet Wladislaum Regem et Alexandrum ducem quae longis temporibus duraverat et gravissima fuerat. Nam jam dicti principes tantam habebant potentiam paganorum, quod ante non multos annos totam fere Prusciam per paganos occuparant immineretque deletio ordinis Alemannorum in Pruscia, nisi Deus honorum omnium largitor, dum castrum Marienburgae obsedissent, in quo erat thesaurus ipsorum Alemannorum, per pestem, quae in eos venit, ipsos in terram suam redire coegisset. Ipse Sigismundus R. R. post duas expeditiones in Bohemia ad delendum haereticos incassum factas disposuit fieri tertiam, unde et bullam Martini P. V. ob hanc causam missam magistratibus et communitati civitatis Ratisponensis et literas dicti Sigismundi Regis et Brandae A. S. L. missas Johanni Ep. Ratisb. hic pro cronicis inserere curavi.

C. 15. Bulla Martini Papae qua scribit Ratisponensibus, ut contra Bohemos haereticos cum potentia consurgant.

Martinus Episcopus servus servorum dei dilectis filiis Magistratibus et communitati civitatis Ratisponensis salutem et apostolicam benedictionem.

Si aliqua haeresis surrexisset in populo Christiano, quae sola loquacitate et falsis ac sophisticis argumentis inniteretnr, sicut aliqnando prioribus temporibus factum est, nos illam cum sancta disciplina veritatis et remediis in ecclesia dei institutis opprimere et confundere curaremus. Sed haec *furiosa haeresis*, quae regnum Bohemiae miserabiliter excoecavit, armata prodiit contra fidem catholicam et sese viribus et potentia confirmare conatur. Propterea necessarium nobis est ad hanc partem extinguendam etiam fidelium principum, nobilium, communitatum aut populorum auxilia convocare et eorum praecipue qui sunt per Germaniam constituti. Nam hii ex tota christianitate propter vicinitatem magis ad succurrendum opportuni sunt et debent ferventius animari ad propinquius periculum depellendum. Quare filii dilecti stricte requirimus et rogamus devotionem vestram, ut non deseratis causam fidei, sed pro ea defendenda contra Bohemos haereticos cum potentia vestra consurgatis vosque idoneo tempore in hac sancta expeditione promptos exhibentes, ad quod vestrum devotum animum merito debet inflammare amor Christi, a quo pro levi recipietis beatitudinem sempiternam. Debet etiam vos amor humanae virtutis et gloriae commovere ut nullum pro tali causa fugiatis (studium?) aut laborem. Et nos etiam qui nomina singulorum principum et nobilium communitatum ac populorum, qui in hoc exercitu militabunt vel auxilia ministrabunt, nobis fieri nota curabimus et Romanam simul ecclesiam ad vestros et vestrorum honores et commoda in perpetuum obligabitis. Datum Romae apud sanctam Mariam majorem. Cal. Dec. Pontificatus nostri anno V°. P. Garsie etc.

C. 10. Quem effectum habuerit dispositio expeditionis tertiae in Bohemiam ad delendum Hussitas haereticos,

Post duas inutiles expeditiones in Bohemiam ad delendum Hussitas baereticos, quarum prima fuit in obsidione civitatis Pragensis per Sigismundum R. R. etc., secunda in obsidione civitatis Sazensis vulgariter Satz per Principes electores ordinata, dispositio expeditionis tertiae anno domini MCCCCXXII sicut ex supra scriptis clarius habetur, per dictum Sigismundum R. praesente *Branda* A. S. L. in congregatione principum Nurnbergae habita nullum effectum est sortita. Quod accidit hoc modo. Ordinatione facta in jam dicta congregatione principum Nurmbergae ad occupandum haereticos in Bo-

hemia cottidiano bello per annum sicut ex suprascriptis habetur inutiliter cessante, omnis populus publicationem expeditionis in Bohemiam exspectabat, qua per Sigismundum Regem per suas literas publicata, quarum unius tenorem, quam misit Johanni Episcopo Ratisbonensi propter certitudinem rei gestae huic operi superius inserui, singuli attendentes, quia dictae duae expeditiones infructuose transierant et praesertim quod terminus geminus praefixus in literis R. Sigismundi ad conventionem illius expeditionis certitudinem rei quodammodo non designabat, morosius ad expeditionem se praeparabant, volentes primum videre quid Sigismundus R. in hoc negotio faceret in effectu. Instante igitur termino ad congregationem exercitus praefixo de praeparatione ad expeditionem per R. Sigismundum nihil auditur. Interea Martinus Pp. vigilans super gregem sibi creditum bullas suas ad singulas notabiles personas et communitates causa hujus negotii destinavit. Branda A. S. L. causam hujus negotii eodem modo per literas suas sollicitans a partibus Reni per civitatem Ratisponam circa festum S. Johannis Baptiste descendit in Ungariam, ducens secum inter caeteros Dominum Heinricum ordinis praedicatorum, antea vicarium, postea vero lectorem monasterii ordinis sui Ratisponensis, qui in singulis civitatibus et notabilibus locis pro cruce signatis contra haereticos egregie praedicavit. Post festum itaque S. Jacobi termino scilicet ultimo praefixo ad expeditionem praedictam, cum nihil ageretur ad effectum hujusmodi expeditionis Branda A. S. L. negotium apud R. Sigismundum in Ungaria sollicitans ad habendum accessum ad regalem praesentiam multos terminos accepit, sed in festo S. Bartholomaei primo pervenit. Rex igitur Sigismundus causa hujus negotii conventus inpotentiam suam allegans propter carentiam subsidii electorum Romani Imperii se excusavit; super qua re habitus fuit recursus ad literas publicationis hujus expeditionis per ipsam R. Sigismundum et inventum est aliter rem se habere. Rex autem Poloniae et dux Witoldus convenit propter brevitatem termini secundi ad exercitum per tanta terarrum spatia mittendum, propter instans jam tempus yemis se excusarunt. Rex Sigismundus propter duplicem terminum conventus respondit terminum primum scilicet festum S. Johannis Baptiste fuisse suae voluntatis, terminum vero secundum scilicet festum S. Jacobi eo non jubente nec non renuente appositum fuisse. Sic itaque dispositio illa solennis per summum Apostolicum et ejus legatum vigilanter

sollicitata domino bonorum omnium largitore, qui accessiones hominum et successiones temporum dispensat, permittente, qui tamen sperantes in se non deserit, omnino est sopita. Solus dux Albertus Viennae (quia) haeretici fideles sibi subjectos crudeliter persequebantur, contra perfidos Hussitas circa festum S. Johannis Baptistae cum potenia surrexit; sed quid gesserit dignum ad scribendum non bene potui experiri. Dicebatur enim, eum revocatum fuisse per R. Sigismundum. Post festum igitur S. Bartholomaei, ne tempus yemis otiosum transiret, tractatum est de amicabili reductione ipsorum haereticorum fuereque hujus rei medii Ambasiatores ducis Witoldi. Et habitis diversis tractatibus et dilationibus tandem conclusum est ipsis haereticis in Brunnam civitatem Moraviae dare salvum conductum ad eos audiendum. Dum autem de forma salvi conductus varia dieversorum taret intentio, conclusum est, ut ipsi Hussistae darent formam in scriptis, de qua ipsi essent contenti. Qua audita si esset admittenda, quod admitteretur. Quod dum factum esset, ipsi Hussistae inter caetera praesidentiam in audientiam partium petiverunt, ut si partes non possent convenire, quod tunc quidquid barones, quos ipsi fideles regni Bohemiae appellabant, approbarent, esset approbatum; quid autem reprobarent, esset reprobatum. In quo sicut decuit, non fuerunt auditi sicque hoc tempus yemis licet non fructuose, non tamen otiose attenta sollicitudine Brandae A. S. L. pertransivit.

C. 17. Res gesta et de concilio primum in civitate Papiensi postea in civitate Sennensi congregato.

Anno domini MCCCCXXIII ipse est annus quintus a fine concilii Constantiensis, in quo statutum est a fine ejusdem generalis concilii in quinquennium immediate sequens aliud concilium generale celebrari, Conradus Moguntinensis Archiepiscopus, ne improvisus ad concilium generale in civitate Papiensi celebrandum existeret, convocat et celebrat concilium provinciale. Quapropter copiam literarum convocationis concilii ejusdem, quam misit domino Johanni Episcopo Ratisponensi, hic postea pro cronicis inserere curavi. Interea ego frater Johannes Andreas perpendens quosdam praelatos ad civitatem Papiensem vulgariter Pafi in partibus Italiae causa celebrandi concilii convolare, quosdam vero ad illud veniendum se praeparare, de convocatione hujus concilii Papiensis quaerens, nihil potui experiri, quibusdam dicentibus: sufficere ad hoc constitutionem editam in concilio

Constantiensi, quod mihi in tanta re parum videbatur. Certus tamen de eo quod ad Episcopum Ratisponensum et abbates civitatis Ratisponensis exemptos in hoc negotio nihil in mandatis pervenit. Quibusdam igitur praelatis in civitate Papiensi existentibus nihil ibidem agitur, sed ipsum concilium ad civitatem Senensem vulgariter zum hoben Sinn ab urbe Roma ad tres dietas distantem transfertur. Interea Petrus de Luna quondam Benedictus XII. in sua obedientia nuncupatus et in concilio Constantiensi tamquam scismaticus et haereticus condempnatus in partibus Aragoniae in sua pertinatia moritur aliusque a sibi invicem succedentibus nomen papatus sibi usurpans erigitur. Denique ad hoc concilium Senense neque papa Martinus neque Rex Sigismundus personaliter venerunt. Hoc itaque concilium Senense XXVI die mensis Februarii quando numeratur MCCCCXXIIII est dissolutum alindque concilium in civitate Basileensi vulgariter zue Bazel Wisuntinensis provinciae ad septennium celebrandum auctoritate Martini Papae est publicatum. Et quamvis, quemadmodum scribit Martinus Papa in literis publicationis jam dicti concilii Basileensis, in saepe dicto concilio Senensi neque sessio publica neque conclusa et concordata poterant expediri et publicari, quasdam tamen constitutiones in eodem concilio Senensi editas, quas quidam Johanni Episcopo Ratisponensis pro novis misit scribens eas esse publicatas in sessione prima saepedicti Senensis concilii, huic operi pro cronicis inserere curavi.

C. 18. De secunda dispositione expeditionis tertiae in Bohemiam ad haereticos extirpandum.

Postquam dispositio prima expeditionis tertiae in Bohemiam ad delendum Hussistas haereticos cessaret, modo parum ante in scriptis exarato, Johannes Herbipolensis et Ratisponensis (et) Spirensis episcopi missi ab electoribus anno domini MCCCCXXIV circa principium quadragesimae per Ratisbonam ad Sigismundum R. R. in Ungariam descenderunt et expeditis negotiis suis apud (eum), Sabbato proximo post ascensionem domini reversi sunt Ratisponam. Et quia R. Sigismundus, quid memorati Episcopi causa extirpationis haereticorum cum eo egerint, postea literis suis publicavit, ideo literam ejusdem Regis Sigismundi continentem dispositionem secundam expeditionis tertiae in Bohemiam ad haereticos extirpandum, quam misit civitati Ratisponensi, hic pro cronicis inserere curavi.

Superscriptio exterior:

Denn ersamen Burgermaistern Sebultheissen Raten und Burgeren gemeinklig der Stat zue Regenspurgk vnserm und des Reichs lieben getreuen.

Superseriptio interior:

Sigmund von Gottes genaden Romischer Konik zu allen Zeiten Merer des Reichs vnd zue Hungern vnd Behem Kunigk.

Tenor:

Lieben getreuen wir lassen euch wissen das aller vnser lieben neven vnd vhimen der Kurfursten Botschafft hey vns gewest ist mit namen vss jelichs Kurfursten Rato einer seiner freinde vnd mit jn die erwirdigen Johan zue Wirtzpurg und Raban zue Speyer bischove vnser Fursten vnd lieben vnd lieben andechtigen vnd haben vns durch dieselbe Potschafft lassen fragu vnd vnder andern gesuche an vns erfarn ob wir icbts darzue thuen welln damit die ketzerey zue Behem getilget vnd aufgereumt werde dorauff wir jn geantwort haben wie wir vns leyb und guet daran nicht gespart haben nemlich dass wir mit vnserm leyb vnd allen vnnserm vermügen darzue getban vnd vil frummer erber vnd biderber leut von den Theutschen Behem Vngern Mebren vnd allen anderen vnseren Lannden darvmb verlorn baben der darumb leyder manicher gestorben vnd gefangen ist vnd haben vns darumb so ser verkosst vnd schaden empfangen das es vnseglich ist, darvmb haben wir alles vnnser vetterlieb erb verkummert vnd biugegeben vnd mer so haben wir vnsere Kunigkreicb zue vnnsern (vngern) so swer darumb an leuten vnd an guet emplöst vnd so gar we gethan, das es zue gross ist vnd das wir die sach von vnnserm Königkreich zue Ungern nicht alle mügen aufrichten vnd uber des alles haben wir den Kurfürsten lassen sagn, wie wol wir mit den Bosnichen kezzer genannt paterini vnd mit vil andern vngläubigen teglichen kriegen vnd gross zue schaffen haben vnd dorauff grosse kost legen müssen, dennocb wollen wir von den Pehemischen kezzern nicht ablassen vnd haben mit dem bochgeborenen Albrecht Hertzogen zue Osterreich vnd Marggraven zw Meheren vnseren lieben Sun vnd Fürsten angeschlagen vnd beschlossen eyn Feld auff sant Johanstag nechtst künfftig mit der bilff Gottes wider die egenannten kezer zue haben vnd dann so wir das Feld rawmen müssen von frost vnd vngewitter wegen teglichen krieg mit jn zue treyben so lang vnd so serr als wir ymer mugen, vnd

haben dieselben kurfürsten lassen vermanen Sintemal sie nu vnnsre mainung in den sachen vernemen das sie auch darzue thuen vnd vnns helffen die vorgenannten kezer entlich zu vertilgen wie wol wir jn das nachdem als wir mit dem kunigk von Polan vnnserm lieben Bruder verzicht warn zeitlich hey dem edeln Groff Adolff von Nassau vnd Graff Micheln von Wertheim vnd darnach vmb sant Marteinstag bey dem edeln Alhrechten von Hohenloh vnd Cunraden von Weinsperg Erbeammer vnsern Reten vnd lieben getreuen emhooten haben, des wir aber bissher kein antwort von jn haben mochten, was sie darzue thun wollten. Nu meynen wir sie werden euch vnd ander vnnser vnd des Reichs Stett besenden vnd hoffen sie werden vns wider die vorgenannt kezzer im helffen. Darvmb begern wir von euch vnd vermanen euch aller ayde vnd treu, der ir vnns von des hl. römischen Reychs wegen vnd der Christenheit pflichtig seit, das ir euch mit eur macht vnd nach ewrm vermügen auffrüft und berait seit, Ist (bis) das vnnser lieben Neven vnd Oheime die Kurfürsten euch besenden vnd vns zue hilff ziehen werden das ir denn unverzogenlich in das Feld khumet vnd euch darzue schickhet vnd helffet vns das Feld vnd euch den teglichen krieg treiben vnd ausszuverharren biss das wir der sach zue einem Ende komen Gott dem Herrn zue Lob, der Christenheit zue trost vnd zue ere, vns vnd dem Reich zue dienst vnd zue sunderlichen Wolgefallen, wann wir nicht anders begern denn das ir thuet ewr vermugen. Daran verdient ir den ewigen lon von Gott dem Herrn, eer vnd lob von der welt vnd von vns sonderlichen Dank der wir euch in allenn gueten nymer wollen vergessen. Auch haben wir von vnnser vnnd des Reichs sachen gar trefflich mit euch zue reden. Darvmb begern wir von euch mit sunderlichem fleyss das ir einen oder zwen aus euren freunden vnd reten zue vns schicken wollet, bey dem wir euch vnser mainung embieten mogen vnd demnach so wollet ewr hilff nit verziehen als vorbegriffen ist, dergleichen wir andern vätern vnd des Reichs steten auch geschrieben haben. Geben zue Ofen am necbsten Freitag nach vnnsers Herrn Auffahrttag vnsers Reichs des vngrischen in dem XXXVIII, des romischen in den XIV vnd des behemschen in dem virten Jare.

C. 19. De anno jubilaeo.

Anno domini MCCCCXXII in quo ut supra scriptum est, celebratum est concilium Senense Romae in duabus ecclesiis, scilicet

Johannis Lateranensis, in qua sunt canoniei saeculares, et S. Laurentii extra muros, in qua sunt Benedietini, apertae sunt duae portae propter Jubileaum quod instabat secundum constitutionem Urbani VI de trieesimo tertio anno in XXXIII anno perpetuis temporibus eelebrando; hunc annum jubilaeum Martinus P. V Romae residens non auctorizavit nec celebrari probibuit. Causa autem hujus certe experiri non potui, quibusdam dicentibus, Papam dissimulare propter Gallicos et alios, qui fuerant de obedientia Benedicti XIII sic apud suos nuncupati, qui institutioni hujusmodi jubilaei ab Urbano VI facti assensum non dederat pro eo, quod institutio hujus jubilaei tempore scismatis sit facta. Alii dicebant, quod publicatio illius jubilaei sit omissa propter Bohemos hussistas haereticos, qui propter multitudinem peregrinantium valentiores fierent ad impugnandum katbolicos; fuere etiam qui dicerent, annum jubilaeum usque ad conversionem Bohemorum differendum tuncque ob singulare tripudium in civitate Pragensi fore celebrandum. Alii dieebant Papam sub silentio transisse istum jubilaeum, ut ad gratiam ab ipso factam pro cruce signatis ad expugnandum Hussistas haereticos Christi fideles ardentius inflammarentur. Alii dieebant hujusmodi jubilaei publicationem omissam propter instantem annum quintum a tempore Constantiensis concilii, in quo concilio sopito supramemorato scismate decretum erat in quinquennio immediate sequenti in Pavia concilium fore eelebrandum, quod concilium propter peregrinationes orthodoxorum posset aliquo modo ad paucitatem personarum impediri. Dixerunt etiam quidam, quod Martinus P. jubilaeum institutum per Urbanum VI de XXXIII° in XXXIII^{um} perpetuis temporibus celebrandum transferre intenderet ut de XXV° in XXV^{um} futuris temporibus celebraretur ipsumque incipere vellet anno domini MCCCCXXV, quod tamen non est faetum. Plurimi etiam tune temporis in curia existentes nihil de hoc audierunt.

C. 20. Quem effectum habuerit dispositio secunda ad expeditionem tertiam in Bohemiam ad delendum husistas haereticos.

Dispositio tertiae expeditionis facta per Sigismundum R. R. anno domini MCCCCXXIV prout ex suprascriptis (literis) babetur ad delendum Hussistas haereticos nullum effectum est sortita, sic quod etiam nullus auditus est ad hanc vel saltem arma movisse. Solus Albertus dux Austriae gener praedieti Sigismundi R. R. contra haereticos in Moravia circa festum S. Johannis Baptistae

cum potentia surrexit. Iste Albertus dux Austriae duxit in uxorem Elisabeth filiam jam dicti Sigismundi R., unde et Moraviam sibi subjecit, facta tamen ipsi Sigismundo refusione (reluitione?) multorum millium florenorum. Interea quidam alius Sigismundus nepos Vitoldi alias Alexandri ducis Littwaniae, qui antea a jam dicto Alexandro missus fuerat in Bohemiam ac post hoc revocatus, iterum venit in Pragam civitatem capitalem Bohemiae, sperans se posse obtinere sed tamen frustra regnum Bohemorum, unde et literam diffidationis ejus, quam misit Sigismundo R. R. etc. et Alberto duci Austriae hic pro cronicis prout sequitur in forma inserere curavi.

Wir Sigmund von Gotes genaden Littawescher Hertzog vnd des Konigreichs zu Peheim vnd Marggraffschaft zue Mehrern gevordeter vnd erwelt Konigverharn uns mit allen vnnsern dienern vnd helffern gegen die durchleichtigen Konigk Sigmund Ungricher vnd Ostricher Hertzog Albrecht vmb die vier stuck darumb sich die behemisch vnd mehrlich Zung auffgeworffen hat vund nemlich vmb empfahung etc. (Ap. Eberh. Windek c. 110, p. 1165.

Glosa literae suprascriptae.

Item dicitur in litera quod Bohemis sit denegata audientia etc. In hoc facit ipse scribens grande mendacium, quia propter hoc, quod certi inter eos petiverunt se audiri ipsos, interfuerunt. Item in generali consilio Constansiensi, in quo ipsorum haereticorum autores sunt dampnati, nulli fuit denegata audientia. Item cum per Brandam A. S. L. assentiente Sigismundo R. R. supramemorato certus dies ad eos andiendum eis fuisset constitutus et Magistri Wiennenses ad hunc se plene praeparassent, diutius ipsi Bohemi cum suis fautoribus expectati non venerunt. Ecce ergo quomodo mendax sicut et pater ejus.

C. 21. Pauca e multis malis, (quae) intulerunt haeretici katholicis, hic memorantur.

Cum tot sint mala ipsorum haereticorum in Bohemia, quod nullus possit ea enarrare, multo minus quisquam potest ex scriptis enarrare. Hii namque coarmati rabie blasfemiae non solum dominum omnium jaculari nituntur, sed etiam contra ejus famulos bellum sine ullo foedere suscipiunt, unde pauca e multis malis ipsorum hic memorantur. Anno domini MCCCCXXV circa festum omnium sanctorum monasterium in Moravia Trebnitz vocitatum et ab ipsis haereticis occupatum, unde infinita mala christicolis et praesertim sacerdotibus

inferebantur, ab Alberto duce Austriae et Sigismundo R. R. obsidetur. Sigismundus rex ab exercitu *se abscondit*. Dux Albertus ab obsidione sine gloria recedit et multa damna christicolis sicut ego audivi disponente Sigismundo Rege supramemorato per combustionem multarum villarum prope Brunnam civitatem Moraviae inferuntur. Item anno eodem in festo S. Catharinae Retz civitas in principatu Austriae ab ipsis haereticis occupatur et comes dominus ipsius civitatis vocatus de Maisburgk tunc vero de Hardekk captivus in Pragam ducitur. Albertus Dux Austriae tunc temporis collatum exercitum habuit, sed Christi fidelibus nullum auxilium ministravit.

C. 22. Hussistae obsidione vallant Gasmunchen (Waldmunchen ?) civitatem Bavariae.

Inter alia quamplurima mala, quibus Hussistae haeretici secus silvam Christi fideles in Bavaria perturbabant, in hanc quoque animositatem pervenerunt, quod civitatem Gasmunchen sub dominio dicti Pflueg altera vice obsidione vallabant. Sed incolis civitatis et praesertim mulieribus viriliter se defendentibus orthodoxi velocius in adjutorium fidelium exsurgunt. Quod videntes haeretici sine gloria in Bohemiam redierunt, unde literas ducis Ottonis in Ambergk residentis filii quondam Ruperti R. R., quas misit Johanni Streyperger Episcopo Ratisbonensi hic pro cronicis inserere curavi. (Diarium sexennale p. 26).

Item alia litera ejusdem. (Diarium sex. l. c).

Sequitur litera officialium Ducis Johannis fratris praedicti Ottonis ducis, qui Johannes tunc temporis erat in Ungaria apud Sigismundum R. R. (Diar. Sexenn. l. c.)

C. 23. De singulari malo quod passi sunt Christi fideles in Tachowia civitate regni Bohemiae.

Praeter mala quibus Christi fideles ab haereticis in Bohemia turbabantur, orthodoxos in Tachovia singulare malum gravavit. Duo enim longis temporibus pro parochia ibidem contendebant et uterque illorum ipsos tanquam cives sine pastore deseruit, unde literam quam miserunt Johannni Episcopo Ratisb. hic pru cronicis inserere curavi.

Dem erwirdigen in Got Vater Herrn vnd Herrn bischoff zue Regensburg vnnserm lieben genedigen Herrn vnd genedigen Vater.

Vnnsern willigen vnd undertenigen Dienst zue allen zeiten vnverdrossen genediger lieber herr vnd genediger Vater als wir ewrn genaden vnd eure wirdigkeit vormals hahen gethan vnd kleglich geklaget haben vnsern gebrechen vnd auch vnser angst vnd vnser note, die wir arme lewt leiden vnd geliden haben von manchen zeiten vnd auch noch hewt den Tag leiden als den ewr vnd ewr wirdigkeit vormals vernomen vnd gehört hat, wie man vns arme lewt twinget vnd dringet vnd wir arme lewt des nie verdienet haben vnnd wollten vngern verdienen, wann uns vnsere pfarr beyde gelichs ein als der ander in dem ellendt gelassen haben vnd nemlicher der letzte des Wenzel guldens sun der bat vns in solcher mass gelassen das er vns kein Sacrament gelassen hat in der kirchen weder das Sacrament des heylichen Chrisams noch der heiligen Ölung ausgenomen hat vns lassen ein hostiam vnd nicht mer. Nun haben wir arme lewt vns besprochen vnd beraten wiewir also nicht stirn (existirn) vnd leben mochten als den guet kristen angehört. Nun haben wir zu ewren genaden vnd zu ewrer wirdigkeit lieber genädiger herr vnd genädiger Vater vunsern boten gesandt vnd von euch hegert vnd gebeten das vns E. G. und E. W. wöle raten vnd heholffen sein in vnnserm elende, wann wir arme lewt in diesen leuften zu Niemand zueflucht gehabt haben denn zu E. W. vnd zv E. G. Nun bitten wir E. G. lieber gnädiger herr vnd lieber vater, E. G. wölle vns noch raten vnd beholffen sein in vnserm leiden, in vnserm jamer in vnserm gebrechen vnd grossen elend vnd wölle vns noch vorsehen vnd bedenken gnediglichen mit dem heylichen Sacrament vnd wölle vns mit begaben vnd egnaden wen wir an des heilichen Sacrament nicht wellen vnd nicht mugen sein weder vnser Kinder an das getaufft mügen werden, wen wir wol wissen vnd ganzen gelauben haben, das wir vnser arm seln nicht mugen hayl hahen, wen das ist vnser gelaub ganz vnd gar. Auch lieber genädiger herr was wir dann wir arme lewt vnd ewre getreuen dienern ewren Gnaden schollen thun für ewre mue oder den ewren, das wellen wir gerne thuen zu allen zeiten vnverdrossen vnd auch des wellen wir E. G. zumal ser danken vor vnserm gnädigen Herrn königk. Datum in Tachowia 3ª proxima feria post dominicam palmarum anno domini MCCCCCXXVI.

Der Rate vnd ganze gemayn der Stat zue Tachau ewrn getreuen.

C. 24. De eo quod Christi fidelibus contra haereticos defensio secundum quatuor partes terrae est ordinata.

Anno domini MCCCCXXVI ante festum pentecostes, dum Christi fideles in regno Bohemiae et in circuitu ejus graviter ab haereticis turbarentur, iterum facta est congregatió principum Nurmbergae. Ad quam venit Jordanus de Ursinis cardioalis A. S. L. et sicut antea Branda A. S. L. sic et ipse Iordanus sub eodem tenore verbis tamen paucis variatis indulgentias easdem oppugnantibus contra Hussistas haereticos publicavit; Sigismundus autem R. R., *licet plurimum expectaretur seduloque a suis venturus vulgaretur*, finaliter tamen ad hanc congregationem personaliter non venit. Pro cottidiano tamen subsidio ferendo Christi fidelibus principes et communitates civitatum mperialium in hoc concordarunt, quod secundum quatuor partes terrae deputati sunt *quatuor summi capitanei*, quibus caeteri deberent esse in auxilium. Ex quibus Johannes dux Bavariae filius Roperti quondam R. R. fuit deputatus pro parte nostra scilicet Bavarorum; secundus fuit Albertus dux Austriae cum adjutorio Sigismundi R. R.; tertius fuit Marchio Misnensis qui et dux Saxoniae atque elector R. J.; quartus vero ut audivi Rex Polonorum cum adjutorio dominorum Theotonicorum in Pruscia.

C. 25. Christiani in bello magno ab haereticis superantur.

15. Juni 1426.

Item dominica 3ª post octavas pentecostes XVI cal. Jul. Marchionissa Misnensis commisit pugnam cum Hussistis haereticis in obsidione civitatis Awskch (Aussig) nuncupatae, quod accidit hoc modo. Congregatis tunc temporis principibus Nurmbergae sicut ex suprascriptis habetur ad tractandum de deletione haereticorum in regno Bohemiae aderat inter ceteros Fridericus marchio Misnensis per Sigismundum RR etc. de novo factus dux Saxoniae. Affuit etiam Ericus dux, qui jam dictum ducatum Saxoniae atque electionem Romanorum Regis ad se jure haereditario dicebat pertinere. Interea Awskch civitas ab haereticis obsidetur. Igitur Marchionissa Misnensis congregato copioso exercitu jam dictam civitatem ab infestatione haeretiorum defendere nitebatur. Dum autem haeretici in obsidione ista in tres partes essent ab invicem separati, katholici eos sic separatos invadere voluerunt, sperantes eos simul congregatos omnes posse comprehen-

dere. Sed res proh dolor in contrarium versa est. Nam congregatis haereticis in unum, nostri cum eis congressi, quod dolorose refero atque scribo, dum in fortitudine multitudinis suae sperarent, aspiciente domino qui dum vult, flagellat, cum vult miseretur, sunt humiliati. Ceciderunt namque de katholicis ex hiis, qui fortiter pugnarunt utpote nobiles quas XVI famosi inter caeteros fuerunt et ex hiis qui fugerunt et in fuga quamquam nemine eos persequente interierunt ad *tria millia virorum*. Tunc mihi occurrit dictum B. Augustini: si quis bellum justum suscepit, utrum aperta pugna an ex insidiis vincat, non refertur ad justitiam. Et fuerunt qui dicebant ista justo dei judicio fuisse permissa. Aliqui ex'eo quod ipse Marchio Misnensis praefatus nobilem ducatum Saxoniae, cujus superius facta est mencio, per potentiam suam atque favorem Sigismundi RR. teneret. Alii vero ex eo quod ipsi Misnenses in congregatione hujusmodi exercitus indiscrete pauperes et catholicos laesissent et praesertim Toppel (Teplitz) monasterium situm juxta civitatem Awkch praedictum, in quo virgines deo dicatas inhoneste tractarent, ymagines etiam sanctorum et venerandum corpus Christi sicut ego audivi pedibus conculcarent, dicentes hujusmodi non esse katholicorum sed sordidorum haereticorum, hoc conjicientes ex eo, quod propter bonum pacis praedictum monasterium Toppel treugas cum haereticis habebant. A longis etiam temporibus Misnenses et Bohemi frequenter simul litigarunt, unde quidam dicebant, quod Bohemis modo in haeresim lapsis Misnenses eos paratius perturbarent. Item nec hoc silendum puto, quod presbyter quidam a parte catholicorum contra haereticos armatus eo, quod etiam materiali gladio clericis contra haereticos ex concessione Martini P. V. pugnare licebat, facta vivae vocis exhortatione ad populum, in prima congressione inimicos fidei invadens diem clausit extremum cum Christo aeternaliter regnaturus.

C. 26. De convocatione cleri propter haeresim.

Anno domini MCCCCXXVI feria IV post festum nativitatis sanctae Mariae ad mandatum literarium Johannis Episcopi Ratisbonensis propter haeresim in Bohemia praelati et clerus in aula episcopali conveniunt, ubi post lectas literas Jordani A. S. L. dominus Fridericus Parsperger decanus et scholasticus cathedralis ecclesiae ad extirpationem haeresis duplex bonum scilicet spirituale et temporale fore necessarium peroravit. Et quia *in spiritualibus* factae sunt quaedam *ordinationes* et in *temporalibus petita* sunt *steura* et *admissa*,

sequitur ordinatio reverendissimi in Christo patris et domini Domini Johannis Episcopi Ratisbonensis contra perfidos Hussitas et Wiclefistas, qui in sua veritate confidunt, quatenus dominus deus dignetur eos in conspectu suorum fidelium humiliare et ab universis suis erroribus eruere et ad sanctam matrem katholicam et apostolicam ecclesiam misericorditer revocare.

Inprimis ordinat et disponit, quod in civitate Ratisbonensi semel in mense quolibet totus clerus saecularis certa die assignata conveniant in ecclesia kathedrali et vadant processionaliter humiliter et devote cum reliquiis ad ecclesiam aliquam designandam videlicet ad veterem capellam vel inferius monasterium aut alias quo melius ipsum fecit expedire, ibidem solenniter officium missae decantaturi, sed cursorie ne populus afficiatur taedio; ubi fiat brevis collatio ad populum et exhortatio cum declaratione indulgentiarum praedicationis crucis et cruce signatorum prout in ipsa bulla plenius continetur et psalmi poenitentiales cum letania devote decantentur. Item quod hoc etiam ibidem fiat semel in mense per religiosos civitatis ejusdem utpote de Sancto Emeranno et S. Jacobo, qui simul in unum conveniant et processionaliter cum reliquiis ad unam de ipsorum ecclesiis humiliter et devote vadant unum officium similiter decantaturi. Idem faciant fratres mendicantes videlicet praedicatores minores et Augustinenses conveniant et processionaliter cum reliquiis vadant ad unum de suis monasteriis etiam unum officium decantaturi. Idem etiam fiat per totam dioecesim, ubi sunt quam plures clerici, qui convenient et eant in unam propinquam ecclesiam, ne populum contingat divagare et distrahi, celebretur officium et fiat brevissima et devota exhortatio. Item quod in quolibet monasterio monialium etiam semel quolibet mense ipsae moniales faciant solennem processionem per suum duntaxat monasterium et ambitum et solenniter decantent unum officium ut praemissum est. Idem etiam fiat per totam dioecesim in singulis ecclesiis collegiatis et monasteriis conventualibus. Idem quod jejunantes una die qua fit processio consequantur XL. dies indulgentiarum a praefato domino Episcopo Ratisbonensi. Item quod in villis, ubi duntaxat una est parochialis ecclesia, etiam semel in mense in die festo, cum adest populi multitudo, circumeat suam ecclesiam cum populo tribus vicibus et decantet psalmos poenitentiales cum letania inducatque populum ad devote orandum, ut dominus Deus dignetur suis fidelibus contra perversos haereticos triumphum concedere et

ipsos a suis erroribus revocare, et sicut supradictum est. Item quod in singulis ecclesiis collegiatis vel monasteriis qualibet ebdomada semel decantetur una missa prout alias per dominum Brandam Cardinalem A. S. L. fuit ordinatum videlicet, quod antequam missa hujusmodi incboatur, dicantur flexis genibus septem psalmi poenitentiales cum letania distincte humiliter. et devote. Missa hujusmodi finita statim cantetur antiphone: media vita vel salve regina cum collectis pertinentibus. Omnibus autem et singulis, qui praemissis interfuerint, XL. dies indulgenciarum dictus dominus Episcopus Ratisbonensis relaxavit et relaxat. Item completis VII psalmis et letania supradictis conclusio fiat cum talibus collectis istis videlicet: ineffabilem misericordiam tuam domine, vel clementer ostende ut simul et a peccatis omnibus nos exuas et a poenis quas pro eis meremur eripias per dominum etc. Collecta: adesto quaesumus domine supplicationibus nostris et viam famulorum tuorum in salutis tuae prosperitate dirige, ut inter omnes viae et vitae eorum varietates tuo semper protegantur auxilio per dominum etc. Collecta: omnipotens et misericors deus qui subvenis in periculis et necessitatibus laborantes, majestatem tuam simpliciter exoramus, ut mittere digneris sanctum angelum tuum, qui famulos tuos in angustiis et necessitatibus laborantes consolationibus attollat, quibus et in praesenti consequantur auxilium et aeterna remedia comprehendant per D. N. J. Chr. Istis autem collectis expletis dicitur cum devotione psalmus iste brevis: saepe expugnaverunt me etc. cum versiculo: salvos fac servos tuos etc. et collecta: Ecclesiae tuae quaesumus domine preces placatus admitte ut destructis aversitatibus et erroribus universis secura tibi serviat libertate per D. N. J. Ch. Item in praedicta missa, quae semel ut praemittitur cantanda erat, in septimana post dictam orationem dominicam et postquam chorus respondendo cantaverit: sed libera nos a malo: legatur psalmus: laetatus sum in his etc. cum versiculis et collectis ad ipsum pertinentibus. Item quod per totam dioecesim quilibet clericus post suffragia, quae dici vel decantari consueverunt, decantetur seu imponatur haec antiphone: Da pacem, cum versiculo et collecta competentibus scilicet: Deus a quo sancta desideria. Item quod qualibet sexta feria post finita officia pulsetur major campana et quartale unius horae vel quasi etc. prout in litera desuper habita a domino metropolitano plenius continetur, quae alias in proxima synodo Ratisponensi celebrata inter statuta synodalia pro copia dicta est, videlicet quod tempore pulsus hujusmodi

pro memoria expirationis sive mortis D. N. J. Ch. quilibet Christi fidelis legat psalmum: Deus Deus meus respice in me, aut quinquies orationem dominicam cum tot salutationibus angelicis prout indulgentiarum desuper concessarum voluerint esse participes. Insuper mandavit et ordinavit dictus dominus Episcopus Ratisbonensis amoveri omnes et singulos praesbyteros et clericos, qui forsan vicio concubinatus fuerint sedati (seducti?) diligenter et cum effectu, ut mox publicatis praesentibus a consorcio earundum concubinarum desistant illasque infra spatium XII dierum a se removeant penitus et omnino sub poenis in statutis provincialibus in proxima synodo Ratisbonensi pro copia datis et praesertim in capitulo de cohabitatione clericorum et mulierum, quod incipit: ad arcendum concubinatus crimen, etc. per omnem ejus tenorem contentis.

Etiam mandavit et ordinavit dictus dominus Episcopus Ratisbonensis modo et forma praemissis publicari et insinuari omnibus et singulis praemissis statuta per Reverendissimum in Christo patrem et dominum dominum Brandam Cardinalem Florentinum A. S. L. inter caetera sua statuta in hujusmodi casu Episcopo Ratisponensi et clero suo data et publicata similiter in singulis convocationibus singulis confratribus publicari et notificari. Quorum tenor sequitur in haec verba videlicet: clerici cum mulieribus choreizantes aut ludentes ad aleas vel taxillos sunt ipso facto excommunicati; interessentes autem hujusmodi publicis choreis aut ludo taxillorum corrigantur ad arbitrium decani vel officialis, si sub decano non fuerint. Concubinas autem mulieres de incontinentia suspectas clerici in sua cohabitatione tenentes priventur omnibus proventibus suorum beneficiorum ipso facto per spacium unius anni. Si tamen moniti non destiterint, post primam monitionem ipso facto suis beneficiis sint privati.

Lecta lata (acta) et in scriptis pronunciata fuerunt omnia et singula praemissa in aula curiae episcopalis in congregatione publica praelatorum decanorum et clericorum ad hoc vocatorum sub anno a nativitate Domini MCCCCXXVI undecima die mensis Semptembris hora primarum vel quasi. Datum pro copia sub vicariatus sigillo praesentibus appresso.

C. 27. Quem effectum habuerit praemissa ordinatio ad cottidianam defensionem katholicorum contra haereticos.

Ordinatio facta anno domini MCCCCXXVI ad cottidianam defensionem catholicorum contra haereticos prout ex praemissis habetur,

talem effectum secundum quod ad notitiam meam pervenit est sortita, De rege Polonorum et duce Saxoniae quid gesserint, non audivi. Dux autem Austriae Albertus quoddam castrum in plano situm, Luntenburg vocitatum, quod dietam a Vienna distat quodque castrum Hussistae per traditamentum occuparant, potentionaliter obsedit; sed consumptis ad octo septimanis in obsidione, tandem castro non obtento in sua est reversus. Audivi tamen hoc non duci quo ad personam suam sed aliis fuisse imputatum. A parte vero quarti capitanei principalis facta est quaedam gloriosa victoria, quam subsequenter sub rubrica propria scriptis commendavi.

C. 28. Katholici gloriose (sic) de haereticis.

Johannes dux Bavariae filius quondam Ruperti R. R., dum ad defendendum katholicos ab haereticis armatos quosdam sibi deputatos haberet, accedens ad eum Erasmus Sattelpogner in castro suo Orensprang residens capitaneus tunc temporis armatorum civitatis Ratisponensis in negotio contra haereticos pro persona sua petivit a memorato duce Johanne, quatenus sibi favere dignaretur de armatis quos habebat et ipse assumpto adjutorio consanguineorum et fautorum suorum contra haereticos vellet Bohemiam intrare. Hujusmodi petitionibus memoratus princeps inclinatus favorabiliter assensit. Intrantes igitur Katholici Bohemiam anno domini MCCCCXXVI feria quarta in die sanctorum Protbi et Iacincti hora 3ª post meridiem commisso proelio de haereticis gloriose triumpharunt. Fuit autem victoria in hoc bello. (Diar. sexenn. p. 28).

Postea circa festum epiphaniae domini haeretici intrantes Bavariam ea quae erant prope forum Orenswang incendia vastarunt. Et si memoratus Erasmus Sattelpoger eadem nocte a casu domum non venisset, etiam castrum ipsum occupassent. Dum praedicta agerentur, Ludwicus comes palatinus Reni frater supramemorati ducis Johannis sepulchrum domini in terra sancta visitavit et militiae nomen accepit, vulgo dicente quod si militare voluisset, nomen gloriosum militiae haereticos expugnando sibi acquisivisset. Idem Ludwicus tempore septuagesimali de terra sancta revertitur, ipsum in partibus Reni cum N. Pflueg accessit ejusque auxilium contra haereticos invocans, aerumpnas suas sibi tanquam electori Romani Imperii, audientiam sollicitudinem obtinens, seriosius declaravit. Et factum est coram multitudine baronum militum et militarium ut ipse Erasmus saepe

memoratus domino Ludwico praefato tanta et talia in faciem loqueretur, quod quidam haec audiens diceret: vos tanta et talia coram eo proferendo fecistis tantum quantum si papa et cardinalis ejus in hoc negotio sibi scripsissent.

C. 29. De dispositione tertia ad expeditionem tertiam in Bohemiam ad haereticos delendum.

Cum inter varias ordinationes (et) impugnationes haereticorum in Bohemia duae notabiles expeditiones fuissent factae, prima in obsidione civitatis Pragensis per Sigismundum R. R. etc. secunda de assensu jam dicti Sigismundi Regis in obsidione civitatis Satzensis per electores et nihil hujusmodi ordinationes et expeditiones profuissent, expeditio etiam tertia bis ordinata fuit, sed tamen ad nullum effectum est perducta. Itaque cum post haec cottidiana eorum oppugnatio, quae per regem et principes ordinata fuerat, sine fructu, qui sperabatur, transisset et omnis pene christianorum potestas ab impugnatione haereticorum praedictorum quodammodo manus retraxisset, ipsi vero haeretici crudeliter etiam in manu potenti in catholicos debaccharentur, principes electores et et quidam alii in Frankfordia convenerunt et quod inter alia propter guerram inter Archiepiscopum Maguntinensem ex parte una et lantgravium Hassiae et ejus adjutores ex parte altera non sperabatur posse fieri expeditio in Bohemiam, fieuda est ordinata.

C. 30. Quem effectum habuerit expeditio tertia in Bohemiam ad delendum hussistas haereticos.

Expeditio tertia in Bohemiam ad instantiam Sigismundi R. R. per electores anno domini MCCCCXXVII mense Julio contra hussistas haereticos in Bohemiam facta, quae a christi fidelibus fructuosissima sperabatur, non solum malum, verum etiam scandalosum finem proh dolor est sortita. Licet erant duae expeditiones ob hoc negotium antea factae, optatum non acceperunt effectum. In prima tamen expeditione per Sigismundum R. praefatum in obsidione civitatis Pragensis facta pse Sigismundus in Regem Bohemiae est coronatus. In secunda vero, quae facta est eodem Sigismundo assentiente per electores in obsidione civitatis Sazensis, dum hii qui capita esse videbantur, concordare non possent, ab obsidione recesserunt. In hac vero tertia expeditione quod dolenter scribo *nemine persequente* de Bohemia sic festi-

narunt ut ad literam videretur adimpletum illud ysaiae prophetae: cuncti principes fugerunt. Rogo praesentium lectorem quatenus ea, quae hic scribo, mihi non dignetur imputare. Ille enim qui scribit historiam vel cronicam prout ex antiquorum traditione habemus et praesentium inserta mentibus naturalis cupiditas veri desiderat, debet ita fideliter scribere quae sunt ad vituperium sicut illa quae sunt ad laudem. Quapropter hoc notandum, quod cum a quibusdam, inter quos erat unus electorum princeps saecularis in variis terrarum spaciis per heraldos literae vulgariter continentes, quasdam ordinationes, quibus a militibus et a militaribus viris terrae Franconiae catholici pugiles incitabantur, ut militaria exercitia ludos et solatia, quae hactenus in torneamentis et hastiludiis agere consueverant, in impugnationem haereticorum errorum convertere conarentur, eo videlicet modo ut ejusdem societatis ac totius negotii armiductrix vexillifera signumque vexillare esse debeat imago gloriosissimae puerperae virginis Mariae cum beatissimi sui parvuli imagine et ante easdem gloriosus miles beatus Georgius genibus flexis bravium laudabilis militiae suae sertum scil. floridum suscipiens etc. Expeditio ista tertia contra haereticos cujus hic est mencio prout ex scriptis electorum habetur, fuit primum secundum plagas terrae ordinate disposita sic, quod *quatuor* partes deberent potenter haereticos impugnare et tamen inter se alterutrum respectum habere. Et quia Rex Sigismundus memoratus tunc temporis grandia et majora his negotiis cum Imperatore Turcorum videbatur tractare, ideo Albertus dux Austriae ejus gener cum adjutorio ejusdem regis et quorundam aliorum debuit pro parte sua contra haereticos ducere exercitum singularem. Sed hic Albertus quo animo hoc non fecerit nescio. Nunquam enim hoc in tempore venit in campum. Alterum exercitum debebant facere Schlesitae qui etiam a se ipsis ad hoc se obtulerunt; sed quid fecerint dignum memoria, pro certo ad me non pervenit. Pro parte tertia Fridericus dux Saxoniae qui et Marchio Misnensis misit filium suum juvenem cum exercitu, cui praefuit quidam dictus de Schwarzburg. Hic qui sibi videbatur minus potens ad exercitum singularem, ideo se junxit exercitui quarto quem faciebant electores cum adjutoribus suis. Fuerunt autem ex electoribus tantum duo in hac expeditione praesentes scilicet Otto Archiepiscopus Treverensis, summus capitaneus illius expeditionis et Fridericus marchio Brandenburgensis qui et Burggravius Nurnbergensis. Huic Friderico dux

Saxoniae filium suum supramemoratum specialiter in hoc negotio commendavit. Igitur Trevirensis archiepiscopus Bohemiam ingressus in oppido Tachowia, quod saepius ab haereticis impugnatum hucusque fortiter obstiterat, reverentissima solempnitate est susceptus. Paulo post oppidum Misa vocitatum quod a Tachowia quatuor milliaribus distat, obsidetur. Sed non igitur ibi dignum memoria praeterquam ab his qui in numero trium millium virorum pugnatorum pedestres sagittarii et nudi agiliores essent, ad certamina a civitatibus stagnalibus quas vulgus Seestet nuncupat, illuc venerant katholicis in adjutorium. Nam exinsperato oppido non obtento exercitus ab obsidione recedit et ad Tachowiam declinat, ubi Heinricus tituli S. Eusebii presbyter Cardinalis Angliae vulgariter nuncupatus A. S. L., ad principes venit factaque exhortatione confoederantur, ut simul contra inimicos velint stare. Erigiturque ab eodem legato vexillum non simplicis crucis sed ymaginis Christi crucifixi quod datur in manus Johannis Ducis Bavariae. Sed mirabili rerum eventu, *sibi invicem non auxiliantes,* demissa constantia in negotio dei et ecclesiae atque suo quod triste est valde dicere vel scribere, nihil operantur. Tunc mihi occurrit dictum Ysaiae prophetae: dominus in medio miscuit spiritum vertiginis hoc est controversiae et erroris ut scribunt doctores promississe propter mala illorum punienda in quibus completum est illud quod scriptum est ibidem: vae qui praedaris, nonne ipse praedaberis. Vae qui spernis, nonne ipse sperneris. Cum consummaveris depraedationem, depraedaberis etc. Egressis igitur nostris sine omni fructu de Bohemia, statim haeretici praefatum oppidum Tachaw, quod multo forcius erat munitum contra Misam oppidum supranominatum, quod nostri obsederant, gladio et igne vastant, mulieribus tamen et parvulis, qui primos impetus evaserant parcentes, eos autem qui de exercitu katholicorum ibi manserant, ex quibus quamplures ad custodiam civitatis positi erant et alios qui ad conservandam se ad castrum ibidem confugerant numero plusquam MCCCC viros exutis omnibus, quae habebant, ad captivitatem ducunt. Hiis promiserant hussistae ut de instanti velint eis dare treugas usque post festum nativitatis domini, sed quod promiserant votum non tenuerunt. Hic saepius memor fui dicti Abakuk prophetae dicentis: quare domine non respicis super inique agentes et taces impio devorante justitiam et facis homines quasi pisces maris et reptilia non habentia ducem. Interea dum haec agerentur, nunciatum fuerat Romae de proelio katholicorum cum

haereticis committendo. Tunc summus pontifex Martinus V, qui per aliquot dies in publicum non processerat, propter quod infirmitate gravi dicebatur teneri, pro obtinenda victoria statuit processionem fieri feria V. in vigilia sancti Petri ad vincula, cui ipse personaliter cum cardinalibus interfuit et omnibus, qui huic intererant septem annos indulgentiarum dedit. Deus autem, qui non dormit neque dormitat, fluctibus maris hic non imperavit, sed pane lacrimarum hoc est vita plena doloribus populum suum cibavit. Quem rogemus ut ad eruditionem nostram ne passionibus deficiamus, det nobis potum in lacrimis in mensura. Et super id quod possumus sicut apostolus dicit, non patiatur nos temptari ut inimici nostri, qui fidem et ritum nostrum derident ad laudem et gloriam suam cessent nos subsannare.

C. 31. Quem finem habuerit dispositio prima ad expeditionem quartam in Bohemiam ob haereticos extirpandos.

Dispositio et ordinatio superius in forma descripta per dominum Heinricum Cardinalem A. S. L. vulgariter Angliae nuncupatum facta ad haereticos in Bohemia extirpandum talem finem accepit. Contributio generalis colligebatur. Sed tamen forma superius expressa in congregatione principum Frankfordiae facta non ab omnibus servabatur. Quidam enim et praecertim *clerici collectam pecuniam ad loca deputata dederunt;* quidam vero utpote principes et communitates collectam pecuniam *apud se tenuerunt,* donec de illa aliquando certius ordinaretur. Dominus autem Cardinalis praefatus *de Germania recessit,* auctoritatem suam illud negotium prosequendi nulli relinquens neque rediens in tempore ut sperabatur et sic omnis illa ordinatio egregie coepta inepte est finita.

C. 32. De dispositione secunda ad expeditionem quartam contra haereticos in Bohemiam impugnandos.

Anno domini MCCCCXXVIIII dum Hussitae haeretici in persecutionibus katholicorum pertinaciter perdurarent ipsique a nemine impugnarentur, Sigismundus Romanorum Augustus et Ungariae et Bohemiae Rex ipsos in Posania civitate Ungariae ad colloquium admisit et qnia colloquium istud publicum nihil in eis profuit, Sigismundus Rex justa indignatione motus expeditionem contra ipsos haereticos fieri ordinavit. Finis.

XXIII.

Anhang zu Andreas Ratisbonensis.

A.

Historia de Ulrico Grünsleder Presbytero Ratisbonensi combusto, una cum sermone Bertholdi [1]) ordinis eremitarum S. Augustini hac occasione habito.

Ex. Cod. Bibl. S. Emerani B. LXXXIII. Fol. chart. saec. XV.

His quoque temporibus anno videlicet MCCCCXX quidam Presbyter saecularis nomine Ulricus Grunsslederer de Vohendress (Vohenstrauss) Ratisponae ab adolescentia sua educatus cum propter diversa sua dicta suspecta et praedicationes angulares de haeresi Hussitarum fuisset graviter infamatus, in vigilia pentecostes de mandato domini Alberti Episcopi Ratisbonensis in ecclesia cathedrali capitur et in carcerem detruditur et cum saepius per diversos doctores atque peritos viros tam in sacra pagina quam in jure canonico fuisset diligentissime examinatus propter suas fucatas et cautelosas responsiones atque negationes aliquandiu non poterant sui excessus ad plenum experiri. Sed tandem post medium annum in adventu domini prout domino placuit venerunt in medium duo sexterni continentes duos tractatus Huss in propria forma seditionibus ac scandalis ac haerisibus refertos, quos sibi praesentatos fassus fuit ipsos propria manu conscripsisse et de latino *in teutonicum* diligenter transtulisse atque diversis laicis secrete dedisse communicasse. Et tandem cum sui excessus et errores patuissent, fuisset quoque per diversos doctores S. theologiae et juris canonici atque alios venerabiles viros quos perse ad hoc elegerat plene informatus et exhortatus, quatenus articulos suos errores Johannis Huss haeresiarchae continentes judicialiter sibi praesentatos abjuraret et ut ad sinum S. matris ecclesiae reverteretur suscipiens pro suis excessibus poenitentiam salutarem: animo obstinato his salutaribus monitis contradixit finaliterque perseverantem in sua pertinacia nondum anno revoluto, secunda videlicet feria post dominicam: Quasi modo geniti, dictus dominus Albertus Ratisb. Episcopus in choro ecclesiae

---

[1]) Prechauser Augustinianorum in Bavaria tunc temporis provinciali. Cf. Offinger Bibl. August. p. 720.

suae majoris praelatis et doctis viris sibi adstantibus in conspectu cleri et populi finita publica missa, pulsu campanae majoris ipsius ecclesiae praemisso, publice sententialiter condempnavit ac solempniter degradavit atque pertinacem curiae tradidit saeculari, a qua receptus ac statim fuit igni traditus et in sua obstinacia incineratus. Hujusmodi solempnem degradationem *ego vidi et audivi*[1], unde et sermonem hunc per egregium S. theologiae doctorem dominum Bertoldum provincialem ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini in condemnatione dicti Udalrici latine factum ut ad posterorum notitiam pervenire valeat, scribere curavi.

Sermo Bertholdi de Ulrici erroribus haec habet:

Contra immobilem hujus S. universalis ecclesiae firmitatem nonnulli latraverunt haeretici et hic praesens Ulricus Grünslederer diabolica fraude caecatus pertinaciter latrare non timuit, nec timet in praesenti. Dixit enim sententialiter inter multa ut patet ex actis, quod Constantiense concilium non juste et legitime condempnavit J. Wicleff et J. Huss, quod dictum colorare nititur ex IV fundamentis: *primo* quod concilium Constantiense non repraesentavit ecclesiam militantem, nisi sicut unus denarius in calculo repraesentat centum libras. *Secundo* dixit, quod concilium Constantiense causam condempnationis Wicleff et Huss forte commisit judicibus, qui per falsa testimonia informati ipsos iujuste condemnaverunt. *Tertio* dicit quod concilium Constanciense fuit novum et ideo propter maliciam hominum praesidentium in ipso concilio non habuit efficaciam sicut habuit concilium Nicaenum. *Quarto* et ultimo dicit ipse, quod non credat Johannem Huss fuisse haereticum, imo confessus est, quod ipse pro Johanne Huss saepius ploraverit tanquam pro injuriam passo quodque plus crediderit dicentibus, ipsum Johannem Huss fuisse bonum et ejus doctrinam bonam militanti(que) ecclesiae utilem, quam dicentibus contrarium, in cujus signum doctrinam ipsius reprobatam *de latino transtulit in vulgare teutonicum*, quam etiam simplicibus in doctrina scripturarum inexercitatis legendam communicavit. Alia quoque innumera brevitati praesentis collationis *non* inserenda non minora sed pejora prioribus asseruit et docuit, in quibus pertinaciter manet in praesenti.

---

[1]) Andreas in chr. generali. Vergl. damit auch: Schelhorn's Ergötzlichkeiten aus der Kirchenhistoria. Erstes Stück, S. 427.

B.

1. Archivalischer Anhang zu Andreas Ratisbonensis.

Fragmente.

a) Saec. XIV.

Ex orig.

— — Coram vobis generoso domino Jeorgio de Roztok regni Boemiae subcamerario magno et
Civitatis nec non totius universitatis pauperum obedientium tamen et servilium civium
Quot licet per regnum et principum regni Boemiae patentia privilegialia autentica
primaeva sui fundatione eadem Civitas cum suis incolis sit hujusmodi libertati...
civitatem infra unum miliare esse debeat vel vigere, et nullus debeat sal in...
et quod cuncti mercatores de *Egra* Pragam et reciproce cum quibuslibet mercimoniis
Slanam regias civitates ymmo per omnes alias stratas consuetas huic districtui (sine)
amissione equorum, curruum at mercium debeant pertransire, Tamen hiis regiis et...
ad extraneos factis, ne donationibus eisdem derogetur, non obstantibus in singulis
braxatoria communia cum eorum attinentiis habentur, per quorum effectum de una villa
salis immensa quantitas in curribus curratis saccis et fasciis per omnes villas
mercatores cum mercimoniis obmissa justa strata quae ducit per civitates antea
pertransire intrepide consueverunt, inhibitionem herilem miuime advertentes, et cum...
et stratis stet seu vigeat, solum hiis libertatibus coronae regni Boemiae rectoribus
eadem civitas erit ammodo ut *deserta*, nam nec annonae seu fruges quas ipsis deo

more pristinis, per stratas consuetudinarias abducuntur, sed per
vectores emptores
et deducuntur in ementium voluntatem, unde non solum hujus, ymmo
et aliarum (civitatum fora)
per consequens desolantur, nam villae sinistra usurpatione sine
assensu regio fora
regia funditus destruuntur, cum hoc contributiones de civitatibus
transeuntes in...
evidenter civitatibus abminuitur ex potentia antea manus incuria
hucusque maxime hoc
emergentium ubertatem. Asse(rit) insuper antedictae communitas civitatis se ex instabilitate priori (?) mox et aliae civitates hórrent, in moneta eadem non fuit stabilita. Conqueritur juxta hoc co(mmunitas) ut nullus civium ibidem ad judicium Pragense vel quidcunque aliud in perpetua tempora in consistorium Pragense et alias trahuntur, etiam in civitatibus arrestantur et aliorum mult... primaevis constitutionis temporibus assignata. Quamvis tamen quibuslibet in praedicta
civitate
cooperentur et obvient justicia expediti intricationibus et dilationibus
praetermissis Vol...
dominae imperatricis collectores in Luna de novo factis theloneis
exactionantur . quod ab...
de *centenario* sumebatur. ibi jam coguntur grossum integrum praesentare, ubi prius nu...
et sumitur cum effectu, hoc dei intuitu succidatur, nam indubie
scitur, quod domina imperatrix (si)
juste informata fuerit non requiret, quia cum tanta principe justitia
undique percunctatur...
Regalia antiquitus donata privilegia obtineat, ut quilibet in eandem
civitatem man(eat)
quo prius manserat haeredio quod *Wyhosstyenye* alias Weglait vulgariter nuncupatur in...
regalis per priorem dominum nullatenus impeditus similem libertatem
obtinens cum discedere ab...
etiam alii homines non nisi dampnifere, hanc civitatam intrare per
priores dominos admittuntur...
ipsius murus ruit, moenia corruunt, fossata destruuntur et a cunctis
plagis omnis ejus a...

non aliquid facere queunt, nisi vestro consilio, ymmo pio auxilio
fuerint praemiati, couso(ciamini)
circumsitis civitatibus tuta esset, in eandem enim *Czuda* totius territorii Zaczensis justiciaria
refugium habere debent, ex justi judicis divae recordationis *Karoli quarti* Romanorum Imperatoris literali, et licet jam hinc inde rapinae furta et alia maleficia in eisdem districtibus commissa connodate seu coniuncte resistendi et renitendi quicquam attemptare possunt ex eo
quod cunct . .
per mandatum literarum imperialium quae jam tamquam cassae tenentur quousque regiis fuerint
violatur, unde saepetactae civitatis *Zaczensis* nomine intenta petitione postulatur humillime
roborentur et confirmatione regia reformentur pio interventu prava promotione et ordi(natione)
omnium praescriptorum graciose sincere et benivole providentes ita etiam quod antemuralia seu colump. . .
hostibus resistendi, quod qnidam cives licere bene possent facultate effectum haetenus fac. . .
una dies in septimana per quoslibet homines undecunque panem adducendi et vendendi libere. . .
de *Lantsteyn* gratae memoriae quondam regni Boemiae *subcamerarius* eidem civitati hujusmodi
assignavit, ut ex hiis omnibus graciosis effectibus eadem senum et juveuum utriusque sex(us)
generationis vestrae heroum longaevis prosperis et salutiferis successibus nec non aeternae repaemiatio
ut etiam vestra longe durans laudosa memoria haereat in hoc loco nam nisi eidem Civitati
provisum fuerit et subventum dubio relinquitur si id ipsum per alios imposterum umquam fiet.

b) 1400.

—nem domini amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo indictione octava
(pr)ima mensis februarii hora vesperarum vel quasi pontificatus sanctissimi in christo patris et do

mini Bonifacii divina providentia papao noni anno decimo. In praetorio minoris civitatis pragensis
—contestate et Sygismundo huler Subcamerario regni Boemiae et dominis Consulibus
(in) juditio praesidentibus et ad jura reddenda et facienda inter quatuor scampna judiciorum const...
notarii publici infrascripti et testium praesentia subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum
s personaliter discretus vir Cunsso sartor de praga familiarisque Reverendissimi in Christo patris (et domini domini)
Wolframi pro tunc sanctae pragensis ecclesiae Archiepiscopi e apostolicae sedis legati coram praefato Sygismundo
Subcamerario et dictis dominis Scabinis sive Consulibus dictae minoris civitatis pragensis supp(licavit)
eidem domino subcamerario et Scabinis supradictis quatenus amore dei et justitiae (manibus)...
liter decernerent reddi et restitui duo macella ipsi Cunssoni et Johanni filio suo ad
ibidem in minori civitate pragensi et in possessionem realem eorumdem macellorum ind(ebite)
maccella przybico judex dictae minoris civitatis pragensis minus juste et indebite occupata
violenter possidet in grave dampnum dicti Cunssonis et jacturam
eorundem macellorum fuerit et fuit tribus annis in pacifica possessione et quieta ipso
nem meleficum co...cavit et nisi nonnullorum nobilium virorum...os ipse Cunsso...
affuisset ipse Cunsso ut praesumitur pericula sui corporis ab ipso Sygismundo
a potentia minime evasisset. Ad petitionem tamen instantem dictorum dominorum quos secum dictus
duxerat Subcamerarius praenominatus Cunssoni predicto surgere mandavit qui Cunsso
(a) dicto juditio recessit protestando quod super hujusmodi restitutionem suorum macellorum nullam
neque finem propter potentiam Subcamerarii saepedicti de quibus omnibus et singulis

(Cuns)so petiviit sibi per me notarium publicum infrascriptum fieri
et confici unum vel plura
instrumenta. Acta sunt haec anno indictione die mense hora pontificatu et loco quibus supra (praesentibus)...
Magistro Nicolao Puchnik vicario in spiritualibus Archiepiscopi Pragensis ac nobilibus viris...
(Roz)mital et Johanne de Wlassyn testibus circa praemissa fide
dignis.

Et ego Borsso natus olym Symonis de khel Clericus Pragensis dioecesis publicus autoritate imperiali notarius praedictis petitioni, *captivationi* injuriarum protestationi aliisque omnibus et singulis dum sic agerentur et fierent unacum praenominatis testibus praesens fui eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi meque aliis occupato negotiis per alium notarium praemissa scribi fideliter procuravi meque hic manu mea propria subscripsi et in hanc publicam formam redigi signis et nomine meis solitis et consuetis consignavi rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium promissorum.

2. Archivalische Aufzeichnung aus der Zeit K. Wenzels.

K. B. Reichsarchiv. Neuburger Copialbücher Nr. 15, Fol. 21 *b*.

Nota die brief wie sich ettwann geistlich und weltlich kurfursten gen einander verschriben und gepunden haben von des Reichs wegen und ain andern Romischen kunig zu welen.

1. Des ersten ain brief von herzog Stefan von Bayern Marggraf Jobst von Marhern Johansen Marggrafen von Brenburg (Burggrafen von Nürenberg?) vnd von Marggraf Wilhelm von Meyssen wie sy die zu einander vereint vnd verpunden haben an einander beestendig zu sein.

Dat. Prage am freytage vor palmarum anno MCCCLXXXXVI° (24. März).

2. Darnach ain brief von byschof Johann von Mentz herzog Stephan von bayern Ruprecht am Rein, Balthasarn vnd Wilhelm lantgrafen in Düringen herzog Ludwig von Bayern des obgenant Herzog Stephan Sun Byschof Albrecht von Pohenberg lantgraf herman von hessen Johansen vnd Ffriedrich Burggrafen von Nürnberg etc. wie sich die auf fünf jar zu einander haben verpunden nach lawt desselben briefs.

Dat. an dem Auffartag anno CCCLXXXXVIIII (28. März) [1].

3. Darnach ain brief von dem obgenanten byschof Johann zu Mentz byschof Ffridrich von Kölen Bernhart Erzhischof zu Trier vnd Herzog Ruprecht am Rein wie sie sich zu Gregorio Erzbiscbof zv Salzburg vnd er sich willig zv in verpunden haben ainen andern romiscben konig zu erwelen.

Dat. an dornstat (Donnerstag) vor dem pfingstag anno CCCC (3. Juni) [2].

4. Desgleicbs zwen brief in aller form als der jetzgenant brief von den obgenannten kurfursten wie sy sich zv berzog Albrecht vnd zv herzog wilhelm von Osterreich etc. verpnnden baben aucb von erwelens wegen aines andern romischen konigs.

Dat. ut supra.

5. Aber ain puntbrief von bischof Joban von Mentz Byschof Ffridrich von Eystett Burggraf Johansen vnd Ffridrich von Nürnberg Lutwigen vnd Ffridrich von Oting wie sich die auf fünf jar zu ainander verpunden haben nach lawt desselben briefs.

Dat. purificat. Marie anno CCCCIII (2. Februar).

3. Johann's von Hirssborn Bekenntnissbrief an die Nürnberger.

1405, 16. Juni.

Orig. auf Pergam. K. B. Allg. R. A.

Ich Johans vom Hirssborn Ritter bekenne offenlichen mit diesem Brief, daz mir die ersamen, vnd Weisen. die burger des Rats der Stat zu Nuremberg gericht, vnd bezalt haben drewtausent guldein, die sie meinem gnedigen berrn, bern Ruprecht Römischen kunig durch frewntschaft willen geschenckt baben, Vnd die ich furbas an desselben meins herren des kunigs nutze geben ban. Mit vrkunde diez briefs versigelt mit meinem aufgedrucktem petschet, wann ich meins Insigls bey mir nicbt enhet. Geben am eritag nach sant Veitstag nach Cristi gepurt vierzehenhundert vnd in dem fünften Jaren.

---

[1]) Forchheim. Neub. Cop. Buch XXXIII. f. 100.
[2]) Frankfurt. N. C. B. XXXIII. f. 95.

4. Archivalische Aufzeichnung.

1405—1417.

Neuburger Copialbücher. XVIII. Fol. 6

Königs Ruprecht's Brief vnd Rechenzedl vmb daz Gelt daz er meinem herrn (H. Ludwig von Baiern-Ingolstadt) schuldig beleibt.

Des ersten ain Rechenzedl wie mein Herr herzog Ludwig mit demselben kunig Ruprechten gerechent hat vnd wie er mit jm vberkomen ist vmb Sulzpach Hersprugk vmb des landgericht zu Sulzpach vnd vmb hirssaw datum an freitag nach des beyligen kreuztag an dem herbst anno domini MCCCCVI Verssigelt mit zwain petschaften.

Darnach ain abschrift als mein herr herzog Ludwig den Rosenperg mit dem margkt zv Snaitpach vnd den hamern von kunig Ruprechten kauft hat auf ain widerkauf mit zwain petschaften datum Heidelberg am Suntag vor Mathei anno CCCCVI.

Darnach ein briefmit meins herren Herzog Ludwigs anhangenden nsigel vmb den widerkauf des Rosenbergs vnd desgleichs ain abschrift mit zwain petschaften datum Heidelberg an sant Matheustag anno etc. CCCVI.

Item ain quittbrief mit meins herrn herzog Ludwigs anhangenden Insigel vmb VI^m gulden die jm kunig Ruprecht zu zerung gab gen *frankreich* vnd desgleichs ain abschrift mit zwain petschaften datum Haydlberg an sant Mathei Abent anno etc. CCCCVI.

Item ain quittbrief mit meins herrn herzogs Ludwigs Insigel vmbe schuld die jm kunig Ruprecht schuldig wär bis auf datum desselben Quittbriefs von des Solds wegen gen *Lampartten* vnd in deutschen landen vnd aber desgleichs ain abschrift mit zwain petschaften datum Haidelberg am Suntag von Mathei anno domini MCCCCVI.

Item dornach die Santtbrief vnd abschrift, als mein herr herzog ludwig sein abgenant schuld an kunig Ruprechts Sun herzog ludwigen herzog Johannsen vnd die andern gevordert vnd wir sie jm geantwurt haben das weschehen ist in anno decimo.

Item ain Brief von kunig Ruprechten an Chunraden von Freiberg daz er von den LXXXX^m gulden ducaten So er jm von Vene-

dig bringen solt meinem hern herzog ludwig VI^{m} III^{c} XXV vngerisch gulden davon zu bezalen. Datum Neumarkt Anno etc. CCCCI.

Iten ain instrument vnder des abbtes von Planckstein Insiegel vber die vbrgeschriben Rechenzedl datum XL^{ma} Aprilis anno domini MCCCCXVII°.

Desgleichs ain vidimus vnd Instrument des kawfbriefs vom kunig vmb den Rotenperg vnder des Abbts von Plankstein Insige datum ut supra.

Item aber ain Instrument des quittbriefs von herzog ludwigen als er kunig Ruprecht quittiert vmb VI^{m} gulden zerung gen Frankreich vnd des quitbriefs als er jn quittiert vmb allen sold gen Lampartten datum ut supra.

Item ain Instrument des gegnbriefs von herzog ludwigen gen den kunig von des Rotenpergs wegen datum ut supra.

Item ain quittbrief von kunig Ruprechten das jn mein her herzog Ludwig gelöst hab von burggraff Friedrichen als er sein Parg gewesen was vmb des burggrafen heiratgut. Datum Anno etc. CCCCV°.

5. Zum Streite mit K. Ruprecht und zur Erhebung K. Sigismund's.

1405, 26. Oct.

Nürnberger Missivbuch, Sign. VII. Fol. 73 *b*.

Den Ersamen herrn meister Heinrichen von Perchingen [1]) zu Prage Lerer der hailigen schriffte.

Ersamer vnd lieber herr. Wir tun ewer ersamkeit zu wissen daz die Schule der Pfarre hie zu Sant Sebolt vnd zu sant Laurenze czu der zeit bede ledig sein vnd niht Schulmeister haben. darumb so biten wir ewer ersamkeit mit ganczem fleisse daz ir durch vnsern willen ewer forsche nach zwein redlichen vnd frumen meistern zu prage, die leyen vnd niht priester sein, haben wollet, die sich derselben schule vnterwinden vnd jr vorsten das wollen wir vmb ewr ersamkeit allzeit gern verdienen vnd lasst vns ewr verschriben antwurtt wider wissen so jr kurzlichest mugt, ob jr die gehaben kundt oder niht, wann mohte jr der zu Prage

---

[1]) Heinrich von Perchingen kommt 1406 als Domherr zu Eichstaett vor. Fol. 145 *b*.

niht ankumen, so musten wir ee anderswo vnser forsche darnach haben. Datum feria II ante Beat. Symonis et Jude apostolorum anno CCCC quinto.

Über dieselbe Angelegenheit folgt noch Fol. 16, *b* ein Brief an die ersamen und kunstreichen Herren Meister Albrecht Engelschalk und Paul Imhof anno 1409, lib. VIII, Fol. 96. Die Nürnberger Missivbücher, welche mit n. VI (1404) beginnen, enthalten auch sonst sehr viele Correspondenzen mit Böhmen, Briefe an Eger, Tachau, Taust, der grössern Stadt zu Prag wegen reichlicher Abnahme von Saffran zu Gunsten zweier Nürnberger Bürger Sebolt und Paulus im Hof 1406 (Fol. 152, *b*) ferner 1407 (Fol. 183, *b* 1 und (F. 196, *b*); an den Erzbischof von Prag, weil dem Nürnberger, Andreas Hat, zu Taust etwin viel gewands genommen worden 1407 (Fol. 191, *b* und 196, *b*); gegen Borsen von Rysenburg und die Tauster, an Albrecht Colovrat Hauptmann in Elbogerland (Fol. 192, *b*) an Adam von Neseticz Lerer in geistlichen Rechten und Tumherrn zu Prag und zu Olmütz (Fol. 193) 1407; an Herrn Lazko von Cravars, Ritter (Fol. 213, *b*); an Borschea Herrn zv Pfreymberg Pfleger zv Tawsa (Fol. 227); an die neue stadt zv Prag (Fol. 215), der grossen Stadt zv Prag (Fol. 215, *b*); über den Tod Stephan Stromairs; an die von Kuttenberg (Fol. 222, *b*), an Iglau, Fol. 231, 244, *b*, 1407. Im lib. VIII d. J. 1408 Schreiben an Herrn Wenceslaw precentor in der Burge zv Brage. dominica post nativ. B. M. 1408, Fol. 51, *b*. Mehrere Briefe an Albrecht von Colnbrat, an die grosse Stadt zv Prage, Fol. 57, *b*, über einen französischen Ritter Herr Regni potestat der unter den franzosen jetzt zu Prag liege und etwas mächtig und wohl sei; an den Herzogen von Burgund, 1408 feria IV ante Thomae Apost. Fol. 73 und Fol. 114; an Erzb. Sbinco in vigilia s. Mathaei 1409, Fol. 87, *b*; an K. Wenzel (fer. IV ante annunc. B. M. V. 1409, Fol. 98, *b*; an Tauss, Fol. 116, *b*. Ich freue mich hinzufügen zu können, dass, seitdem dies geschrieben wurde (1883), Anstalten getroffen worden sind, Abschriften von allen auf Böhmen bezüglichen Urkunden der Nürnberger Missivbücher für das böhmische Landesarchiv zu Prag zu gewinnen.

6. P. Gregor XII. (Angelo Corrario — Errorius der Hussitten) an K. Ruprecht.

1407, 23. August.

Cod. Bibl. Univ. VIII. C. 13. Fol. 57,

Carissimo in Christo filio Ruperto Regi Rom anorum illustr salutem etc. Quamquam arbitramur carissime fili te in hoc Leodiensi temeritate, quemadmodum decet justum virum, indignationem quandam adversus facinorosos homines suscepisse, tamen exigit a nobis pastoralis officii cura, per quod ad totius orbis ecclesiarum sollicitudinem obligamur, ut serenitatem tuam ad propulsandas injurias personis ecclesiasticis illatas per nostras literas adhortemur. Nam quis aequo animo tolerare posset tantam atque tam inauditam eorum perversitatem, qui contra pastorem et praesulem suum nepharie surrexerunt, qui legitimum principem expulerunt, ut in ejus locum tyrannum haberent, caput atque ducem furoris et amentiae suae, qui tantos Leo-

dienses viros graves et prudentes et magnae autoritatis prima vi atque furore populari coactos et deinde minis et atrocitate vexatos, quod cum eorum furorem se conjungere noluerunt, pro poena recte atque juste factorum direptis eorum bonis civitate expulerunt. Quis ferat sigillum capituli adulteratum ut secundum eorum cupiditatem de rebus ecclesiasticis disponant. Jam illud culmen dementiae atque stultitiae est, quod clamore furentis et armati populi episcopum sibi quasi ducem belli eligere posse putaverunt, ut et ecclesiastica pollueret et saecularia turbaret. Nam illud praeterimus, quod nullo colore nullaque ratione moti sed solum rapinarum spe, rursus ad vomitum subtractae obedientiae redierunt. Haec gravia et intolerabilia sunt et contra omnia tam divina quam humana jura nepharie perpetrata nec ullomodo toleranda, quare omnibus modis oportunis quantum in nobis est providimus, et providebimus ut dilectis filiis Johanni electo Leodiensi et canonicis hujusmodi injuria affectis per juris remedia opem feramus. Te igitur carissime fili, de cujus providentia et strenuitate magnam in domino fiduciam obtinemus, affectuose requirimus et hortamur, ut ob cultum justiciae, quae ipsa per se movere te debet et ob nostram ac sedis apostolicae reverentiam assurgere velis et partes tuas interponere ac electo ac tantis praefatis opem atque consilium ferre ad comprimendum furentis multitudinis et tyrannorum perversitatem. Res erit tibi gloriosa et non solum in ipsa utilis verum etiam ad exemplum. Si vero impunita remanebit horum temeritas, *caeteri quoque perversi homines* et *novarum rerum avidi non verebuntur contra eorum principes* cervicem attollere.

Dat. Viterbii X cal Septembr. Pontificatus nostri anno primo.

7. Schreiben des Nürnberger an die Ulmer.

(Vergl. Höfler's K. Ruprecht S. 459.)

N. Missiv VI. Fol. 208.

Vlm.

Lieben Freunde. Als ewr weisheit vielleicht wol waiss, daz vnser here burgraf Fridrich auf ewr vnd vnser gut freunde die von Rotenburg gezogen ist vnd jn auch deren Sloss mit namen babelzhaim Entsee vnd Nortemberg, aussgenomen des turs daselbst zw Nortemberg der sich noch vast wert, angewunnen vnd jn auch

vast schaden getan vnd auch noch auff jn zu velde ligt. Also haben wir nu nehst etlich vnser lieb freunde vnd Ratgesellen zw demselben vnsern herrn dem burgrafen vnd auch zu den von Rotenburg gesant, die do versuchen solten, ob sie solch zwayung zwischen jn abgetragen haben mochten. Aber das konde zw der zeite niht gesein. Nu sind vns darnach von vnserm herren dem romischen kunig vnd seinem Hofrichter vnd hofgerichte gar swer (ausgestrichen) hefftige brief kumen vnd verschriben vnd gepoten worden, daz wir dem genannten vnnserm herrn dem Burgrafen auf die vorgenannten ewrn vnd vnsern guten freunde die von Rotenburg helffen sollen, vnd mainen vnd versehen vns daz ew vnd andern des Reichs Steten in Swaben auch solch brief kumen sein vnd verschrieben sey worden, So ist ew auch in landmansweyse furkommen wie daz vnser herr der Romisch kunig sein Rete vnd erber botschaft nu newlich bey ew gehabt hab. Biten wir ew ersamkeit mit allem fleiss daz ir vns verschriben wissen lassen wollet bey diesem Boten was dieselben vnsers Herren des kunigs Rete ob sie anders bei ew gewesen sein, um ew geworben haben vnd ob ew auch solch brief als vns kumen sein vnd wie jr euch vnd ander des Reichs Stete die mit ew in eynung sein darynne ze halten mainet, vnd was yr auch sust fremder leuffe vnd mere bey ew wisset, also je eurer waisheit das fuglich sey, das wollen wir vmb ewr ersame freuntschaft in solchen vnd ander sachen gern verdienen. [1])

8. Dieselben an K. Ruprecht.

1407, Sept. 3.

N. Missiv B. VI. Fol. 214.

kunig

Aller durchlauchtigster furste und herre etc.

Gnediger furst und herr. Als uns ewr durchleuchtigkeit ytzund geschriben vnd verkundet hat, wie Ew kuniglich hoches begern dem Landfriede vnd gnade zu schaffen vnd darvmb ewr durchleuchtigkeit erber Rete zu den von Ulme vnd ander Stete freunde die sich zusammen verpunden haben [2]) als die desmals

[1]) Siehe auch f. 216. ein kurzes Schreiben der Nürnberger an K. Ruprecht, feria II post nativ. B. M.

[2]) Siehe Vol. VIII F. 41. b. n. 1408.

doselbst zu Vlm bey einander waren, gesant hab etc. das alles haben wir dymuticlichen vernomen vnd danken ewrn kuniglichen gnaden derselben verkundigung vnd schreybens mit ganzem fleiss vnd versten vnd emfinden wol daz ewr kuniglich hocheit allwegs Land vnd Leute mit frieden vnd gnaden zu fursehen geneigt gewesen vnd auch noch sey, wann das von den gnaden gots ewr kuniglich hoheit allerbast kan vnd mag getun vnd waz auch wir die ewrn darzu gedienen oder getun konden oder mochten, daz sich zu friden vnd gnade zuche, des wern wir willig vnd gehorsam als wir das ewre kuniglichen hocheit vnd dem heiligen Reiche schuldig sein, wann wo wir ewr durchleuchtigkeit dinst vnd wolgevallen beweisen möchten, das teten wir allezeit gerne.

Script. Sabbato post Egidii anno septimo.

9. Die Nürnberger „der Stadt zu Meinz“.

1407.

Nürnb. Missivbuch, VI. Fol. 205,b.

Ersame freunde. Als jr vns geschrieben habt von ewrn vnd vnsern guten frennden wegen der zu Rotenburg etc. Also lassen wir ewr ersame freuntschaft wissen dass vnser herr burgraf Fridrich mit grossem volke auf dieselben von Rotenburg gezogen ist vnd hat jn zwei Schloss mit namen Habelzhaim vnd Entsee angewunnen vnd ez ist zu besorgen er gewynne jn der mer an, wann er vast guten gezeug vnd etwieviel fürsten Grafen vnd herrn bei jm hat mit namen den Byschof von Wirzburg den Byschoff von Bamberg und des von Eystet volk, Herzog Stefan vnd herzog Heinrich vnd herzog Wilhelm von Bayern vnd seinen pruder Burgraf Johan der etwiviel Ritter vnd knecht von Meihssen bei jm hat Graf Ludwigen von Otingen vnd auch sunst etwieviel Grafen vnd herren Also daz man das volk schatzt, das des bey XV^c mit gleven oder mer sei vnd sie liegen yetzunder vor einem Sloss ob Rotenburg gelegen genannt Nortemberg vnd das halt sich noch vaste vnd weren sich die leute ser darynne vnd sind etwie vil Ritter vnd knechte vnter dem her (?) vast geleczt worden also daz ir her ein teil tode vnd auch die andern noch krank sein, vnd besunder so hat des von Meichsen guter püchsenmeister schaden genomen Vnd wir haben vns vormals ser darunter gearbeytet vnd beten gern eine Richtung

darunter troffen vnd das mocht vns biz her niht gevolgen, vnd wir haben etlich vnser lieber freunde vnd Ratgenossen am montag nehst vergangen vber aussgesant, daz sich die baz versuchen sullen, ob sich mit ichte ein Richtung darzwischen finden vnd treffen mugen vnd die haben vns als heut einen brief gesant vnd verseen, daz sich vnser freunde die von Rotenburg noch zumal wol gehabent vnd frisch sein, Wie aber diese vnsere freunde davon scheyden werden, das kunnen wir noch nicht gewissen, auch so horen wir von Beheim heraus nichts fremds, dann daz man vns gesagt hab, es hab der kunig von Beheim etlich sein freunde vnd erber botschaft mit namen Markgraf Jobsen von Mehren, den herzog ernsten von Beyern vnd den herzog von Sachsen vnd auch den Patriarchen von Antiochia bestellet hinein gen Rom zw schicken, ob aber das für sich gen werde oder nicht das kunnen wir zu der Zeit niht gewissen vnd wo etc. [1]).

10. Nach dem Tode K. Ruprecht's. 1410.

Von einem Zeitgenossen.

Cod. Lat. Monac. 5361.

Bone pater in praemissis mihi aliqualiter satisfecisti, nunc autem si non timerem te nimis offendere atque patris mei spiritualis scilicet domini papae verenda detegere, quae tamen proh dolor ipse non curat ut docet experientia cooperire, aliqua adhuc mihi occurrentia dubia vellem per tuam industriam declarare, videlicet, ubi dicis, quod per *Imperatorem vel regem Romanum convocacio generalis concilii pro militantis ecclesiae reintregatione et morum reformatione in eadem fieri oporteat*, quod mihi grave dictum esse videtur cum actu non sit Imperator aut Rex Romanorum, sed vacet imperium atque electores imperii quidam Johanni (P. XXIII) et alii Angelo (Gregorio P. XII) praedictis obediant et aliis diversis respectibus

---

[1]) In vigilie netivitetis mariee melden die Nürnberger, dass zwischen den Kriegführenden ein Friede gemacht worden sei, bis vnser frowentog zu Lichtmess schierst vnd wir hoffen dez es oh got wil in der zeite zu guten dingen vnd sechen kamen werde. (Fol. 314. *b.*). Bemerkenswerth ist auch, dass in einem Briefe Lib. VIII. Fol. 50. bereits der Heinrich Toppler von Rotemburg als selig gedacht wird 1408. sine die et mense.

sunt divisi. Videtur etiam quod ad eligendum aliquem in Regem Romanorum praesertim utilem et ydoneum principes electores non velint aut nequeant insimul convenire. Ex quo infertur quod dictum Imperium remanebit diu absque rectore et si ita fiat, sequitur, quod propterea scismata ista in ecclesia etiam diutius quam forte credimus, obdurabunt. Sed *Rex Ungariae,* si bene singula considerentur, de quo multus est sermo ejus salva reverentia, ***non est aptus ad imperium regendum multis aliis eum magis tangentibus occupatus negociis*** nec de illis per quos salus facta est in israel, sed per quos dictum Imperium quasi totaliter in suis juribus est dissipatum quique jam diu permiserunt ipsam apostolicam ecclesiam in scismate fluctuare, nullum interim apponentes remedium, quod reintegratio fuisset, unde non speratur, quod ex ipsius regis electione, si fieret, ipsa ecclesia et imperium per hoc prosperari deberent.

11. Über Sigismund's Wahl zum römischen Könige.

1410, 2. Oct.

Ffridrich von gotz gnaden Burgrave tzu Nurenberg.

Unser fruntlich grus tzu vor Ersamen weisen lieben besundern. Wir schicken zu euch den Andechtigen vnsern besundern lieben Maister Albrecht Pfarer zu sant Sebolt jn ewer stat Nurenberg den wir vnser meynung an euch zu uerben eigentlichen befolhen haben vnd sunder von vnssers gnedigen h e r n v o n u n g e r n wegen der nü zü frankenfurt zw Romischen konig e r u e l t ist zu reden vnd waz der also von vnssern wegen awss den sachen mit ewch rede Bitten wir ewch mit gantzem fliss das ir jme des zu dem mal als vns selbs gentzlichen gelaben vnd ewch hie jnnen gutlichen beweisen wolt datum Onolspach [1]) am donerstag nach Michahel anno domini IIII° decimo.

Den Ersamen weisen burgermeistern vnd Rate der Statt zw Nurenberg vnsern lieben besundern.

(Or. des Nürnb. Archivs.)

---

1) Burggraf Friedrich halle sich von der Wahl K. Sigiamund's ersl nach Heidelberg begeben, wo er sich am 27. Sapl. befand. Janssen F. R. C. I. S. 179.

12. Friderich von gotes gnaden burggrâve tzu Nuremberg.

1410, 14. Dec.

Unsern frentlichen grus zuvor ersamen lieben besundern das ir von den leuften die zu dieser czeit bey vns sein etwas wisset als vns vnser andechtiger Albrecht pfarrer zu sand Sebolt hat euch do von zuuerschreiben, tun wir euch zu wissen das der Allerdurchleuchtigst furst vnser genediger herre herr Sigmund zv Vngern vnd auch nv von gotlicher vorsichtikeit Romischer kunig, des heiligen Reichs sich zu lobe dem almechtigengot, demüticlich unterwunden hat, vnd sich mit ganczem vesten fleysse vnd ernste in allen sachen darczu schicket den dingen fürbazzer nachczukomen als er auch das fursten vnd Steten vnd sunderlichen euch kürczlich wirdet verschreiben wir das yn an sterben allein nyman dovon wenden sulle etc. Wann das anders nicht sawmet wenn des Reichs Insigel das so schir nicht geuertig werden mochte, wol ist war das der marggrave czu Merhern an In begeret hat von der sache wegen zu tag gen Ofen zu Im czu komen, als er Im den beschiden hat virczehen tage nach dem heiligen Cristtag, aber nach allem vnserem verstentnisse so werden sie sich ob got wil gutleichen eynnen, Also das ye der vorgenant vnser herre bey dem Reiche beleibe, Auch ist er sicher vnd gewis jm sein erber botschaft eigenleichen gesagt hat die er bey jm gehabt hat, das der babst Johannes[1]) genczlich mit Im ist vnd wir haben auch ee wir czu seinen gnaden komen brieffe gesehen die zu Rome geschriben sein wie der babst gesprochen hat er lasse den von Ungern nicht vmb sterbens willen, vnd sey jm verdrisslich das die zwen Erczbischoff von Colen vnd Mencze den werren (Wirren) gemacht haben, vnd er doch Ir brieffe habe das sie den von ungern welen wolten, vnd haben von eins vnwillen wegen das gelassen etc. Auch hat dem vorgenant vnserm herrn könig seine lantherren einer der zu krige liget gen den künig von polan furwar geschriben, das die Tewtschen herrn mit franczosn vnd andern

[1]) XXIII. Balthasar Cossa. Durch Sigmund's Anschluss an das Pisaner Concil und dessen Papstweihe ward das Schisma verlängert und das Constanser Concil benöthiget.

gesten dem kunig von polan eins grossen vechtens obgelegen sein, also das sie jm funfzehn panyr niderlegt erslagen vnd gefangen hohen, vnd der kunig newer mit sechczehn pferden davon komen sey Auch ist vnser hegir das ir oder einer auz euch von den vnd andern leuften, wie sich die bey euch machen vns etwas schreihen wollet. Gehen zu dyako des Suntags nach Lucie anno etc. decimo.

Den ehern Burgermeister und dem Rat zv Nuremberg unsern lieben besundern etc.

(Ex Orig.)

13. Burggraf Friedrich an die Nürnberger.
1411, 10. Juli.

Unsern fruntlichen grus zuvor Erhern Weysen vnd besunder lieben. Als wir euch nehst bey ewrem eygen boten verschrieben hahen, haben sich die sach vncz her auf denselhen synn vast und fürhasser gezogen vnd geschicket: wann er (der) widerstand auf dem Rein, als wir vns gar genczlichen versehen, nü ahe ist, als ir leicht an sulchen botschaften, des von Meincz und Coln, die Sy vnserm hern künige hergegen thun, wol gemerket haht, ee dieser brief euch geantwort wirdt, So schreibt der herzog von Sachsen, das der künig von Beheim vnd er ytzund gen Frankfurt geschicket hahen, ire küre vf unsern hern künige zu wenden So schreiben auch andere gar trefliche von einer ganczen hrüderlichen eynunge darczu; der von heheim vnserm hern kunige sich erhiete, das vf einem tage zu Tirnaw in der nechstkünftgen wochen, besliesliehen volfürt werden sol als man hoffet So ist ytzund heschlossen vnd geendet, mit dem Herzogen der Syrfey (Serhien), vnd der Landschaft zu Bossni; die dem künigreich zv Vngern sain ein schilt sein frides, an dem ende. So sind auch herkomen ganczmechtige hotschafte, von dem hern der Türkey die do ligt vf disseiten des meres, auch an denselben vnsern herrn kunig zu slahen, in sulcher masse, als die aws der Syrfey vnd hossen getan hahen, das die vorgeschrieben fridlichen sachen, als man hoffet noch has sterken wirdt. Auch ist nü heslossen, das vnser fraw vnd mum, die kunigynn, gen Ach mit cziehen wirdt, die, vnd auch vnser herr der kunig, vnd andere, sich ernstlich vf den czug richten, awz den dingen wir die vorgeschriehen wort besliessen,

das die sach des czuges, gen Frankfurt vnd gen Ach ettwas neher vnd merer wenn vor sich füget vnd schickt, dorvf mag nü ewer weysheit, dester baz gedacht sein, solten wir denn in der oder andern sachen euch icht zu Liebe tün, dor Jnne süllet jr vns bereiten vnd willigen vinden Geben zu ofen, des ersten Freitags nach kyliani. Anno domini MCCCC undecimo [1].

Den Erbern vnd Weysen, vnsern besunder lieben dem
Rate der Stett Nuremberg.

(Ex orig.)

---

[1] Diesen Urkunden sollten nach meiner Anordnung noch eine Reihe erlesener Actenstücke zur Beleuchtung der Husitenkriege nachfolgen, die ich grössten Theils in jüngster Zeit im königl. baier. allgem. Reichsarchive auffand und die für die deutsche wie für die böhmische Geschichte von grosser Bedeutung sind. Leider ist mir aber, als der Druck bis zu Nr. 13 vorangeschritten war, durch den Actuar der k. k. Akademie der Wissenschaften in Wien Herrn Fr. Scharler sub Nr. 1184, 15. Dec. 1864 im Auftrage der historischen Commission der k. k. Akademie eröffnet worden, dass „so grosse Beisätze zu einer bereits im Drucke begriffenen Abhandlung zu machen, wodurch das Erscheinen des betreffenden Heftes in's Unbestimmte verzögert werden müsste, für unzulänglich erklärt worden sei“.

XXIV.

Joannis de Lukavecz et Nicolai de Pelhrzimow Chronicon Taboritarum.

Cod. Musei 4/C/32.

Cronica causam Sacerdotum Thaboriensium continens et magistrorum Pragensium ejusdem impugnationes.

Cum igitur primitiva et *orientalis ecclesia* ab origine sua instar illius reginae, quae a dexteris regis in vestitu deaurato circumdata varietate astitisse perhibetur, praerogativa religionis floruit et suae lucis primitivos radios ad partes occidentales transmisit a tempore perfidi Antichristi, tempore statim apostolorum mysterium iniquitatis operantis usque ad tempora nostra jam senescentis mundi dic vergente ad vesperam eclypsim passa tetendit ad occasum, imo vere pervenit ad aestum, et quae crebris pressurarum tunsionibus concussa saevientis inimici vibrantem hastam nesciens ad pugnam edocta constanter sustinuit fallacibus pseudoprophetarum persuasionibus et carnalis voluptatis illecebris sit fluxibus emollita et miserabiliter irretita inimico graviter sauciata succubuit et complexata est stercora,- quae nutrita fuerat in croceis et propter hoc a deo derelicta est tanquam umbraculum in vinea et tanquam tugurium in cucumerario, quae tamen in quibusdam membris suis quasi pauci rami finita vindemia et paucae olcae post combustionem olivae, quasi Job in terra Hus et Loth in terra Sodomorum et quasi lilium inter spinas inter malleum et incudem adhuc perseverans cogitur proclamare: O vos omnes, qui transitis per viam attendite et videte, si est dolor, sicut dolor mcus. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum et filios enutrivi et exaltavi, ipse autem spreverunt me. Nolite me vocare Neemi id est

pulcbram, sed vocate me Mara, quia amaritudinibus replevit me dominus omnipotens. His et consimilibus vocibus vidua paupercula tempestate divulsa, dum clamare non cessaret et coram piissimo Deo genua curvaret et ad ostium ejus sine intermissione pulsare non desisteret, ejus afflictionem et humilitatem dominus respiciens, *suscitavit in inclyto regno Bohemiae* servos suos fideles, verbi sui praedicatores, qui talem ut praemittitur ecclesiae considerantes deformationem, exemplo Neemiae deflentis civitatis et templi Jerusalem desertionem, ejusque portarum combustionem et de reaedificationem harum cogitantes coeperunt dolere et vehementer contristari et variis modis anxiati cogitare, si possunt per antichristum seductis quomodolibet subvenire. Quibus, populum tam superiorem quam inferiorem ammonentibus et variis ex lege Dei exhortationibus pulsantibus sicut erant viri potentes et prudentes in opere et sermone modico tempore multorum animos ad acquiescendum veritati evangelicae inclinarunt Deo cooperante et legatorum suorum sermonibus copiosam gratiam largiente. Semen enim divini verbi in terram bonam et fertilem cecidit per gratiam Dei, qui dedit evangelizantibus servis suis verbum virtute multa. Hinc est, quod ex fideli eorum praedicatione, ut in processu historiae subscriptae elucescet, multi in praedicto inclyto regno Bohemiae marchionatuque Moraviae ad bonum erant moti et magnis pro veritate fuerunt expositi incommodis. *Ille* autem, *qui testimonium perhibet* de his et scripsit haec, scit quia vera et taliter inter partes in posterum nominandas a tempore praedicationis divae memoriae mag. Johannis Hus et deinceps ut series historiae canit, acta sunt, ut et legentes credant, deprecaturque universos, qui hanc subscriptam historiam legerint, sive legere audierint et auditam intellexerint, ut cum in ea inurbane aliquid compositum invenerint, veniam sibi concedant. Et si alicui academicis studiis innutrito haec sua displiceret editio ob hoc forsitan, quia pedestri sermone incedens plus justo in eo rusticaverit, cuilibet tali editor notificat, quia probabilius est abscondita rusticando elucidare, quam aperta philosophando obnubilare, cum sermo semper exactus semper sit ingratus, quia, quod difficile aure percipitur, intellectu surdiori hauritur. Ideo ille, qui scribit *plebejo* incessu, *sic vult progredi* suum sermonem, ut quivis, qui audierit, speret idem, et si idem forte sibi tentaverit, longe separetur ab eodem. Inferat ergo sibi Dei sapientia, quod ad laudem sui nominis proferat. Et sciant, qui haec legerint, vel

audierint, quod nihil frivoli, nihil mendacii, nihil nugarum, nisi quod verum est, enarrat, per quae quilibet causam sacerdotum Thaboriensium funditus, quam contra quosdam *magistros Pragenses* et sacerdotes eis adhaerentes promovebat, qui indifferenti oculo dicenda inspexerit, agnoscere poterit, et de parte alia magistrorum eorundem impugnationes, si verae sunt, judicare.

Pars prima.

Incipit historia.

C. 1.

Initium et occasio populi Bohemici pro libertate legis Dei instantis, primum insimul, de hinc in bellum conventus atque congregationis ac causae quatuor articulorum, pro quibus se exposuerunt inchoationis.

Cum ex dono et gratia Dei bonae, laudabilis et sanctae memoriae ut speratur mag. Johannes Hus sacrae paginae baccalaureus formatus et praedicator utique evangelicus, vir bonus et justus atque catholicus a multis annis in regno Bohemiae vita, moribus et fama laudabiliter comprobatus legem evangelicam juxta expositionem sanctorum doctorum se veraciter in eadem fundantium regnicolas catholice docuisset et in scriptis multa in idiomate latino ac vulgari reliquisset, omnes errores et haereses constantissime detestando et ad detestandum continue et fideliter eosdem admonendo ad pacem quoque et caritatem, quantum sibi erat possibile verbo scriptis et opere jugiter exhortando. Propter quod nolens Christum atque ejus negare evangelium, carius dirae mortis de anno domini MCDXV. in Constantia subiit supplicium; cumque mag. Jeronymus de Praga bonae memoriae, vir utique lacteo eloquentiae fonte manans plurium universitatum artium liberalium magister et philosophus egregius, cujus fama multis resonuit in terris, Deo et nationi Bohemicae in spe fidelis propter ejusdem evangelii confessionem ad suorum et regnicolarum aemulorum sinistram delationem sine omni misericordia ibidem inmediate anno sequenti damnatus et ad mortem sententiatus eadem morte suam terminasset vitam similiter et alii multi praecedentium et succedentium tam spirituales quam saeculares in regno Bohemiae marchionatuque Moraviae propter ejusdem confessionem veritatis

decidissent, tunc ex illorum constantia ac dei visitatione multi boni fideles in regno Bohemiae et marchionatu Moraviae ad bonum sunt concitati atque moti sic, quod specialiter et notabiliter sub anno MCDXIX facta fuit populi in loco cujusdam montis aggregratio, in quem certis ac determinatis temporibus pro tunc fiebat concursus de multis districtibus ac civitatibus ob verbi divini auditionem, sacramenti quoque eucharistiae adultorem (adultorum) et cum parvulis liberam commuuicationem, ubi ex dono et gratia Dei et fideli per sacerdotes verbi Dei praedicatione populus simplex suam per clerum falsum agnoscens seductionem a vera fide, cultu et ordine ac justitia christianorum, vidensque fidelibus sacerdotibus libertatem seminandi verbum Dei ac populum Dei communicandi eucharistiae sacramento juxta Christi institutionem per parochias fuisse praeclusam, nolens in illa permanere seductione, fiduciam de domino ac ejus gerens veritate cum quibusdam famosis *status militaris* hominibus fecerunt per montes ac districtus pia intentione ac catholica congregrationes principaliter propter Dei laudem ac verbi illius liberam propalationem atque sacramenti eucharistiae antedicti communicationem, ut Dei veram agnoscentes legem pseudosacerdotes deserentes ad Christum verum justitiae doctorem et reformatorem ad ejusque apostolos confugiant, quatenus per ipsos reformati in vero ordine christiano valeant permanere. Et his temporibus isti articuli infra scripti illi toti populo per montes congregato per praefatos sacerdotes sententialiter praedicabantur et annuntiabantur [1]).

Primo quod sacerdotes evangelii non debent possidere titulo juris civilis agros, census et terrenas hareditates nec civiliter dominari.

Secundo, quod decimae de lege gratiae ex debito non sunt sacerdotibus limitandae, sed quod fideles Christiani debent sacerdotibus suis ipsorum salutem effectualiter zelantibus necessaria fideliter ministrare, non secundum morem judaicum aut Constantinum, sed secundum ordinationem Jesu Christi et doctrinam evangelicam, ut talem per apostolos promulgatam.

Tertio, quod sacerdotes legis gratiae omni titulo civilis dominii quoad agros vel domos vel res qualitercunque per ipsos illo

---

1) Vergleiche damit die verschiedene Darstellung bei *Laurentius* von Brézowa (Scripl. I, p. 391), der Hussit, aber nicht Taborit war.

titulo occupatas abrenuncient et more evangelico ubicunque habitaverint, moram trahant et vivant secundum doctrinam Jesu Christi; quamvis tamen dicti sacerdotes possunt in domibus dotationum more evangelico si sunt exemplares residere titulo civilis dominii simpliciter subtracto et ablato.

Quarto quod lex evangelica est sufficientissima (pro) se sola ad regimen ecclesiae militantis sine ceremoniis legis veteris et ritibus humanitus post adjectis offensivis, diminutivis et impeditivis legis ejusdem, qui magis officiunt, quam proficiunt ad salutem.

Quinto quod fideles fugere debent fures et latrones notorios aliunde in ovile ovium, quam per Christum ascendentes et sequi debent pastorem verum et vocem ejus audire, alienos fugientes et ipsorum vocem non audientes; et *pro tunc* idem populus una cum sacerdotibus cum eodem laborantibus propositum *bellandi* non habuit, sed pro illo tantum instabat, qualiter in bono et fide permanens catholica aliis, unitus fidelibus multiplicetur, intentionem nullam habens aliis qualitercunque male nocendi, sic, quod tandem in caritate magna in multitudine et cum communitate Pragensi anno quo supra in amplo campo vocato Křyžky [1]) cungregati simul Pragam intraverunt, unum propositum habentes, quomodo principaliter lex Dei habere possit libertatem et regnum Bohemiae a sinistra haeresis per aemulos impositione valeat emundari, in qua fide et caritate ac praedicto bono proposito omnes praedictae communitates cum generosis ac famosis praedictis militaribus se mutuo et invicem confirmantes uniformem inter se ibidem Pragae fecerunt conclusionem, istos quatuor articulos infra scriptos, pro quibus et hodie instant, pro causa legis Dei sibi recipientes [2]).

---

[1]) Laurentius I, p. 342: Confluxus in montem dictum Křižky.

[2]) Ein gleichzeitiger Tractat in der Universitäts-Bibliothek, dessen Titel wie gewöhnlich weggerissen ist, durchgeht die nähere Bedeutung der einzelnen Artikel. Hier heisst es ad primum:

Hic articulus sonat tenendo quod verbum dei absque licentia papae et ordinarii et consensu plebanorum, quod intelligunt per libere et sine impedimento in regno Boemiae et eadem ratione in alio regno cui communicant, in sermone per eos praedicetur et nuncietur. Et quod iste intellectus sic ex practica eorum declaratur, cum in Boemia ita fecerunt et jam de facto faciunt in regno Poloniae non habita licentia Papae Archiepiscopi vel episcopi ordinarii, in cujus dioecesi commorantur suo temerario praedicantes etiam absque plebanorum consensu, haereses et errores seminant verbotenus in scriptis.

Primo ut verbum Dei a sacerdotibus domini et levitis idoneis juxta salvatoris sententiam libere et sine impedimento praedicetur et annuncietur.

Secundo ut omnia peccata mortalia et specialiter publica et quantum rationabiliter fieri potest, privata aliaeque deordinationes legi Dei contrariae in quolibet statu rite et rationabiliter ac catholice per eos, quorum interest, prohibeantur, corripiantur, castigentur, et pro posse extirpentur.

Tertio ut sacramentum eucharistiae sub utraque specie, scilicet panis et vini omnibus Christi fidelibus nullo peccato mortali indispositis juxta sententiam et institutionem Salvatoris libere ministretur, et ab eisdem suscipiatur.

Quarto ut clerus relinqens dominium seculare super divitiis et bonis temporalibus, quod more Caesareae dotationis contra praeceptum Christi occupat in praejudicium sui officii et in damnum brachii saecularis, vivat juxta doctrinam Christi ipsiusque apostolorum [1]).

Ad secundum:

Vehementer praesumitur quod sub isto articulo colorato non solum petunt (Wiclefistae et Husitae) puniri aliorum peccata sed istum articulum Wicleff volunt inducere condempnatum, quod populares possunt ad suum arbitrium dominos corrigere delinquentes. Intelligunt enim quod peccata mortalia publica rite et rationabiliter in quolibet statu saeculari et spirituali per eos ad quos spectat i. e. laicos et kmetones et peccata clericorum per principes et dominos saeculares et peccata dominorum saecularium per kmetones et laicos corrigantur et puniantur et si emendari non curaverint, tam spirituales quam domini saeculares per laicos et kmetones destruentur et in corporibus extirpentur, qualiter nunc praedicant in Boemia talem tyrannidem et confusionem babylonicam, *hoc in Polonia* inducere per istum articulum fucato laborantes. Qui articulus ad istum sensum est haereticus et scandalosus et totius politicae spiritualis et saecularis turbativus et exterminativus, unde ostensum est in sermone in proxima *Synodo* in *Gnezna praedicato*.

Ad finem:

Isti articuli suprascripti Wikleffistarum et Hussitarum sunt praesentati Serenissimis principibus Regi Poloniae et Magno duci Litwaniae contra quos iste tractatulus est compilatus.

Nos capitanei Magistrique civium consules et scabini caeteraque communitas civitatis Pragensis capitalis regni Boemiae nostro et aliorum fidelium hujus regni nomine instituimus.

Notum sit universis Christi fidelibus quod fideles in regno Boemiae instant et domino juvante instare proponunt sive per mortem sive per vitam quantum est possibile pro articulis suprascriptis nisi de opposito per scripturam sacram et rationem vivacem erunt edocti. (Cod. N· H. 17. f. 69.)

[1]) Ubi sciendum est quod iste articulus includit 4 articulos Wicleffi condemnatos. Cod. IV, H. 17, f. 78.

Postea illam causam, illos quoque articulos per totam terram Bohemiae et Moraviae ac per multas alias provincias publicarunt [1]), quod videlicet illam causam habent et pro illa se unanimiter opposuerunt cum baronibus, militibus, clientibus et multis regni Bohemiae fidelibus communitatis publice protestantes: quod illos articulos ac illas sanctas veritates parati erant rite scripturis legis Dei fundare et munire sine omnibus bellicis difficultatibus. Dum et quando fuisset eis data debita pacifica ac catholica publica audientia, quam multis annis minime habere potuerunt. Quia autem inimicus veritatis ac humanae salutis diabolus nolens, ut hoc bonum augeatur, suscitavit membra sua quatenus hoc bonum per potentiam, violentiam ceterasque crudelitates tam per saeculares, quam spirituales impediatur, ut puta per papam et alios praelatos, per Sigismundum regem tunc Ungariae, Teutonicos ac ceteras exteras nationes et domesticos indigenas eorum in hoc adjutores, qui conabantur, qualiter hoc bonum inceptum et cum bohemicae nationis linguagio condemnent, deleant ac exterminent. Propter quod totus praedictus populus in causa quatuor articulorum, ut praemissum est, unitus, nolens per talem potentiam, violentiam atque crudelitatem a bono resilire et a fide cessare catholica una voluntate et unamini asensu et consilio magistrorum Pragensium et aliorum sacerdotum pro tunc populum dictum gubernantium bellum ex necessitate, non voluntate erexerunt et hoc solum in dictarum veritatum defensionem et fidelium illas debite promoventium protectionem ad hunc principaliter finem directum, ut per illud omnis error antichristi quomodocunque palliatus destruatur et promoveatnr fides Christi, ordo, justitia et veritas per viam et media debita secundum legem Dei omnibus exclusis deordinationibus. Quod bellum cum magna fuit erectum diligentia et exemplo ac regulis antiquorum bonorum bellatorum roboratum atque circumstantionatum per praefatos Pragenses magistros ac sacerdotes regni Bohemiae, qui tunc et ab initio dicto cum populo laborarunt. Quamvis heu sub tempore hoc bellum per mnltos, qui se ipsis fraudulenter cum aliis applicarunt intentionibus, in magnas versum erat deordinationes semper contra propositum atque intentionem fidelium, qui pro illo dicto bono se fideliter ac catholice opposuerunt.

---

[1]) Die Beschlüsse der Prager Synode v. 1421 Prohasko I, S. 299 werden hier übergangen. Cfr. Cod. 5. IX, 15.

C. 2.

Sollicitudo sacerdotum Thaboriensium, quae facta est in communitatibus eorum subjectis regimini contra omnes deordinationes praeter propositum et intentionem fidelium in eis exortas.

Propter quas deordinationes contra propositum et intentionem fidelium in populo praedicto exortas sacerdotes Thaborienses communitatum volentes semper quantum in eis fuit, ut populus ille in omnibus et singulis legem Dei liberrimam et sufficientissimam attendentibus dirigatur et quidquid deordinationis sit, secundum illam reformetur, ob hoc plures inter se habuerunt convocationes, unam in civitate *Pisek* sub anno domini MCDXXII tempore carnisprivii, aliam in monte *Hradiscz* nuncupato Thabor sub anno domini MCDXXIIII. infra octavas resurectionis domini et tertiam in *Glatovia* eodem anno circa festum Martini. In quibus convocationibus contra omnes deordinationes licet contra eorum omnium communem intentionem in dicto populo oxortas cogitaverunt et considerantes multos tam spirituales, quam saeculares in multis excedere pro reformatione horum excessuum, articulos quam plures formaverunt eosdem in omnibus eorum pronuntiari disponentes communitatibus per haec semper quantum in eis fuit dictis deordinationibus qualitercunque in dictis communitatibus exortis viam praecludere exoptantes. Quarum dictorum sacerdotum convocationum articuli notabiliores, qui hic habeantur pro insertis. *Primo* enim praefati Thaborienses sacerdotes pensantes excessus aliquorum sacerdotum in allegando et exponendo scripturas, ex quibus multi potuerunt recipere occasionem suae tyrannidis crudelitatis avaritiae et aliarum deordinationum inter se sententialiter concluserant, quod sacerdotes evangelici et alii Christi fideles ipsam legem divinam et scripturam Moysis, prophetarum et evangelistarum non secundum propriam ingenii virtutem vel intelligentiam debent legere, explanare et alios docere aut impertinenter prophetas ad loca et tempora applicare, sed quod debent ex ipsis sacris scripturis sensum capere veritatis cum diligentia perpendendo ne parti scripturae alicui contradicant, sensum vero elicitum solide fundent, vitae doctrinaeque Christi et sanctorum apostolorum se diligenter conformantes. Ista circa haec adjicientes quod praedicti sacerdotes in praedicationibus ubicunque fiendis allegationes impertinentes scripturarum

in omnibus materiebus summopere fugiant, ne sint adulterantes verbum Dei, quod si secus per quempiam praedictorum factum fuerit, ceteri audientes eundem informent et corrigant ad publice emendandum si opus fuerit inducentes.

Secundo dicti sacerdotes attendentes quod sacerdotes quidam non de communi omnium aliorum consensu et consilio in praejudicium sui officii proprio ducti spiritu secularibus actibus implicabantur in offensam et scandalum aliorum limites sui status excedentes, occasione cujus excessus poenam irregularitatis incurrunt, inter se sententialiter decreverunt, quod nullus sacerdos Christi aut aliis majoribus ordinibus insignitus debet aut potest corporaliter quemquam etiam infidelem de lege communi occidere aut vulnerare aut quod minus est ad sensum apostoli percutere aut in persona propria bellare, acies bellorum dirigere, ad bellandum aut occidendum immaniter provocare, aut aliqua facilitate crudelitates exercere sive exercitatas a secularibus et sacerdotibus prohibitas irrationabiliter excusare seu verba aut opprobria crudelia proferre et homines ad severitatem succendere et irritare; bellis tamen justis in causa Dei licite potest interesse bellantes, ut juste et sancte faciant, exhortando.

Tertio praefati sacerdotes videntes plures excedere in avaritia et in aliis specialiter materiam belli concernentibus eis unanimiter apparuit publicandum, quod bella christiana non sunt a quoquam attentanda et exercenda, nisi nova lege licenciante et potestate legitima autorizante aut ex illius deficientia populo christiano aut quocunque alio spiritu Dei agitato debite et meritorie vicem ejusdem supplente et causa justa impellente; nec contra alios nisi in fidei destructores, innocentium oppressores, vel regionis et reipublicae invasores et vastatores vel alios pertinaces et sceleratos legis Dei transgressores, qui aliis modis lenioribus nullatenus a sua pertinacia reduci possunt et coërceri, hac regula in bellis potissime observata, quod hostem in impetu necessitas perimat, non voluntas exclusa prorsus a bellantibus nocendi cupiditate, ulciscendi crudelitate, implacato atque implacabili animo invadendi et amore rapiendi, et si quae sunt similia, prout sancti doctores in lege fideliter fundati elucidant et explanant; et quod in bellis quantumcunque justis res alienae non solum non sint amore invadendae sed nec tangendae nocive, nec concupiscendae, nec per plebes fidelium et innocentium

quomodolibet opprimendae juxta apostoli sententiam: Mala non sunt facienda, ut bona eveniant. Quamvis autem praedicti sacerdotes hanc circa materiam belli expresserant sententiam, admittentes, quod licet saecularibus pugnare cum hostibus ad causam, ad finem et ad modum attendendo. Ad causam, ut sit pro defensione fidei, non pro stercore temporalium; ad modum, ut sit cum moderatione cum ratione trahente ad concordiam, si fieri potest regula praemissa in bellis observata. Impossibilitate autem hostem ad concordiam (movendi) oportet finem, qui est caritas, modum agendi et patiendi mensurare; sic videlicet, quod pugnans caritative deligat hominem, quem impugnat et semper sit paratus istam viam dimittere, dum hostis velit viam veritatis vere suscipere, Tamen quia ista ars est periculosa atque difficilis, dicere semper solebant dicti sacerdotes quod via securior foret, pugnare spiritualiter, non cum gladio materiali aërem verberando sed Deum pro hostibus rogando ac hostes in tractatu ad concordiam obsecrando et in illa reputata vecordia mortem, si oporteat, patiendo.

Quarto praedicti sacerdotes respicientes excessus in vindictis, publicandum judicarunt, quod nec in condemnatione reorum nec in occisione lex vetus ut hujusmodi in singulis suis judiciariis est exequenda, neque leges humanae evangelio contrariae sequendae sunt et allegandae nec ipsa occisio unquam in aliqua causa alicui infligenda, nisi si et in quantum urgente necessitate lex nova occidere et condemnare licenciat, et per potestates legitimas suadet et autorizat, aut illa deficiente populus aut quicunque spiritu Dei agitatus, et sic quod lex vetus de tanto in judiciariis sit sequenda, de quanto eam Christus licentiat et ecclesia primitiva praxi declarat et ostendit, ita tamen quod circa praedicta sedecim conditiones caritatis observentur et ipsa legis naturae regula: Quid tibi non vis, rationabiliter alteri ne feceris.

Quinto videntes, qualiter omnes fere communitates legi Dei se praetendentes adhaerere circum se populum mirabiliter et inhumane vexabant, tyrannice et gentiliter opprimebant et censum ab eo, quem „holdy“ vocant, indifferenter etiam a fidelissimis sine misericordia exigebant, quamvis quidam ex illis eandem fidem cum ipsis teneant et periculis bellicis se cum eisdem exponant, et a parte adversa crudeliter tractentur et spolientur; ideo sacerdotes antedicti in illo resederant, et communitatibus subjectis publicandum decreverant,

quod exactio censuum boldy vulgariter vocatorum, praesertim ubi villani fideles veritati adbaerentes coguntur parti adversae censum solvere et exactor aut exactores praefatos villanos contra partem adversam protegere non possunt, aut tueri, est inter cbristianos multum pericnlosa et insecura, toleranda tamen videtur, si imminente necessitatis articulo subsidinm postulatum caritative villani bujusmodi contulerint ac dederint exactori aut exactoribus eisdem pro posse contra partem veritati adversam praestantibus defensam, sic tamen, qnod praefatum subsidium postulatum et datum in usus pios [loco proprio] exactoris vel exactorum minime convertatur, sed in bonum commune et veritatis protectionem.

Quia sexto quod praefati pauperes licet multi catbolici et fideles a quibusdam ex dictis communitatibus magna damna perceperant ea nocumenta ob boc solnm, quod parti adversae ipsos census et alia subsidia solvere oportebant, cum, ut inquiebant, dare tributum tyrannis sit eorum operibus consequentibus consentire et eos in malitia confortare; ideo ad boc sedandum istud denunciandum decreverunt, qnod non est fidelibus aliquod inferendum nocumentum ex boc solum, quod coacte et non spontanee solvunt censum parti, veritati non consentienti, volendo redimere vexationem, ut videlicet per adversarios non impediantur in bis, quae sunt fidei et salutis; sed citius talibus a christianis hominibus praestanda sunt suffragia ne ab invasoribus domesticis, aut extraneis infestentur; cum hoc creditur Christum Matbaei XVII. et Apost. ad Rom. 13. docuisse. Nec sequitur, quod si quis tyranno aliquid de temporalibus dederit aut aliquod ministerium corporale impenderit, quod ideo ejus tyrannidi consentiret. Satis ergo est, quod Cbristianus solvat tributum potentatibus, ut bonum faciant, non ut tyrannisent. Et talis intentio laudabilis non est consentanea tyrannidi, sed bono operi, cum tunc nemo bene faceret alteri, cnm ex sibi dubio beneficiatus ex hinc occasionem accipere poterit ad peccandum. Verum tamen si esset verisimile bomini per subtractionem temporalis juvaminis destruere potentatus tyrannidem vel abusum, debet ea intentione quantum voluerit sine veritatis offensa commodosius subtrabere bona cautela et destructione (distinctione) servata. Quia insuper viderunt, quod quidam ex dictis communitatibus nimis crudeliter partem adversam et eis subditos bomines, licet aliquos catholicos et fideles invadebant, uxoresque, licet fautrices veritatis ob hoc solum quod viros in parte

adversariorum habebant multipliciter vexabant, ab invasione nullo modo cessare volentes, illorum etiam, qui vellent ab oppugnatione veritatis et fidelium ratione illius cessare, sine omni dolo et fraude publice confiteri, se nunquam velle aliquem ex quatuor articulis, pro quibus labor erat regni, haereticare nec quovis modo subditos suos ab executione eorundem impedire, sacerdotibus fidelibus in bonis eorum juxta eorum officium dictas veritates promovendi libertatem dare, omnia mala publica in suis subditis probibere et impedire, adversarios veritatem promoventium in eorum damnum non suscipere nec fovere, nec suis subditis eisdem admittere quomodolibet occulte nocere aut necessitatis articulo imminente ipsis in causa Domini subsidium caritativum impertiri prohibere, seu qui pro tempore tunc currentium disturbiorum existentes insolubiliter perplexi usque ad aliqualem eorundem finalem decisionem neutrales esse vellent. Ideo sacerdotes antedicti dictis communitatibus intimandum statuerunt, ut de amicis sine causa non faciant eis inimicos, et ut adversarii, si qui possent, per viam pietatis ad consentiendum et tenendum aut non impugnandum veritatem induci sub praedictis conditionibus vel aliis quibuscunque excogitandis et veritati aptis cautelis per tyrannidem non infestentur, nec tam mala habeatur de eis suspicio, quasi nulla de eorum conversione ad dominum fieret spes. Uxores quoque fideles nobilium, clientum vel aliorum quorumcunque, quae viros in parte adversariorum habent, dummodo non tribuerent ipsis viris auxilium, promoventibus vero legem subvenirent, et subditis suis cum eisdem loco et tempore opportunis in causa Dei et bono reipublicae ire non prohiberent, ut occasione praedicta non inquietentur, nec subditi boni et justi propter malitiam eorum dominorum spolientur.

Octavo videntes, quod quidam ex dictis communitatibus temporibus suis non curantes propriis manibus victum sibi acquirere, ubi possunt, solum *de alienis facultatibus vivere volebant*, exitus inordinatos facientes sola intentione alios spoliandi, quandoque ad secum exeundum alios per violentiam compellentes; ideo duxerunt omnibus talibus intimandum, quod justum esse aut expediens pro beatitudine consequenda non videtur, quod viri fideles et laboriosi compelli deberent ad insurgendum cum proponentibus absque communi consensu invadere regiones, districtus aut pauperes censitas partis adversae sola intentione spoliandi eosdem et consumto spolio iterum

ad conforme opus revertendi, sive tales districtus, regiones vel pauperes intra hoc regnum fuerint sive extra. Insuper ne spiritualibus adscribatur, quidquid contra regiones, districtus aut pauperes in praedictis attentatur, et etiam ne venerabile sacramentum detur contemtui et derisui, ubi certitudinaliter cognoscitur a viris spiritualibus exitum bujusmodi fuisse principaliter intentione praemissa et pro pauperibus captivandis occasione taxae ab eisdem si non spontanee cum violentia suscipiendae aut extorquendae; ex tunc sacerdotibus veraciter se opponentibus contra enormitates et excessus legi Domini contrarios, non imputetur pro culpa, si praedictis sic, ut praemittitur, properantibus et ad habitationis suae loca revertentibus cum altaris sacramento venerabili non occuratur, nec cum ipsis illuc transeatur. Haec autem omnia observanda esse videntur, quousque omnes simul praedictae communitates de aliquo tutiori aut meliori valeant providere. Notantes insuper

nono, multos circa materiam eucharistiae benedictae *deficere*, statuerunt, quod in materia sacramenti praedicti saepius notabilis ponenda est differentia inter panem communem, panem sacramentalem et panem vivum aeternalem ac coelestem, caventes ne scriptura, quae convenit quoad effectum tantum pani vivo, coelesti ac aeterno, applicetur pani sacramentali identice, ne ex hoc populus in indolatriam prolabatur, honorem soli Christo debitum pani sacramentali, tamquam sibi materialiter identificato tribuendo; etiam ne scriptura sonans de pane sacramentali ad panem communem retorqueatur, et quod singulariter intellectus circa verba Christi dicentis de pane sacramentali: Accipite et comedite, hoc est corpus meum; et de vino: Hic est sanguis meus, sunt populo declarandi, ne videlicet ille panis corpori Christi materialiter identificetur, nec corporaliter situaliter, hoc est cum omnibus proprietatibus tam essentialibus, quam accidentalibus consequentibus ipsum idem corpus Christi in coelo, in pane illo sacramentali fore affirmetur, vel carnaliter secundum conceptum Christi discipulorum retro abeuntium manducari credatur vel per haec demonstrativa hic et hoc aliud quam panis et vinum demonstrari reputetur; vel quod tanta vino plenitudinis divinitatis ad sacramentum, quanta ad Christum credatur, hoc signanter adjicientes, quod in separando praedictos singulos intellectus cavendum est, ne detur populo occasio, sacramentum parvi pendendi, aut quomodolibet blaspe-

mandi. Magis autem exhortetur, ut probatus et habens cum Christo pro posse in omni bono participium simul secundum apostoli sententiam conveniens cibetur et potetur saepius, cum reverentia eucharistiae sacramento ad passionis Christi memoriam suam pigritiam excitando. Istis omnibus et pluribus aliis hic causa brevitatis ommissis dicti sacerdotes inter se conclusis et comunitatibus eorum publicatis, semper, quantum in eis fuit, dictis deordinationibus undecunque in dicto populo exortis viam praecludere conabantur.

Infra hoc tempus a tempore, quo sacerdotes Thaborienses ex causis in posterum exprimendis deposuerunt ornamenta usitata et consuetudine humana ad sacrificandum deputata et ritum missandi Romanum modo usitatum ommiserant, ob hoc a magistris, specialiter Pragensibus et eis adhaerentibus non modicas perpessi sunt impugnationes ac infestationes, sicut ex infra scriptis cuilibet attendere volenti patere poterit. Anno enim ab incarnatione domini currente MCDXXI post multam habitam concertationem praedictorum sacerdotum cum magistris Pragensibus in majori civitate Pragensi in domo generosi Domini *Petri de Sweissyn* dicti *Smrzlyk*[1]) coram certis baronibus, praesertim dominorum Ulrici de nova Domo dicti Wawak, Joannis de Duba, dicti Rohacz, Joannis dicti Laczenbok et capitaneis Thaboriensis exercitus et magna assistentium multitudine ultimo fuit per praefatos Barones et capitaneos parti utrique injunctum, ut utraque pars in spatio unius mensis ab eodem die immediate computando reponat sua scripta in praetorio majoris civitatis Pragensis in manus magistri civium, qui pro tunc erat et aliorum ad hoc pro tunc ex utraque parte nominatorum. Quod mandatum sacerdotes Thaborienses sunt executi eorum scriptum reponentes in haec verba.

C. 3.

Scriptum primum, quod sacerdotes Thaborienses in causa eorum, quam contra quosdam magistros Pragenses et sacerdotes eis adhaerentes promovebant, reposuerunt in praetorio majoris civitatis Pragensis ad mandatum praedictorum baronum et capitaneorum in haec verba:

Quamvis nuper magistris et sacerdotibus Pragensibus pro materia et ritu, quem circa coenam dominicam observamus, expresserimus no-

[1]) 1420. Cfr. Laur. de Brězowa. S. 434. Prohaska, Miscellaneen I, S. 280.

stra fulcimenta et objectionibus eorum satis fecerimus juxta posse: tamen pro honore Dei et suae evangelicae veritatis placuit nobis hoc, quod tunc affirmabamus resumere et pro majori et meliori facti intelligentia hoc, quod praemissum est, dilatare, et quantum ex alto dabitur, eorum vana objecta destruere et infirmare; praesertim cum multi ob inollitam adversam consuetudinem super praesenti materia dubitant et eam irrationabilem, deviam et stultam asseverant. Protestantes, sicut et prius protestati sumus, quod in hac materia sicut et in alia qualibet tantum intendimus promovere puram veritatem ad salutem requisitam, et abjurare omnia veritati contraria et impeditiva, impertinenter et inutiliter veritati applicata, quodsi per quempiam vere docti fuerimus, quod in aliquo excesserimus contra fidem aut ex quavis circumstantia deviare contigerit, parati sumus obedire veritati et permanere cum illa. Illa protestatione praehibita pro supposito praemittimus ista duo:

Primum quod Dom. Jesus, Deus et homo, cujus perfecta sunt opera, sine vestibus exterioribus jam ad hoc consuetis et consuetudine et adinventione hominum deputatis et sine ritu a modo sacerdotibus usitato sufficientissime et saluberrime coenam suam perigit. Quem ritum sic perfectum et completum apostoli a Christo suscipientes circa coenam dominicam observarunt. Patet hoc per mag. *Jacobellum de Misa* sacrae paginae baccalaureum formatum, qui *quondam* in hac materia nobiscum idem sentiens in tractatu, quem fecit de cerimoniis, invehens contra illos, qui impugnabant sacerdotes circa infirmos vel alias, ubi necessarium erat, conficientes extra locum consuetum et sine vestibus exterioribus jam ad hoc consuetis et sine ritu modo usitato, ita scribit: Quod olim in primitiva ecclesia sancti missando conficiebant communiter sine vestibus exterioribus jam ad hoc consuetis et consuetudine et adinventione hominum deputatis et sine istu longo modo a sacerdotibus usitato et in hoc non peccaverunt, cum tunc maxime in omnibus agendis et praecipue circa procurationem salutis animarum, circa confectionem et ministrationem sacramentorum spiritu Dei agebantur. Ubi sufficienter antiquorum testimoniis deducit, quod usus vestium talium exteriorum jam ad hoc consuetarum et ritus longus circa missationem modo usitatus cum introitu, kyrie eleison, tractu, praefationibus, collectis et caetera, post multa curricula annorum per papas et homines jam longe ab immitatione Christi et ejus apostolorum declinantes, excogitatus est et institutus. Hinc de missatione

beati Petri vetus testimonium adducens dicit: quod post passionem domini anno sequenti beatus Petrus apostolus, filius Joannis provinciae Gallileae de vico Bethsaida, frater Andreae tenuit sacerdotalem cathedram in partibus orientis annis quatuor et primam missam celebravit dicendo tantum Pater noster, et concludens subdit: Ecce sanctus Petrus missationem et confectionem suam circa divinissimum sacramentum ita curte faciens, nolens plus addere, reliquit hoc in exemplum posteris ut apostolus principalis. Si ergo beatus Petrus ita curte et sine vestibus modo usitatis et ritu jam communiter observato suam missationem, confectionem circa divinissimum sacramentum peragebat, observabant hoc et alii apostoli, quando per domos discurrentes, ut in actibus scribitur, fidelibus panes frangebant, et non aliunde qnam a Christo fundamentum recipientes; ideo hoc, quod praemissum fuit, est verum.

Secundum est, quod supponimus, quod ritum humanum in proposito nolumus vocare traditiones vel decreta Christi, vel ejus apostolorum, sed traditiones et decreta paparum et hominum jam longe a vita Christi et ejus apostolorum declinantium, in quibus jam caritas refriguerat iniquitate superabundante. Istud probare non curavimus, cum nomina sint ad placitum. Illis praemissis dicimus: Quod sacerdotes moderni possunt licite sine vestibus exterioribus jam ad hoc consuetis et inventione hominum deputatis et sine ritu modo longo circa missationem consuetudine hominum a magistris et sacerdotibus Pragensibus observato missare in hoc caeteris paribus non peccando. Probatur sic:

Christus, apostoli et alii sancti in primitiva ecclesia missando sic faciebant et in hoc caeteris paribus non peccabant, cum tunc in omnibus agendis et praecipue circa procurationem salutis animarum, circa confectionem et ministrationem sacramentorum spiritu Dei agebantur, ut dicit suppositio prima et magister Jacobellus eam probans. Ergo eadem ratione et nunc valde possibile est, quod sacerdotes domini eodem spiritu agitati sicut olim sancti et eadem urgente caritate sine talibus vestibus consuetis et ecclesiasticis et ritu praemisso conficiant et desiderantibus sacramenta ministrent, in hoc caeteris paribus non peccando, tenet argumentum a simili, quia si idem spiritus moneret et evenirent eaedem circumstantiae, quare sine peccato non eodem modo fieret sicut olim. Imo dicimus, quod sacerdotibus modernis securissimum est, observare ritum circa coe-

nam dominicam praesertim quem Christus observavit et discipuli sui non mutaverunt, nec in aliud interpretati sunt; nam si sacerdotes Dei et Christi sumus, non invenimus, quem magis sequi, quam Christum et suos apostolos debeamus; de ipso enim pater de coelo clamat dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, ipsum audite. Et ad hoc facit illud, quod Dominus dicit Deuteronomii: Quod praecipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quidquam, nec minuas. Et Philipp. I. Tantum digne evangelio Christi conversamini. Et Paulus Actorum 26 dixit: Auxilio autem adjutus Dei usque in hodiernum diem sto testificans majori atque minori nihil extra dicens, quam quod prophetae locuti sunt futura esse et Moyses. Ecce iste sanctus maxime legi Dei innitebatur. Si ergo solus Christus maxime audiendus est, ut ait Cyprianus, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit, sed quid qui ante nos omnes Christus prior fecerit; neque enim consuetudinem hominis sequi oportet, sed Dei veritatem, cum per Isaiam prophetam loquatur Dominus; sine causa colunt me, mandata et doctrinas hominum tenentes. Ideo si nec minima de mandatis Dominicis vel a Christo nobis exemplatis licet solvere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsius passionis dominicae et nostrae redemtionis sacramentum pertinentia fas non est infringere, aut in aliud quam quod institutum est, humana traditione mutare.

C. 4.

Corrolaria [1]) quatuor.

Ex istis, sicut praemissum est, antepositis inferimus ista quatuor: primo, quod ritus, quem observant circa missationem Thaborienses sacerdotes, est fundabilis et exemplatus in Christo et suis apostolis, patet, quia sicut Christus sine vestibus exterioribus jam ad hoc consuetis et sine ritu longo modo circa missationem consuetudine hominum observato coenam suam peregit et sacramentum suis discipulis ministravit videlicet Joan. 13. Math. 26. Marc. 14 Luc. 22 capitul.; et apostoli cum eorum discipulis in ecclesia primitiva idem observabant, ut patet ex nostra prima suppositione, et per magistrum

[1]) Correspondentia. Cod. Zittav.

Jacobellum ejusdem probatione. Sic faciunt sacerdotes Thaborienses videlicet ad practicam; igitur id, quod dicitur, extat verum.

Secundo inferimus ex praemissis, quod ritus, quem circa missationem observant Pragenses magistri et sacerdotes, est ritus ab hominibus longe a vita Christi et ejus apostolorum declinantibus inventus, a Christo et ejus apostolis non exemplatus, nec in tota lege nova vel veteri ad tenendum pro tempore legis gratiae expressatus; patet ex probatione suppositionis primae, ubi ostensum est, quod usus talium vestium exteriorum jam ad hoc consuetarum et ritus circa missationem a magistris et sacerdotibus Pragensibus observatus, est post multa curricula annorum per papas et homines jam longe ab imitatione Christi et ejus apostolorum declinantes excogitatus et institutus. Igitur hoc, quod dicitur, est verum.

Tertio inferimus ex praedictis, quod securius et undequaque expeditius est in missando caeteris paribus sequi sacerdotes Thaborienses quam magistros et sacerdotes Pragenses; patet sic, quia eos, qui inmediatius et propinquius in missando immitantur Christum et ejus apostolos, est securius et undequaque expeditius imitari. Sed quia sacerdotes Thaborienses caeteris paribus in missando inmediatius et propinquius imitantur Christum et suos apostolos sicut patuit ex praedictis, quam magistri et sacerdotes Pragenses; igitur securius et undequaque expeditius in missaudo est sequi sacerdotes Thaborienses, quam magistros et sacerdotes Pragenses; quod fuit probandum. Et potest hoc idem aliter sic suaderi: Bonum cuilibet personae utilius et honoratius est rationabiliter praeferendum in tautum, quod peccatur graviter ex ejus ommisione, cum non mediocriter peccat, qui propositis sibi duobus bonis atque eligibilibus majori et minori, eligit minus bonum dimisisse majori bono. Sed sic est de sacerdotibus Thaboriensibus in comparatione ad magistros et sacerdotes Pragenses. Ideo Thaborienses sacerdotes in missando sunt potius, quam magistri et sacerdotes Pragenses imitandi; quia Isa. 55. dicit Dominus: Non viae meae sicut viae hominum, sed sicut exaltantur coeli a terra, sic exaltatae sunt viae Dei a viis hominum. Igitur vias Domini est securius imitari quam hominum. Imo quarto ex praemissis inferimus, quod sacerdotes praeferentes ritum in missatione magistrorum et sacerdotum Pragensium ritui sacerdotum Thaboriensium caeteris paribus sunt hypocritae; probatur, quia illud, quod est hominum longe a vita Christi et ejus apostolorum declinantium praeferunt

illi, quod est Dei. Ideo audire debet de se dicentem Christum illud Math. 15. Hypocritae! bene prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic me labiis honorat, cor autem eorum longe est a me; sine autem causa colunt me docentes mandata et doctrinas hominum. Nec possunt se ab illo veraciter excusare magistri et sacerdotes Pragenses, nec per quaecunque sophistica argumenta, per quae solent coram simplicibus quemcunque suum vel aliorum errorem palliare, istud Christi dictum effugere, cum ad oculum videatur, quod quotquot vident Pragae divinorum mandatorum magnorum transgressores, imo cognoscentes se in multis contra Deum delinquere, nunquam videtur aut auditur, quod tantum quaerulentur, tantum vituperent et condemnent, quantum condemnant et vituperant, si sacerdos observatis substantialibus in missa, quae Christus et sui apostoli observarunt, ritum deponit aut omittit, secundum quem sacerdos lavans manus induit albam et praecingit se, et de aliis, quae homines instituerunt et excogitaverunt. Ideo non effugient hoc, quod Christus de eorum antecessoribus Marc. 7. dixit: Hypocritae relinquentes mandatum Dei tenetis traditiones hominum urceorum et calicum et alia similia his facitis multa. Nec adhuc aestimare debent se posse hypocrisim eis objicienti effugere, quando audientes nuper ab uno ex fratribus nostris, quod aliquis possit aliquando ex certis circumstantiis in illis eorum vestimentis exterioribus ex humana institutione ad sacrificandum deputatis missare in hoc non peccando una voce dixerunt: Ecce dicunt, quod potest missare sacerdos in illis vestibus non peccando. Et frater noster non dixerat simpliciter, sed cum addito, quod aliquis posset aliquando ex certis circumstantiis in illis missare non peccando. Et sapiens bene posset intelligere, quare sic additur, quia apostolus praedicans cum aliis coapostolis cessationem circumcisionis carnalis et non amplius fideles obligatos ad eandem, nihilominus ex circumstantiis debitis exiens inter Judaeos cessationem circumcisionis plene non cognoscentes circumcidit Timotheum, quem, si non intervenissent circumstantiae, minime circumcidisset, cum dicebat alias, si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Sic etiam frater noster dicebat, quod licet illas vestes tanquam impertinentes circa missationem deposuerimus, non dico tamen, quod in illis nunquam aliquis ex certis circumstantiis posset sine peccato missare. Ideo non effugerunt adhuc adversarii hypocrisim, quando hoc, quod a Christo et ejus apostolis est exemplatum, pro peccato

computant, et traditionem hominum longe a vita Christi et ejus apostolorum declinantium magnificant et commendant.

C. 5.

Responsio ad objecta magistrorum.

Postquam ostensum est et sufficienter probatum, quod ritus missandi sacerdotum Thaboriensium est exemplatus in Christo et ejus apostolis, et quod securissimum est sacerdotibus observare ritum circa missationem praesertim, quem Christus observavit et disciputi sui non mutaverunt nec in aliud interpretati sunt jam juxta praemissa in principis, restat objectionibus, quibus eos audivimus contra nostram praedictam sententiam, quantum ex alto dabitur, respondere, et illas cum Dei adjutorio infirmare. Imprimis enim magister Jacobellus in sermone, quem nuper fecit, dixit quaedam mandata Dei esse magna, et alia apostolorum mandata esse minora. Sub illis, ut dicit, mandatis apostolorum minoribus volens includere ritum circa missationem a magistris et sacerdotibus Pragensibus observatum. Sed non probavit hoc, quia ante ex antiquorum testimoniis ostensum est, quae ipsemet in suo tractatu ante memorato adducit in sententiam, quod ritus iste eorum persaepe nominatus non est ab apostolis usitatus vel praeceptus, sed post multa annorum curricula ab hominibus longe a vita Christi et ejus apostolorum declinantibus est excogitatus et institutus. Nec proderit eis Dionysius, quem corrupte allegant, ipse enim dicit: nunc autem sacerdotalem ornatum communiter variare convenit in mundativam et illuminativam et perfectivam divisum. Ipsi autem dimittentes caudam et sensum mysticum, quem ingerit, solum recipiunt principium, ubi dicunt, nunc autem sacerdotalem ornatum variare convenit; et ibi cessantes postea omnia, quae de ornatu interiori loquuntur, mundatio, illuminatio et perfectio, adducunt ad ornatus suos. Et in signum hujus, quod Dionysius loquens de ornatu sacerdotali intelligit ornatum interiorem et non exteriorem, ubi in textu dicitur: nunc autem sacerdotalem ornatum, illa glossa habet: sacerdotalem ordinem. Quod etsi esset ritus, quem ipse Dionysius describit, ab apostolis receptus, nunquam tamen per magistros vel per alios temporibus nostris est in effectu observatus. Observent ergo primum magistri ritum a Dionysio descriptum, postea nos, si viderimus illum esse a

Christo et ejus apostolis traditum, suscipiemns cnm effectu. Postea magister Jacobellus supponens istum eorum saepe praemissum ritum licet non probans ab apostolis esse traditum, multum causabatur, quod nos irrequisito eo et aliis, qui secum sunt, cum deposnimus scandalo plnrimorum non obstante; propter quod nos quasi reos mortis abjudicans illud contra nos adducebat evangelicum: Qni autem scandalisaverit unum de pusillis istis minimis, expedit ei, ut mola asinaria suspendatur in collo ejns et demergatur in profundum maris. Pro responsione ad istud est notandum, quod contigit homines scandalizari dupliciter ex consonantia vel practisatione veritatis vel occasione male accepta vel occasione male data. Illo praemisso ad objectionem dicimus, quod nemo debet scandalizsre alium secundo(?) modo occasione male data propter aliquod bonum mundi pro eo, quod nemo peccare debet propter aliquod tale bonum omne, sic scandalizare est peccare; ergo nemo sic debet scandalizare alium propter aliquod bonum mundi; et de illo scandalo loquens Christus dicit: Qui autem scandalizaverit etc. sicut mag. Jacobellus objicit. *Catholicus* autem *debet sinere*, quod frater scandalizetur primo modo occasione mala accepta, ut veritas declaretur, quia aliter nemo deberet habere ferramenta domestica, ne quis eis se vel alium interimat, nec habenda foret arbor vel restis, ne quis sc inde suspendat, nec fenestra facienda foret, ne per hauc se quis praecipitet. Et propter hoc magister Jacobellus in sermonibus suis scandalum, in qnibus sibi placuit, rejiciens, saepe illud solebat allegare, quod utilius scandalum nasci permittitur, quam quod veritas relinquatur. Et verum boc quondam dicebat, quia Christus boc opere et verbis ostendit, quando reprobans ceremonias pharisaeicas respondit apostolis dicentibus: magister scis, quia pharisaei audito hoc verbo scandalisati sunt: sinite eos, caeci sunt et duces caecorum. Si ergo magister optimus acutissime, apertissime et communissime arguebat scribas et pharisacos, quos scivit ex argutiis male acceptatione esse pejorandos; quare sacerdotes Thaborienses non missarent sine vestibus exterioribus, jam ad boc cousuetis, et sine ritu longo modo circa missationem usitato, ex quo est Christi veritas, scandalo suspicato non obstante, non intendendo fratrum scandalum, sed dolendo ac de cautela scandali sagaciter cogitando. Nec ex hoc est timendum, quod occasione scandali multi electi abirent retrorsum, sed magis sperandum est, quod fideles augebuntur et confortabuntur in domino, quam-

vis reprobi semper in pejus proficiant; quia actorum 2. dicitur, quando apostoli sic per domos discurrendo panes frangebant, dominus augebat, qui salvi fierent quotidie in idipsum. Et hoc etiam mag. Jacobellus in praefato tractatu suo ponit. Ideo in eam, quam nobis fodit, foveam videat ne cadat; nobis imputat in malum, quod nos a veritate in Christo fundata et ex occasione scandali male accepti non cessamus, sed solus non imputat sibi malum, quod multi occasione illa (dum) defendens traditionem hominum veritati acquiescere non vult, abeunt retrorsum et in eo ex illo scandalisantur. Si autem quodlibet scandalum etiam a veritate male acceptum evitare vult, *cesset cum aliis a communione utriusque speciei*, imagines in ecclesia colat, introducat pro pecunia mulieres, benedicat ova, avenam, palmas, frena equorum, capsas peregrinorum, aspergat aqua benedicta cimiterium et alia multa, quae contra consuetudinem per eum sunt ommissa, resumat, quia multi ex ommissione talium occasione mala accepta scandalisantur et sic patet intelligenti, quod nihil capit illa ejus objectio.

Considerantes autem magistri, quod in illo non possunt finaliter subsistere, dant se ad aliud subterfugium dicentes: si Sacerdotes Thaborienses in hoc volunt Christum in sua missatione imitari, quare non imitantur eum in lotione pedem, et in eo, quod prius agnum paschalem modo judaico ipsis sedentibus dedit manducare: quasi dicerent, si ipsum in uno, quod ibi fecit, sequi volunt, quare non in istis aliis; et per consequens innuere volunt, quod nos insufficienter dicta nostra fundaverimus. Et pro confirmatione sui dicti recurrebant ad legem veterem assumentes illud dictum Ezech. 44: sacerdotes cum ingrediuntur portas atrii interioris vestibuli, lineis induentur, cumque egredientur exterius ad populum, exuent se vestimentis suis, in quibus ministraverant, et reponent ea in gazophilacio sanctuarii et vestient se vestimentis aliis et non sanctificabunt populum in vestimentis suis; ad hoc allegaverunt Origenem Homilia 4. super Levitico, dicentem, quod sacerdotes alia veste utebantur, quando ingrediebantur sanctuarium, et alia quando exibant ad populum; ibi dicimus, quod nostrum fundamentum stat immobile, quod Christus et sui apostoli sine vestimentis exterioribus specialibus jam consuetis et sine ritu longo modo a sacerdotibus circa missationem usitato missaverunt, quos nobis securissimum est imitari. Sed ad hoc, quod objiciunt: si sacerdotes Thaborienses volunt Chri-

stum in hoc imitari, quare ante non manducant agnum paschalem nec pedes lavant. Ibi ad excludendum hoc et alia similia bene per nos est praemissum, quod nobis securissimum est observare ritum, quem Christus observavit et discipuli sui non mutaverunt, nec in aliud interpretati sunt; lotionem vero pedum et agni manducationem apostoli in aliud interpretati sunt et mutaverunt. Ideo nos Christum in primo sequimur, in aliis, quae objiciuntur, non; nisi sic, ad quid est per apostolos interpretatum. Quod autem apostoli pedum lotionem et agni paschalis manducationem mutaverunt in aliud et in aliud interpretati sunt, 1. Cor. 5. probatur: Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis. Et probatur responsio ad primam partem objectionis. Tunc ad confirmationem dicimus, quod verum est, quod sacerdotes legales alia veste utebantur, quando introibant sanctuarium, et alia, quando exibant ad populum; sed Christus, cum sit sacerdos in coelo spiritualis, tabernaculum non manu factum ingressus, omni vestimento sordido exutus et vestimentis gloriae et honoris decore scilicet fortitudine et virtute indutus super altare spirituale obtulit hostiam non carnalem; hinc instituit sacerdotium spirituale, docens, ut, qui volunt sui ordinis esse sacerdotes, ante omnia deponentes imaginem terreni sacerdotii, portent imaginem sacerdotii spiritualis quasi spirituales effecti, accedant templum, habens lapidem vivum Christum ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, et electos velut lapides vivos superaedificatos, de quibus scriptura dicit: An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt spiritus sancti, in quo templo Christus docet suos orare patrem, quando dicit: Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum et clauso hostio tuo ora patrem; et orantes hostias laudis offerre, ad quae peragenda indigent vestimento, de quo David ita dicit: sacerdotes tui induantur justitiam; et Paulus: induite dominum Jesum Christum; et iterum: induite vos viscera misericordiae; et iterum: induite novum hominem. Et hoc facientes fulgentiores essent luce in tantum, quod multi videntes opera eorum bona glorificarent patrem, qui in coelis est; et quamquam pusilli sint pauperes, infames et in apparatu sordido, non possent tantum abscondi, quin videantur esse sacerdotes, sicut nec civitas in monte situata potest obscondi. Et sic esset inter eos et laicos magna differentia, quando essent exemplum fidelium in verbo,

in conversatione, in caritate, in fide, in castitate, in doctrina, in gravitate, ab omnibus judicarentur esse sacerdotes, quando viderent in eis facta concernentia servos Jesu Cristi ministros, quae utique lux sunt, qua omnia cognoscuntur; et si modo ad vitam respicerent sacerdotum, melius per illam, quam per signa mortua cognoscerent eosdem et non deciperentur, quemadmodum decepta est *romana ecclesia*, quae signa tantum mortua videns recepit hucusque pro apostolis simoniacos et aliter inordinatos sacerdotes. Et illis potest fieri responsio ad objectum: quod Christus non voluit scilicet institutive vel praeceptive, quod sacerdotes sui circa missationem utantur talibus exterioribus specialibus et legalibus vestimentis. Sed voluit, ut sacerdotes sui induti sint vestimentis spiritualibus, quos late apostolus declarando Timotheo episcopo ita dicit: oportet episcopum esse irreprehensibilem, sobrium, ornatum et caet. In quibus docet eos, qualiter debeant in domo domini, id est in ecclesia ministrare. Ecce, quomodo ipse vestimenta legalia sacerdotum ad spirituales virtutes, quibus indui debent evangelici sacerdotes, interpretatur. Quod autem Origines ponens cum propheta alia esse sacerdotum legalium vestimenta, in quibus populum sanctificabant, per illa intelligat virtutes spirituales, quibus interius induci debent evangelici sacerdotes, solus in homilia una loquens de indumentis sacerdotum ita scribit: Induantur sacerdotes, ordinetur et pontifex, quorum indumenta quae sint, et qualia in alio loco propheta pronuntiat et dicit: sacerdotes tui induantur justitiam. Sunt ergo ista omnia indumenta justitiae. Et iterum Paulus Apostolus dicit: Induimini dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis ad concupiscentias. Et iterum: Induite vos opera misericordiae. Ecce indumenta justitiae nobiliora. Ista ergo sunt ornamenta, quibus ornatur ecclesia. Haec Origenes. Et in alio loco super levitico homelia 6. adhuc idem Origenes scribit: Consideremus, quae sunt illa indumenta, quibus induit Moyses fratrem suum Aaron et pontificem primum; si forte etiam possibile sit tibi indui eisdem vestimentis et esse pontificem. Induit ergo illum, quali indumento? tunica inquit, et praecinxit eum zona. Et iterum: vestivit eum tunica talari, vel ut alibi legimus interiori. Duabus, ut video, tunicis per Moysem induitur pontifex. Sed quid faciemus, quod Jesus sacerdotes suos, id est apostolos nostros prohibuit uti duabus tunicis et dixeramus, quod Moyses et Jesus, id est lex et evangelia sibi invicem consonarent.

Posset forte dicere aliquis: Quia quod praecepit Jesus duas tunicas non babendas non est contrarium legi sed perfectius lege; sic et cum lex bomicidium vetat, Jesus autem iracundiam resecat; et cum lex probibet adulterium, Jesus etiam concupiscentiam cordis abscidit. Sic ergo videatur et duabis uti tunicis pontificem, binc unam apostolos induisse. Et subdit magis ad propositum: Mibi adbuc ex ista forma videtur ostendi, pontifex est, qui scientiam legis tenet, id est unius cujusque mysterii intelligit rationes; et ut breviter expliccm, qui legem et secundum spiritum et secundum literam novit. Sciebat ergo pontifex ille, quem tunc ordinabat Moyses, quia esset circumcisio spiritualis, servabat tamen circumcisionem carnis, quia incircumcisus pontifex esse non poterat. Habebat ergo iste duas tunicas, unam mysterii carnalis et aliam intelligentiae spiritualis. Sciebat quia et sacrificia spiritualia offerri debent Deo, offerebat tamen nibilominus et carnalia; non enim poterat esse pontifex eorum, qui tunc erant, nisi hostias immolaret. Ita ergo convenienter ille pontifex duabus tunicis uti dicitur; apostoli vero, qui dicturi erant: quia si circumcidamini, Christus vobis nibil prodesset; et qui dicturi erant: Nemo vos judicet in cibo et in potu, aut in parte diei festi aut neomenio, aut sabato, quae sunt umbrae futurorum. Isti ergo, ut bujuscemodi secundum legis literam observantias penitus repudiarent, nec occuparent discipulos Judaicis fabulis et imponerent eis jugum, quod nec ipsi, nec patres eorum portare poterunt, merito babere duas tunicas probibentur, sed sufficit eis una et haec interior; nam istam, quae foris est, et quae desuper apparet, legis tunicam nolunt, unam namque eis Jesus hanc interiorem habere permittit. Haec per totum Origines; aliter quam ipsum nostri adversarii ipsi capiunt, solus in bis suum sensum et intellectum exprimit et ponit, alia sacerdotum evangelicorum indumenta et ornamenta specialia, quam Pragenses magistri et sacerdotes eum praetendere dicunt. Et boc idem praetendit Jeronymus ad Nepotianum scribens, quem saepe magister Jacobellus contra ceremonias legis veteris observare volentes allegare solebat, et specialiter in tractatu illo suo saepius nominato, quamdiu in ista materia nobiscum idem sensit, allegat sic dicentem: Neque vero mibi aliquis opponat dives in Judaea templum, mensas, lucernas, thuribula, patellas et caetera ex auro fabricata, tunc haec probantur esse a Domino, quando sacerdotes immolabant et sanguis pecudum fuit remissio peccatorum. Quamquam haec omnia praeces-

serunt in figura scripta sunt propter nos, in quos fines saeculorum devenerunt. Nunc vero cum paupertatem domus suae pauper dominus dedicaret, portemus crucem, divitias lutum putemus. Quid miramur, quod Christus vocat iniquum mamona, quid suscipimus et amamus, quod Petrus se non habere testatur. Alioquin si tantum litteram sequimur, in auro et divitiis simplex nos delectat historia, cum auro observemus et caetera, ducant pontifices sibi uxores virgines, et quamvis sit sanae mentis, qui cicatricem babuerit et deformis privetur sacerdotio, lepra corporis vitiis animae praeferatur. Crescamus et multiplicemus terram, immolemus agnum, figamus septimo mense tabernaculum et solemne jejunium buccina concrepemus. Quod si haec omnia spiritualia spiritualibus comparantes sentientesque cum Paulo, quod lex spiritualis est et Davidis verba cantantes: Revela oculos meos et considerabo mirabilia de lege tua, sic intelligamus, ut Dominus quoque intellexit et interpretatus est, sabbatum autaurum repudiemus cum caeteris superstitionibus Judaeorum, aut si aurum placet, placeant et Judaei, quos cum auro aut probare nobis necesse est, aut damnare. Haec Jeronymus, iterum aliter intelligens de his, quam magistri nostri adversarii; ex cujus verbis patet, quod sacerdotes evangelici non obligantur ad vestimenta legalia observanda secundum litteram, sed nec ad alia multa quae exprimit evidenter.

Et miramur, quod adversarii de vestimentis specialibus sacerdotum legalium capiunt Ezechielem, in eo, quod placet cordi eorum ad litteram, sed quod ibi statim in eodem capitulo contra eos est, et quod eorum displicet voluntati ad litteram non observant. Quia immediate post verba allegata propheta dicit: Caput autem non radent, neque comam nutriant, sed tondentes attondent capita sua et vinum non bibet omnis sacerdos, quando ingressus est atrium interius. Durum esset hoc magistris et sacerdotibus Pragensibus ad litteram observare; sed vestimenta pretiosa, in quibus delectatur corpus, in quibus se ostendant coram hominibus, et velut columbae circumducant, ad litteram cupiunt observari. Et si allegantur doctores sancti in contrarium; dicimus, quod doctores, qui temporibus illis viguerunt, in quibus jam ritus illi observabantur, licet loquebantur de ipsis, ipsos mysticantes, nullibi tamen in suis scripturis tradunt, quod Christus vel sui apostoli nos ad observandum circa missationem ritum modo usitatum a magistris et sacerdotibus Pra-

gensibus sub praecepto obligarent. Et scitur, quomodo multa mala temporibus sanctorum doctorum tolerabantur in ecclesia, quae ipsi ex consuetudine sic currente excusabant, quorum plura jam a magistris et sacerdotibus Pragensibus non observantur. Ideo nihil probant per hoc, quod ipsi istum ritum sic mysticaverunt. Nec multi sunt sacerdotes, istos ornatus induentes, qui solliciti sint servare ea quae per illa significantur; imo pauci sunt, qui noscant eorum intentionem, qui tales instituebantor natus. Quodsi mysticatio placet, et sacerdos vult per ista extrinseca docere populum, adsint missationi suae lupi, qui significent populo, quod si quis falsus propheta sit in veste ovili veniens, intrinsecus autem lupus rapax, ipsum fugiant; adsit et mola asinaria, quae significet populo, ut si scandalosa fuerit, collo ejus suspendatur et mittatur in profundo maris; adsit mensa numularia, ut si viderint eum symmoniace pecuniam congregantem, expellatur. Et sic de flagello et per singula alia discurrendo. Sed grave esset illa omnia cuilibet missationi cumulare. Etsi magister Jacobellus cum aliis sibi adhaerentibus illa omnia, quae scripta sunt, effugere volens, velit dicere: verum est, quod ego scripsi et praedicavi, quod sancti in primitiva ecclesia sine talibus vestimentis exterioribus jam consuetis et sine ritu longo modo usitato missaverunt; et nunc missare possent fideles sacerdotes in hoc caeteris paribus non peccantes. Sed ego intelligo, quod hoc possunt in necessitate, non autem sic communiter et passim. Ad hoc respondentes dicimus, quod apostoli et alii sancti in ecclesia non tantum in articulo necessitatis, sed communiter sic missabant, in hoc non peccantes, ut ipsemet mag. Jacobellus in suo saepe memorato tractaculo attestatur. Jam ex istis quilibet, qui vult, intelligere potest, quod nostrum fundamentum, super quo nostra scripta fundamus, stat immobile, quod eorum instantiae movere non potuerunt, quia durum est eis contra stimulum calcitrare. Det ergo Deus in hoc et in omnibus aliis cuilibet suam cognoscere beneplacitam voluntatem Amen.

C. 6.

Rescriptum et replica magistrorum Pragensium contra scriptum sacerdotum Thaboriensium antedictum.

Postea magistri Pragenses hoc praemissum scriptum sacerdotum Thaboriensium tentantes improbare, auctoritates quasdam per modum tractatus in unum volumen satis dispendiosa prolixitate compegerunt,

et publice in universitate Pragensi pronuntiari fecerunt, quod eorum scriptum sive tractatus sequitur in haec verba: Cum firma fide credendum est, quod in novissimis diebus instabunt tempora omnibus temporibus ante decursis periculosa, ita ut discedentes quidam a fide attendant spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum in hypocrisi et palliatione sanctitatis loquentes mendacium; quos etiam Salvator Matth. 24. diligenter praenotat, utique in consummatione et fine mundi venturos dicens: Surgent falsi et pseudochristiani et pseudoprophetae, et dabunt signa et argumenta suae sanctitatis in terra tam apparentia et exquisita, ut virtutes coelorum et fundamenta universae ecclesiae moveantur, et si fieri potest, electi seducerentur a fide Christi. Quodsi electi Dei tunc erunt in periculo suae salutis, ne decipiantur, quantam operam, quantam sollicitudinem et quam ex omni parte provisam plenum oculis ante hoc est anteriores sanctos respiciendo et ad omnem situm positionis suae darent fideles, si quomodo possent in ipsis periculosissimis temporibus ex integro fideles absque corruptione vivere et ita caute, ut apost. Ephes. 4. docet, in tanta multiplicitate viarum et adinventionum modo praesumtarum opinionumque infundatarum lubricantium vias sanctas ambulando non impingere et se in integritate fidei conservare. Quod faciet quidem unusquisque, si ut Paulus obsecrat, digne ambulabit vocatione, qua vocatus est, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, sollicitus servare unitatem spiritus in vinculo pacis, non ut parvulus fluctuans et circumactus omni vento doctrinae, sed veritatem faciens et tenens caput, ex quo totum corpus ecclesiae compactum et connexum per omnem juncturam augmentat ecclesiam, sed nec seducendo in humilitate et in religione angelorum loquendo, quae nescit, praedictas juncturas ecclesiae absque causa dividit et dirumpit. Quod ne fiat et silentium nostrum ecclesiae ne damnum pariat, restat modo ostendere supposita ante omnia domini caritate, quam offendere mortem putamus nihil intentantes ad partium dejectionem et contemptum, sed ad stabiliendum unitatem et veritatem Jesu Christi.

C. 7.

Quaestio magistrorum.

An sacerdotes Christi possunt sacras missas eo ritu, quo nunc per orbem geritur, in vasis et vestibus non ad usum communem sed

ad sacrificandum specialiter deputatis circumscripto ab eis omni peccato licite et meritorie celebrare. Pro quo probando suppono inprimis velut fidei principium: Quod omnis institutio Dei aut sanctae matris ecclesiae legem Dei non destruens, sed adjuvans, quam exequi non est de se peccatum, est a fidelibus observanda. Ista suppositio, quamvis non eget probatione apud fideles maxime pro illa parte: quod omnis institutio legem Dei adjuvans etc.; probatur tamen auctoritate salvatoris, Matth. 18, ubi salvator sub gravi anathemate mandat obedire ecclesiae dicens: Si autem quis non audierit ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Et merito; qui enim contumaciter despicit et inhonorat matrem suam ecclesiam primitivam, cui Salvator Christus primam post se in terris dignitatem contulit, cum thronum matris juxta thronum suum collocat, cui et autoritatem et potestatem, regimen et fidem, imo claves regni coelorum, quibus claudit coelum et aperit infernum una cum universis thesauris coeli et terrae tradidit, et ipsam in articulum fidei post apostolos credendam reposuit, et cui universam dispositionem morum et dignitatum religioni Christianae profuturam recommisit, et praeceptis seniorum eorum obedire districte jussit et mandavit; hanc ergo tot dotibus et donis a Deo muneratam et donatam contemnere et contrarie sibi velle aliquid agere est conditione nedum ethnici et publicani, sed sathanae et serpentis, qui ejus calcaneo multis figmentis et adinventionibus praesumtis semper insidiatur. Ideo de quolibet tali merito dicit salvator: Si autem quis non audierit ecclesiam, scilicet in omnibus licitis acceptandis et illicitis fugiendis, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Item Deuteronomii 17. reperiesque sententiam eorum non declinando ad dexteram neque sinistram, qui autem superbierit, et obedire noluerit, morietur homo ille. Et ad idem Matth. 23. Super cathedram in locum regiminis sedebunt scribae et pharisaei, omnia quaecunque dixerint vobis, servate et facite, intelligendo scilicet omnia mandata rationabilia legis Dei vel salutis vul caritatis promotiva. Et hoc dicit apostolus Rom. 14. Quae autem aedificationis sunt, invicem custodite. Idem Rom. 13 et Hebr. 13. primo Petri 2., ubi obedientiam praecipit apostolus, nedum bonis et modestis, sed discolis et pravis in licitis et honestis exhibendam. Ex qua suppositione sic arguitur: Omnis institutio Dei aut sanctae matris ecclesiae legem Dei non destruens sed adjuvans, quam exequi non est de se peccatum, est a fidelibus observanda; sed institutio de vestibus ad

sacrificandum sacerdotibus specialiter deputatis est dei institutio et sanctae matris ecclesiae primitivae legem dei non destruens, sed adjuvans, quae non est de se peccatum; igitur talis institutio est a fidelibus observanda. Major est probata; sed minor habet 4. partes; una est, quod hujusmodi institutio de vestibus non est peccatum, et quia hoc nobis concedunt Thaborienses, igitur hoc non probamus. Sed quod sit adjuvans legem Dei et non destruens, et quod sit institutio sanctae matris ecclesiae, hoc probabitur passim per omnia infra dicenda. Sed quod institutio de vestibus specialibus ad sacrificandum sit Dei institutio, probatur Exod. 28. ubi sic dicit dominus: Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam et decorem, in quibus sanctificatus ministret mihi. Et infra: Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis et baltheos in gloriam et decorem; uteturque eis Aaron et filii ejus, quando ingredientur tabernaculum testimonii, vel quando appropinquat ad altare, ut ministret in sanctuario. Et idem patet Ezech. 42 et 44, ubi sic dicitur: Cum autem ingressi fuerint sacerdotes, non egredientur de sanctis in atrium exterius, sed ibi reponent vestimenta sua, in quibus ministrant, quia sancta sunt, vestienturque vestimentis aliis et sic procedent ad populum. Et idem recte dicitur 44. Ezechielis. Sed ne sacerdotes Thaborienses possent detractare de nobis, scilicet quod secundum nostrum proprium sensum istas scripturas exponeremus ad litteram, ideo recurrimus ad generalem sensum scripturae sacrae, scilicet glossam ordinariam, cui tanquam mediatrici inter concertantes de sensu scripturae sacrae est potius standum, quae super verbo: cumque ingredientur, dicit: Vestibus lineis utebantur Aegyptii sacerdotes non solum extrinsecus sed et intrinsecus, religio autem divina alterum habet habitum in ministerium alterum in usum. Item super verbo: caput suum non radent, dicit glossa interlinearis: id est: ut nec rasis capitibus sint, sicut sacerdotibus et custodibus Isidis et Serapidis mos est, nec rursus comam dimittent, quod proprie luxuriosorum est et barbatorum et militantium; sed sit honestus habitus sacerdotum. Et loquitur ad scripturam apostoli conformiter, quae dicit: episcopum esse debere nedum spiritualiter sed etiam corporaliter irreprehensibilem, unius uxoris virum, sobrium, hospitalem, ornatum, ubi dicit glossa ordinaria Hieronymi ornatum in virtutibus vel in motu vel in incessu, habitu et sermone. Item super verbo: Exuent se vestimentis etc. dicit glossa ord. ibidem. Unde diximus, non quotidianis et quibuslibet vitae

communis pollutis vestimentis nos ingredi debere sancta sanctorum, sed mundis vestibus et munda conscientia tenere domini sacramenta. Haec glossa; ex qua patet sensus sacrae scripturae juxta expositionem non nostram, sed juxta expositionem ecclesiae sanctae catholicae universalis, propter quam nemo, nisi tumidus et superbus, poterit nos in hujusmodi sensu incusare. Et pro certo haec est plane *luciferina superbia*, scripturas quascunque veteres ad sensus, qui eis placent, omnibus acceptandos allegare. Sed sensus totius ecclesiae et interpretationem omnium despicere, ubi placet, ibi legem et prophetas ad litteram capere, ut (de) exustione ecclesiarum et subversione altarium et dotium, de occisione, spoliatione, rapinis et aliis. Et ubi alius contra eos allegat legem et prophetas, etiam si secundum sensum sancti Petri et Pauli nedum ecclesiae exponeret, nolunt acceptare, sed aut moralisare, aut irridere. Ut autem sit rota in rota et sensus legis veteris in sensu novae legis, probatur hoc factum ex opere Christi, quo Joannis 13. aliis vestimentis usus est circa servitia corporalia et aliis circa sacramentorum ministeria, quod utique fidelibus facit fidem, quod aliis vestibus uti debemus ad usus communes hominum et aliis ad eucharistiae ministerium juxta dictum Exechielis et Gloss. ord. testimonium, quae dixit, non quotidianis sed mundis et specialiter deputatis ad ministerium sacramentorum nos debere uti vestimentis. Quod autem vestes ornatae posaunt probari, ex scriptura satis patet, quia Christus est usus ornatis vestimentis et albis sicut nix in monte Thabor, ut habetur Math. 17. et Marc. 9. dicitur, quod vestimenta ejus facta sunt splendida et candida nimis sicut nix, et qualia non potest fullo super terram candida facere. In quibus cum Christus deo patri placuit in oratione, cur sacerdotes Christi non poterint ei quodammodo in similibus vestibus sic placere. Item non peccavit, sed laudatur justus Joseph ab Arimathia, qui mercatus sindonem mundam, ut habetur Marc. 15 deputavit eam ministerio et obsequio corporis Christi, et ponens corpus Christi in monumento novo, in quo, ut dicit Joannes et Lucas nondum positus quisquam fuerat, quod utique non est gratis scriptum, sed ut doceamur, quod corpus Christi sacrificatum, et velut in ara crucis per sacerdotem elevatum et oblatum reponendum est in loco usibus humanis nondum applicato, scilicet in archa vel in altari nova sindone et munda involvendum, quae est vestis angelorum, in qua visi sunt a mulieribus Luc. 24. Adstiterunt enim duo viri in veste

fulgenti; Marcus dicit: in stola candida; Mathaeus, quod vestimenta eorum erant sicut nix, et probatur, quod vestes ornatae sunt in scriptura approbatae et praesertim in ministerio corporis Christi et vestes angelorum, qui angeli esse debent sacerdotes in altari Christi in templo velut in sepulchro ministrantes. Et patet propositum ex lege divina.

Capitulum II.

Quod autem iste sensus sit sensus ecclesiae universalis, patet ex practica ejusdem ecclesiae, quoniam omnes ecclesiae christianae per universum orbem diffusae ritu consimili utentes aliis vestimentis utuntur in sacramentorum ministratione et aliis in communi conversatione; patet discursive per omnes ecclesias potissime per *Graecam*, quae cum sit immediate apostolorum filia et discipula coaeva, nostrae vero ecclesiae Romanae magistra, per quam fides ecclesiae Romanae cum ritibus et observationibus et traditione evangeliorum primitus ad nos descendit, et mores vitae Christianae nos edocuit. In hoc esset prae omni alia moderna excogitatione potius et securius *immitanda* pro eo, quia ipsam immediate docuit apostolus nedum scripto, sed praesentiae suae faciali conversatione, oris eruditione, vitae institutione et scripturae approbatione, praecipiens eis nedum scripta sua, sed in se visa et a se audita firmiter conservare dicens (ad) Philippenses 4.: De caetero fratres quaecunque vera sunt, quaecunque pudica, quaecunque justa, quaecunque sancta, quaecumque amabilia, quaecunque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, hoc cogitate, quae et didicistis et accepistis et audistis et vidistis in me, haec agite et Deus pacis erit vobiscum. Cum ergo tot praerogativas apostolorum habet ecclesia graeca, scilicet quod didicit, ab eorum praesentia accepit, et audivit, et vidit perspectualiter super nostram ecclesiam, quae solummodo per graecam ecclesiam audita scriptotenus suscipit et credit, merito in ritu praetacto foret a nobis immitanda, nec solum ipsa, sed etiam indica, asiana, armenica et aliae in quibus apostoli praesentialiter conversati sunt; non enim ex praedicto textu patet, apostoli omnia scripserunt, sed et visa et dicta teneri mandaverunt, videlicet 2. Thessal. 2.: Itaque fratres state et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. Et utique tenemur istas ecclesias in omni licito, quod de se non est peccatum, imitari, dicente apostolo 1. Thes. 2.:

Vos enim imitatores facti estis fratres ecclesiarum Dei. Ex quo patet, quod cum imitari ecclesias fere omnes primitivas in bono sit de laude et approbatione apostoli, quod oppositum ejus, scilicet discedere ab ecclesia universali in licito et bono dissentire est de vituperio et reprobatione apostoli et proprietas Ismael, qui extra omnes fratres posuit tentoria, manus omnium contra se provocans, et suas manus contra omnes objiciens sola ferocitatis per argumenta. Item offendere ecclesiam universalem, destruereque aliquid in ea, nesciendo nec valendo probare id esse peccatum, est contra ecclesiam peccare et matrem sine causa perturbare et inhonorare et apostoli praeceptum transcendere, qui dicit 1. Cor. 10: Sine offensione estote Judaeis et gentibus et ecclesiae Dei, sicut et ego omnibus per omnia placeo. Item institutio et observatio per omnia universalis ecclesiae de vestitu speciali praedicto pro eo, quia ab universali ecclesia est observata, est institutio apostolica dicente Augustino ad Januarium: Illa, quae non scripta sunt, sed tradita custodimus, quae quidem toto orbe terrarum observantur, datur intelligi vel ab ipsis apostolis vel plenariis conciliis, quorum est in ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicut id, quod domini passio, resurrectio et ascensio in coelum et adventus spiritus sancti anniversaria solemnitate celebratur, et si tale aliquod occurrit, quod conservetur ab universis quocunque se diffudit ecclesia. Haec ille, hoc scilicet debet ab omnibus custodiri, ut est celebratio missae sanctae in habitu et vestitu non communi sed ad hoc specialiter deputato. Et idem Augustinus dicit in edictis ad Basilium: Ecclesiasticarum institutionum quasdam in scripturis, quasdam vero apostolica traditione per successiones in ministerio confirmatas accepimus, quasdam vero consuetudine roboratas approbavit usus, quibus par ritus et idem pietatis utrisque debetur effectus; si enim attenderimus consuetudines ecclesiae, non nisi per scripturas a patribus traditas, nihil aestimare, quantum religio detrimenti latura sit despicientibus, liquido constabit. Quae enim, ut inde erudiamur scriptura salutiferae crucis signaculo fideles edocuit insigniri vel quae trifaria digesta super calicem et panem prolixae orationis vel consecrationis verba commendavit, quae orientem versus nos orare locorum forma docuit. Unde haec et alia in hunc modum non pauca, nisi tacita et mystica traditione a patribus ecclesiastico more ac reverentiori diligentia sunt in ministeriis observata magis silentio, quam publica

scriptura. Et concordat cum magno Origene Homilia 5. super Numeror. dicente: Sed et in ecclesiasticis observationibus sunt nonnulla hujuamodi, quae hominibus quidem facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet; nam quod verbi gratia genuflectimus orantes, et quod ex omnibus coeli plagis ad solam orientis partem conversi orationem fundimus, non facile puto cuiquam rationi compertum. Sed et Eucharistiae sive percipiendae seu eo ritu, quo geritur, explicandae, vel eorum, quae geruntur in baptismo verborum gestorumque et ordinum atque interrogationum, responsionum quis facile explicet rationem, et tamen omnia haec operta licet velata portamus super humeros nostros. Cum ita implemus ea et exequimur, ut a magno pontifice atque filiis tradita et commendata suscepimus. Haec ille. Ex cujus egregie dictis et Augustini colligeret quilibet fidelis, quomodo traditiones et institutiones multae descenderunt per apostolos et successores eorum posteros, quas secundum Origenem omnibus facere necesse est; et praesertim explicat de ritu eucharistiae percipiendae consecrandae.

Quod autem ritus ecclesiae missandi in gestu et vestitu debito, et ut praemissum est moderato, ab universali ecclesia sit rationabiliter observatus inceptus et continuatus, patet hoc ex auctoritatibus ejusdem ritus, sanctis directoribus ecclesiae primitivae scriptis eorum divina dispositione nobis derelictis, ad quos in omnibus dubiis sacra scriptura, velut ad patres jubet recurrere dicens: Deut. 32. Interroga patrem tuum, et narrabit tibi. Et Job. 8. Interroga generationem pristinam et diligenter investiga patrum memoriam et ipsi docebunt te loquenter tibi et de corde tuo proferent eloquia. Necesse est enim, ut dicit Doctor evangelicus libro primo de civili dominio: ex Christi gratia genus fidelium sibi succedere patribus narrantibus filiis, quae senserunt et fecerunt, inter quos primo interroga coaetaneos apostolorum et primo beatum Clementem, cujus doctrina tanto debet esse fidelior nobis et acceptior, quanto in hoc meruit esse felicior, scilicet quod beatus Paulus apostolus ponit eum in numero filiorum Dei dicens Ephes. 4., quod nomen suum cum aliis inscriptum est in libro vitae, et quanto apud beatum Petrum meruit esse inter alios virtute et scientia commendatior et gradu dignitatis et officii sublimior. Hic scripsit librum suum, qui vocatur *decreta Clementis*, in quo inter alia praeclara praecepta ecclesiae scribens beato Jacobo Jerosolymam sic dicit: Clemens ecclesiae Romanae praesul Jacobo

carissimo Jerosolymorum Episcopo: Quoniam sicut a beato Petro apostolo omnium apostolorum patre accepimus, qui claves regni coelorum accepit, aequaliter tenere debemus de sacramentis, quae geruntur in sanctis, te ex ordine nos decet instruere. Et infra: Tribus enim gradibus commissa sunt sacramenta divinorum secretorum, id est presbytero, diacono et ministro, qui cum timore et tremore clericorum reliquias corporis dominici debent custodire fragmentorum, ne qua putredo in sacrario inveniatur; ut, cum negligenter agitur, (non) portioni corporis Domini gravis injuria inferatur. Et infra: De vasis sane sacris ita gerendum est: altaris palla, cathedra, candelabrum et velum si fuerint vetustate consumta, incendio dentur; quoniam non licet ea, quae in sacrario fuerunt, male tractari, sed incendio tradantur universa. Et infra: Nemo per ignorantiam clericus palla mortuum credat obvolvendum, aut diaconus scapulas operire velit palla, quae fuit in altari, aut cute quae data est in mensa Domini; qui haec fecerit, vel leviter et quasi nihil et negligenter habuerit divina mysteria, diaconus triennio sexque mensibus a dominico alienus erit altari, gravi percussus anathemate. Et infra: Pallas vero et vela, quae in sanctuarli sordidata fuerint ministerio, diaconi cum humilibus ministris intra sanctuarium lavent, non ejicientes foras a sacrario velamina dominicae mensae, ne forte pulvis dominici corporis male decidat sindone foris abluta et erit hoc operanti peccatum, idcirco intra sacrarium ministris praecipimus haec cum sancta diligentia custodire. Sane pelvis nova comparetur, et praeter hoc nihil aliud tangant, sed nec ipsa pelvis velis apponatur lavandis, quae ad dominici altaris cultum pertinent. Pallae altaris solae in alio pelve laventur. De velis autem januarum etiam cura sit hostiariis ex admonitione majorum, ne quis negligens aut ignarus ad velum januae domus domini manu incognita tergat, sed coërcitus discat omnia homo, quia velum atrii domus Domini sanctum est. Et infra: Calicem vero ad perferendum sanguinem Domini praeparatum cum toti ministerii munditia minister praeparet, ne non bene lotus calix diacono peccatum fiat offerenti. Ita cum omni honestate cuncta, quae supra exposuimus, opportet impleri. Haec Clemens. Ex cujus egregie dictis quatuor patent fidelibus diligenter agnoscenda; primo quanta diligentia et cum tota honestate ministri domini trium graduum domini sacramenta debeant custodire. Secundo patet, quomodo praedicti ministri Domini debeant vasa sacramentorum, ut pallas altaris, candelabra,

vela non ad alios usus commnnes exponere, cujus causam innuit decentissimam, quia aliquando reliquiae corporis Domini, de quo difficillimum est praecavere, remanent in pallis. Ne ergo portioni corporis domini gravis inferatur injuria, propter hoc mandat talia intra sanctuarium cum sancta diligentia custodire, nec extra sanctuarium abluere, quod praeceptum licet dignissimum, licet a beato Petro praemandatum, licet sancta ratione vallatum, heu hoc in periculum animae suae fratres Thaborienses indiscrete transcendunt, dum aut absque omni strato in communibus lapidibus admotis sacramenti cumulos conficiunt et inevitabiles minutas pecias illuc derelinquunt, aut in stratis linteis, *in quibus multa inhonesta et turpia quandoque contingunt*, et quae eis conceduntur et exponuntur, conficiunt sacramenta, et si quid in eis peciarum relictum est, quod inevitabile est, inhonestati supradictae relinquunt. O nefas stultitiae inauditae, indignum narratione et horrendum cogitatione.

Tertio dicit sanctus iste papa, quod vela januarum domus domini, quae oppandunt altaria, ut moris est in Graecia, debent diligenter custodire, ne in alios usus deveniant, quia vela atrii domus domini sancta sunt.

Quarto: qualiter calix domini debeat cum tota munditia ministerii praeparari, et non in communibus vasculis ubicunque arreptis sanguis domini consecrari. Si quis autem dicta hujus Sancti non crediderit, vera esse, aut non esse Clementis adstruxerit, testis est contra illius temeritatem universalis ecclesia, quae illa in librum generalium conciliorum imposuit et in decreta ecclesiae, nt de Con(stitutionibus?) prima annotavit, cui in hoc discredere consimile foret, ac si non crederet de universis libris testamenti, de libris Dionysii, Origenis, Cypriani et aliorum, qui ejus testimonio auctoritatibus illis annotantur. Item ad idem sanctus Anacletus contemporaneus Clementis et successor immediatus et beati Petri discipulus in suis decretis sic scribit: Anacletus servus Jesu Christi in apostolica sede a domino constitutus et a sancto Petro, apostolorum principe presbyter ordinatus, omnibus episcopis et reliquis Christi sacerdotibus salutem; idem ibidem scribit: Deo enim perfecte sacrificantes non debent vexari sed supportari, consolari atque ab omnibus venerari. Ipsi autem, quando domino sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, ut domino perfecte in sacratis Deo sacrificare locis probentur. Ait namque auctoritas legis divinae;

vide ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in loco, quem elegit dominus. Episcopus Deo sacrificans testes, ut praefixum est, secum habeat et plures quam alius sacerdos; sicut enim majoris honoris gradu fruitur, sic majoris testimonii incrementatione indiget. In solemnioribus diebus quippe aut septem aut quinque aut tres diaconos, qui ejus oculi dicuntur, et subdiaconos atque reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis in fronte et a tergo et presbyteri a regione dextera laevaque contrito corde et humiliato spiritu ac prono solent vultu custodientes eum a malevolis hominibus et consensum ejus praebeant sacrificio. Haec ille; ex quo patent tria; primo, quod episcopus et sacerdos debent habere testes in sacrificando, ut probentur erga tantum et tam tremendum sacramentum omnia recto ordine se explere. Secundo patet, quod in locis ad hoc consecratis debeant sacrificare. Tertio patet, quod sacerdotes et diaconi non communibus, sed sacris induti vestibus debent altari sacrificantis assistere. Ex quo plene probatur propositum, scilicet quod ad sacrificandum speciales vestes et sacrae sunt deputandae. Et iste sanctus dicit se in his edoctum a beato Petro et ab aliis apostolis et a beato Clemente, suo, ut dicit, praedecessore et martyre. Unde ad idem sanctus Anacletus sic scribit: Anacletus Episcopus universis episcopis in Italia constitutis. Quoniam apostolicae sedis debitam reverentiam erga me caritas vestra discernit, quia plurimum carissimi filii praebuistis; nam licet ecclesiae, in qua sanctus apostolus praesidens docuit quodam modo nos gubernacula teneamus, tamen profitemur nos honore et sanctitate minores esse. Et infra: Et ut a beato Petro principe apostolorum sumus instructi, a quo et presbyter sum ordinatus, scribere vobis, sicut petistis, non denegabimus; ordinationes episcoporum auctoritate apostolica ab omnibus, qui in eadem fuerint provincia episcopis sunt celebrandae, qui simul convenientes scrutinium diligenter agant, jejuniumque cum omnibus precibus celebrent et manus cum sanctis evangeliis, quae praedicaturi sunt, imponentes, dominica die, hora tertia orantes, sacraque unctione exemplo prophetarum et regum capita eorum more apostolorum et Moysis ungentes, quia omnis sanctificatio constat in spiritu sancto, cujus virtus invisibilis, sancto est crismati permixta; et hoc ritu solemnem celebrent ordinationem. Haec ille. Et patet, quod ille sanctus a beato Petro ordinatus dicit episcopum more regum et prophetarum et more Moysis consecran tis

Aaron, et more apostolorum ritu solemni esse ordinandum. Et ad idem est Stephanus Papa successor Anacleti, qui videlicet in eodem libro conciliorum sic statuit: Vestimenta vero ecclesiastica, quibus domino ministratur, et sacrata esse debent et honesta, quibus aliis usibus nemo debet frui, quam ecclesiasticis et adeo dignis officiis, quae nec ab aliis debent contingi aut ferri, nisi a sacratis hominibus, ne ultio, quae Baltbasar percussit, super hoc transgredientibus et talia praesumentibus veniat divina et corruere faciat eos ad ima. Haec ille. Et ad hoc est beatus Hieronymus super Daniel; qui etiam transsumptive ponitur in Glossa Ord. super verba: Praecepit autem rex, ut afferrentur vasa templi, ut biberet in eis rex et optimates ejus, et uxores ejus et concubinae ejus, sic dicit: Dum vasa fuerant in idolio Babylonis, non est iratus Dominus, quia videbantur secundum opinionem suam pravam ea cultu consecrasse divino; sed postquam divina humanis usibus contaminantur, mox sacrilegi poena consequitur. Haec ille; ex quo patet, quod ex quo Sancti a beato Petro docti una cum doctoribus ecclesiae in ritu supradicto de vestibus et vasis fundant se saepissime in lege veteri diviuitus instituta, quod non est nobis temerarium, nec est adulterare scripturas, pro ritu et vestibus, consimiliter ad exemplum potius legis Dei a sanctis exemplatam allegare, quam in fundatis quaerere aut fingere, aut sequi praesumtiones novellorum, dummodo circumscribantur a talibus ritibus, qui sunt oneris aut superfluitatis in lege nova paucis ac facillimis pro ministerio derelictis; non enim talia fiunt, ut lege veteri praecepta, sed ut ipsa lege exemplata et ut legi novae conveniant, et quomodo conveniunt observanda. Item ex sexta synodo universali sic legitur: Jacobus frater domini secundum carnem, cui primum tradita est Jerosolymitana ecclesia et Blasius Caesariensis Episcopus, cujus claritas per totum orbem refulsit, addiderunt nobis missae celebrationem et babetur transsumtive de G. Sc. di. 1. ubi dicit glossa: addiderunt, id est ordinem celebrandae missae constituerunt; verba enim ab ipso domino sunt tradita sed post alii alia addiderunt ad decorem et solemnitatem. Haec glossa. Nec boc videatur cuiquam contradictorium, cum dicatur Ecclesiastici 21: Verbum sapiens quodcunque audierit sanctus laudabit et adjiciet. Et ista synodus concordat cum dictis Clementis et Anacleti, qui duo scripserunt in illa materia et e contra in decursu decretorum scriptorum per eosdem. Et ad idem in quodam libro vetustissimo, qui vocatur

sanctoralis, qui ab Eusebio commendatissimo historiographo translatus est, sic legitur: historiographus noster Eusebius Caesariensis Palestinae Episcopus cum historiam ecclesiasticam scriberet, praetermisit ea, quae in aliis opusculis, vel quae se meminit retulisse, nam XX libros, id est duas decades omnium pane provinciarum, passiones martyrum et episcoporum et confessorum et sacrarum virginnm continere fecit, demum secutus ab apostolo Petro omniumque episcoporum nomina vel gesta conscripsit et earum urbium, quae arcem pontificatus per apostolicas sedes tenere noscuntur, urbis Romae, Jerosolymae, Ephesi, Alexandriae, harum urbium episcoporum et omnium praeteritorum usque ad tempus suum gesta graeco sermone conscripsit; ex quorum numero VIII. episeopum urbis Romae Sylvestrum me de graeco in latinum transferre praecepisti domine sancte ac beatissime pater. Et infra posita vita sancti Sylvestri sic scribit: hic eum quotidie in divinis laudibus et orationibus ageret, omnibus diebus dominicis specialiter adhaerebat; hinc quando accessisset ad sacrificanda mysteria Christi, candidissimo collobio induebatur, quod collobium sancti Jacobi apostoli esse perhibebat; dicebat enim justam esse hanc rationem simul et reverentiam, ut dum ad divina ministeria sacerdos assistit, bis utatur vestibus, quae habitum apostolicum in sacerdote exhibeant. Sicque factum est, ut a sancto Silvestro episcopo et a presbyteris et diaconibus ejus collobiorum usus sumeret initium, quo Marcus et Julius et Liborius eo ordine usi sunt; sed quia brachiorum nuditas culpabatur a quibusdam, post collobia in dalmaticas commutata sunt. Haec ibi; ex quo patet, quod commendatissimus a beato Hieronymo historiographus iste Eusebius graecus testis est, quod Jacobus candidissimo utebatur collobio in sacrificando. Et summarie ex isto capitulo patet, quod beatus Petrus, Jacobus, Marcus, Clemens et Anacletus aliis vestibus et vasis usi sunt in sacrificando et aliis communiter in conversando.

Capitulum IV.

Ut autem sacri testes testibus respondeant, et ut fideles nedum in ore duorum vel trium testium idoneorum, sed plurimorum illustrium virorum fidem capiant, et ex doctrina Christi domini sui hoc mandantis, qui dicit: in ore duorum vel trium stet omne verbum, inconcusse credant veritati approbatae, ideo ad hanc materiam confirmandam scribit beatus Dionysius libro de ecclesiastica hierarchia capitulo I.

dicens: Hierarcha quidem orationem sanctam super divinum altare perficiens ex ipsa thurificatione incipiens ad omnem chori velut sancti ambitum, revolvens vero rursus (se) ad sanctum altare incipit a sancta psalmorum melodia concinente ipsa psalmorum melodia cum ecclesiastico ornatu. Haec ille; etiam quod ante initium missae concinebat Hierarcha psalmorum sancta eloquia cum omni ecclesiastico ornatu. Et ad idem dicit infra, capitulo X. Nunc autem sicut ab imperfectis distinguit perfectum scilicet institutio rituum ecclesiastica et beatorum ornatum sacrorum providens et cathechumenorum in lucem educi omnem et vitam in deiformi hierarchicorum ordine: ubi glossa, institutio ecclesiastica distinguit ab imperfectis perfecta tam sacramentis providens reverentiam, quam cathechumenis ordinatam eruditionem in lucem et vitam. Et patet, quod institutio ecclesiastica providet bonum ornatum sacramentorum, id est: solemnitatem et reverentiam exteriorem. Et ad idem dicit capitulo primo de baptismo dicens: Ille vera sicut super humeros cum laetitia ovem recipiens virum veneratur quidem prius per intellectualem gratiarum actionem et corporalem adorationem, unum, cujus est bonum, operari principium, a quo vocantur et salvantur, qui salvantur, demum omnem sanctum ornatum ad cooperationem quidem viri salvationis et solemnitatem et gratiarum actionem divinae bonitati, ad sanctorum chorum congregans. In principio quidem hymnum quendam in eloquiis positum simul cum omnibus ecclesiae plenitudinibus decantat; ubi vult quod hierarcha hilariter suscipiens ovem perditam gratias agit Deo uno, cujus est bonum principium ubique operari, demum congregat ad sanctorum horum omnem sanctum ornatum, qui est ad cooperationem salvatoris viri(veri)et solemnitatem baptismi et gratiarum actionem divinae bonitati, et in principio decantat hymnum quendam in eloquiis sacrae scripturae positum cum omnibus ecclesiae plenitudinibus, id est: cum pleno ministerio ecclesiae erga baptismum habito sancta ornatu ecclesiae in hierarcha[1]). Convenienter capitulo ultimo de ornatu baptismi sic dicit: Demum autem luciformes vestes imponit ei, qui perficitur; et cum materiali et deiformi contrariorum impassibilitate et consensum ad unicum in fortitudine in ornatu ornatur, et informe formicatur, luciformis viriliter vita splendida factum; ubi glossa: vestis autem splendidae inductio, quae circumponitur ei, qui baptizatur, significat, quod

[1]) Istud magistri adducunt, quod nec est in textu, nec in glossa.

sicut virilis, id est virtuosus et Deiformis factus de caetero non subjacebit passibilitati vitiorum; et quod in fortitudine spiritus consentiet uniformiter vivere, ut sicut ejus vestis est tota candida, ita ejus vita tota sit splendida. Ex quibus dictis patet, quod isti sancti magis apostolorum coaetanei et veri discipuli nedum erga baptismum et eucharistiam, sed erga omnia sacramenta observabant solemnitatem exteriorum in gestu, vestibus et ritibus, nedum per interiora, sed per exteriora honeste et solemniter acta, domini laudem adaugebant; et propter hoc, quia devotionem populi provocabant et per gravitatem et honestatem, quam semper ad sacramenta exterius gerebant, populi ponderositatem velut per signa congrua ad sacramenta erigebant. Et ad idem est egregius doctor et psaltes in Israel Origenes, qui homelia 6. super Levitico dicit: Unde arbitror aliud esse in sacerdotibus officio fungi, aliud instructum esse in omnibus et ornatum; quamvis enim potest solemni ministerio fungi ad populum, pauci tamen sunt, qui ornati moribus, instructi doctrina, sapientia eruditi ad manifestandam veritatem rei peridonei, et qui scientiam fidei non sine ornamento sensuum et assertionum fulgore depromant. Haec ille; ex quo planissime liquet, quod iste sanctus ponens differentiam inter ornatum et solemnitatem exteriorem et interiorem de primo dicit, quod quivis sacerdotum potest solemni ministerio fungi ad populum in exteriori ornatura; sed pauci sunt, qui intus moribus exornantur. Cum ergo nihil possumus, nisi quod de jure possumus, patet propositum. Et ad istum sensum praedicta auctoritas Origenis imponitur ad glos ordin. ut conformet sensum ecclesiae utilem. Et super hoc verbo: filios quoque ejus oblatos vestivit tunicis lineis. Levitico; et idem dicit idem Origenes Homelia 4. super Levitico: Observandum tamen est, quod aliis indumentis sacerdos utatur, dum est in sacrificiorum ministerio, et aliis dum procedit ad populum. Ecce quod dicit, observandum est, id est: debet observari, licet postea verba sua mysticat, ac a literali sensu ad spiritualem utiliorem deflectit dicens, de praesenti observandum est, quoad literam, sed de praeterito spiritualiter dicit; hoc faciebat Paulus scientissimus pontificum, qui cum esset in coetu perfectorum tanquam intra sancta sanctorum positus est et stola perfectionis indutus dicebat: Sapientiam loquimur inter perfectos et caetera. Nec hoc mirum, cum mos iste est, huic doctori per totum librum suum aliquando simplici, aliquando bino, aliquando trino aut quaterno sensu, quod unam et ean-

dem exponat literam, aut velud fidelis dispensator aucta talenta dominicae mensae accumulet et apponat. Caveat ergo hic a detractione et blasphemia fratrum frater Tbabor, ne in quo judicio detrahit, detrahatur, et aut secundae auctoritati credat super primam, aut primam teneat et secundam non blasphemet; quod si ambabus non credet, primae, secundae, credet tertiae, quae Homelia 6. in fine dicit: quod sacerdos non debet ad bella vadere nec contra inimicos pugnare, sed orare. Sed hoc dimisso ad praesens procedendo ulterius ad propositum. Ad idem conformiter Origeni et Dionysio beatus ille et utique aureus Joannes Chrysostomus Morali suo 5. sic scribit: Etenim corpus propositum est nobis non vestimentum solum et corpus, sed ut commendamus (?) et induamur. Et infra: Credite itaque, quoniam et nunc ista coena, in qua et ipse recubuit, nihil omnino ab hac ista differt; neque enim hanc quidem homo operatur, illam autem ipse. Cum igitur sacerdotem dantem tibi videris, non sacerdotem esse aestima, quoniam hoc fecerit, sed manum Christi esse, quae extenditur. Et infra: Audiamus itaque et sacerdotes et qui regimur, quo digni facti sumus, audiamus et horrescamus, carnibus suis impleri dedit nobis se ipsum, apposuit immolatum; quae inerit excusatio nobis, cum talia cibati talibus peccamus, cum agnum comedentes lupi facti sumus cum ove cibati sed ovem rapimus; hoc enim ministerium non solum a rapina sed a nuda inimicitia mundos jubet esse semper; etenim pacis est mysterium. Et infra: Judaeis ergo solum unumquemque annum remunerationis propriorum beneficiorum in solemnitatibus dedit Deus, tibi autem secundum unamquamque, ut ita dicam, diem per haec mysteria. Ne igitur verecundetur in cruce, haec enim sunt honesta nostra, haec sunt nostra mysteria, hoc ornamur Deo, hoc decoramur. Et si dicam, quoniam coelum tetendit, terram et mare expandit, prophetam et angelos misit, nihil huic aequalia dicam; capitulum enim nostrorum honorum hoc est, quoniam filio suo non pepercit, ut alienatos filios salvat. Nullus itaque Judas huic assistat mensae, nullus Simon, etenim utrique hi per amorem pecuniae perierunt. Fugiamus itaque hoc baratrum, neque existimemus nobis sufficere ad salutem, si viduas et viduos exuentes calicem aureum et lapidibus conglutinatum offeramus huic mensae; si enim vis honorare sacrificium, animam tuam offer, propter quam et sacrificatum est, hanc auream fac, si autem ipsa fuerit plumbo et ostrato deterior, vas autem aureum, quae est utilitas? neque itaque

hoc intucamur, qualiter aurea offeramus vasa solum, sed qualiter ex justis laboribus, haec enim sunt auro omni praeciosiora, quae et sine auro sunt; non enim auri, neque argenti fusorium est ecclesia, sed celebritas est angelorum. Ideo animabus est opus nobis, etenim et hoc propter animas excipit Deus.

Non fuit ex argento mensa illa tunc, neque calix ille argenteus vel aureus, ex quo dedit Christus discipulis suis sanguinem suum, sed praeciosa erant illa omnia et terribilia, quia spiritu plena erant. Vis honorare Christi corpus, ne despicias illud nudum existens, neque hoc quidem sericis honora vestimentis, foras autem a frigore et nuditate corruptum descipicias. Et infra: Ita et tu cum hoc honore honora, quem ipse in legislatione deduxit in pauperes consumens divitias; neque enim opus habet vasis aureis Deus, sed animabus aureis. Et hoc dico non prohibens talia anathemata construi; rogans autem cum his et ante haec elemosynam facere; suscipit enim et hoc, multo magis autem illa; hoc enim qui attulit, utilitatem adeptus est solum, illic autem et qui accipit, hic videtur et munificentiae occasio baeres esse; illic autem elemosyna et philanthropia, id est: amor hominum id totum est. Quae enim utilitas est, cum mensa illius plena fuerit aureis calicibus, ipse autem fame corrumpatur; prius enim reple esurientem, et tunc ex superabundanti et mensam ejus orna, calicem aureum facies et calicem aquae frigidae non das, et quae est utilitas auro follata indumenta construis mensae, ipsi autem neque necessarium praebes indumentum. Et infra: Hoc et in Christo reputa, cum errans et peregrinus circumeat indigens tecto, tu autem dimittens eum hospitare, pavimentum ornes, et muros et columnarum capita et argenteas catenas, lampades accendas, ipsum autem in carcere ligatum neque videre vis, et hoc dico non prohibens in his munificum esse; sed hoc cum illis admonens facere thronum; faciendo enim nullus aliquando incusatur, pro illis autem et gehennae in munera deducta est et ignis inextinguibilis. Ne itaque domum ornas domini, fratrem, qui tribulatur, despicere; hoc enim illo tempore principaliter et haec quidem et reges sicut infideles et tyranni et fures accipere chymelia. Haec ille; ex cujus verbis egregieque dictis quantum attinet proposito XII notanda colliguntur; primo, quod juxta sensum hujus sancti non est utile ecclesiae vas aureum facere et animam deteriorem plumbo et ostrato. Secundo, quod in offerendo aurea vasa ecclesiae attendendum est, quod ex laboribus justis siut

acquisita. Tertio, quod et haec vasa aurea propter animas suscipit Deus. Quarto, quod illa vasa et res, quae erant in coena domini, pretiosae erant et terribiles erant propter sui sanctificationem, eo quod spiritu, id est spirituali significatione erant plena, sed modo vestes et vasa sunt spiritualiter significativa, ut dicetur infra capitulo 6. Quinto, quod Christus non debet honorari sericis vestimentis, ut foris pauper despiciatur. Sexto, quod iste doctor sanctus et magister non probibet anathemata, id est, res in usum divinum separatas construi, scilicet vasa aurea et serica indumenta, sed rogat cum his; imo et ante haec, ut elemosynam in pauperes faciant. Septimo, quod haec vasa et indumenta suscipit Deus, scilicet quae Thabor auffert. Octavo, quod afferre serica vestimenta et vasa mensae domini est causa munificentiae, id est virtutis, quae dicitur liberalitas. Nono, quod talia post pauperes offerri possunt altari ex superabundantia, de qua etiam scilicet per serica indumenta et vasa mensa domini est exornanda. Et concordat cum Dionysio, qui dicit omni ornatu ecclesiastico; et cum Origene, qui dicit quod omnis sacerdos solemni officio potest fungi ad populum. Decimo, quod ecclesiae, parietes et pavimenta et muri sunt juxta sanctum hunc exornandi. Undecimo, quod lampades seu candelae erga mensam domini sunt accendendae. Duodecimo, quod sanctus iste non prohibet in his omnibus rebus supradictis munificum esse, imo admonet illa facere, sed velut posteriora, videlicet elemosyna prius erogata. Ex quibus omnibus patet, qnod, si iste doctor et magister vera dixit, ut putamus, quanta sunt hodie inter fratres Thaborienses sacrilegia, qui *pro usibus suis diripiunt vasa ecclesiae et indumenta*; secus enim foret, si diriperentur ad necessaria communia. Et utique talem sanctum istum in toto orbe Dei gratia commendatum reprobare aut ex hoc blasphemare, quia contra eos est, est temeritas a fidelibus contemnenda. Nec hoc dicimus, ut superbias et superfluitates in talibus velimus promovere, sed, ut facto fecimus in simplicibus vasis et indumentis, quae cultui divino deserviunt, et plebes non spoliant, proponimus residere. Et adhuc amplius idem Chrysostomus loquitur de hac materia Homelia 80. excusando mulierem a correctione, quae unguentum effudit super caput Christi, unde sic dixit: Propter hoc ait erudiens nos, quodcunque geritur bonum a quocunque et si non valde diligenter factum fuerit, suscipere et fovere et non secundum principium oportet expetere diligentia. Et infra: Etenim post effusum oleum neque tempus habebat eorum increpatio.

Et itaque siquidem et aliquns vidi, vasa construxisse sacra et afferre, vel alium quendam ecclesiae ornatum circa murum vel pavimentum non inbiberi vel everti, quod gestum est, ne obtendas desiderium, si antequam construat aliquis, interrogaverit, jubet dari pauperibus, quia et ipse, ut non obtenderet desiderium mulieris, hoc fecit. Haec Chrysostomus; ex quo patet, quod Chrysostomus respondet pro nobis Thaboriensibus, qui zelo absque scientia dicunt potius danda esse talia ornamenta et vasa pauperibus, quam in ecclesia Dei retinenda; et dicit, quod non et probat per evangelium Christi, in quo Christus redarguit apostolos de tali zelo, quo mulierum arguebant dolendo, quod tam praetiosa esset res unguenti, quasi perdita in ministerio corporis Christi dicentis: bonum opus operata est in me; nam pauperes semper habetis vobiscum, quibus si vultis, potestis benefacere, me autem non semper habebitis. Ita dicit Chrysostomus de vasis sacris et ornamentis ecclesiae jam constructis et in ministerium corpori Christi datis non debere talia inhiberi, dum fiunt, aut cum gesta sunt, non debere everti et destrui, sed antequam facta sunt, melius est ea pauperibus erogari, si indigent pauperes. Utinam igitur suscipiatur probatio tam docti et tam sancti viri a fratribus Thaboriensibus olim valde commendati.

Capitulum V.

Ut autem ritus iste in vestitu et gestu sacrae missae credatur in universali ecclesia sic, ut ab apostolis et primis eorum discipulis sanctis, ut beato Clemente, Anacleto, Dionysio, Timotheo traditus hucusque in ecclesia Dei continuatus esse, probatur, hoc primum per Romanos praesules, apostolorum successores et in primitiva ecclesia longe ante dotationem Dei ecclesiae gubernatores et per generalia concilia antiqua, quae in eundem ritum consonant et concordant. Unde primo jam in libro conciliorum antiquorum patrum Annicius papa sic dicit: Prohibete fratres per universas regionum vestrarum ecclesias, ut clerici juxta apostolum comam non nutriant, sed desuper in modo spirae radant, quia sicut discreti debent esse in conversatione, ita et in tonsura et in omni habitu discreti debent apparere. Item Sothir papa successor Annicii sic statuit: sacratas Deo feminas, vasa vel sacratas pallas, pelves vos (quoque) contingere et incensum circa altaria differre perlatum est ad apostolicam sedem, quae omnia reprehensione et vituperatione plena esse

nulli recte sapientium dubium est. Item Victor papa sic statuit: Quapropter fratres oportet nos unanimes esse et amiculum vicissim ferre. In recta ergo fide et in sacramentis divinis non discrepare sed concordes esse; quia licet pauci sitis malorum comparatione, si tamen concordes fueritis, facile auxiliante domino vestros insidiatores superabitis; si vero discordes, quod absit, fueritis, non superabitis, sed superabimini; perlatum est enim ad sedem apostolicam, aliquos vestrum nocere fratres velle, et ut cadant, decertare, similiter in sacramentis discrepare, et ob id contentiones inter vos fieri, a quibus dissensionibus vos avertere, et in his omnibus concordare et opem ferre vicissim mandamus. Et infra: Nec attendatis carissimi, qualiter tales dominus per Isaiam prophetam comminatus est dicens: Dominus enim locutus est verbum hoc, luxit et defluxit terra et infirmata est; defluxit orbis et infirmata est altitudo populi terrae, et terra interfecta est ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus sempiternum; propter hoc maledictio vorabit terram, et peccaverunt habitatores ejus; ideoque insanient cultores ejus et relinquentur homines pauci; luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes, qui laetabantur corde, cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus laetantium, conticuit dulcedo citharae cum cantico; non bibent vinum, amara erit potio bibentibus illam, attrita est civitas vanitatis; et caetera. Haec ille. Et revera, quum leges utiles commutantur et jura dissipantur, etiam quae parva videntur, et mediocriter utilia ecclesiae statuta, tunc communiter insanient homines et relinquentur pauci, et lugebit vindemia, et infirmabitur vitis etc. Et utique, ut ex initiis apparet, quasi prophetando de nostris temporibus circa sacramenta discordantibus vere praenunciat et pertinenter allegat iste praesul.

Post haec ad idem sunt generalia concilia ecclesiae antiquae primitivae, et primo concilium Toletanum quintum canone sic statuit: Post rectae fidei confessionem, quae in sancta Dei ecclesia praedicatur, placuit omnes sacerdotes, qui catholicae fidei unitate complectuntur, ut nihil ultra diversum aut dissonum in ecclesiasticis sacramentis agamus, ne quaelibet nostra diversitas apud ignotos seu carnales scismatis errorem videatur ostendere, et multis extat in scandalum varietas ecclesiarum; unus ergo ordo orandi atque psallendi a nobis observetur, unus modus in solemnitatibus missarum, unus in vespertinis officiis, nec diversa sit in nobis ultra ecclesiastica consue-

tudo, quia una fide continemur et regno; hoc enim et antiqui canones decreverunt, ut unaquaeque provincia psallendi et ministrandi parem consuetudinem teneat. Haec ibi. Quod concilium et ecclesiae mandatum cum sit rationabile imo ratione plenum et ecclesiae utilitate fundatum in solido fundamento sacrae scripturae omnes infernales potestates non poterunt movere, imo ei ex fide christiana et sub peccato perfidiae et damnationis velut licito omnes tenentur obedire, ut videlicet ex mandato domini. Deuteronomii 10. Matth. 23. et Rom. 13. Timoth. 3. et Hebr. 13. prima Petri secundo, hoc enim confirmans apostolus Ephes. 4. obsecrat et mandat omnibus dicens: Obsecro itaque vos ego vinctus in domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis cum omni humilitate et mansuetudine cum patientia supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unus dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium. Et infra: Ut sic non circumventi omni vento doctrinae crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus ecclesiae compactum et connexum est, et per omnem juncturam subministrationis scilicet sanctorum, qui subministravit vobis rationabilia mandata et ordinem, per quem velut per juncturas ab eis subministratus in augmentum corporis Christi stetit et crevit ecclesia; quas juncturas dirrumpere perniciosissimum scelus esse putamus, propter quod Philipp. 2. dicit: Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes in idipsum sentientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores scilicet illos sanctos, qui sunt superius allegati, arbitrantes. Et hanc sententiam decretum intendit et mandat. Et ad idem est concilium Toletanum XI. in quo habetur expresse sanctorum patrum statutum et testimonium communionis et calicis ad populum et ad infantes et amentes, quod allegans apostolum in supradicto loco sic dicit: De his, qui contra voluntatem apostoli circumferuntur omni vento doctrinae placuit hoc sacro concilio, ut metropolitanae sedis auctoritate coacti unius cujusque provinciae cives rectoresque ecclesiarum eundemque in psallendo teneant modum, quem in metropolitana sede cognoverunt institutum, nec aliqua diversitate cujusque ordinis vel officii a metropolitana sede se patiantur disjungi. Haec ibi. Et ad idem est Concilium Bracarense primum dicens: Placuit omnibus

communi consensu, ut unus atque idem psallendi ordo in matutinis vel vespertinis officiis teneatur. Item placuit, ut per solemnium dierum vigilias vel missas omnes easdem et non diversas lectiones in ecclesia legant. Item placuit, ut non aliter episcopi et aliter presbyteri populum, sed uno modo salutent, dicentes: Dominus sit vobiscum, sicut legitur in libro Ruth, et ut respondeatur a populo: Et cum spiritu tuo; et ab ipsis apostolis traditum omnis retinet oriens, et non sicut Priscilliana pravitas permutavit. Item placuit, ut eodem ordine missae celebrentur ab omnibus, quem pro futuris quondam hujus metropolitanae ecclesiae episcopus ab ipsa apostolicae sedis auctoritate suscepit scriptum. Haec ibi. Item ad idem concilium Toletanum quintum, quod etiam de communione calicis ad populum statuit, unde sic dicit canone XXVI. Si Episcopus est, orarium et baculum, si presbyter, tunc orarium et planetam, si diaconus, tunc orarium et albam, si subdiaconus tunc platenam et calicem, sic et reliqui gradus eam reparationem sui recipiant, quam, cum ordinarentur, perceperant. Ibidem unum igitur orarium omnem levitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est: praedicat. Caveant igitur a modo levitae geminum uti orarium, sed tantum unum et purum nec ullis coloribus aut auro ornatum. Ibidem praecepit Levitis et sacerdotibus plattam tondere in vertice et circum pilos relinquere. Item in concilio Bracarensi primo canone 9. dicitur: De caetero Diacones suppositis scapulis sicut decet utantur orario. Item ad idem est concilium Lucense collectum de partibus Orientis; unde dicit: Non oportet clericis comam nutrire et sic ministrare, sed attonso capite, patentibus auribus et secundum Aaron talarem vestem induere, ut sint in habitu ornato. Item ibidem dicitur: Non licet quemlibet mysteria tangere nisi subdiacono aut accolyto id est: secreta illa vasa divina. Item ad idem habetur in concilio Braccarensi tertio, ubi dicitur: omni cura, omnique studio providendum est, ne hi, qui locum videntur obtinere regiminis, contumeliam videantur inferre coelestibus sacramentis; etenim quod auditui horribile et visui execrabile judicatur, relatum est nobis, quod quidam sacerdotum sacrilega temeritate praecipites vasa domini in proprios usus assumant, epulasque in eis sibi comessuras apponant. Quod malum et obstupescentes deflemus et deflentes obstupescimus, ut illa humana temeritas sibi epulum praeparet, ubi spiritum sanctum cognoscitur advocasse et inde esum carnium crapulentus assumat, ubi divina visus est cele-

brasse mysteria, et in quibus offerri tantum sacramenta pro expiatione delictorum praecepit, in his expleat voluptatem ludibrii sui; et ideo hujus de caetero praesumtionis persona, quae sciendo divina vasa vel mysteria aut in usus suos transtulit, aut comedere in his vel poculum sibi sumendum elegit, gradus sui vel officii pericula sustinebit, ita tamen, ut si de saecularibus fuerit perpetua excommunicatione damnetur; si vero religiosus, ab officio deponatur sub hac quoque damnationis sententia, et illi obnoxii tenebuntur, qui ecclesiastica ornamenta, vela, vel quaelibet indumenta atque etiam utensilia in usus suos transtulerint, vel aliis vendenda vel donanda tradiderunt. Haec ibi. Item ibidem dicitur: Quoniam antiqua ecclesiastica institutione novimus praefixum, ut omnis sacerdos, cum ordinatur, orario utroque humero ambiatur, scilicet ut qui imperturbatus praecipitur consistere inter prospera et adversa virtutum semper ornamento utrobique circumseptus humero appareat. Et infra: Proinde omnibus modis convenit, ut cum sacerdos ad solemnia missarum accedit aut pro se officium oblaturus, aut sacramentum corporis et sanguinis domini uostri Jesu Christi snmturus non aliter accedat, quam orario utroque humero circumseptus, ita ut de uno eodem orario utroque humero circumseptus, sicut et tempore ordinationis suae dinoscitur consecratus. Haec ibi. Ista concilia, statuta et ordinationes ecclesiae universalis cum sint rationabilia sanctos apostolos et eorum discipulos imitantia, scripturis sacris se munientia, et ecclesiam in unitatem restringentia, et diversitatem scismaticam ab ea removentia et multas futuras adinventiones et praesumtiones hominum mente corruptorum annullantia, lites, odia et scandala, quae diversitates parere solent, amputantia, nihil superstitionis sed solum, quod est religionis, habentia, a sancti omnipotentis Dei mandatis plurimis et ejus apostolorum nec ad dexteram, id est: ea, quae sinistra videntur, volumus declinare volentes, volumus observare, et sanctam ecclesiam ex nulla causa inutili absque fructu volumus disturbare, sententiasque sanctorum spiritu sancto gravidatas et ab ecclesia sancta demandatas non ut furiosi contemnere, sed humili cervicis subjectione portare et servare.

Capitulum VI.

Ut autem supradicti ritus et institutiones sanctorum non sine utili ratione agnoscantur esse in universali tentae (ab) ecclesia et in

missa observatae, restat modo rationes eorum aliquas explicare. Et primo cum quaeritur, quare sanctus Clemens et alii sancti vocant ecclesias vasa et vestes sanctas, cum tamen res sint inanimatae? Respondetur secundum doctores, quod sanctificatio talium rerum est applicatio ad divina obsequia, quomodo dies sabbati est sanctus, ut patet Gen. 2. ubi dicitur: quod benedixit Deus diei septimo et sanctificavit illum; ubi dicit Lyra: Unde etiam res inanimatae, quae per benedictionem et consecrationem applicatae sunt divino cultui, ut sic ecclesiae materiales dicuntur sanctae et sanctificatae; datur enim eis quaedam virtus divina per verbum Dei et orationem justi, propter quam diabolus non habet tantam vim nocendi et tentandi per res sacras more quo loquitur apostolus 1. Tim. 4., quod eis cibus quantumcunque profanus sanctificatur per verbum Dei et orationem, quomodo etiam Christus benedixit et sanctificavit panes et pisces, ut patet Mathaei 14. Marc. 6. Luc. 9. Et Samuel benedicebat prandia populi. 1. Regum 9. Et utique si hujusmodi res tempore legis veteris fuerunt capaces sanctificationis, uti Exod 1. et capitulo sequenti de vestibus, omnino tempore legis gratiae per verbum Dei et orationem possunt sanctificari. Quaeritur ulterius: quare locus, ut est domus, quae est ecclesia, sanctificatur pro sanctificando? Respondetur secundum doctores, quia domus illa significat ecclesiam Christi; convenienter ergo sanctificatur ad repraesentandum sanctificationem illam, per quam Christus consecravit ecclesiam sponsam suam per suam passionem. Secundo ut designet, quod sacramentum eucharistiae solum pertinet sanctificatis, qui sunt de ecclesia, sed pollutis et maculatis, qui non sunt in ecclesia, non pertinet. Et eadem est ratio, quare omnia vasa et vestes ecclesiae, hoc est omnes homines, qui debent esse vasa ecclesiae ad honorem, non contumeliam, debent esse sancta, ante usum sacramenti. Tertia ratio est Augustini, ut denotetur, quod extra ecclesiam sanctam non est locus veri sacrificii. Quaeritur: quare dicitur missa hoc nomine? Respondetur secundum Hugonem et Thomam. Dicitur missa quasi transmissa, eo, quod populus fidelis per sacerdotem nedum preces et oblationes et vota, sed et ipsum unigenitum filium Dei in memoria mortis ejus, quam pro nobis tulit, devote Deo patri transmisit.

Quaeritur: quare tot solemnitates ante sacrificium in missa peraguntur? Respondetur ad ostendendum et credendum Christi majestatem esse praesentem in sacramento cum solenni praesentia et

laude divina angelorum, quae digna est omni solemnitate corporali et spirituali. Secundo ad dispositionem corporis mystici. Tertio ad devotionem et reverentiam usus hujus sacramenti. Dicitur enim ecclesiastici 18: Ante orationem praepara animam tuam; et Exodi decimo nono dominus: Vade ad populum et sanctifica eos hodie et cras, laventque vestimenta sua et sint parati in diem tertium. Et Jacob, Genes 35. volens in altari sacrificare convocata omni domo dixit: Abjicite Deos alienos et mundamini et mutate vestimenta vestra. Quarto ad reputandum passionem Christi, in cujus memoria principaliter totum debet fieri, quod geritur circa hoc sacrificium. Talis autem repraesentatio secundum Dionysium et Innocentium de sacramentis consistit in quatuor, scilicet in personis celebrantibus, ministrantibus et circumstantibus, in verbis scilicet, orationibus, modulationibus et lectionibus; in operibus; scilicet gestu, actu et motu; in rebus, scilicet elementis, instrumentis et indumentis. Quaeritur: cum Deus sit spiritus, quare non sufficit in *spirituali* solemnitate et oratione? Respondetur, quia dictum est Math. 22: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis; cum ergo vires corporales sint vires, ergo per illas debes Deum honorare, et sic quidquid virium est in me corporalium, in laudem et gloriam Dei debeo expendere, ut est corporaliter volvi in terram genu flectere, pectus tundere, caput inclinare, vocaliter more Christi orare, et cum clamore valido preces ad Deum fundere, quae omnia in lege nova colliguntur. Nec solum de viribus naturae tenemur honorare Dominum, sed de viribus et bonis fortunae juxta illud proverbiorum 3: Honora dominum de tua substantia et de primitiis fructus tui da pauperibus.

Quaeritur: Quare per vestimenta debeo habere repraesentationem mortis Christi circa sacrificium potius et non per alias res qualescunque. Respondetur, quia Numerorum 15. mandat hoc dominus dicens: Loquere filiis Israhel, ut faciant sibi fimbrias per quatuor angulos palliorum ponentes in eis vittas hyacinctinas, quas, cum viderint, recordentur omnium mandatorum Dei, ne sequantur cogitationes suas et oculos per res varias fornicantes, sed magis memores praeceptorum Domini faciant ea, sintque sancti Dei suo. Multo ergo melius est in ecclesia simplicibus, qui aliter non valent, per vestes, gestus et actus cogitare passionem Christi, quam per res varias cogitando fornicari; unde dicit Gorra super Lyram: Christus in

illusione habuit faciem velatam, et hoc significat, amictus positus super caput sacerdotis; indutus erat alba veste, et hoc significat alba, quam induit sacerdos; item indutus fuit purpura, et hoc significat casula; item fuit ligatus ad columnam, et hoc significat cingulum, mappula et stola; quod etiam doctor evangelicus in libro de potestate Papae cap. 16. tractans late et utilissime ponit 6 ornamenta missae, scilicet amictam, per quam notat custodiam sensuum tempore missae, pro eo, quod tegit caput et collum; albam camisiam, per quam notat spiritualem munditiam ministrorum; zonam, per quam significat castitatem, quae lumbos cingit; mappulam, per quam crebro sordes mentis sunt abstergendae; stolam sive orarium, per quam notat jugum domini longanimiter sufferendum, quia stola extenditur usque ad pedes; casulam, per quam notat praeclarissimam virtutum caritatem; per latitudinem coronae significat abrasionem temporalium, denudationem intellectus et affectus ad bona, quae sursum sunt.

Quaeritur: numquid Deum minus viles vestes delectant, quam meliores? Respondetur quod non, sed quia placet Deo, quod homines, quod magis diligunt, libentius Deo offerant, et cum sicut subtrahunt per hoc amorem ad Deum, plus quam ad talia se habere ostendunt; neque enim in tauris et pecoribus sibi complacuit, sed quantum erga illa intentio valuit, taxavit, et hoc hodie in omnibus plus taxat corda quam opera; quantum enim quis intendit, tantum meretur et credit.

Quaeritur: Ubi confessio, quam sacerdos agit ante missam, habet fundamentum? Respondetur: quia Levitici sedecimo 5. dicitur, quod sacerdos volens intrare ad sanctuarium quod est intra velum in propitiatorio, et oblaturus circum pro peccato populi, debet omnes iniquitates filiorum Israel prius confiteri, et universa delicta atque peccata eorum, ut populus dignificetur et velut pro disposito sacrificium offeratur.

Quaeritur: ubi habet fundamentum, quod dicit Dionysius: Jerarcham ad ambitum chori procedere et psalmos cantare? Respondetur: quia scriptum est: cantabo et immolabo in tabernaculo ejus hostiam vociferationis, cantabo et psalmum dicam Domino.

Quaeritur: Ubi habetur fundamentum thurificare? Respondetur: quod Dominus mandavit, quod sacerdos adoleret incensum, suave fragrans ante propitiatorium, quod significat odorem sacrificii seu sacramenti in populos derivandum, quia dicit Deus Pater: Ecce odor

filii mei seu odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Genes. 27. qui ulterius odorem notitiae suae spargit per nos in omni loco 2. C. 2.

Quaeritur: quare introitus, graduale, tractus, offertorium canitur? Respondetur pro eo, quia beatus Dionysius ab apostolis instructus dicit, ante symbolum psalmos cantandum est; potest fundari super dicto et facto Christi, quia Christus ut patet Math. 15. clamavit voce magna psalmum 21. dicens: Deus, Deus meus, utquid dereliquisti me et sic cantavit psalmum, antequam offerret animam Deo, et ipse fuit pontifex tunc, ut patet Hebraeor. 5., ubi dicitur sic: Et Christus non semet ipsum clarificavit, ut pontifex fieret, qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum, qui posset illum salvum facere a morte cum clamore valido et lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia. Psalmus ergo, qui in introitu canitur, est praeparatio ad laudem divinam, juxta illud psalmi: Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter, quo ostendam illi salutare meum. Post laudem (et) praeparationem canitur Kyrie eleison ter pro persona patris, ter Christe eleison pro persona filii, ter Kyrie eleison pro persona spiritus sancti, ut denotetur, quod quaelibet persona est in trinitate una credenda, et sic veluti est in divinitate, ita ab ea misericordia est expetenda dicendo leyson. Demum post hymnum misericordiae canitur hymnus angelicae gloriae; ipsi enim cantabant: Gloria in excelsis Deo; quod facit sacerdos in persona angeli; et chorus respondet in persona populi: Et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Cum autem sacramentum Eucharistiae sit sacramentum fidei; ideo lectiones leguntur apostolicae et propheticae, quae fideles instruunt devotionemque erigunt de fidei sacramento. Post hoc canitur Graduale, quod significat spiritualem exultationem in laetis, vel tractus in officiis luctuosis; illa enim consequi debet populus ex doctrina lectionis sacrae scilicet vel spiritualem laetitiam vel tristitiam. Post hoc evangelium legitur sicut doctrina electorum et perfectorum jam ex gradibus virtutis per graduale sacrificatis et tractu poenitiae et concepto gaudio in Alleluja dispositorum et refectorum. Post evangelium symbolum fidei canitur, in quo populus ostendit se per fidem et vocem doctrinae Christi assentire. Sic populo praeparato acceditur ad celebrationem mysterii, quod quidem et offertur ut sacrificium et consecratur, et sumitur ut sacramentum; primo enim peragitur oblatio, secundo consecratio materiae oblatae, tertio perceptio ejusdem. Circa oblationem canitur laus populi in cantu offertorii, per

quod significatur laetitia offerentium vota et oratio sacerdotis, qui petit, ut oblatio populi sit Deo accepta. Unde primo Paralipomenon dixit David: Ego in simplicitate cordis mei obtuli universa haec, et populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio sibi offerendo varia. Et postea orat: Domine Deus custodi hanc voluntatem. Demum circa consecrationem excitatur populus ad devotionem in praefatione, de qua praefatione scribens beatus Cyprianus dicit: Quando autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, invigilare et incumbere ad preces toto corde debemus; cogitatio hominis corporalis et saecularis abscedat, ne quidquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod praedicatur. Ideo etiam sacerdos ante orationem praefatione praemissa parat fratrum mentes dicendo: Habeamus ad Dominum, admoneamur nihil aliud quam Deum cogitare debere. Haec ille. Finita praefatione populus cum devotione laudat divinitatem Christi cum angelis dicens: Sanctus, Sanctus et humanitatem cum pueris dicens: Benedictus qui venit in nomine Domini. Demum sacerdos secreto commemorat primo quidem illos, pro quibus hoc sacrificium offertur, scilicet pro universali ecclesia, et pro his, qui in sublimitate sunt constituti, 1. Timoth. Secundo commemorat sanctos, quorum patrocinia implorat pro praedictis, cum dicit: Communicantes et et memoriam etc. Tertio petitionem concludit, cum dicit: hanc igitur oblationem. Et hae omnes gratiarum actiones fundantur radicaliter in facto Christi. Math. 26., qui prius ante benedictionem, ut dicitur Marc. 6. oculos ad coelum levavit, et gratias egit Deo, antequam consecravit. In hac ergo primo petit consecrationis effectum, cum dicit: Quam oblationem. Secundo ipsam consecrationem agit per verba salvatoris, cum dicit: Qui pridie. Tertio excusat praescriptionem per obedientiam ad mandatum Christi cum dicit: Unde memores. Quarto petit hoc sacrificium peractum Deo esse acceptum, cum dicit: Suprae quae proposito. Quinto petit hujus sacrificii et sacramenti effectum, et hoc primum quantum ad ipsos sumentes, cum dicit: Supplices te rogamus; secundo quantum ad mortuos, qui jam sumere non possunt, cum dicit: Memento etiam Domine. Unde et beatus Martyr Cyprianus hunc modum observabat, quod pro mortuis in missa exorabat sicut et Dionysius. Unde scribit in epistola ad plebem Turnensem: quod si quis presbyter statutum ipsorum infringeret, et clericum in testamento poneret, ut non offeratur pro eo, nec officium pro dormitione ejus celebretur; tertio specialiter ad ipsos sacer-

dotes, cum dicit: Nobis quoque peccatoribus. Demum agitur de perceptione hujus sacramenti, et primo quidem per orationem communem totius populi, quae est oratia dominica, in qua petimus panem nostrum quotidianum et supersubstantialem dari nobis, et etiam privatam, quam specialiter populo offert sacerdos, cum dicit: Libera quaesumus Domine. Sexta juxta Dionysium praeparatur populus ad pacem, id est: ad osculum mutuum, quae datur dicendo: Agnus Dei. Est enim hoc sacramentum unitatis et pacis. Demum sequitur perceptio sacramenti. Primo a sacerdote, ut dicit Dionysius et demum ab alio populo. Ultimo autem tota missae celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro sumptione mysterii, quod significat cantus post communionem et sacerdote per orationem gratias offerente, sicut et Christus celebrata coena cum discipulis hymnum dixit, ut dicitur Math.. 26. Post hoc sacerdos benedixit populum elevata manu, quia Luc. ultimo dicitur: eduxit autem eos foras in Bethania et elevatis manibus suis benedixit illis. Ad idem Levitici 9. dicitur. Extendens manum ad populum benedixit eis. Talis autem benedictio et sanctificatio fit per verbum Dei: In nomine patris et filii et spiritus sancti, et populo per orationem factam. De quo dicit Dionysius: His vero praemissis Jerarcha terminat officium in gratiarum actione cum omni clero suo dicens: Benedicamus Domino, Dei gratias.

Quaeritur, ubi fundatur elevatio hostiae in scriptura? Respondetur: 1. Paralipom. 16. dicitur: Afferte Domino gloriam et imperium, date Domino gloriam nomini ejus, levate sacrificium et venite in conspectu ejus sc. sacrificii, et adorate dominum in decore sancto. Et ad idem dicitur Levitici 8 de panibus, quos sacrificantes levaverunt coram domino, similiter de putusculo, quod elevavit coram domino, quod significat nostrum sacramentum. Item patet de arca figurante nostrum sacramentum, in quo Deus est praesens et in oraculo propitiatorii fuit, de qua Num. 10. dicitur. Cumque elevaretur arca, dicebat Moyses: Surge Domine et dissipentur inimici tui et fugiant, qui oderunt te o facie tua. Cum autem deponebatur, ajebat: Revertere Domine ad multitudinem filiorum Israel. Ad idem est Dionysius de ecclesiastica Ierarchia dicens: circumstant eum sacerdotes et diaconi electi, quando episcopus conficit sacramentum altaris, postquam perfecit consecrationem in silentio demonstrat eam et postea communicat et alios ad sacramenta admittit.

Quaeritur ubi fundatur elevatio manuum ante sacrificium? Respondetur. I. Reg. 3. ubi dicitur. Levemus corda nostra cum manibus ad coelos.

Quaeritur, quare hostia debet esse absque fermento? Respondetur, quia Dominus in diebus azymorum consecravit, in quibus fermentum in domibus non inveniebatur et Levitici 2. dicitur: Omnis oblatio, quae offertur Domino, absque fermento fiet.

Quaeritur: Cur solus sacerdos non possit officiare, sed cum testibus, ut dicit Anacletus? Respondetur, quia hoc sacrementum est, cujus sacrificium pertinet ad totam ecclesiam et ideo loco ecclesiae in hoc sacrificio quaedam dicuntur a choro, quae pertinent ad populum et ecclesiam, quaedam per ministros, ut lectiones in signum, quod lex est populo nuntiata per ministros; quaedam autem solus sacerdos prosequitur, quae sunt de ejus officio et sibi propria, ut est offerre Domino sacrificia, preces pro suis et alienis peccatis, ut mandatur sibi Hebr. 5. Et hinc est, quod quaedam facit et dicit occulte, quae scilicet sibi sunt propria, ut est oblatio et consecratio, de qua dicit Dionysius, quod in silentio debet fieri et quaedam manifeste, quae concernunt populum. Ideo dixit sanctus Anacletus ubi supra, quod non soli hoc agere debent, sed testes debent adhibere, qui eorum sacrificio consensum debent praebere.

Quaeritur: cur tot cruces fiunt supra sacramentum? Respondetur: quia consecratio hujus sacramenti et acceptio sacrificii et fructus ejus procedit ex virtute crucis Christi id est, passionis ejus, quae passio crux dicitur Christi. Et ideo, ubicunque sit mentio de aliqua parte passionis Christi, sacerdus crucis signatione utitur. Et sic etiam post consecrationem sacerdos non utitur crucis signatione ad benedicendum et consecrandum, sed solum ad commemorandum virtutem crucis et modum passionis Christi per illa signatum.

Quaeritur quare sacerdos crebro vertitur ad populum dicendo: Dominus vobiscum? Respondet venerabilis mag. Mathias Bohemus: Libro de corpore Christi articulo 6. cap. 2., quod hoc fit propter affectuosas adhortationes et salutationes, quas offert domino ita crebre. Unde ibidem dicit, quare missa est actus communis in ecclesia faciendus, sic, quod non in locis privatis, nisi causa necessitatis, sed in loco oratorii. Demum ponit septem genera ministrorum assistentium solemnitati hujus sacramenti, quem ordinem dicit a sanctis stabilitum. Ibidem de psalmodiis in introitu et canticis et graduali de

Alleluja et de orationibus publicis et lectionibus sacris. Et postea dicit: Nibilominus tamen dico clericis ex nostro Domino Jesu Christo, quia haec oportuit facere et illa non omittere. Utinam saltim hunc mellifluum Mathiam testem suscipiant fratres Thaborienses, et quem ante annum amplexu cordis et corporis una cum beato Chrysostomo et Origene sibi asseruerant in magistrum laudibus perfecte efferentes, non velut volaticae et agrestes cicadae ad omnem ventum motitatae, aut verius sidera errantia et nubes sine aqua, relapsi iterum ab illo hunc respuant; quis nunc spiritus vertiginis hoc genus agitat levitatis heri in summo nullum penitus in aliquo casu occideudum nisi praehabita clara diei revelatione, ut fidem astruebant, nulla arte nec ingenio ab hoc revocandi, hodie in infimo omnes peccatores igne et gladio perimendos constantiori fide construuntur, et prophetantur velut locustae beati Johannis non medium sed per extrema jam sursum, jam deorsum saltitantes, et pedes lubricis inpactos ad modum mulieris vagae aut ebriae, de qua Salomon, figere non valentis. Utinam ergo saperent et intelligerent, et quae mitia in futuros ponerent deordinationes, imo in schismata et errores diligenter pertractarent, pro certo vias innumeris erroribus praecluderent et pias in simplicitate et modestia animas conservarent.

Capitulum VI.

Ex istis omnibus supradictis bene notatis patere potest fidelibus, quam enormis sit iste tractatus fratrum Thaboriensium, quem de contrario ediderunt asserentes, quod non sunt habendae vestes speciales et vasa et loca pro sacrificio, eucharistiae benedictae, sed quod in vestibus communibus et vasis et locis quibuscunque et qualitercunque in aliis sacrificanti (sacrificans ?) appareret, dummodo observet formam verborum a Christo expressorum, quod quam sit veritati contrarium, doctrinaeque, sanctorum ore apostolorum in eadem materia et doctorum et statutis universalis ecclesiae dissonum patet ex supradictis. Quodque sit illud inductivum schismatum errorumque multorum et idololatriae seminarium, *dummodo non cognoscitur differentia inter laicum et sacerdotem,* hoc cito apparebit parvo temporis ex decursu. Ideo accedendo ad tractatulum eorum levi quidem labore funditus evellendum. In quo imprimis salva caritate fraterna XXV notabiles falsitates apud Deum timentes dignas poenitentia colligimus ex supradictis reprobandas.

In primo, quia dicunt, quod pro suo ritu, quem praedicti fratres observant, pridem solidissima nobis porrexerint fulcimenta; revera falsum est usque ad experientiam, cum haec scripta et vocetenus facta non sint digna memoria sapien tum levi una responsione prorsus exsufflanda. Nec mirum, quod aranea se putet ferrea nectere tenimenta.

Secunda falsitas est, qua dicunt, quod objectionibus magistrorum et sacerdotum Pragensium sufficienter responderint; revera falsum est, quia id est sufficiens, cui non deest, quod adesse debet; responsa autem eorum, ut infra dicetur, multorum defectuum patiuntur detrimenta.

Tertia falsitas est, qua dicunt nostra vana objecta esse, et propterea se velle ea destruere et infirmare; revera falsum est, quia non est vanum, legem Dei ad sensum et expositionem universalis ecclesiae, et ad sensum et ad practicam apostolorum et sanctorum plurimorum ab ore eorum doctorum pro se allegare; sed vanum est et frivolum, talia allegata, quae sancta sunt, vana dicere, et autores eorum sanctos, quorum nomina sunt in coelis, et vita et doctrina ab apostolis commendata, ut Clementis, Jacobi, Dionysii, Timothei, Anacleti, Stephani, qui omnes sunt martyres, vanitatis nota infamare.

Quarta falsitas est, qua dicunt, mag. Jacobellum cum eis in illa materia quondam similiter sensisse, revera falsum est; nunquam enim sic sensit, ut in communibus vestibus communiter sacrificetur, sed tempore necessitatis extremae cogentis, quae legem non habet, dixit, sic legitime posse Deo sacrificari maxime circa necessitatem infirmorum probans per haec, quod et apostoli in necessitate et pressura ecclesiae, qui intus et extra pleni erant periculis, per domos docebant et panes frangebant. Secus est autem de apostolis ut Jacobo, Clemente et Dionysio, cum in libertate consecrabant, aliter enim Christus se habere mandavit tempore persecutionis, quia tollere peram, quam tempore quietis, quia illam non portare.

Quinta falsitas qua dicunt, quod ritus, quem circa missationem observant magistri Pragenses et sacerdotes est ritus ab hominibus longe a vita Christi et ejus apostolorum declinantibus inventus; revera falsum est, cum sit pro majori ritus scilicet Dionysii, Jacobi Anacleti et caeterorum martyrum Jesu Christi et sanctorum patrum et universalis ecclesiae mos per alios papas longe post promulgatus et ad tenendum ubique demandatus sed non inventus primitive. Unde legitur, pater noster Gregorius in missa constituisse: dicendum est

hoc potius institutum confirmasse et demandasse, quod tamen apostoli instituerunt. Idem est de symbolo, de quo Dionysius scribit et statuit et tamen concilium Toletanum longe post hoc statuit ex concilio Toletano 4. capitulo 5. Idem de psalmis aliis de vestibus et vasis et eorum postera confirmatione et promulgatione sentiendum et tamen diximus: fertur instituisse.

Sexta falsitas est, quod ritus sacerdotum Pragensium non est a Christo et ejus apostolis exemplatus; revera falsum est, cum supradicti sancti ab apostolis docti una cum beato Jacobo nobis sic celebrandum scilicet in vestibus sacris et ad sacrificandum specialiter deputatis, similiter et vasis et locis exemplarunt et in suis decretis exequendum mandaverunt.

Septima falsitas est, quod ritus, quem observant sacerdotes Pragenses in tota lege nova vel veteri non est expressatus; revera falsum est, cum supra dicti sancti legem veterem allegant et prophetas et nos sequentes eos velut meliores et sanctiores et Christo propiores consimiliter veterem legem. Ezech. 42. directe nostrum propositum expressantem allegamus applicato ad hoc sensu non nostro et per nos excogitato, sed sensu universalis ecclesiae primitivae in glossa ordinaria adducta.

Octava falsitas est, cum dicunt, quod usus talium vestium exteriorum jam ad hoc consuetarum et ritus longus circa missationem a Pragensibus sacerdotibus observatus est post multa curricula annorum per papas et homines jam longe ab imitatione Christi et ejus apostolorum declinantes excogitatus; revera falsum est, ut dictum est supra ad quintam falsitatem, quod si ita foret, idem illud sic rationabile teneremur sub praecepto observare. Nonne quaeso in opere doctoris eximii et ejus translatione fidelissima beati Hieronymi omnes conquiescimus et in illo intellectu, quem ipse ad scripturam habuit, transferendo fidem ponimus indubitatam, qui tamen floruit scientia et sanctitate in declaratione hujusmodi, quam praetendunt. Nelint ergo aut noluit, necesse est eis doctoribus sanctis credere, ubi dicunt, quodsi doctoribus et melioribus credere contemnunt, ubi dicunt scilicet sanctis ecclesiae primitivae columnis, non est dignum, ut quisquam fidelium in vestris aestimationibus extraneis et infundatis uno pede consensus conquiescat.

Nona falsitas est, quod sacerdotes praeferentes ritum in missatione magistrorum et sacerdotum Pragensium ritui sacerdotum

Thahoriensium ceteris paribus sint hypocritae; revera falsum est et peccatum sic dicere et poenitentia dignum, cum sic Clemens, Dionysius, Anacletus, Jacobus, Origenes et caeteri forent hypocritae propter hoc, qui tota honestate et ecclesiastica dispositione contrarie Thaboritis sacramenta tractaverunt.

Decima falsitas est, qua dicunt, quod sacerdotes et magistri Pragenses solent coram simplicibus per sophistica argumenta quemcunque suum vel aliorum errorum palliare; revera falsum est, nec super nos unquam probant, nisi in boc erraremus, quod errantibus parum obsistimus, tacemus et emendationem exspectamus, ubi jam fortassis ad sanguinem obstitisse tenebamur.

Undecima falsitas est, qua dicunt, quod in suo tractatu magister Jacobus dicit, quod ritus iste magistrorum Pragensium non est ab apostolis usitatus, revera falsum est; nec enim hoc invenitur toto ejus tractatu transcurso.

Duodecima falsitas est, qua dicunt nos Dionysium corrupte allegare, revera falsum est. Nam super hoc parati sumus cum eis exemplaria Dyonisii auscultare, nam nostrae non est intentionis tot semina mendacii in agello disseminare et verbum aut sensum sanctorum subtrahere agnoscenti.

Tredecima falsitas est, quod si ritus Dionysii, quem describit, esset ab apostolis receptus, nunquam tamen per sacerdotes Pragenses vel aliis temporibus nostris est in effectu observatus; revera falsum est, quum quasi in omnibus ritus Dionysii modo in effectu observatur, patet de thurificatione et per chorum processione, melodiae psalmorum introitu, et graduali et offertorio, decantatione eloquiorum divinorum, ut epistolae evangelii per sacratas odas recitationem; catechumenos non ejicimus, quia illos non habemus in statione ministrorum apud portas sanctuarii, ut est moris in Graecia, qui habent portas erga altare. Similiter patet de panum et calicum per ministros, diaconos, appositione, de catholici hymni decantatione, de praedicatione et manuum lotione, Jerarchi in medio altari constitutione, de ejus circumstatione, de divina operatione, de occulta consecratione et per signa sancta signatione et donorum divina operatione, demonstratione et ad communionem ejus perventione et aliorum adhortatione, quod sit vel in praedicatione vel ante communicationem in aliis communionem sanctam traditione et in desitione, in gratiarum actione, quod fit per collectas, in quibus Deo gratiae agun-

tur et missa completur. Cum ergo quasi in toto sequamur ritum Dionysii et Timothei aliorumque Sanctorum, optamus ut juxta verbum suum, quo nos admonent, ut ritum Dionysii observemus, quod promti sumus facere, nobiscum observent, cum dicitur. Observent ergo ipsi ritum a Dionysio scriptum primo, et postea si viderimus illum esse a Christo et ejus apostolis traditum, suscipiemus cum effectu.

Pro certo fratres, si credere vultis Dionysio, qui dicit se ab apostolis sic sumpsisse, credetis, quod est et a Christo; si autem credere non vultis et contemnitis, infidelem facitis Dionysium cum Timotheo sancto vestro.

Quarta decima falsitas est, qua dicunt, quod magister Jacobus defendit traditionem hominum, et ideo veritati acquiescere non vult; revera falsum est, cum sit traditio apostolorum et suorum sequacium ritus, quem defendit, et propterea falsitati contrariae acquiescere non licet.

Decima quinta falsitas est, qua dicunt, quod apostoli pedum lotionem, quam Christus docuit et fecit, mutaverunt et in aliud interpretati sunt; revera falsum est hoc et erroneum, imo salva charitate et haereticum, hoc Christus ad literam exequendum fore voluit et districte mandavit dicens: Si ego magister et dominus lavi pedes vestros, et vos alter alterius debetis lavare pedes et subdit causam lavandi: exemplum enim dedi vobis, quemadmodum ego feci vobis scilicet corporaliter et spiritualiter, et vos faciatis. Joan. 13. Et sic apostolus intelligens statuit potissime de viduis, ut lavent sanctorum pedes, quod si non fecissent, non dicit eas ad ecclesiae ministerium esse eligendas. Quam autem incaute fratres nostri dicunt et scribunt dicentes, quod apostoli pedum lotionem mutaverunt, cum hoc esset et fuit eis semper impossibile, ut unum jota immutent evangelii; sic enim viderentur Christum emendare et non summe sapienter fecisse; si enim mutarent, utique facerent hoc propter rationem meliorem, quam Christus fecit, quod est impossibile. Cavete ergo fratres injurim legis et peccatum ab infidelibus non concedendum.

Decima sexta falsitas est, qua dicunt, et sic esset inter eos et laicos puta inter sacerdotes et laicos magna differentia, quando essent exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in fide, in castitate, in doctrina, in integritate, in gravitate ab omnibus judicarentur esse sacerdotes, quando viderentur in eis facta concernentia ministros Jesu Christi. Revera falsum est, cum laicus habens illa omnia

in veritate vel in apparentia judicaretur esse sacerdos et e contra in deceptionem ecclesiae et citius false quam vere.

Decima septima falsitas, quod dicunt, quod Christus non vult, quod sacerdotes sui circa missationem utantur talibus exterioribus specialibus et legalibus vestimentis. Revera falsum est, cum omnia, quaecunque sunt, vult Deus esse, missationes autem hujusmodi quomodo voluit in Dionysio, Clementii et ales, vult hodie et in aliis fidelibus Christi.

Decima octava falsitas est, qua dicunt, nos aliter capere Origenem, quam ipse intellexit; revera falsum est, cum in eadem homilia, quam ipsi per longum allegant, dicat Origenes, ponens differentiam inter ornamenta exteriora et interiora, quod quilibet potest solenni ministerio fungi ad populum extrinsecus, pauci in interioribus ornamentis fungi possunt ad Deum.

Decima nona falsitas est, qua dicunt ad suum ritum confirmandum, quod hoc idem praetendit Hieronymus ad Nepotianum scribens. Revera falsum est, cum ex nullo verbo Hieronymi hoc habetur, nec habebitur. Sed verum est, ipsum ibidem velle, quod pauperes non debet quis negligere, et parietes aedificare et columnas substernere et marmora auro facere splendere et laquearia gemmis ornare. Unde dicit: Altare distingitur, et ministrorum Christi nulla est electio, et subdit: Neque vero aliquis mihi opponat dives in Judaea templum etc. ubi recte etiam eandem sententiam habet, quam Chrysostomus capitulo 4° allegatus. Sed miror, quare hanc particulam recipiant pro se Thaborienses, sed immediate quod sequitur, modo suo non assumunt. Unde dicit Hieronymus ibidem: Amico rapere quidpiam, furtum est, ecclesiam fraudare sacrilegium est, accepisse pauperibus erogandum, timendum est. Haec Hieronymus; et ponitur 12me quaest. 2da glossa. Ex quo patet, quod calix est aureus et frater raptor luteus; vas ecclesiae et rapina gehennae.

Vicesima falsitas est, quod magistri et sacerdotes Pragenses in Ezechiele, quod placet cordi eorum, capiunt ad litteram, sed quod eorum displicet voluntati ad litteram nec capiunt, nec observant, ut caput non radere, comam non nutrire, sed tondentes attondere capita sua, nec vinum bibere, cum intrant atrium interius. Revera falsum est, quia sacerdotes Pragenses omnia illa puncta ad litteram et sensum litteralem tenent, quia aliis vestimentis utuntur in sacrificio, aliis extra sacrificium, etiam qui caput non radunt illo modo,

quo littera intelligit et glossa interlinearis exponit dicens, ut nec rasis capitibus sicut sacerdotibus et custodibus Isidis et Serapidis mos est, nec rursus comam dimittent, quod proprie luxuriosorum et barbarorum est, sed sit honestus habitus sacerdotum; baec ille. Et ideo ad litteram nec comam nutriunt, sed tondentes attondent capita sua et vinum non bibit omnis ante ingressum in atrium interius, id est: ad sacrificandum; intelligendo non de vino sacramentali, propter hoc enim probibitio facta est, ne sacerdotes inebrientur ante sacrificium et quod plus est, tenent ad litteram immediate post hoc, quod non habebunt sacerdotes et levitae possessionem in medio filiorum Israël; sed in hoc sunt rei fratres, cum de possessione tenent ad litteram; sed in eodem capitulo prout eis videtur, volunt mysticare.

Vicesima prima falsitas, qua dicunt, quod durum et magistris et sacerdotibus Pragensibus ad litteram observare. Sed vestimenta in quibus delectatur corpus, in contrarium, dicimus, quod doctores sancti, in quibus se coram hominibus ostentent, et velut columbi circumducantur, ad litteram cupiunt observare. Revera falsum est, quod ea, quae dicitis in scripturis vestris et in Ezechiele, esset vobis durum observare. Sed vos fratres admonemus, cum dictis nostrum corpus in hoc delectari ut velut columbi circumducamur; ut non velitis sine causa infamare, quia grave erit retractare; stultissimus enim foret hominum, qui hoc prout scribitis, cuperet ad sui ipsius ostentationem.

Vicesima secunda falsitas est, qua dicunt, quod si allegantur doctores sancti qui temporibus illis erant, in quibus jam ritus observabatur, licet loquebantur de ipsis, ipsos mysticantes; nullibi tamen in suis scripturis tradunt, quod Christus vel sui apostoli nos ad observandum circa missationem ritum modo a magistris et sacerdotibus observatum sub praecepto obligarent. Revera falsum est, cum Doctores ut Clemens, Dionysius etc. nedum observabant ritum missae, ut supradictum est, sed decreta praecipientia et libros super hoc ediderunt, ut patet in decursu doctorum allegatorum, qui etiam testantur, se talia a sancto Petro et aliis apostolis in mandatis suscepisse. Si ergo credere doctoribus sanctis non vultis, nec vobis etiam hoc credi debet, doctoribus fortassis nondum sanctis, quasi non sint plurima monita scripturae. Quod obediendum est statutis ecclesiae et doctrinis credendum in omnibus veris, licitis et honestis etiam sub poena aeternae damnationis; ut enim illi culpandi

sunt, qui sub nomine et occasione calicis multa inutilia adhuc tenent, ita illi, qui sub eodem nomine calicis plurima fidei adversa et omnia ecclesiae statuta quantumcunque licita volunt abrogare.

Vicesima tertia falsitas est, qua dicunt, quod magistri et sacerdotes Pragenses nihil probabunt per hoc, quod sancti doctores ritum eorum mysticaverunt. Revera falsum est, quod si doctores sancti recte hoc mysticaverunt, sicuti faciunt, tunc cum veritate probabunt et obtinebunt et obtinendo ipsi sacerdotes Pragenses hoc vaticinium simile vaticinio quinque civitatum loquentium lingua Thaboritarum aestimabunt. Scientes autem hoc, quod doctores sanctos ecclesiae primitivae contemnitis, nolumus vobis praeter paucos, qui exponunt sacram scripturam, et qui sunt apud vos gratiores, alios allegare, ne videamur margaritas projicere pedibus bestiarum conculcandas.

Vicesima quarta falsitas est, imo verius excerebrata fatuitas, qua dicunt, quod si mysticatio placet, scilicet vestium, et sacerdos vult per illa extrinseca docere populum, adsint missationi suae lupi, qui significent populo, quod si falsus propheta est in veste ovili veniens, intrinsecus autem lupus rapax, ipsum fugiant. Adsit et mola asinaria, quae significet populo, ut si scandalosus fuerit, collo ejus suspendatur, et mittatur in profundum. Adsit et mensa numularia pro memoria etc. Revera ista sunt verba, ac si fratres non viderent nec unquam legerent legem Christi. Nonne Dei mandatum est in fimbriis palliorum et vestimentorum habere signa divinorum mandatorum, ut supra est allegatum. Ex quo patet, quod secundum legem jubentem possunt habere simplices significationem vestimentorum ad rememoranda mandata divina, ne oculis per varia cogitantes fornicentur, quodsi lupos utique debeamus afferre et mensam et molam ad significandum potius pro lupis sacerdotes martis et pro mola calices contusos velut in mola ad excludendum sacrilegium et alia universa instrumenta et facta pietatis modernae essent efferenda.

Vicesima quinta falsitas, qua dicunt, quod apostoli et alii sancti in primitiva ecclesia communiter sic missaverunt non tantum in necessitate, ut magister Jacobus ponit in hoc caeteris paribus non peccantes. Revera falsum est, ut patet per decursum omnium a primo successore Petri Clemente Dionysius (sic) et caeteris succedentibus sanctis usque modo, patet etiam per antiquissima generalia concilia universalis ecclesiae, ubi supra allegata, quod non sic communiter

sancti in primitiva ecclesia celebrarunt, sed ut inchoatus est a beato Petro per sanctum Clementem, Dionysium et alios prout in omnem ecclesiam ritus iste descendit, sic ipsum rationabiliter observarunt; a quorum more defiere sine causa reputamus penitus injustum et insanum, cum divina voce scriptum sit: Ne transgrediaris terminos, qnos posuerunt patres tui, ne transcendas impones (nens) XXV. figmenta pagellis per nos duodenis.

Capitulum VIII.

Quantum ad ultimum restat modo ad argumenta et motiva fratrum accedere et ipsa efficaciter dissolvere, ne sibi justi videantur invalida omnibus aperire. Imprimis cum sic arguunt atque probant: Ex quo Dominus Jesus Deus et homo, cujus perfecta sunt opera, sine vestibus exterioribus jam ad hoc consuetis et consuetudine et adinventione hominum deputatis et sine ritu modo a sacerdotibus usitato sufficientissime et saluberrime missando coenam suam peregit; ergo ex praemissis concludunt: Cum sit securissimum observare ritum circa coenam dominicam, praesertim quem Christus observavit et sui apostoli non mutaverunt, sequitur, quod sacerdotes moderni possunt licite sine vestimentis exterioribus jam ad hoc consuetis et inventione hominum deputatis missare et sacramentum corporis et sanguinis domini fidelibus ministrare. Sed quod istud argumentum sit invalidum, patet primo, qua si valeret, tunc a simili sequeretur concludendum: ex quo Christus sine ritu sancti Jacobi et sancti Petri, qui aliter se habebant in ritibus missae, similiter sine ritu et dispositione apostoli, qui aliter disposuit quam Christus egit, similiter sine ritu sancti Dionysii, Timothei, Cypriani, Chrysostomi et caeteris sufficientissime et saluberrime missavit et coenam suam peregit; ergo cum sit securissimum observare ritum circa coenam dominicam, quem Christus observavit, sequitur, quod sic sine ritu et dispositione omnium talium sanctorum sacerdotes moderni habent officiare seu missare. Notum est, consequens esse falsum, cum Autorum 15 et 16 jubeat apostolus observare mandata apostolorum et seniorum. Similiter 2. Petri; ideo videtur, quod animus fratrum est insufficiens ad inferendum propositum eorundem. Et ex eodem articulo videtur, quod non sit officiandum in vestitu Thaboriensium sacerdotum ita bene sicut sine vestitu sacerdotum Pragensium, probatur ex eodem fundamento, quia

Christus verus Deus et homo sine vestitu et ritu eorum sufficientissime et saluberrime missavit, ergo cum eum sequi sit securissimum, sequitur sine vestibus fratrum cuilibet missandum, et idem esset argumentum, si nudi missabunt, scilicet, quod non debeant nudi missare, quia Christus nudus non missavit: idem de toga, scilicet non est missandum in toga, quia Christus in tunica, non in toga missavit; idem de pallio, quia Christus non in pallio, sed in tunica missavit: Christus enim facit differentiam inter pallium et tunicam Lucae 6. Ideo non in pallio, sed tantum in tunica esset sacerdotibus missandnm. Ex quibus sufficienter colligere potest fidelis, quod probatio fratrum est invalida, sicut et illa: Christus solum in virginitate et non in viduali castitate missavit saluberrime et sufficientissime, ergo non licet in viduali castitate missare, similiter non sequitur Christus in 30. anno fuit baptizatus, ergo securissimum est Christum imitari, non licet nisi in 30. anno hominibus baptizari, et patet in multis aliis, quod non sequitur. Item si securissimum est observare ritum circa coenam dominicam, quem Christus observavit et sui apostoli non mutaverunt, nec in aliud interpretati sunt, ut dicunt fratres, tunc infalibiliter fratres Thaborienses graviter peccant non observando ritum Christi in missando ad minus in 12 conditionibus circa coenam dominicam gestis; prima est, quia de vespere non missant, sicut Christus, sic scilicet, quod non licet mane vel alias missare.

2. quia non praemittunt discipulos ad praeparandum pascha dicendo: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.

3. quia frequenter non celebrant in coenaculo grandi strato, quia sub divo et parvo aut nullo strato scilicet in lapidibus aut lignis eligunt missare.

4. quia non praegustant panem et vinum et lactucas agrestes cum aliis in mensa positis et etiam pertinentibus ad esum agni paschalis ante consecrationem.

5. quia non dicunt sicut Christus dixit post esum sacramenti, se non manducaturos nec bibituros se de hoc genimine vitis, donec libant novum vinum in regno Dei.

6. quia non porrigunt prius populo calicem non consecratum, antequam porrigant consecratum, sicut Christus fecit.

7. quia non commedunt sacramentum sedendo cum populo, sicut Christus fecit cum apostolis.

8. quis non prius deponunt vestimenta, nec se linteo praecingunt, sicut Christus.

9. quia non prius lavant pedes discipulorum bonorum et malorum, sicut Christus fecit, mandans sacerdotibus, ut quemadmodum ipse fecit, et ipsi debeant facere, et sicut ipse corporaliter favit pedes, ita ipsi alter alterius debent corporaliter lavare pedes.

10. quia non reassumunt vestimenta sua prius deposita, sicut Christus fecit.

11. quia non immediate procedunt ad pernoctandum in oratione post coenam sacram.

12. quia non procedunt ad mortem immediate post sacram coenam, sicut Christus processit dicens: Surgite, eamus.

Istae sunt conditiones 12 in lege descriptae, et isti ritus circa coenam dominicam una cum multis aliis adhuc hic facitis, quos Christus, ut fide credimus, in coena observavit, quos tamen fratres Thaborienses, quia sciunt et non observant, ideo data eorum opinione et argumento ad minus peccant duodecies in missando, aut ergo eos in toto observent concludendo sibi per suum argumentum, aut quod eorum probatio non valet, nobiscum pariter sentiant et concordent; si enim ex ista ratione, utdicunt aliquem vel aliquos ritus circa coenam sacram volunt observare, scilicet quod securissimum est observare ritum circa coenam dominicam, quem Christus observavit, eadem ratione praecise et omnes illos ritus supradictos, quos modo non observant, tenebuntur observare, nec nos in veritate, nec aliquis sapientum sciet differentiam ponere et solutionem debitam hujus argumenti. Ideo vobis o fratres confidenter dicimus, quod si sic, sicut Christus ac apostoli in coena fecerunt, utique vultis facere, in hoc scilicet, quod apostoli sederunt et sacramenta manibus sumpserunt, et sic faciendum simplices docere et non prius praeadorare et credere cultu latriae verum Deum et verum hominem esse in sacramento praesentem, nec cum religione Christiana eucharistiam dare et accipere et has perfidias per Christum et apostolos, quasi ipsi sic fecerint, hodie excusare et propter hoc ne agatur reverentia sacramento, ecclesias comburere, altaria subvertere, vasa sacramentorum inhoneste tractare, aut, quod pejus est, diripere vestimenta sanctae missae, tollere aut in usus carnales contumaciter convertere et ne fiat differentia inter sacerdotem et laicum extrinsecus astruere, maledictisque erroribus, praesumtionibus et schismatibus viam aperire. Ideo si ista

facere volueritis, maledicti vos in montibus Thabor et Hermon; si autem facere recusaveritis, ex tunc e contrario benedicti vos ubique. Sed quod fratres figendo solutionem dicunt, quod licet omnes ritus observare in missando, quos Christus observavit, et quos discipuli non mutaverunt, nec in aliud interpretati sunt. Certum dictum hoc et falsum est et erroneum, quia apostoli non poterant legem Dei mutare, sicut nec hodie possunt, sicut supradictum est; sed quod non sint in alium sensum interpretati lotionem pedum, fides nostra est. Unde evasio eorum pro ista particula non valet. Dicant autem non fingendo ubi hoc, quod de vespere coena facta est, sunt interpretati. Similiter de praemissione discipulorum, similiter de coenaculo grandi strato, similiter de praecomedendo panem vinum et de anteporrigendo calicem non sacratum et de sedendo in porrectione et esu sacramenti, et de depositione vestimenti et de lintei praecinctione et de reassumtione vestimentorum et de processu ad pernoctandum in oratione. Dicant obsecro et non fingant, quod si non dicent, quaesumus ut inutiles evasiones non fingant dicendo, quod eas discipuli mutaverunt et in aliud interpretati sunt. Sed si dicunt de agno paschali, quod illum interpretati sunt, quid mirum, quia et Christus opere sacramenti melius est interpretatus agnum paschalem, quam Paulus ore, et tamen utrumque Christus fecit erga coenam. Interpretatio ergo non est causa, quare utrumque non servetur. Item si Christi ritus illi non sunt observandi ad litteram, quia discipuli eos interpretati sunt, tunc et vestes Christi ad litteram non sunt observandae in missando, quia apostolus e supra, ut fratres allegant, interpretatus est, dicens: Induite Dominum Jesum Christum; et iterum: Induite vos opera misericordiae; et iterum: Induite novum hominem. Ex quo patet, quod illa solutio eorum, scilicet quod illi ritus Christi, quos apostoli sunt interpretati, non sunt ad litteram observandi, dejicit totaliter opinionem fratrum de missando in vestibus suis ad litteram, quia apostolus est eas in alias vestes interpretatus. Utinam ergo dimissis extortis evasionibus, quae plus contra eos sunt; similiter dimissis probationibus suis levibus et frivolis, quae nihil aedificant, sed charitatem extinguunt et unitatem dirumpunt, non nisi e defectuosa ratione et pro nulla causa inceptis et inchoatis credant nobiscum sanctis supradictis, quibus prius constanter crediderunt, et qui, ut tunc nunquam meliores fuerunt, nec fortassis erunt, nec solum illis sed allegationibus scripturae, quas ad-

ducunt, hoc scientes ante omnia, quod sunt duplicia, quae fiunt circa hoc sacramentum, quaedam substantialia, quaedam accidentalia. Substantialia sunt 4, primo, quod consecrans eucharistiam sit sacerdos, secundo, quod sit materia panis et vini pura, sic, quod in pane non sit admistio alicujus grani non panei, quia quo ad hoc non fieret sacramentum.

Tertio: quod sit intentio debita consecrantis.

Quarto: quod sit forma verborum a Christo traditorum, et haec ucludunt majora praecepta evangelica. Alia sunt accidentalia circa sacramentum, scilicet ut vestes, vasa, loca, dispositio sacrificantis et reliqua, quae sancti apostoli et sequaces eorum, ne fieret in missando aliqua enormitas, aut discordiae diversitas, sed caritativa unitas juxta spiritus sancti consilia nobis ad unam normam confecerunt, et regulis et praeceptis et decretis pro universa ecclesia utilibus astringentes addiderunt, contra quae contemptibiliter excedere est contra ordinem universae ecclesiae excedere, hoc non videatur cuiquam parvum imo inter magna peccata computandum; sub aeterna enim damnatione tenemur nedum statuta apostolorum et aliorum seniorum, sed statuta ecclesiae etiam malignae et discolae, dummodo sint rationabilia, custodire et observare, uti Math. 23 et Marc. 15 et 16. et 1. Petri 2. Sed diceret aliquis: Quid igitur est intelligendum per factum Christi, qui in propriis vestibus celebravit. Respondetur: quod si consideretur tempus Christi et locus et dispositio, quae fuit plena periculis mortis et pressuris et minis et defectus talium accidentatium circa consecrationem, tunc doctrina est in Christo, quod sui fideles possunt meritorie taliter accidentati nedum in propriis vestibus, sed in saccis celebrare, sed habita facultate et liberate. Iniquum est apostolorum et ecclesiae praecepta sine causa contemnere, schismata educere, et quae bona sunt, mala judicare, et velut profana judicare teste propheta: Vae qui dicitis bonum malum, malum quod bonum, neque enim Moyses voluit omnia, quae tempore necessitatis fecit, alios facere, sed Deuteron 12. dixit: Non facies ibi, quae nos facimus hic hodie, scilicet in necessitatis articulo positi singuli, quod sibi rectum videtur; neque enim in praesens tempus venistis ad requiem et libertatem, in qua aliter agetis. Et ex isto possunt fideles scire, quod non sequitur: Christus in extrema necessitate fecit, ergo est sic a quolibet et semper faciendum; sed sic rectificatur argumentum: Christus sic fecit et sic aliis facere praecepit, ergo

sic et non aliter sub peccato est faciendum; sicuti valet argumentum: Christus fecit, non resistere malo, nec gladio materiali sacerdotibus pugnare, nec in armis missas celebrare, nec per nos ad suadendum occidere, comburere, spoliare, et hoc fieri praecepit, ergo sic etiam sub damnatione aeterna est faciendum. Similiter Christus sic fecit, scilicet quod senioribus in omnibus licitis obedivit et hoc fieri praecepit, ergo sub aeterna damnatione senioribus in omnibus licitis est obediendum. Ita argumenta tenent tanquam bona. Probent ergo fratres Thaborienses, quod Christus in propriis vestibus missare omnes obligavit et habebunt propositum. Sed si hoc arripuerunt, cum sit falsum, videbunt, quid ex hoc sequetur. Sed quantum ad aliud argumentum, quo per locum ab auctoritate magistri Jacobi sic arguunt: patet hoc per magistrum Jacobum, qui quondam idem nobiscum in hac materia sentiens in tractatu, quem fecit de cerimoniis, invehens contra illos, qui impugnabant sacerdotes circa infirmos vel alias, ubi necessarium erat, conficientes extra locum consuetum et sine vestibus exterioribus jam ad hoc consuetis ita scribit: Quod in primitiva ecclesia sancti missando communiter sine vestibus exterioribus jam ad hoc consuetis et consuetudine et adinventione hominum deputatis conficiebant et in hoc non peccaverunt, cum pro tunc maxime in omnibus agendis et praecipue circa procurationem salutis animarum, circa confectionem et ministrationem sacramentorum spiritu Dei agebantur.

Et 1. hinc de missatione beati Petri vetus testimonium adducens dicit: quod post passionem anno sequenti beatus apostolus, filius Johannis provinciae Gallileae de viro Bethaida frater Andreae tenuit sacerdotalem cathedram in partibus orientis annis quatuor et primam missam celebravit dicendo tantum pater noster. Haec fratres. Quae dicta sic allegantes multipliciter peccaverunt, primo in hoc, quia scripta ejus, quae ipse ex diversis hinc inde legendo congessit et pro ejus memoria notavit, pro et contra signavit ut patet in toto ejus decursu, tractatum appellavit de cerimoniis factum, quod non est verum; non enim est tractatus sed aggregatio incompta pro et contra per ipsum lectorem et contra eos, qui ante infirmos tempore necessitatis extremae consecrare absque vestibus et ritibus consuetis prohibebant collectorum.

2. peccant in hoc, quod partem scripturarum ejus, quae pro eis videntur, diligenter assumpserunt, sed quod immediate sequitur

et ejus propositum declarat, fallaciter dimiserunt, surripuerunt et truncaverunt, unde post illa verba, quae allegant, spiritu Dei agebantur, immediate sequitur, ergo et eadem ratione tempore necessitatis et nunc possibile est, quod sacerdotes Christi eodem spiritu agitati sicut olim sancti et eadem urgente caritate sine talibus vestibus consuetis et ecclesiasticis tempore necessitatis circa infirmos vel alios, dum alius modus convenientior non potest haberi, conficiant et infirmis desiderantibus fidelibus ministrent. Haec ibi. Ex quo patet peccatum furti, quod fratres commiserunt; ipse enim dixit, quod tempore necessitatis, dum alius modus competentior non posset haberi, quod sic possent conficere, sed tempore ejusdem necessitatis Petrus et alii sancti confecerunt. Ipsi autem ista, quae declarant ejus propositum, subtraxerunt.

Ex quibus 3., patet, quod scripta ejus, quae sibi subdole et occulte per quendam fratrem sunt rescripta et ulterius tradita contra illud ecclesiastici 27.: denudare amici ministeria desperatio est animae infelicis, ad intentionem aliam, quam scripsit, intendit aut docuit, adduxerunt, cum nunquam fuit propositi ejus, quod sine vestibus ecclesiasticis ad hoc deputatis absque necessitate et causis supradictis esset communiter sacrificium celebrandum, imo ut in eisdem comportatis suis posuit, quod enormiter peccant, qui solemnitates debitas absque hujusmodi necessitate praetermittunt, et quare hoc fratres non consumpserunt.

4. Peccant in hoc, quia eum in auctoritatem, ubi pro eis videtur, et non est, allegant, et ubi est contra eos corde, ore et opere, et in eisdem scriptis quasi per totum imo ecclesiae primitivae doctissimos sanctos, ut Clementem, Dionysium, Originem, Chrysostomum, martyres sanctos in testes non recipiunt, sed rejiciunt et contemnunt. Et patet, quod ex ejus scriptis non possunt fratres suas phantasias fundare aut munire.

C. 8.

Responsio sacerdotum Thaboriensium ad scriptum magistrorum Pragensium.

Ostenso, quod salvator noster Jesus sine eo ritu, quo nunc per orbem geritur, in vasis et in vestibus non ad usum communem, sed ad sacrificandum specialiter deputatis sufficientissime saluberrimeque

coenam suam peregit, quem apostoli in sic missando seu memoriam coenae suae peragendo imitati sunt, et moderni sacerdotes in hoc ceteris paribus non peccando ipsum possunt missando licite imitari, super cujus missationis opere nos, qui pro libertate cujuslibet veritatis Christi vere nobis cognitae vel cognoscendae se ipsos exposuimus, ritum nostrae missationis fundantes sine vestibus exterioribus jam ad hoc consuetis inventioneque hominum specialiter ad sacrificandum deputatis et sine ritu modo circa missationem a magistris et sacerdotibus Pragensibus usitato missamus, scientes, quia securissimum est observare ritum circa missationem, quem Christus observavit, et discipuli sui non mutaverunt, nec in quoddam aliud interpretati sunt, cupientesque, ut in sic missando a fidelibus Dei cognoscatur libertas, praesertim cum multi ob mollitam adversam consuetudinem et ad suum ritum impulsione magistrorum talem nostram missationem irrationabilem, deviam ac stultam asseverent. Et haec est brevis et generalis nostri tractatus praedicti tota intentio. Jam restat nobis ad praescriptum tractatum magistrorum Pragensium, quem de opposito ediderunt, accedere, qui non scripturis veraciter et debite applicatis aut rationibus, sed aut sola loquacitate aut nuda violentia fortes, praedictam in nostro scripto contentam veritatem zelanter impugnare intendentes, quasdam auctoritates scripturarum in unum volumen satis dispendiosa prolixitate compegerunt, putantes, se non tantum prudenti utilitate, quantum tumultuosae multitudinis verbositate proficere, et undecunque sibi succurrendo etiam ex impertinentibus adductis fidem simplicibus adjungere credituram. Sed cum opus virtutis praecipuum sit vera dicere, et hos, qui veritatem fallaciter impugnant posse revincere et eorum latibula coram aliis patenter aperire, ideo divino adjuti contra eos praesidio ad eorum tractatum descendentes ipsum invalidum nihil contra nostram probatam et bene fundatam sententiam ostendemus praemissa semper protestatione nostra in principio scripti nostri prioris expressa.

A. Frivolum fundamentum magistrorum.

Cum autem summarie in toto tractatu suo magistri Pragenses ad hoc laborent, quod sub aeterna damnatione tenemur nedum statuta apostolorum et aliorum seniorum, sed omnia statuta ecclesiae etiam malignae et discolae, dummodo sunt rationabilia, et ea exequi, non est de se peccatum, custodire et observare, quod pro prin-

cipio ponentes ex illo syllogisare nituntur et inferre istam consequentiam. Missare in vestibus exterioribus modo ad sacrificandum specialiter usitatis eo ritu, quo nunc per orbem geritur, instituerunt Patres antiqui, etiam si sint papae et homines longe ab imitatione Christi et ejus apostolorum declinantes, dummodo est rationabile et ex se non sapiens peccatum: ergo sine talibus exterioribus vestibus et sine ritu, quo nunc missatur, sacerdotibus missare non licet. Supra qua consequentia totius operis illorum stat aedificium et consistit fundamentum. Sed miramur de magistris, quod non erubescant, in publicum educere deductiones sic debiles et inanes, et quare super tam fragili fundamento tantum surrexit aedificium, tantus labor et tantum studium profecto uno levi aurae flatu protinus divellendum; et quare non timent simpliciorem logicum, qui conspectis his magistrorum probationibus mox ex suis veris rudimentis logicalibus clamabit, hoc argumentum magistrorum non valere. Patres antiqui, etiam si sint papae et homines longe ab imitatione Christi et ejus apostolorum declinantes, missare instituerunt in vestibus exterioribus modo specialiter ad sacrificandum usitatis eo ritu, quo nunc per orbem geritur, dummodo est rationabile, et ex se non sapiens peccatum; ergo sine talibus exterioribus et sine ritu, quo nunc missatur, sacerdotibus missare non licet, quasi sic in simili arguerent lavare manus, cum panem manducant, instituerunt seniores patres et hoc est rationabile et ex se non sapiens peccatum; ergo apostolis Christi non lotis manibus vel sine lotione manuum panes manducare non licet. Quis autem sapiens non dubitat, hoc argumentum non valere, cum antecedens est verum et consequens pertinaciter defensatum haereticum, cum sit determinationi Christi contrarium, qui ut Math. 15. scribitur, dicit, quod non lotis manibus manducare non coinquinat hominem, quemadmodum nec hoc argumentum simile valet: Apostoli decreverunt et spiritus sanctus, ut abstineant ab immolatis simulacrorum et a sanguine et a suffocato, ergo nulli licet comedere sanguinem, suffocata aut simulacris immolata; cum similiter antecedens est verum et consequens falsum. Et idem argumentum esset ad destruendas quam plures catholicas veritates, si deberent habere processum tam vanae magistrorum deductiones. Ex quibus cuilibet constare potest, quod institutio patrum antiquorum de vestibus exterioribus modo usitatis et specialiter ad sacrificandum humana inventione deputatis et ritu modo circa missationem a magistris et sacerdotibus Pragen-

sibus usitato et maxime, si hujus institutores sint papae et homines longe ab imitatione Christi et ejus apostolorum declinantes, etiam si sit rationabilis et ex se non sapiens peccatum, non obstat, quin aliquando sine talibus vestibus et ritu licitum sit missare, dummodo alia de necessitate ad missationem requisita observentur, quemadmodum nobis a magistris est concessum. Quo habito constat, magistrorum fundamentum cum totius operis illorum aedificio eversum jam esse et ejectum. Et quamvis una responsione concedamus magistris scripturas omnes, quas incorrupte et intruncate allegant, propositum tamen, quod argute et indirecte vellent ex illis ellicere, tanquam frivolum abnegamus, praesertim cum nullibi scripturam habeant legis novae et veteris aut alicujus sancti authentici in eadem se vere fundantis, qui ex directo diceret, praedictam nostram missationem non esse licitam et catholicam, vel Christum et suos apostolos sine eorum ritu eo modo, quo nunc per orbem geritur, non missare. Scimus autem, quod illud, quod non est prohibitum, intelligitur esse concessum, specialiter dum illud per Christum et suos apostolos est factum, ut dist. 2. quaest. 4. consulimus super verbo superstitioso; quod autem sic missare sine talibus vestibus et sine tali ritu non sit prohibitum, sed concessum, nostrae scripturae et deductiones per nos allegatae aperte illam missationem licitam, imo missationi Christi, quam est magistrorum missatio, propinquiorem, expressa voce profitentur.

B. Quinque injuriae, quas magistri faciunt, per ordinem sequuntur.

Quamvis autem quaedam generalis responsio sufficit evacuare totum propositum magistrorum, tamen ut illorum inefficax labor amplius detegatur et distincta discussione revincatur, allegationes magistrorum specialibus responsionibus possetenus explicabimus. Unde quinque manifestas injurias colligimus ex praedicto magistrorum tractatu, quas inferunt, unam Deo, aliam legi suae, tertiam sanctis pluribus, quos allegant, quartam nobis et quintam tractatui nostro.

1. Deo faciunt injuriam, quando institutionem de modernis exterioribus vestimentis sacerdotibus legis gratiae ad sacrificandum specialiter deputatis dicunt esse Dei institutionem, quod aestimantes se probare adducunt illud Exod. 28. ubi dicit Dominus: faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam et decorem, in quibus

sanctificatus ministret mihi. Et infra: porro filiis Aaron lineas tunicas parabis in gloriam et honorem, utenturque eis Aaron et filii ejus, quando ingredientur tabernaculum testimonii et quando appropinquant ad altare, ut ministrent in sanctuario. Et ad hoc idem adducunt Ezech. 42 et 44. capitulis, inducentes in confirmationem glossam ordinariam super verbo: cumque ingredientur, et Origenem homil. 4. super Levitico, qui loquentes de sacerdotibus legalibus seu Aaronicis dicunt, quod aliis indumentis utitur sacerdos, dum est in sacrificiorum ministerio, et aliis cum procedit ad populum. Ex quibus magistri aliud non probant, nisi quod sacerdotes Aaronici legis veteris ex praecepto divini alia speciali exteriori veste induebantur, quando ministrabant in sancta sanctorum et alia, quando egrediebantur ad populum, ut scripturae per magistros Pragenses adductae cum confirmatione Glossae ordinariae et dicto Origenis testantur; et hoc nos nunquam negavimus, nec hodie negamus. Ubi autem magistri ex illo Aaronicis sacerdotibus dato praecepto volunt probare suos ornatus, quod videlicet sacerdotes evangelici sub tempore legis gratiae ex illo praecepto antiquae legis sacerdotibus dato obligarentur ad aliquas tales exteriores vestes specialiter ad sacrificandum deputatas, hoc nunquam concedebamus eis et hodie abnegamus; tum primo, quia Christus non processit de tribu Levi, sed de tribu Juda, cui non fuit datum tale mandatum, et apostolus Hebraeorum septimo dicit: translato sacerdotio necesse est legis translatio fiat; tum secundo quia illa processerunt in figura. Cum autem res figurata melior debeat esse, quam figura, convenienter videtur esse dicendum, quod illa vestimenta Aaron figurabant vestimenta spiritualia interiora, quibus specialiter sacerdotes evangelici debent ornari, et sic ornati in ecclesia Dei ministrare, ut docet apostolus 1. Tim. 3. dicens: Oportet episcopum esse irreprehensibilem, sobrium et ornatum etc., ubi apostolus late declarat Timotheo episcopo interpretando sibi legalia vestimenta sacerdotum ad speciales virtutes, quibus induti sacerdotes evangelici debent in domo Dei, id est in ecclesia ministrare, et haec spiritualia vestimenta multo praetiosiora sunt, quam illud extrinsecum legalium sacerdotum indumentum; et ne magistri dicant nobis de tractando videlicet, quod hoc secundum proprium nostrum sensum nobis fingamus, audiant fideles, quid in decreto distinctione 34. sub auctoritate Gregorii dicitur: Oportet quoque episcopum esse ornatum et hospitalem, ornamenta episcopalia virtutes debent intelligi

quae a domino eis repromittuntur, cum dicitur: sacerdotes enim induantur salutari, unde in veteri testamento sacerdotes Dei variis vestibus ex praecepto Domini ornati leguntur, quia ex multis virtutibus debet splendere vita pontificis, ut gradui conferat decorem, quem ab eo non accepit; non enim loca, sed vita et mores sanctum faciunt sacerdotem, unde ex officio suscepto non licentiam peccandi, sed necessitatem bene vivendi se noveriut assecutos. Haec ille; ex cujus decreti dicto patent tria:

Primo, quod per ornatum, quo apostolus ornatum sacerdotem jubet esse, intelligantur virtutes.

Secundo, quod in veteri testamento sacerdotes variis vestibus ex praecepto domini utebantur ad significandum hoc, quod ex multis virtutibus splendeat vita Christi pontificis.

Et tertio, quod virtutes conferunt decorem gradui, quae sanctum faciunt sacerdotem. Ut autem in ore duorum idoneorum stet verum testimonium, audiant fideles beatum Augustinum super illud psalmi: Sacerdotes tui induantur justitia, dicentem: Sicut in veteri testamento sacerdotes diversis ornamentis utebantur vestium: ita evangelici sacerdotes diversis virtutibus adornantur. Haec sunt ornamenta, quae Deus exigit; quae enim legales pontifices in vestibus gestabant, illa evangelici sacerdotes in cordibus habere debent. Haec ille. Audiant pro eodem fideles et alium idoneum tertium testem Origenem, qui Homil. 4. super levitico immediate post verba per magistros allegata de hoc, quod sacerdos Aaronicus aliis vestimentis utitur, dum est in sacrificiorum ritu, et aliis, cum procedit ad populum, convertens sermonem ad sacerdotes evangelicos, sic subinfert: Hoc faciebat et Paulus scientificus pontificum et peritissimus sacerdotum, qui, cum esset in coetu perfectorum tanquam inter sancta sanctorum positus et stola perfectionis indutus, dicebat: sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non hujus mundi, neque principum hujus mundi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam nemo principum hujus saeculi cognovit; si enim cognovissent, nunquam Dominum majestatis crucifixissent, sed post haec tanquam ad populum exiens mutat stolam et alia induitur longe inferiore, quam illa. Et quid dicit? nihil aliud, inquit, judicavi me scire inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Vides ergo istum doctissimum sacerdotem, quomodo sit indutus, cum est inter perfectos vel in sanctis sanctorum, alia utitur

stola doctrinae; cum vero exiit ad eos, qui incapaces sunt, mutat stolam verbi et docet inferiora et alios lacte potat ut parvulos, alios oleribus nutrit, ut infirmos, aliis vero fortes praeparat cibos, his scilicet, qui pro possibiltate sumendi exercitatos habent sensus ad discretionem boni vel mali. Sic sciebat Paulus mutare stolas et alia uti ad populum, et alia in ministerio sanctorum. Ipse autem pontificum pontifex et sacerdotum sacerdos Dominus et Salvator noster, de quo dicit apostolus, quod sit pontifex futurorum bonorum, audi, quomodo prius haec fecerit, et ita discipulis suis haec imitanda reliquerit, evangelium refert de eo et dicit, quia in parabolis loquebatur ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis, seorsum autem solvebat eas discipulis suis. Vides, quomodo ipse docuerit aliis indumentis uti debere pontificem, cum procedit ad turbas, aliis cum eruditis et perfectis ministrat in sanctis. Haec ille per totum; ex cujus verbis luculenter patet sensus illius divini praecepti de indumentis sacerdotum legalium; ostendens quod hoc, quod Aaronici sacerdotes extrinsecus observabant, hoc evangelici sacerdotes spiritualiter implere debent exemplo salvatoris nostri et sui apostoli Pauli. Quae fuit et est nostra sententia, propter quam nemo nisi tumidus et superbus poterit nos in hac sententia incusare; certum enim est, quod praeallegati sancti non obligant sacerdotes evangelicos in sacrificando ad aliquam exstrinsecam specialem vestem, sicut ad hoc significandum specialiter Origenes Homil. 6. super Levitico de indumentis sacerdotum evangelicorum loquens in primo nostro praemisso scripto capitulo IV. praeallegatus, inter caetera ibi expressa ita scribit, quod apostoli merito duas tunicas habere probibentur, sed sufficit eis una et haec interior; nam istam, quae foras est, et quae desuper apparet legis tunicam nolunt, unam namque eis Jesus et hanc ipsam interiorem habere permittit. Haec Origenes; et in signum horum, quae dicuntur, glossa ordinaria, quam magistri pro se in confirmatione adduxerunt, tangit triplex sacerdotium, scilicet gentile, legale et evangelicum, et cujuslibet sacerdotii ponit speciale indumentum; sacerdotii gentilis lineum, sacerdotii legalis alterum habitum in ministerium alterum in usum et sacerdotii evangelici habitum interiorem ipsum ornantem. Ex quorum sanctorum jam adductorum dictis manifeste ostenditur, quod istae vestes exteriores sacerdotum, pro quibus magistri nobiscum contendunt, non sunt a Deo sacerdotibus evangelicis institutae per illas scripturas, per magistros in eorum tractatu

de Aaron et filiis ejus allegatas et quod pro aliis sacerdotum indumentis sanctis cura fuit, quam miranda caecitas in Israël magistrorum astruit, et per consequens magistri non bene ornamenta sua fundant in veste Aaronica, nec fideliter se habent ad doctores, quando hoc solum, quod eorum servit proposito, ex eorum dictis capiunt de veste videlicet Aaronica, sed hoc, quod de evangelicis annectunt sacerdotibus, infideliter subticent; et haec ratio, quare Christus existens in coelo sacerdos spiritualis omni vestimento sordido exutus et vestimentis gloriae et honoris, decore scilicet fortitudinis et virtute indutus, volens suos evangelicos sacerdotes indutos esse spiritualibus indumentis ad exonerandum suos sacerdotes ab illo praedicto Aaron praecepto. Coenam suam instituens, non est usus aliqua speciali veste, sed nominanter ut Joannis 13. scribitur, accepit vestimenta sua, scilicet usualia, quae deposuerat secundum Gorram, quod non fecisset, si pro tunc voluisset habere suos sacerdotes obligatos ad utendum illa veste Aaronica vel alia ad ministerium coenae Dominicae specialiter deputata, ex quo non venit solvere legem sed implere Math. 5. Cessent ergo magistri institutionem de istis sacerdotum vestimentis, pro quibus nobiscum contendunt, dicere Dei institutionem, cum careant ad suum dictum Dei testimonio et per consequens dicentes illam Dei institutionem Deo faciunt injuriam, quod super illis erat probandum.

Aliam injuriam in tractatu suo faciunt legi Dei, quando institutionem de istis sacerdotum vestibus, quibus in missando utuntur, dicunt legem Dei adjuvantem, quod promittentes se primo capitulo sui tractatus probare, nullibi postea in toto tractatu suo probant. Sed quod hujusmodi institutio una cum ritu eorum missandi non juvant legem Dei, sed eam plus illibertant, impediunt ac diminuunt, postea dicetur et probabitur suo loco.

C. Invalida magistrorum ornatuum probatio ex nova lege.

Videntes autem magistri, quia haec probatio ornatuum ex veste Aaronica ipsis bene stare non posset, tentant illos ornatus ex lege nova fundare, quando post probationes eorum, quas ex lege veteri adduxerunt, pro eisdem prope finem primi capituli sui tractatus sic subjungunt: Ut autem sit rota in rota et sensus legis veteris in sensu legis novae, patet hoc factum ex opere Christi etc., ubi primo nitebantur hoc probare ex opere Christi, qui, ut Joannis 13. legitur,

aliis vestimentis usus est circa servitia corporalia, et aliis circa sacramentorum ministeria, quod utique, ut inquiunt, fidelibus facit fidem, quod aliis vestibus uti debemus ad usus communes hominum et aliis ad eucharistiae ministerium juxta dictum Ezechiel et glossae ordinariae testimonium per eos, ut superius dictum est, citatum.

Secundo tentant hoc probare ex illo Math. 17. ubi Christus in monte Thabor apparuit in vestibus albis sicut nix.

Et tertio tentant hoc probare ex illo, quod justus Joseph ab Arimathia laudatur, qui mercatus est sindonem mundam, ut habetur Marci 15.; deputavit eam ministerio et obsequio corporis Christi, ex quibus illud eliciunt magistri, quod, ex quo Christus circa corporalia servitia usus fuit aliis vestimentis, quam circa coenae suae ministerium, quare sacerdotes moderni non similiter faciant. Et iterum ex quo Christus placuit Deo patri in vestibus albis et candidis, quare non sacerdotes moderni in ornamentis sericis vel diversi coloris non placerent; vel si Joseph laudatur deputans sindonem mundam obsequio corporis Christi, quare sacerdotes moderni non uterentur aliquibus talibus vestimentis circa sacramentorum ministerium. Hae sunt probationes magistrorum pro fundandis eorum ornatibus ex nova lege. Sed potest quilibet compos rationis cognoscere, quod istae non sint sufficientes probationes ad hoc, quod sacerdotes Christi ex his operibus jam dictis debeant necessario uti aliqua tali exteriori veste specialiter ad sacrificandum deputata, quia si Christus per hoc, quod circa lotionem pedum apostolorum alia utebatur veste, quam circa ministerium coenae suae instituere voluisset, quod sacerdotes moderni in missando ornatibus vel aliqua alia speciali veste uterentur; tunc potius Christus in veste usuali lavisset pedes discipulorum et coenam suam ministrans linteo se praecinxisset; sed quia oppositum huic evangelium exprimit, ideo non convenienter magistri in hoc opere Christi sua fundant ornamenta, nec etiam in hoc ornatus modernorum sacerdotum habent suum verum fundamentum, quod Christus in monte Thabor in veste alba sicut nix apparuit, cum Marci 9 dicitur, quod talia vestimenta fulo non potest super terram candida facere, ex quo evidenter elicitur, quod talia non sunt ornatus sacerdotum, cum illa faciunt homines, et notum est, quod ibi Christus, ubi in tali veste apparuit, non celebravit, nec coenam suam ministravit, sicut nec tunc, quando Joseph in sindone munda corpus Christi involvens sepelivit. Ergo relinquitur, quod non ibi orna-

tus verum habent fundamentum. Quod si adhuc magistri semper voluerint asserere, quod in dictis operibus ornatus sacerdotum haberet fundamentum, tunc eadem ratione exercitus fideles deberent semper in ornamentis talibus incedere, eo, quod Joannes Apocalypsis 19. vidit exercitus sequentes Christum in albis equis vestitos byssino albo et mundo. Et secundum hoc etiam laici circumdati sindone munda deberent Christi corpori communicare exemplo Joseph, qui laicus existens Christi corpori obsequebatur. Ex his jam dictis fideliter pensatis quilibet intelligere poterit, quod illa ornamenta in missa, pro quibus magistri tam avide instant, nec in nova lege, nec in veteri habent verum fundamentum, et quod illa omnia, quae pro fulcimento circa hoc magistri sibi capiunt, aliud non probant, nisi quod sacerdotes Aaronici tempore legis veteris alia veste speciali induebantur, quando in sanctis sanctorum ministrabant, et alia quando egrediebantur ad populum et hoc nunquam negavimus; sed quod haec vestis Aaronica sub lege gratiae obligaret ad habendum talem aliquam specialem vestem in ministerio, hoc nunquam magistri docere poterunt, ut potest patere ex praemissis, nec illi sancti, quos ipsi allegant illud asserunt, hinc est, quod magistri sentientes, quod nullum fundamentum, sive ex nova, sive ex veteri lege, quibus dictos ornatus probare conantur, ipsis stare potest.

Ultimo ad Romanos recurrunt pontifices, si saltem per illos circa ornatus eorum possint persistere; et pro illo adducunt diversos pontifices Romanos et doctores, qui de veste aliqua sacerdotibus deputata faciunt mentionem, et sicut ex eorum scriptis percipi potest, imprimis post institutionem factam de illis vestibus potuit una esse differentialis vestis et postea in successu temporis ille unum et ille aliud addidit; nullibi tamen doctores, quamvis de illis faciant mentionem, ipsa mysticantes de tempore (quorum?) illis jam praecesserat institutio, scribunt, quod Christus vel ejus apostoli alicubi praecipiant, quod sacerdotes moderni utantur aliqua speciali exstrinseca veste circa sacramenti ministrationem, aut quod soli ipsas habeant.

Verum magister Jacobellus in tractatu in primo nostro scripto nominato scribit expresse, quod olim sancti missando conficiebant communiter sine vestibus exterioribus jam ad hoc consuetis et consuetudine et adinventione hominum deputatis et in hoc non peccaverunt; et ibidem argumento Alberti Magni sic arguit: cum Christi actio nostra sit instructio, et in nullo legitur Evangelistarum, quod Christus

vestes sacerdotales in confectionem sacramenti induerit, vel etiam quod apostolos induere fecerit; ergo Christus et apostoli sine talibus sacramentum confecerunt, et per consequens adhuc sacerdotes absque talibus possunt conficere. Haec ille; in cujus confirmationem in Rationali Wilhelmi parte prima capitulo secundo legitur: sane in primitiva ecclesia sacrificium fiebat in vasis ligneis et vestibus communibus; tunc enim erant lignei calices et aurei sacerdotes, nunc autem est e contra. Haec ille. Et hoc nos magistris concedimus, quod illorum suorum ornatuum non nisi ab imperatoribus et Pontificibus Romanis habent fundamentum, quia ab illis longe post apostolos institutum exstitit, ut sacerdotes speciali veste ad sacrificandum deputata, et ab episcopis vel episcopo consecrata circa ministerium coenae dominicae uterentur.

Quamvis pars nobis in hoc adversa certitudinaliter ostendere nescit, quis pontificum primus excogitasset illas, cum quidam uni et alii alteri hoc adscribant; verisimile tamen videtur, ut quidam dicunt, quod Sylvester papa recipiens a Constantino Imperatore ornamenta imperialia post hoc statuit, ut sacerdotes circa missationem talibus utantur. Hinc doctor evangelicus saepe in suis scriptis illas vestes vocat caesareas; et postea ut Eusebius Caesariensis scribit, quod hoc fuisset candidissimum collobium, sicut illum circa finem tertii capituli sui tractatus allegant, ex cujus Eusebii dictis, quem allegant, duo habentur: unum quod Eusebius dicit, Sylvestrum collobium candidissimum in celebrando induisse; secundo quod Sylvester illud collobium fuisse beati Jacobi perhibebat; sed ex parte utriusque insufficiens testimonium; ambo enim auctoritate carent. Si ergo magistri carent certiori testimonio de vestibus sancti Jacobi, Judaei super istorum testimonio modicum mutuabunt; scitur enim a fidelibus, qualiter Sylvester contra Christi regulam et ejus evangelium dotationem et omnia ornamenta imperialia a Constantino Imperatore acceptavit, ut habetur in decreto, distinctione 96, Constantinus. Ergo non est sibi fides adhibenda in hoc, quod ipse illud collobium candidissimum, quo utebatur, Sancti Jacobi Apostoli esse perhibebat. Verisimilius ergo videtur dicendum, quod illud erat Constantini, quia ab illo, ut praemissum est, diversa ornamenta imperialia receperat. Potuit ergo bene ad sui excusationem illud dicere, esse sancti Jacobi apostoli, quemadmodum multi alii Romani pontifices indulgentias eorum fictas et in lege Domini non fundatas simoniam et alia enormia vitiosa facta

auctoritate beati Petri et Pauli excusare non formidant, qui nunquam hoc, quod eorum, ut sic auctoritate se facere dicunt, confirmabunt; ergo ex parte Sylvestri testimonium est insufficiens. Ex parte autem Eusebii testimonium claudicat, cum, ut in decreto, distinctione 15., scribitur, libri etiam ejus ab ecclesia rejiciantur. Ideo si volunt magistri de beati Jacobi collobio gloriari, provideant sibi de testimonio certiori; nos enim ignoramus, si unquam beatus Jacobus hoc ipsis de se confitebitur quoquomodo; qualitercunque autem sit de hoc, nos relinquentes eis hanc contentionem inutilem, in hoc residemus, quod illos ornatus aut tales non habuit Christus, nec sui apostoli, nec de habendo ipsos nobis in scripto aliquid reliquerunt.

Ex quibus quilibet intelligere potest, quod non ex lege, sed ab imperatoribus vel a pontificibus Romanis ornatus magistrorum, pro quibus tam avide instant, vigorem obligatorium receperunt, et quotquot doctores per magistros pro illis ornatibus adducuntur, tempore quorum jam erat institutio pro eisdem, illi qui de ipsis faciunt mentionem ipsos quandoque mysticantes intelligunt ipsos fore non de necessitate missae necessarie requisitos, sed de bene esse, teste Alberto Magno, quem etiam magister Jacobellus in suo allegat tractatu saepe dicto, qui in libro de officio missae circa finem libri sic scribit: de vestibus dicendum videtur, quod vestes sunt de bene esse, ut ostenderent munditiam et virtutes, quae in tanti sacramenti ministerio debent esse, et ad hoc etiam fuerunt in veteri testamento; et quoad hoc benedictio vestium non est superflua, si tamen sacerdos sine eis celebret sacramentum, pro certo ipse conficit. Haec ille. Ista auctoritas respondet omnibus aliis, quas magistri adducunt, qualiter sunt intelligendae; quia videlicet ornamenta illa jam usitata circa missam sunt de bene esse, et sacerdos sine illis celebrans conficit sacramentum.

C. 9.

Injuria, quam magistri faciunt pluribus sanctis, quos allegant.

Postquam ostensum est, quod magistri in tractatu suo, quem contra nos ediderunt, injuriam faciunt Deo, et suae legi, jam restat ostendendum, quam sanctis, quos allegant, faciunt injuriam; dicunt enim, quod iste ritus in vestitu et gestu sacrae missae, pro quo contendunt, ab universali ecclesia sic, ut inchoatus est a beato Petro et

aliis apostolis et primis sanctis eorum discipulis, scilicet Clemente, Dionysio et Timotheo est traditus, hucusque in ecclesia Dei rationabiliter continuatur, imo post magis ad specialia descendentes dicunt, quod pro majori, imo quasi in omnibus sit ritus Petri, Jacobi, Clementis, Anacleti, Dionysii et ceterorum martyrum Jesu Christi et sanctorum Patrum et ecclesiae universalis mos etjam apostolorum ore confirmatus. Quod quam sit dicere temerarium et inauditum et fictitium, patet in jure divino et humano seu canonico nutritis; constat enim de beato Petro, quod post passionem domini anno sequenti beatus apostolus filius Johannis provinciae Gallileae de viis Bethsaida frater Andreae tenuit sacerdotalem cathedram in partibus Orientis annis quatuor, et primo anno primam missam celebravit dicendo tantummodo Pater noster, ut in Chronica Isidori minori ex testimonio Hugonis libro 2. de Sacramentis parte octava legitur, et hoc iterum in Rationali Wilhelmi episcopi Wilmacensis libro 4. cap. de salutatione ad populum legitur: in ecclesia Lateranensi in missa non dicitur aliqua alia oratio, nisi oratio dominica, in signum, quia, inquit, in ecclesia primitiva sic fiebat, et batus Petrus non legitur aliquam specialem vestem ad sacrificandum specialiter deputatam induisse; et pro illo succincto et brevi ritu missandi est Augustinus et ponitur de conciliis dist. 2. Utrum in fine, qui sic dicit: Missa proprie est eucharistiae consecratio, reliqua vero, quae sacerdos dicit, aut clerus chori canit, nihil aliud quam laudes et gratiarum actiones sunt aut certae obsecrationes fidelium et petitiones; et illa reliqua sunt per successum temporis pro majori parte post multa curricula annorum per papas et homines longe ab imitatione Christi et ejus apostolorum declinantes instituta et excogitata. Archidiaconus enim glossator decreti de Con. distinctione prima Jacobi super verbo: Missae celebrationem, cum quo concordat Bernardus in suo Rationali et Wilhelmus Episcopus Wilmacensis, qui in unum convenientes scribunt, quod imprimis missa in vestibus communibus solum cum forma verborum sacramentalium, scilicet: Hoc est corpus meum, celebrata fuit, additum per Petrum seu apostolos Pater noster, et hoc inquiunt, significat officium diei Veneris circa altare, quia incipit a Pater noster a sacerdote ministrante. Post hoc inquiunt, addita fuerunt ab ipsis apostolis lectio epistolae et evangelii, ad cujus inquiunt significationem die Sabbathi Sancti officium missae incipit a prophetiis sive lectionibus; demum inquiunt,

successores eorum alii cantum et alii alia addiderunt; ut patet legentibus Chronicas antiquorum cursus currentes post passionem Christi et mortem ejus apostolorum pro memoria hominum exarantes. Coelestinus enim papa anno dom. 428 fecit cantum missae, introitum, gradualia, offertoria, antea enim solum epistolae Pauli et evangelia legebantur, et psalmum: Judica me Deus, dici ante confessionem et introitum et psalmum cantari ad introitum et gloria Patri in fine psalmorum. Damasus papa constituit, missas incipi ab introitu, quae prius a Kyrie eleison incipiebantur, sicut adhuc fit in vigilia paschae et Pentecostes et Kyrie eleison prius constituerat Sylvester anno Dom. 315. qui etiam recepit a Constantiono imperatore omnia imperialia indumenta, ut his induatur in missa. Antea enim ut testatur Rationalis adductus in capitulo praecedenti, sane in ecclesia primitiva sacrificium fiebat in vestibus communibus. Thelophorus papa anno Dom. 140 constituit gloria in excelsis canere usque: Laudamus te, quod postea Symmachus anno dom. 501. prolongavit, ut modo canitur, et constituit ipsum omni die Dominico cantari, praeterquam in adventu et a septuagesima usque pascha, et in missa de sanctis semper decantari, et tres missas in Christi nativitate celebrari, et quod alio tempore nullus celebret ante tertiam. Hieronymus presbyter Cardinalis anno dom. 272 ex mandato Damasi papae epistolas, evangelia per circulum anni et de sanctis ordinavit officium ad horas canonicas alternatim, adjungens psalmos et gloria Patri in fine psalmorum, quod ante non cantabatur. Gregorius primus ann. 591 constituit, ut ad horas canonicas dicendas sint astricti et composuit collectas secretas complendas, offertoria et communiones. Ambrosius vero Gradualia et alia et ut lumen ardeat in ecclesia, dum missa celebratur. Leo primus instituit in missa: Orate pro me fratres et sorores; et in fine Deo gratias. Gelasius anno d. 494 ordinavit omnes tractus, hymnos et praefationes et vere dignum est. Sixtus anno d. 129 constituit Sanctus dici ante consecrationem et vasa ecclesiae non tangi nisi a ministris ecclesiae et missam super altare celebrandam. Gajus an. d. 262 constituit, ut sacramentum consecretur super altare, quod prius in mensa fiebat. Gelasius primus an. d. 496 composuit Canonem. Gregorius primus a. d. 591 constituit in capite jejunii cineris benedictionem et aspersionem in die paschae agni, caseorum, ovorum ac lardi benedictionem et canonem augmentavit addens: Diesque nostros, usque ibi memorari. Et Leo

primus in Canone apposuit: Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Urbanus II. anno dom. 1086 instituit praefationem de beata Virgine: Et te in veneratione etc. et horas de beata virgine quotidie in ecclesia dici. Innocentius primus anno d. 407 constituit osculum pacis dari loco communionis et ante agnus Dei: pax Domini sit semper vobiscum. Alexander a. d. 121 constituit sal et aquam diebus dominicis benedici et aquae aspersionem in illis fieri, et addidit in Canone: Qui pridie quam pateretur, et ut aquae vino in missae sacrificio misceretur; et ordinavit, ut sacramentum fieret ex azymo et in modica quantitate, antea enim libere recipiebatur panis fermentatus, et non sic in parva quantitate, prout adhuc hodie in Graecia, quae est filia apostolorum, observatur.

Agapitus a. d. 536 constituit fieri processiones diebus Dominicis. Anacletus a. d. 102 constituit, ut clericus non ferat comam vel barbam, sed comam et barbam radat. Et post hoc Anicetus a. d. 166 constituit, ut corona clerici sit spherica et crines breves. Sephorinus a. d. 210 constituit, ut calix et omnia vasa vitrea sint vel stannea, quod per annos C in universa ecclesia servabatur; postea vero Urbanus natione Romanus instituit, ut omnia vasa altaris sint aurea, argentea vel stannea, et confirmationem fieri cum chrysmate, quae prius fuit cum manuum impositione sine chrysmatione. Calixtus a. d. 220 coemeterium primus instituit, usque tempora Calixti ecclesia non habuit coemeterium, omnes sepeliebantur in lucis (!) vel aliis locis, postquam ecclesia crevit, hoc inhibuit pro eorum utili et profectu, et postea coemeteria pro eorum praerogativa per alios sunt firmata. Sylvester postea a. d. 315 altarium et ecclesiarum et coemeteriorum constituit dedicationes. Pelagius secundus a. d. 568 constituit, ut memoria defunctorum fiat in omni missa post elevationem hostiae salutaris. Et Felix primus constituit supra memorias martyrum missas celebrari. Et Gelasius constituit in Canone dici: Quorum solemnitates hodie in conspectu majestatis tuae celebrantur, Domine Deus noster toto orbe terrarum, inter quorum nos consortium etc. Zozymus constituit cereum paschalem benedici et ut quilibet Christianus in missa sacrificet. Sixtus primus anno do. 129 constituit, quod mulier vasa altaris non tangat, nec pallas, nec corporale quod fecit fieri non de serico, sed de lino candido. Et postea Gregorius primus a. 591 constituit, ut calix super corporale locetur ad dexteram et hostia ad sinistram. Sergius ordinavit Agnus Dei in

missa dici in fractione hostiae. Felix quartus constituit, ut anniversarius dies dedicationis ecclesiarum, altarium singulis annis solemniter celebretur. Clemens anno d. 94 constituit in missa sacris uti vestibus et episcopos uti baculo pastorali, annulo, chyrothecis et sandalis. Lucius constituit, ut vestes consecratae non habeantur in usu quotidiano. Vitalianus a. d. 641 fecit organa et concordat (?). Sabinus instituit pulsum campanarum, et ut in omnibus canonicis horis pulseotur in singulis ecclesiis. Martinus episcopus Viennensis propter cladem et insaniam bestiarum triduum ante ascensionem domini letanias instituit, quas Simplicius papa approbat. —

Ex istis indifferenti oculo pensatis clare cuilibet patere potest, quod ritus magistrorum et sacerdotum Pragensium non est ritus ecclesiae primitivae, sed est ritus per successum temporis pro majori parte post multa curricula annorum per pontifices Romanos institutus et confortatus, et si tempore apostolorum et in ecclesia primitiva ita curte et sine istis exterioribus vestibus et specialibus et sine ritu modo circa missationem a magistris et sacerdotibus Pragensibus usitato rationabiliter et salubriter missabatur, ut in primo nostro contra magistros scripto ostensum est, et iste ritus missandi modernus in gestu sacrae missae est in successu temporis post multa curricula annorum per papas et homines jam longe ab imitatione Christi et ejus apostolorum declinantes ordinatus, ut patuit ex praedictis: quomodo, rogo, verum est, quod dicunt magistri, quod iste ritus eorum ab universali ecclesia sicut inchoatus est a beato Petro et aliis apostolis et primis sanctis eorum discipulis scilicet Clemente, Dionysio, et Timotheo est traditus, et ore apostolorum confirmatus, hucusque in ecclesia Dei rationabiliter continuatur; cum post beatum Petrum, Jacobum, Dionysium et Timotheum multa ista per successum temporis sint ordinata et instituta. Et magister Jacobellus in tractatu suo saepe dicto post allegationem multorum paparum ritum saepe dictum magistrorum instituentium particulariter et temporis in successu sic subinfert: Ecce quanta varietas per successum temporis constitutionum paparum, quae a multis reputatur tanquam evangelium de necessitate tenenda. Sed notum debet esse fidelibus, quod talia et alia quam plurima licet jam antiqua consuetudine observentur, tamen debitis occurrentibus circumstantiis tempore necessitatis possunt rationabiliter immutari. Haec ille. Nec illud subterfugium magistrorum ipsis suffragatur, quo

capitulo 7. sui tractatus negantes suum ritum esse ab hominibus longe a vita Christi et ejus apostolorum declinantibus inventum, sed esse ritum pro majori parte Dionysii, Jacobi, Anacleti et caeterorum martyrum Jesu Christi et sanctorum patrum et universalis ecclesiae (secundum) morem per alios papas longe post promulgatum et ad tenendum ubique demandatum, sed non inventum primitive. Probant hoc de pater noster, symbolo et psalmis, cum ad hoc sane potest responderi, quod grave est magistris probare similitudinem, cum non possint veraciter ostendere, quod Christus vel sui apostoli alicubi ante institutionem multorum praedictorum in ritu magistrorum contentorum et per papas institutorum et promulgatorum, ista sic prius instituissent, sicut ostendere possunt, quod symbolum vel pater noster dici instituerint, et per consequens ad excludendum eorum fictitium papae aliqui in eorum ritu sibi instituentes exprimunt, quod illa prius non erant, ut potest colligi ex praemissis paparum institutionibus, et in signum illius distinctione 15. legitur in decreto: quod canones generalium conciliorum a tempore Constantini Imperatoris coeperunt, in quibus constitutiones praedictae, ut communiter (creditur), sunt factae. Si autem adhuc hoc audent profiteri, probent, si possunt, cui apostolorum ritus noster missandi sine talibus vestibus et sine ritu magistrorum contrariatur, conproportionentque ritum suum sacrificandi ritui Petri, Jacobi et Dionysii, cum quibus ipsos pro se allegantes multum gloriantur. Sed scitur, quod priusquam hoc facient, oportet eos in multis condescendere, vitam et mores mutare, ritum alium suscipere, suum a spuriis vitulaminibus purgare et ornamenta alia, quam pro quibus instant, induere; non possunt enim vere ostendere, quod Dionysius in dictis illis, quae ipsi pro se recipiunt, de illis vestimentis, pro quibus ipsi contendunt, ad eorum intentionem aliquam faciat mentionem. Ritum etiam suum non sufficiunt comproportionare ritui Dionysii, sicut in loco alio in posterioribus exemplariter ostendetur, et per consequens sanctis pluribus, quos pro se allegant, magnam faciunt injuriam, ut potest colligi ex praemissis, nec solum beato Petro, Jacobo apostolis et primis eorum discipulis Timotheo, Dionysio et caeteris faciunt injuriam, ipsos principales autores ritus eorum missandi, quem defendunt, fore asserentes, verum et Origeni injuriam faciunt, quamvis ipsum et merito doctorem egregium et Psaltem in Israel appellent, quando adducentes eum Homil. 4. super Levitico dicentem: Observandum tamen est, quod aliis indu-

mentis utitur sacerdos, dum est in sacrificiorum ministerio, et aliis dum procedit ad populum, ipsam contra ejus intentionem ad suum propositum glossant dicentes, ipsum per baec verba praetendere, quod nunc de praesenti debet observari hoc ad litteram, cum Origenes in loco isto sicut et Homil. 6. super Levitico loquens de indumentis sacerdotum facit mentionem de vestimentis sacerdotum ipsa mysticando et ostendendo, quod hac, quod sacerdotes Aaronici exterius observabant, hoc evangelici sacerdotes spiritualiter implere debent, sicut ad boc significandum Origenes post verba per magistros allegata de hoc, quod sacerdos Aaronicus aliis indumentis utitur, dum est in sacrificiorum ritu, et aliis cum procedit ad populum, convertens sermonem ad sacerdotes evangelicos, sic subinfert: **haec faciebat et** Paulus scientissimus pontificum et peritissimus sacerdotum etc., ubi exemplo Pauli et Salvatoris nostri Jesu Christi ostendit hoc, qualiter hoc, quod sacerdotes Aaronici exterius observabant, hoc Christus et suus apostolus Paulus spiritualiter implebant docentes alios, ut faciant similiter, ut cuilibet intuenti patere potest ex verbis Origenis supra capitulo tertio hujus late adductis, quae nobis secundo resumere non oportet. Nec hoc magistris pro eorum suffragatur proposito, quod mos sit huic doctori, aliquando simplici, aliquando bino, aliquando trino, aliquando quaterno sensu unam et eandem exponere litteram. Origenes enim supra capitulo tertio et hujus de Homilia super Levitico allegatus expresse ostendit, sacerdotes evangelicos in sacrificando non esse obligatos ad aliquam specialem externam vestem et per consequens injuriam faciunt magistri isti doctori, ipsum pro se ad sensum non per eum intentum allegantes. Sicut et beato Hieronymo faciunt injuriam, quem allegavimus ad Nepotianum scribentem, quem dicunt in nullo verbo nostrum confirmare propositum, cum nos adduxerimus eum pro confirmatione sententiae Origenis ostendentis, quod sacerdotes evangelici ex praecepto de vestibus sacerdotum legalibus dato non sunt obligati ad habendum in sacrificando aliquam specialem extrinsecam vestem modo usitatam. Ad hoc bene fuerit dictum Hieronymi per nos allegatum proposito nostro sententiantis, quod non opportet observantiam legalem aut ritum templi Salomonis nos trahere in consequentiam, quod videlicet nos Christiani et sicut sacerdotes evangelici debeamus similem ritum observare.

Et hinc magister Jacobellus in suo tractatu saepe dicto contra appretiationem et magnificationem traditionum humanarum ratione

ceremonialium legis veteris adducens eandem Hieronymi ad Nepotianum auctoritatem sic subjungit: Ecce quod cultus divinus, qui debet fieri in spiritu et veritate, similiter evangelica ministratio sacramentorum non requirit ritum splendidum vel ornatum pretiosum vestimentorum. Haec Jacobellus, cui etiam Jacobello magistri non verentur facere injuriam, quando scribunt, ipsum nunquam sensisse, quod in communibus vestibus olim communiter sacrificaretur, cum expresse in eodem tractatu suo scribat: Olim sancti missando conficiebant communiter sine vestibus exterioribus jam ad hoc consuetis, et consuetudine et adinventione hominum deputatis, et in hoc non peccaverunt; licet postea de modernis sacerdotibus subjungens necessitatem injiciat, quando subdit: Ergo eadem ratione et nunc valde possibile est, quod sacerdotes Christi eodem spiritu agitati sine talibus vestimentis consuetis et ecclesiasticis tempore necessitatis circa infirmos vel alios, dum alius modus convenientior non potest haberi, conficiant, et desiderantibus fidelibus ministrent. Haec ille.

Ex cujus dicto quilibet intelligere potest, quod non dicimus contra magistrum Jacobellum falsum testimonium, asserentes, ipsum nobiscum quondam concordasse in hoc, quod in communibus vestibus olim communiter sacrificaretur, cum expresse de praedecessoribus nostris hoc scribat, quamvis postea de modernis sacerdotibus necessitatem inculcet.

Erubescere ergo deberent magistri et timere tantam injuriam sanctis, quos allegant facere, ne tanquam falsarii dominicae veritatis et praedones fidei sint a domino castigandi.

Sed non mirum, quod magistri talem, ut praemissum est, multis sanctis, quos allegant, faciunt injuriam et etiam magistro Jacobello, uni de eorum numero, quem nituntur per suum mendosum scriptum excusare, cum ipsi Salvatori nostro Jesu falsum non timent adscribere, sibi magnam injuriam facientes; non timent enim nec verentur de Christo manifeste scribere, quod ipse senioribus in omnibus licitis obedisset et hoc fieri sub aeterna damnatione ab omnibus praecepisset, cum oppositum hujus videtur ostendisse in non obligatione apostolorum ad lotionem manuum, antequam panem manducarent et non observatione sabbathi secundum positionem eorum, et cum infinita sint licita, non videtur, quod Christus se vel alios talibus infinitis subjiciendum obligasset sub poena damnationis aeternae, nec hoc videtur esse verum, quod de Christo in suo scripto ponunt, quod

non ex libertate, sed necessitatus periculis mortis et pressuris et minis in propriis vestibus communibus coenam suam peregisset, cum certum sit ex fide, quod quamvis Christo talia imminebant pericula, omnia tamen, scilicet captio, agni paschalis manducatio et coenae suae institutio et crucifixio ex parte ejus erant libera et voluntaria, sicut in evangelio multipliciter deducitur. Et hinc Joannis 18. dicitur: Jesus itaque sciens omnia, quae ventura erant super eum, processit, id est voluntarie se obtulit et dicit ad eos: Quem quaeritis etc. Et ante hoc praemittens discipulos in civitatem ad praeparandum pascha, praecepit dicere domino domus, tibi dicit magister, apud te faciam pascha cum discipulis meis. Et per consequens infundabiliter magistri dicunt, Christum senioribus in omnibus licitis obedisse et hoc fieri sub aeterna damnatione ab omnibus praecepisse, et ipsum non ex libertate, sed periculis mortis, minis et pressuris necessitatum in propriis communibus vestibus coenam suam peregisse, in hoc sibi injuriam inferre minime trepidantes.

C. 10.

Injuria, quam magistri faciunt in tractatu suo sacerdotibus Thaboriensibus.

Jam restat ad injuriam, quam magistri in suo tractatu nobis faciunt, accedere, quam licet minus pensemus praecedentibus injuriis, tamen ut audientes notantes injuriam eorum adversus nos ipsis contra nos minus credant, volumus eorum erga nos injuriam enodare. Imprimis enim in principio cap. 8. sui tractatus assumunt nostram probationem, qua sic arguimus: ex quo Dominus Jesus Deus et homo, cujus perfecta sunt opera, sine eo ritu, quo nunc per orbem geritur, in vasis et vestibus non ad usum communem sed ad sacrificandum specialiter deputatis, sufficientissime saluberrimeque missavit; ergo cum sit securissimum observare ritum circa coenam dominicam, praesertim quem Christus observavit, et sui apostoli in quoddam aliud non immutaverunt, moderni sacerdotes possunt licite sine illo ritu et sine illis vestibus missare.

Illa nostra probatione assumta postea eam nobis pervertendo, eorum argumenta autem secundum eorum placitum pervertunt, quando sic arguunt, si valeret illa fratrum Thaboriensium probatio, tunc a simili sequeretur concludendum: ex quo Christus sine ritu sancti Jacobi, Petri, Dionysii et caeteris sufficientissime saluberrimeque

missavit, ergo cum securissimum sit observare ritum circa coenam dominicam, quem Christus observavit, sequitur, quod sic sine ritu et dispositione omnium talium sanctorum sacerdotes moderni possunt licite officiare. Ibi dicimus, quod magistri male concludunt; sed si concluserint, ut debent secundum formam nostrae argutionis, sequitur, quod sic sine ritu omnium talium sanctorum sacerdotes moderni possunt licite officiare, tunc conclusio erit vera et probatio nostra nullum patietur defectum nec aliquod inconveniens, sed magistri loco illarum dictionum licite possunt (ponunt) habent, quod est verbum obligativum, quod non fuit per nos appositum et sic nobis formam arguendi pervertentes nobis faciunt injuriam. Similiter quando arguunt: Christus verus Deus et homo sine vestibus et ritu fratrum Thaboriensium sufficientissime et saluberrime missavit, ergo cum eum sequi sit securissimum, sequitur sine vestibus fratrum cuilibet missandum, non debite magistri inferunt, sed sic inferre debent: sequitur: sine vestibus fratrum quilibet licite missare potest. Similiter sinistre arguunt magistri: Christus solum in virginitate et non in viduali castitate sufficientissime et saluberrime missavit, ergo non licet in viduali castitate missare; male magistri inferunt; sed sic secundum formam nostrae argutionis inferre debent, ergo in castitate virginali licite potest missare. Sic argumentum stabit sine vituperio. Similiter magistri dicunt, non sequitur: Christus in trigesimo anno fuit baptizatus, ergo cum securissimum sit Christum immitari, non licet nisi in trigesimo anno hominibus baptizari; male inferunt injuriam nobis facientes, sed sic inferre debent: ergo licite possunt homines in trigesimo anno baptizari. Et sic alia eorum argumenta plura infirmamus, quae magistri faciunt nobis, formam arguendi pervertentes. Sed non est mirum, quod magistri formam nostrae argutionis nobis mutantes dicunt, nos aliud arguere, quam arguimus, ex quo verba Dei et Sanctorum ejus, ut ex praecedentibus patet in sensu alio quam praetendunt, audent adducere. Et ergo infundabiliter et minus vere dicunt, quod antecedens nostrum sit invalidum nostrum probare propositum, cum cuilibet volenti debite respicere antecedens nostrum, sit solidissimum et infringibile, quando magistri debite, ut deberent, ad illud consequentiam applicarent. Alia magistrorum erga nos patet injuria, quando dicunt, nos absque omni strato in communibus lapidibus admotis sacramenti cumulos conficere, et propter abnegandam reverentiam sacramento ecclesias

comburere, altaria subvertere, vasa sacramentorum inhoneste contractare, aut quod pejus est diripere, vestimenta sanctae missae tollere aut in usus carnales contumaciter convertere; et ne fiat differentia inter sacerdotem et laicum extrinsecus astruere, maledictisque erroribus et praesumtionibus et schismatibus viam apperire. Sciant omnes et singuli, quod falsum nobis adscribitur; non enim in communibus lapidibus absque omni strato sacramenti cumulos conficimus, ut experientia docet; scitur enim, quia in civitatibus, in quibus missamus, habemus utensilia specialiter distincta, et in exercitu campestri specialem currum distinctum, in quo haec deducebantur, et non constat nobis, quod unquam aliquis in fratribus nostris hoc, quod magistri in nos mendaciter testificantur, fecisset. Non ergo eis est credendum in hoc, quod in communibus lapidibus absque omni strato sacramenti cumulos conficiamus. Minus juste etiam nobis adscribunt, quod propterea de combustione ecclesiarum, altarium subversione et vestimentorum direptione gaudeamus, ne agatur reverentia sacramento, cum sciat Deus, quod pro vera reverentia sui sacramenti fideliter instemus, et pro eradicatione eorum, quae coelestis pater non plantavit, etiam posse tenus laboremus. Magistri autem non valentes ratione veritatem, quam habemus et quam defendimus, vincere, ad confusiones recurrunt, nominibus pravis nos licet injuste sordidare volentes, fortassis hoc ideo agentes, ut aliorum criminatione ipsi justi appareant, atque illorum maculis puri remaneant, sed scitur a catholicis Christianis, quod non propter hoc negatur reverentia Christo et patri ejus, quod ipse sine vestibus exterioribus ad sacrificandum specialiter deputatis missavit, mensas numulariorum subvertit, Pharisaeos flagello de templo expulit et non remanentiam lapidis super lapidem in templo prophetavit, nec ideo missatio Christi sine talibus vestibus exterioribus culpabilis fuit, licet poterant aliqui circa hoc sinistram habere inventionem. Sic etiam in proposito licet aliqui possent habere illam, quam ipsi injiciunt, intentionem, non tamen his, qui tali perversa carent intentione, malum, et missare sine vestibus talibus, et illa, quae pater coelestis non plantavit, eradicare. Et non gaudeant ex hoc magistri, si aliqui ex illis, qui sine vestibus talibus missaverunt, ex occulto Dei judicio ceciderunt; nec exinde arguant illicitam esse Christi et aliorum ipsum imitantium sine vestibus talibus, et sine ritu moderno missationem, cum et sub missatione eo ritu, quo nunc per orbem geritur in vasis et vestibus

non ad usum communem, sed ad sacrificandum specialiter deputatis multi nimis errores latitant et latitabant, ut patet cuilibet volenti singula transcurrere; maxima enim sub illis est repugnantia legis Dei, et fuit; multi laici simulantes se esse sacerdotes illos, ornatus et plattas subierunt, imo *mulieres* inveniebantur, quae malitiam suam sub ornatu sacerdotali et habitu abscondebant, sicut de una legitur, quomodo circa annos Domini DCCCLIV. tribus annis rexit papatum et quinque mensibus, quae dixit se vocari Johannem Anglicum nomine, Maguntium ambulans, in habitu virili Athenas ab amasio suo ducta fuit, ubi in studio liberalium artium et scientiarum realium rationalium et moralium valde profecit, et in mansvetudine morum amabilem se omnibus fecit, deinde veniens Romam triviales artes ibi legit et magnos magistros habuit suarum lectionum auditores. Et cum in urbe moribus et scientia praecelleret universos, in papam eligitur, sed ab amasio impraegnatur, tandem inter Collisium et ecclesiam sancti Petri parturiens obiit, et ideo papa hodie semper obliquàt viam illam. Ecce malum latitans sub pontificalibus et per longum tempus quasi totam ecclesiam dementans, ibi symonia et omnium sacerdotum vitia quasi sub umbra et hedera Jonae requiescunt, ex qua velut Jonas laetitia laetantur magna; sed cum domino procurante per pauperes et abjectos velut vermem percurritur hedera et arescit; et cum sol justitiae eorum nudata verenda adurit usque ad mortem.

Sed minus juste irascuntur, super quae ornamenta non laboraverunt sacerdotes, nec eu propriis acquisiverunt sumptibus, sed unà vice Dei permissione sicut et dotatio concessa eis erant a Constantino Imperatore et consequenter ab aliis et alia vice Dominus ab eis illa tollit tanquam plantationem, quam non plantavit pater coelestis eradicando. Et hoc est, quod Dominus Jonae usque ad mortem irascenti injuste dixit: Tu doles super hedera, in qua non laborasti neque fecisti ut cresceret, quae sub una nocte periit, et ergo non parcam Ninive civitati magnae etc. Ideo multa valde mala sunt, quae Antichristus sub illis recondit ornamentis, sicut et sub magistrorum cappis, quae si fronti eorum incuterentur, merito possent illos confundere ad ruborem. Hinc merito pius et misericors Dominus athletam suum fidelem et nostrum divae memoriae magistrum *Johannem Hus*, ad se per mortem martyrii volens suscipere procuravit, ut ea, quae ab hominibus Antichristi procuratione habuit, per suos aemulos sibi (signa?) blasphemiae auferantur, quae libenter admit-

tens indui se vestimento gloriae postulabat. Aliam adhuc injuriam nobis magistri faciunt, quando dicunt, data eorum opinione et argumento in principio hujus capituli facto, sd minus fratres Thaborienses peccant duodecies in missando et volentes hoc probare sic arguunt: Si securissimum est observare ritum circa coenam dominicam, quem Christus observavit et sui disciplui non immutaverunt, nec in aliquid aliud interpretati sunt, ut dicunt fratres, tunc infallibiliter fratres Thaborienses peccant non observando ritum Christi in missando ad minus in 12 conditionibus circa coenam dominicam gestis; primo de vespere non missant sicut Christus. Secundo, non praemittunt discipulos ad praeparandum Pascha. Tertio non celebrant in caenaculo grandi strato sub divo. Quarto non praegustant panem, vinum, lactucas, agnum etc. Quinto non dicunt se post esum non bibituros ex hoc genimine vitis. Sexto non porrigunt prius calicem non consecratum. Septimo non comedunt sacramenta, sedendo cum populo, sicut Christus fecit. Octavo non deponunt vestimenta sua, nec se linteo praecingunt. Nono non prius lavant pedes discipulorum bonorum malorumque. Decimo, non reassumunt vestimenta sua prius deposita sicut Christus. Undecimo, non immediate procedunt ad pernoctandum in oratione. Duodecimo non procedunt ad mortem immediate post coenam. Et ista probatione Magistri contra nos facta aestimantes se infringibiliter arguere, gloriantur de tali probatione contra nos facta more picae de proprio foetu gloriantis, quando immediate in suo scripto subjungunt dicentes, nec nos in veritate nec aliquis sapientium sciet ponere solutionem debitam praedicti eorum argumenti.

Sed in rudimentis verae logicae nutriti videre possunt, quamvis magistri glorientur in suo quasi invincibili argumento, tamen in praedictis verbis suis ponunt unam conditionalem falsam aequivalentem malae consequentiae, scilicet istam: si securissimum est observare ritum circa coenam dominicam, quem Christus observavit et sui Apostoli non immutaverunt, nec in aliquid aliud interpretati sunt, tunc missare debebimus de vespere praemittentes discipulos ad praeparandum Pascha et caeteris, quae enumerantur; haec enim conditionalis valet hanc malam consequentiam: ritum circa coenam dominicam, quem Christus observavit, et sui Apostoli non immutaverunt nec in quoddam aliud interpretati sunt, securissimum est observare, ergo debebimus de vespere et non alio tempore missare,

et nonnisi praemittentes discipulos et nonnisi gustantes lactucas, agnum et caeteris enumeratis. Antecedens est verum; cum enim sacerdotes Dei et Christi sumus, non invenimus, quem magis sequi quam Christum et suos Apostolos debeamus, et tamen consequens falsum est, quod ergo de vespere et non alio tempore missare debeamus, et non nisi praemittentes discipulos etc. de aliis, quae enumerant.

Sed si magistri pro antecedente assumerent: Siomnes ritus, quos observavit Christus circa coenam dominicam securissimum est observare, tunc debebimus de vespere et non alio tempore missare, et nonnisi praemittentes discipulos et praegustantes lactucas etc.; tunc negabimus assumptum, quod videlicet omnes ritus debeamus observare, quos Christus observavit. Nam multi ritus a Christo et ab Apostolis pro tunc adhuc observabantur de lege veteri, ut patet de circumcisione corporali et aliis plurimis, quae jam non oportet observari; nam non sunt instituta in lege gratiae ad tenendum plebibus usque ad finem saeculi, et per consequens, licet feria quinta post coenam typicam instituit Christus hominibus se ipsos probantibus de pane sacramenti edere et de calice bibere usque ad finem saeculi, non tamen sic hoc fieri instituit, ut hoc solum post coenam suam corporalem facerent et nonnisi quinta feria. Non enim voluit Christus, ut immitaremur eum praecise in illis omnibus circumstantiis, quas tunc fecit; hoc enim manifeste Christus per suum apostolum liberavit dicens: hoc quotiescunque feceritis et non solum feria quinta vel post vestram corporalem coenam, verum tamen post illam coenam typicam veteris testamenti coena dominica sacramentalis incepit et durat jam continue et sumitur. Ergo ad excludendum magistrorum argumentum contra nos sinistre arguentium nos posuimus definite non universaliter, quod ritum circa coenam dominicam, quem Christus observavit, nobis securissimum est observare, denotantes specialiter illos ritus, qui ad tenendum usque in finem saeculi in nova lege sunt per Christum aut suos apostolos confirmati. Ex qua indefinita non possunt arguere, illa omnia, quae ipsi assumunt, sed illa sequerentur, si nos universalem pro nostro antecedente poneremus. Erubescant ergo magistri in publicum producere tales debiles et inanes deductiones, et timeant logicos saniores, qui conspectis his magistrorum probationibus mox ex suis veris rudimentis logicalibus clamabunt, hoc argumentum magistrorum non valere. Ex istis potest patere clara solutio argumenti magistrorum, de quo gloria-

bantur, dicentes nec nos in veritate nec aliquis sapientium sciet ponere solutionem debitam praedicti eorum argumenti, nec dicta nostra solutio eorum contra nos facti praemissi argumenti et ficta in hoc, quando exprimentibus nobis intentionem nostram, de quibus ritibus specialiter intelligamus, cum dicimus, quod licet ritus observare in missando, quos Christus observavit, et quos discipuli sui non mutaverunt, nec in aliud interpretati sunt, quia de illis, qui ad tenendum usque in finem saeculi in nova lege sunt per Christum aut suos apostolos confirmati, illud nostrum dictum calumniantur erroneum appellantes imo et haereticum, quo dicimus, quod Apostoli pedum lotionem mutaverunt et in aliud interpretati sunt; si magistri attenderent veritatem, quam Christus per lotionem pedum suorum discipulorum ipsos docuit, nunquam dictum nostrum praecedens erroneum aut haereticum appellarent; loquens enim beatus Augustinus et tractans illud Christi verbum ad discipulos suos dictum: scitis, quid fecerim vobis Joannis 13. in summa sic loquitur: quia Dominus promiserat daturum se scientiam Petro facti sui tam inopinati et mirabilis, dignum fuit, ut Petro reddatur illa promissio; dilatus enim fuerat, quando expavescenti et dicenti: Non lavabis mihi pedes in aeternum, responsum est ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.

Hujus igitur tanti facti quoniam promiserat scientiam, quid sit, quod fecit, docere nunc incipit; quid autem illud sit, quod per exemplum praemissum docere voluit, exprimit Origenes Homil 6. in Isaiam, cum sic dixit: Multi videntes, quae fiebant hic per Christum extrinsecus, nescierunt cur haec fiant; videbant quidem bene, quomodo lavabat magister discipulis pedes, videbant autem et alii, qui erant praesentes, sed illud tantum quod fiebat, non etiam cur fiebat; similitudo quippe erat lavationis pedum, qua lavit verbum Dei pedes discipulorum. Id circo ait Salvator ad recusantem Petrum et dicentem: Non lavabis pedes meos, qui ait: Quod facio, tu nescis modo, scies autem postea. Quid ergo facis modo? dicit Petrus, video te lavantem pedes nostros, pelvim positam, linteo te praecinctum et servientem nobis et detergentem pedes nostros; verum quia non erat hoc negotium, sed Salvator illud spiritualiter intendebant, ita per aquam intelligit dona spiritus sancti, per pelvim corda hominum. Salvator ergo nudatus carne per mortem mittit spiritualem aquam in pelvim secundum scripturas et lavat pedes discipulorum, ut cum mundi fuerint, ascendant ad

dicentem: Ego sum via, et non pleni (plenus?) pulvere, quem excutere voluit super indignos nonque suscipientes pacem, neque dignos eorum, quae dicebantur, et quia hoc erat, quod figurabatur, ideo ait: Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea. Erat autem hoc, quod in posteris dictum est: Vos vocatis me Dominum et magistrum et bene dicitis, sum etenim; si ergo magister et dominus lavi pedes vestros et vos debetis alter alterius lavare pedes etc. Ergo hoc dico, ut episcopus mittens aquam in pelvim, exutus vestibus suis et linteo praecinctus me extendente lavet pedes meos; sic quidem vos debetis, inquit, pedes vestros lavare; si hoc est, quod dicitur, nemo nostrum mandatum servabit, nemo enim quibuscunque venientibus assumens linteum diaconus aut presbyter sive episcopus lavat pedes, sed si intelligas, ea quae scripta sunt, qui vere boni sunt episcopi servientes ecclesiae, mittunt aquam de scripturis in pelvim animae, quod est secundum scripturas, et tentant sordes discipulorum lavare, et sic custodiunt episcopi mandatum immitantes Jesum. Sic et presbyteri, uti et ego accipiam nunc aquam, quae possit animae vestrae pedes lavare, ut et unusquisque vestrum dicat, cum fuerit lotus illud Cantici 5. Lavi pedes meos quomodo inquinabo eos; hoc enim sponsa dicit in Canticis Canticorum, non extendens corporeos pedes lotos, sed pedes non offendentes, de quibus dicit Salomon: Pes autem tuus non offendat; de quibus et in psalmis scriptum est: Mei autem paene moti sunt pedes. Verum et quia constituuntur viduae in ecclesiis: si sanctorum, inquit, pedes lavant. Si autem vis apertius audire, quomodo vidua lavat pedes sanctorum, audi Paulum in alio loco constituentem viduis et dicentem: Bene docentes et pudicas efficiant adolescentulas lavantes sordes pedum juvencularum. Et istae viduae dignae sunt ecclesiastico honore, quaecunque pedes lavant sanctorum, sermone spiritualis doctrinae sanctorum, vero non masculorum sed mulierum; docere enim mulieri non permitto neque principari viro. Vult esse mulieres bene docentes, ut ad castitatem svadeant non adolescentes sed adolescentulas; indecens quippe est, ut mulier magistra viri fiat, sed ut ad castitatem svadeat adulescentulas et amare viros et liberos suos. Discamus ergo sic lavare pedes discipulorum. Haec ille. Ex istorum sanctorum dictis potest quilibet videre, quod apostoli lotionem pedum mutaverunt, quamvis non ad opus extrinsecum tunc per Christum factum et fieri pro necessitate et corporum alleviatione in signum charitatis et pietatis ab eodem exemplatum. Sed

quo ad hoc, quod nesciebat Petrus, quod tunc faciebat Christus, et sic in aliud quam extrinsecus videbant, ipsum interpretati sunt secundum expressam sententiam Origenis, quemadmodum apostoli in ecclesia primitiva ex consilio spiritus sancti, ut nomen Christi apud Judaeos contemptum amabile redderetur, mutaverunt baptismi formam a Christo traditam, baptizantes in nomine Christi ut dicitur actorum 3.; mutaverunt inquam quoad exteriorum verborum apparentiam, sed non quo ad implicitam realem sententiam. In nomine enim Christi intelligitur tota trinitas secundum Lyram. Christus enim graece, unctus dicitur latine, et sic in nomine Christi intelligitur Pater unguens et filius unctus et ipsa unctio, quae est Spiritus sanctus. Et per consequens infundabiliter et temerarie magistri nostrum praedictum dictum calumniantur ipsum erroneum et haereticum appellantes, quo dicimus, quod apostoli pedum lotionem mutaverunt, et in aliud interpretati sunt; ubi autem hoc, quod de vespere coena facta est, aut de praemissione discipulorum, aut de coenaculo grandi strato et sic de aliis per eos enumeratis apostoli sint interpretati vel non interpretati, haec per singula nobis non est necessarium ostendere; sufficit nobis observare ritus illos specialiter circa coenam dominicam, per Christum tunc observatos, qui ad tenendum usque finem saeculi in nova lege sunt per Christum aut suos apostolos confirmati, tenentes hoc quod voluit Christus, ut immitaremur eum praecise in omnibus illis circumstantiis, quae tunc fecit, ut superius ostensum est. Aliam adhuc injuriam nobis magistri faciunt, quando in fine sui tractatus 4 puncta nobis adscribunt, quibus in magistrum Jacobellum ejus dicta allegantes peccaremus, cum in allegando ipsum nullam sibi facimus injuriam, nec ubi propositum suum declarat, illud sibi surripimus aut truncamus. Et super hoc parati sumus cum eis ejus exemplaria auscultare.

C. 11.

Injuria, quam magistri in suo scripto faciunt tractatui fratrum Thaboriensium.

Jam ultimo descendimus ad injuriam, quam faciunt tractatui nostro, dicentes ipsum enormem et 25 notabiles dignas poenitentia continentem falsitates; hic magistri soli in sua causa existentes judices dicunt, quidquid eis placet, innuentes nos in scripto nostro in

manus magistri civium antiquae civitatis Pragensis repositae 25 notabiles inclusisse falsitates, quas si fideliter et bene quis advertere voluerit et nostrum praedictum pensaverit, non reperiet, nec unam in nostro scripto falsitatem. Sed omnes illas cognosceret esse veritates, quas ipsi temerarie audent falsitates appellare. Et non deberent magistri nimium accelerare, aliis temerario falsitates adscribere, praesertim cum, ut ex praecedentibus evidenter reperti sunt injurias in suo scripto facere Deo, suae legi, sanctis pluribus, quos allegant, nobis et nostro tractatui, deberent illud Christi pensare praeceptum, quo dicit: hypocrita, primum projice trabem de oculo tuo, et tunc prospicies, ut educas festucam de oculo fratris tui. Benedictus ergo sit Deus, qnod udhuc fundamentum nostrum stat immobile, videlicet quod Dominus Jesus Deus et homo, cujus perfecta sunt opera, sine vestibus exterioribus jam ad hoc consvetis et consvetudine et adinventione hominum specialiter deputatis et sine ritu circa missationem a magistris et sacerdotibus Pragensibus usitato sufficientissime saluberrimeque missavit, quem in sic missando apostoli immituti sunt. Et nos scientes, quia securissimum est nobis observare ritum circa missationem, praesertim quem Christus observavit et disciputi non mutaverunt, nec in aliud interpretati sunt, in hoc caeteris paribus non peccantes ipsum licite possumus imitari, floreatque lex perfectae libertatis, quod omnes deductiones magistrorum, quas in tractatu suo contra nos faciunt, non valent, hoc firmum nostrum fundamentum in petra bene fundatum dejicere, cum nullam scripturam adducant alicujus sancti authentici, quae ex directo et expresse nostro judicio diceret Christum vel suos Apostolos sine eo ritu, quo nunc per orbem geritur, non missasse, et nos sine eodem ritu licite missare non posse, sicut patet cuilibet omnes autoritates eorum diligenter per singula transcurrenti, et ut breviter dicamus quoad omnia dicta doctorum et canonum seu conciliorum, quae magistri in suo tractatu pro tuendo eorum ritu adducunt, nullum illorum dictum est tantae efficaciae, sicut evangelium. Et ideo si quod absit, (ab) aliquo eorundem caveretur, quod non liceret sine eo ritu, quo nunc per orbem geritur, missare, in hoc ipsi non esset adhaerendum; ex quibus conclusive habetur, quod male a magistris de nobis scribitur per communitates, nondum decisione causa et discussione inter nos consumata, quod infundate et sine omni deductione posuissemus dicta nostra de ritu nostrae missationis,

cum jam sufficienter pateat ex praedictis, quod nostrum fundamentum stat immobile, et quod omnes deductiones magistrorum illud non valent dejicere; ergo timere deberent divinam offensam imponendo nobis minus juste crimen et veritatem Christi et opus ejus missationis improvide maculando, a quo nos servare dignetur Jesus Christus in saecula benedictus Amen.

C. 12.

Quibus ex causis et quando audientia fuit magistris Pragensibus cum sacerdotibus Thaboriensibus in castro Conopiscz [1]) limitata.

Cumque res sic pro tunc, ut factum est, agerentur, postea sub anno Domini MCDXXIII ex invectione ob praemissa contra fratres Thaborienses quorundam magistrorum Pragensium civitas Pragensis cum sibi adhaerentibus parte etiam Illustrissimi Principis Sigismundi Regis Hungariae ipsorum tunc inimici sibi in adjutorium capta copiosam armatorum equitum peditumque secum trahens multitudinem in campum exivit et ad propugnaculum dictum Křiženetz, quod tunc fratrum de monte Thabor erat subjectum dominio, perveniens castra locavit et illud cepit cum machinis et aliis instrumentis bellicis cum diligentia expugnare. Cum autem per tempus aliquot septimananas in obsidione dicti propugnaculi continue laborassent et ab inclusis variis incommodis opressi parum proficissent, respexit Dominus afflictionem expugnatorum per fratres de monte Thabor et nobilem Bouslaum dictum Swamberg et communitates fratribus de monte Thabor adhaerentes cum famosis pro tunc Capitaneis eorundem ipsis in adjutorium venientibus, ita ipsis appropinquantibus coeperunt expugnantes tremere et per personas se interponentes concordia quadam facta expugnatis in praedicto propugnaculo Křiženetz remanentibus et expugnantibus ad propria recedentibus. Ibidem de voluntate utriusque partis alius locus sub certorum dierum intervallo prope castrum Conopissez iterum conveniendi parti utrique fuerat limitatus pro inveniendo praesertim si fieri poterit aliquo medio uniendi sacerdotes Thaborienses cum magistris Pragensibus et complanando ea, quae pro tunc inter communitates praedictas fuerant

[1]) Die congregatio Magistrorum Prag. cum Sacerdotibus Thaboritarum in Konopiset castro wird von Prochaska irrig in's Jahr 1420 gesetzt (S. 267).

exorta ratione praefatae expugnationis, quo tempore limitato veniente convenit ex parte utraque non modica equitum peditumque multitudo armata cum bombardis et aliis instrumentis bellicis et contra se invicem accensis et acies dirigentibus pars una aliam quaerebat prosternere, quod maxime fieri disponebatur a parte Pragensi *propter ornamenta ad sacrificandum specialiter deputata*, ex eo, quod sacerdotes Thaborienses illis uti circa sacrificium recusarunt. Tandem personis mediis de parte utraque se interponentibus, ne propter praedicta ornamenta ex tali inter se conflictu sequatur non modica sanguinis humani effusio, placuit eis cum consensu utriusque partis, habita prius inter se magistrorum cum sacerdotibus Thaboriensibus verbali de materiebus inter eos currentibus concertatione eligere personas pro concordia procuranda inter partes, quae personae inter se deliberantes ante omnia partes inter se saevientes et acies adversum se dirigentes in concordiam et amicitiam induxerunt, et ex unanimi consilio profitentes, quod non ex obligatione legis Dei, sed ex institutione et consvetudine ecclesiae missatur in ornamentis ad sacrificandum specialiter deputatis, fecerunt inter partes talem pronuntiationem, ut in signum amicitiae et concordiae inter partes contra se accensas factae et ostensionis libertatis missandi in ornamentis specialiter ad sacrificandum deputatis vel sine illis sacerdotes Thaborienses ibidem missent in ornamentis et magistri Pragenses sine superpelliciis ministrent sacramenta. Quod ex parte sacerdotum Thaboriensium factum est; Procopius enim rasus ex parte ipsorum statim ibidem facta concordia et pronuntiatione missavit in ornatu; ex parte autem magistrorum Pragensium *non* est factum, ut videlicet ministrassent sacramenta sine superpelliciis, secundum quod erat pronuntiatum. Verum quia dicta pronuntiatio facta fuerat sub illa conditione, ut si in futura audientia per magistros Pragenses sacerdotibus Thaboriensibus vere ex lege Dei et sententia doctorum se veraciter fundantium in eadem probatum fuerit, quod teneantur ornamentis ad sacrificandum specialiter deputatis missare, ut sic in futurum missent, quemadmodum fuerat pronuntiatum. Ideo pro tunc statim in eodem loco indicta fuit magistris cum sacerdotibus Thaboriensibus audientia babenda *in festo Joannis Baptistae proximo sequenti*. Et auditores ex parte utraque ex saecularibus et spiritualibus nominati, et locus audientiae in castro Conopissez deputatus.

C. 13.

Protestatio sacerdotum Thaboriensium facta in audientia ipsis cum magistris Pragensibus in castro Conopisez limitata cum suppositionibus eisdem per magistros Pragenses pro tunc oblatis et eorum ad easdem responsiones[1]).

In qua quidem audientia partibus loco et tempore limitatis conductis coram auditoribus praedictis sacerdotes Thaborienses, priusquam inceptus fuisset tractatus cum magistris de his, in quibus ab eisdem discordant, protestati sunt: quod credunt omnem credibilem veritatem per Dominum Jesum Christum, per sanctos Prophetas et apostolos promulgatam non objicientes et aliorum sanctorum dicta, in

---

[1]) Ich füge zum bessern Verständnisse hier bei, was Prochaska als Beschluss der Versammlung zu Konopisst S. 268 mittheilte.

Prima propositio.

Omnes fideles Christiani in divinissimo eucharistiae sacramento corde fideli credant et ore sincerissimo profiteantur tam sub forma panis quam sub forma vini totum dominum J. Chr. verum Deum et hominem cum suo proprio corpore et sanguine nobiscum esse sua praesentia reali.

Secunda.

Christus est in Sacramento sensibili secundam suam substantiam corpoream naturalem quam assumpsit de Virgine Maria.

Tertia.

In eukaristia seu in hostia consecrata visibili habitat plenitudo divinitatis corporaliter.

Quarta.

Substantia corporis Christi est in sacramento eucharistiae in quantum corpus et in quantum substantia, non tamen est ibi dimensive.

Quinta.

Substantia corporis Christi est in sacramento eucharistiae in quantum substantia sit in se.

Sexta.

Substantia corporis Christi est in sacramento visibili, in quantum est substantia et in quantum est corpus et sic substantialiter et corporaliter est ibidem. Cum hoc tamen non est ibi dimensionaliter seu dimensive extensive.

Septima.

Christus verus Deus et homo est secundum suum corpus verum naturale et substantiale, quo residet in caelo simul et semel in pluribus locis distantibus et in communicantibus, quia in qualibet hostia rite consecrata, non tamen est ibidem extensive dimensive.

Octava.

Iste idem Christus verus Deus et homo, qui creditur, in illo venerabili sacramento est adorandus ibi genuflexione et omni honore Christo condigna.

quibus loqueretur Christus, et vere in dicta veritate fundarentur, parati in spe capitis Christi Domini mortis dirae potius sustinere supplicium, quam elective aliquid dicere vel asserere, quod foret Christi suaeque ecclesiae primitivae contrarium voluntati. Quod magistri audientes quatuor suppositiones praemiserunt, a sacerdotibus Thaboriensibus ad ipsas responsum exoptantes, quarum prima erat ista: Haec est scriptura sacra a cunctis fidelibus viantibus sub poena damnationis vel gravis peccati credenda, quae *biblia Christianorum* continetur communiter usitata. Secunda suppositio eorum erat: Supponimus sanctum Hieronymum sub eadem poena in nulla parte ejusdem bibliae ipsam transvertendo de Hebraeo in latinum, falsam aut erroneam inseruisse sententiam, sed ipsam veraciter, et quantum fidei exigit necessitas, in omnibus et singulis sententiis integre transtulisse. Tertia suppositio haec erat: Supponimus, quod certitudinaliter et secure hos omnes libros Dionysii, Clementis, Origenis, Chrysostomi et doctorum quatuor: Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Gregorii, qui illorum intitulantur libri et ab ecclesia catholica absque perplexitate aliqua aut vacillatione quavis esse hujusmodi asseruntur, (pro fide tenemus). Quarta suppositio eorum erat ista: Supponimus, quod praedictis doctoribus quatuor in quacunque fidei materia idem unanimiter sentientibus, sed et in quacunque alia sententia non expresse posita secundum formam propriam catholicae saltem fidei non dissona nec in aliquo destructiva amplius, securius et utilius et expeditius credendum sit et a Christi fidelibus tenendum et observandum quam novis conceptibus modernorum. Ad quarum suppositionum primam sacerdotes Thaborienses sic responderunt, quod scripturam, quae biblia Christianorum communiter usitata continetur, summa veneratione amplectimur, ponendo distinctionem de libris canonicis et apocryphis, sicut Christi fideles debent se habere ad bibliam, et quae in ea credere, quae tenere, quae facere, sic credimus. Quoad secundam suppositionem dixerunt, non diffidentes in translatione sancti Hieronymi circa hoc advertimus Nicolaum de Lyra dicentem, quod Hieronymus dictiones aequivocas in Hebraeo in alio sensu transtulit, et ipsummet Hieronymum in prologo galeato dicentem: Quamquam mihi omnino conscius non sum mutasse me quidpiam de hebraica veritate, certe si incredulus es, lege graecos codices et latinos et confer cum meis opusculis; nihilominus tamen acceptamus sine dolo translationem beati Hieronymi cum aliis fidelibus, non quia Hieronymus transtulit, sed

quia spiritus sanctus per os auctoris canonici ita dixit; cum non concedenda sunt verba scripturae propter impositionem humanam; sed quia prima veritas ita dicit. Quo ad tertiam suppositionem dixerunt fratres praedicti: Non tenemur pro fide asserere absque omni vacillatione omnes esse libros Dionysii, Clementis, Origenis, Chrysostomi etc., qui illorum intitulantur libri, quia ecclesia primitiva hanc fidem non habuit, nec etiam ecclesia catholica omnes illorum libros acceptat. Et legitur, qualiter libri Origenis et aliorum per aemulos ipsorum corrumpebantur; neque venimus huc, ut pro libris doctorum contendamus, sed ut ex lege Domini invicem in materiis necessariis conferamus; cum sciamus, qualiter pseudoprophetae suas erroneas doctrinas nomine apostolorum intitulabant, ut elicitur ex texto apostoli 2 Thessalon. 2. et Isidorus ut habetur in decreto: Distinctione 16; et Leo Papa, et ecclesiasticis ultimo, faciendo plures libros, nullus est finis. Quoad quartam suppositionem responderunt: Si doctores quatuor in aliqua materia fidei unanimiter loquuntur erronee, tunc ipsi unanimiter errant, et hoc est valde possibile, cum tempore Joannis Chrysostomi pauci episcopi remanserunt sub Christo. Doctoribus sanctis credimus, sicut volunt sibi credi, de quanto se fundant veraciter in scriptura; argumentum enim nude captum a testimonio eorum non est sufficiens, cum omnes illi possunt decipi atque decipere, et sic contra Deum diffinire, ut patet ex alibi declaratis. Distinguendum etiam videtur de novis conceptibus hominum modernorum; si enim ex revelatione aut apertione scripturarum Deus hodie sensum potiorem alicui tribueret, magis sibi credendum esset quam doctoribus antedictis; multa enim usque ad tempus statutum sunt signata et clausa, ut dicitur Danielis 12. Canonizationes sanctorum et librorum eorumdem non recepimus pro articulis fidei sed propria credulitate. Istud tamen dicimus, quod volumus ipsis credere in materia fidei, de quanto Deus in eis suam loquitur veritatem.

C. 14.

De quaestione sacerdotum Thaboriensium Magistris facta.

Post praemissas sacerdotum Thaboriensium ad praefatas magistrorum suppositiones responsiones iidem Thaborienses sacerdotes in crastino coram dictis auditoribus magistris Pragensibus istam fecerunt quaestionem: An magistri volunt in hoc persistere, quod

antea in tractatu eorum praescripto contra eos publice promulgarunt, quod videlicet ritus eorum, quem ipsi et alii communiter observant in vestitu sacrae missae et gestu sicut in universali ecclesia hucusque continuatur et inchoatus est a beato Petro et aliis apostolis et primis sanctis eorum discipulis, et quod quasi in omnibus sit ritus Petri, Jacobi, Clementis, Anacleti, Dionysii et caeterorum martyrum Jesu Christi et ecclesiae universalis mos etiam apostolorum ore confirmatus. Ad hoc magistri quaerentes subterfugium per longum tempus eis responsum non dederunt, alia et alia eis injicientes, finaliter tamen ad frequentes ipsorum adhortationes quamvis non directe ad quaestionem eis factam responderunt, dicentes, ritum suum missandi esse apostolicum, et dum sacerdotes Thaborienses haec ab eis audientes hujus probationem petissent, inceperunt sermonem de vestitu sacrae missae, quem ornatum vocant communiter, et volentes hunc vestitum probare primum de lege veteri, dehinc de lege nova, ultimo ad Romanos Pontifices recurrendo processerunt illo ordine, quem servaverunt in tractatu suo praedicto, quem contra scriptum sacerdotum Thaboriensium ediderant et publice in civitate Pragensi pronuntiari demandarunt. Sacerdotes autem Thaborienses dictas eorum probationes eo modo evaserunt, quo tractatus eorum de opposito factus cavit specialiter tertio et quarto ejusdem capitulis, quae omnia per singula causa brevitatis hic secundo resumere non oportet.

C. 15.

Inconvenientia ritus sacrificandi Magistrorum eisdem per sacerdotes Thaborienses objecta.

Tandem a sacerdotibus Thaboriensibus ibidem fuit sermo ad magistros Pragenses de illo ritu missandi Romano, quem magistri et alii sacerdotes eis adhaerentes communiter observant, et quem dicunt fore apostolicum legitimum ac debitum, de quo per eosdem ipsis dictum est, quod ille eorum ritus sacrificandi, quamvis coram carnalibus a spiritu Christi vacuis et coram simplicibus de altitudine sathanae astutiis ignaris fulgeat tanquam sol in sua virtute supra ritum Christi et ecclesiae primitivae, qui respectu ejusdem sicut stella in solis praesentia tenebrescere totaliter videtur, tamen includit multa inutilia, nociva, in lege Domini non fundata, imo quaedam legi Dei con-

traria, in quibus sistit ficta devotio, per quae homines excaecantur, aequiparantes illa legi vel supra legem magnificantes. Quod si sic fuerit, ritus apostolicus non est, nec eorum sanctorum discipulorum, nec universalis ecclesiae, sed est ritus ecclesiae Romanae modernae a multis Pontificibus Romanis longe post apostolos ab imitatione jam evangelii Christi notabiliter declinantibus fabricatus et onerose introductus. In quo quidem ipsorum ritu istud unum valde nocivum expresserunt dicentes, quod ille ipsorum ritus missandi est legis Christi libere restrictivus ac impeditivus; impedit enim promptitudinem sacramenta fidelibus ubilibet ministrandi, cum unico ex institutione Papae deficiente ad hoc officium requisito multi non audent missare, licet in promptu habeant ad missam de substantia requisita; nec ille ritus congruit populo jam supra crebra cognitione edocto, cum multa pars temporis inutiliter in hujus ritus occupatione decurrit, ex quo populus redditur taediosus et indisponitur ad dignum eucharistiae sumptionem, et sacerdotes oportet negligere magis utilia videlicet praedicationem plus proficuam, propter quorum omissionem timere debent, ne iis objiciatur illud Salvatoris Math. 15.: quare vos transgredimini mandata Dei propter traditiones vestras. Secundo dixerunt dicti sacerdotes, quod in magistrorum ritu sunt mendaces prosae, legendae et multa incerta imo multus tumultuosus cantus in lege Dei non fundatus; leguntur quoque ibi et cantantur multa in linqua peregrina, quod populus astans non intelligit, quod Dei mandatis obviare videtur, quae ignorantes ignorabuntur, ut dicit apostolus 1. Corinth. 14. ubi dicitur: Si non fuerit interpres in ecclesia, taceat, sibi autem loquatur et Deo. Et est insania secundum apostolum ibidem, cum laici et idiotae non intelligentes nesciunt ad id, quod non intelligunt, dicere Amen, qui melius loquerentur quinque verba in sensu populi, quam decem millia sic mugiunt barbarisantes. Et quamvis magistri ad hoc respondentes multa in excusationem ingerebant dicentes, quod aliqua ibi continetur occulta, quae non licet in commune proferre et aliqua obscura, quae multi sacerdotum interpretari nesciunt, tamen non bene potuerunt hoc salvare, et sine vitio relinquere, nec satisfacere visi sunt Dei mandato et apostoli haec prohibenti dicto suo. Cum inquiebant sacerdotes Thaborienses antedicti, si in eorum ritu includuntur aliqua occulta vel quae sacerdotes nescirent exponere illa, non est necessarium coram populo in linqua peregrina legere vel cantare. Illa quae vera sunt, sibi possent et Deo occulte legere vel

rimari, cum secundum apostoli sententiam quidquid in populi conventu contingit legi aut decantari, boc in aedificationem populi debet in eodem linquagio interpretari; quod autem non statim ibidem interpretari deberet, boc non ibi legi aut cantari debet, sed sibi et Deo in occulto etiam loqui possit. Tertio dixerunt dicti sacerdotes, quod impossibile est secundum illum ritum magistrorum quotidie missando passim legere leges secundum populi et temporis exigentiam, procul fiebat tempore Dionysii in ecclesia primitiva, sed necesse est per totam hebdomadam dominicalem resumere epistolam et evangelium, cum *rara* sint missalia plures epistolas et evangelia continentia et illa adhuc sunt curtata et saepe magis utilia omissa, contra quod videtur praecipi in evangelio Lucae 12. quod prudens servus et fidelis debet dare in tempore tritici mensuram; et Matb. 13 omnis scriba doctus in regno coelorum debet nova et vetera proferre, secundum quod necessitas populi exigit et requirit. Quarto dixerunt, quod per hunc ritum magistrorum datur occasio pseudoprophetis et idiotis pro voluntate statum sanctorum occupare, qui ex pluralitate missarum extra ritum ecclesiae primitivae nutriuntur et elemosynis viduarum et egenorum pascuntur, et sic secundum prophetiam Christi et Danielis faciunt stare desolationis abominationem in loco sancto, ubi sine his caeremoniis facilius noscerentur ex operibus eorum iniquis et non baberent tot media simplices fallendi, nec tot occasiones sacerdotium usurpandi, quae nocentissima occasio merito est tollenda ex verbo apostoli dicentis 2. Corinth. 16.: quidquid facio faciam, ut amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, ut in quo gloriantur, tales inveniantur sicut et nos; nam hujusmodi pseudoapostoli operarii subdoli transfigurantes se in apostolos Christi. Deficiente enim evangelizatione, quam Christus instituit, necesse fuit, quod signa generationis adulterae propter commendationem ejus blaspbemam per apostatas sint inventa. Quinto dixerunt, quod ille ritus magistrorum claudit irreverentiam venerabilis sacramenti Eucharistiae et induxit abusum ejusdem sub una specie communicandi et verum usum ejus obscuravit multiplicando missas, ex quarum multiplicatione populus *in sola visione* sacramenti quiescebat et adhuc pro majori parte quiescit in illa spem salutis ponens, mandatum de manducatione et bibitione ejusdem parvipendens. Et sacerdotes se et populum impediunt pro eodem tempore, in diversis altaribus missantes, quia nullus eorum, quae dicenda essent ibi ad populum, sine alterius retar-

datione potest pronunciare. Sed non sic docuit spiritus veritatis in ecclesia primitiva, ubi unus sacerdos conficiebat in omnium fidelium congregatione, ut elicitur ex Dionysio, et alii praesentes in memoriam mortis Christi, quae est unica et sufficiens oblatio, sacramentum Eucharistiae ab illo suscipiebant. Sexto dixerunt, quod ille ritus magistrorum tenet multitudinem signorum, quae sunt multis occasio perfidiae et superstitionum et specialiter sunt ibi laquei simplicibus sacerdotibus, qui virtutem Dei more gentilium reponunt in caracteribus et in signis, quod videtur esse occultus contractus et desponsatio cum daemoniis, et est crimen *nigromanticae* artis juste et rationabiliter a sancta ecclesia condemnatae, et in multitudine tot signorum, quae dicunt multa bona signare, quibus communiter quasi omnibus carent; nihil aliud nisi mendacia videntur multiplicare promittentes sibi et populo victoriam de diabolo, quod tamen nunquam vel raro evenit, imo omnino oppositum contingit, sicut olim falsi prophetae ad confirmandum sua mendacia fecerunt sibi ex consilio diaboli falsa signa, ut melius eorum mendaciis crederetur, ut patet de Sedechia, qui fecit sibi cornua ferrea et dixit ad Achab: sic ventilabis Syriam et sic regem decepit, 2. Paralipp. 18. Et quamvis magistri in excusationem horum multa allegassent volentes nunc in uno, nunc in alio loco scripturae illa fundare signa in tantum illa magnificantes, quod nullum sacramentorum rite celebraretur sine talibus crucis signis, tamen non bene videbantur hoc posse probare, quod videlicet Christus vel aliquis ejus apostolus talibus et tot signis uterentur vel doctrinam suam de faciendis illis alicubi reliquissent. Et ideo sacerdotes Thaborienses antedicti illis eorum pe suasionibus assensum non praebentes dixerunt, quod facere signa talia crucis in missa non est de substantia nec necessitate missae. Caret (cavet) quoque haec signa in missa facere velut alius undecunque autoritate scripturae sacrae, ut patet distinctione 16. Ecclesiarum in decreto. Et Augustinus, qui elegatur (eleganter) in Rationali Wilhelmi prima parte capitulo 2. ita scribit: quod nulla scriptura novi vel veteris testamenti docet fideles signaculo crucis insigniri, nec Christus legitur aut aliquis ex suis apostolis haec fecisse, in quibus ut aestimamus se confirmavit ecclesia primitiva. Haec Augustinus. Et respondentes autoritatibus sanctorum doctorum, quos tunc magistri pro stabilitione horum signorum allegarunt sententiantium, quod nullum sacramentorum rite celebratur sine talibus signis, dixerunt, quod videntur debere intelligi de passione Christi

crucifixi, virtute cujus et non a signo crucis omnia sacramenta suam capiunt efficaciam, de qua apostolus, Gall. 6. dicit: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo mihi mundus crucifixus est et ego mundo. Et ipsemet Christus, Math. 6. dicit: Si quis vult post me venire, abnegat semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me. Cujus multi stigmata in corpore suo gestantes carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis, quae signatio multo praeciosior est quam illa sine fundatione scripturae humanitus introducta. Alias non videntur ad intentionem adversariorum habere veritatem; hinc magister Johannes Hus sanctae memoriae super tertia distinctione contradicit, quod illud: Tuam crucem adoramus et similia omnia illa inquit debent exponi ad signatum et non ad signum. Haec ille. Septimo dixerunt, quod ritus supradictus magistrorum includit missas ad lucrum avarorum sacerdotum de inordinato cultu sanctorum sapientes idololatriam, cum ibi missae de sanctis distinguantur, ex quo communiter simplices sacerdotes non alium circa haec habent sensum, nisi quod illae missae celebrentur *sanctis* contra divinum praeceptum, quo Lucae 22. dicitur: Hoc facite in *meam* commemorationem. Cum Hugo de sacramentis libro secundo parte octava scribat, quod celebratio missae in commemorationem Christi agitur, sicut ipse praecepit apostolis dicens: Hoc facite in meam commemorationem; quos postea sanctos per orationes ibidem conscriptas partim (partiti) erant et exhinc et sententiis doctorum infundabiliter pro intercessione et suffragio docent simpliciter et necessaria invocare; et cum multis, qui in canone ponuntur, participium petere praecipiunt, de quorum beatitudine certificari non possumus ex scriptura. Contra hoc dictum eorum quamvis magistri plura objecerunt ex lege Dei et doctoribus de hoc specialiter, qualiter multi sancti Patres velut Abraham Genes. 18. Tobias, capitulo duodecimo; Manue, Judicum 13. et sic de multis aliis alloquebantur angelos in forma humana ipsos visitantes eos fore homines aestimantes ut testatur doctor de Lyra praedicta loca scripturae exponens; et illud dixerunt Thaboritae. A nobis non negatur, sed conceditur, quod et hodie quilibet nostrum facere possit, si et dum in tali casu alicui angelus appareret, vel eidem destinaretur; per hoc tamen non sufficienter ut videbatur magistri deduxerunt, quod alicubi habeamus in lege nova vel veteri praeceptum expressum, quod sancti existentes in coelesti patria a viantibus modo, quo pro fide a magistris adstruitur, debeant necessario invocari

sicut in loco de materia illa lucidius decidetur. Octavo dixerunt, quod hic ritus magistrorum includit incerta suffragia animarum et memoriam defunctorum post annos ab incarnatione Domini 568. per Pelagium Papam insertam, quae non prodesse sed multis obesse videtur, cum faciat somniati et incerti purgatorii certificationem et est occasio simoniae et avaritiae sacerdotum majoris libertatis peccandi et falsae spei. Contra hoc dictum eorum quamvis magistri ex lege Domini et doctoribus multa objecerunt probare conantes locum purgatorii animarum a corpore exutarum non ad plenum hic in via purgatarum post hanc vitam esse ponendum, in quo poenas sustinentes corporales sensibiles purgarentur, et de illo post purgationem, nunc ante diem judicii aliquae exirent prius et aliquae posterius, quibus fideles hic in via debeant jejuniis, et orationibus, elemosynis et sanctis oblationibus suffragari. Per haec tamen ut videbatur magistri non bene potuerunt ex scriptura expressa legis deducere, quod talis locus purgatorii post hanc vitam sit, cum contra eosdem magistros a dictis sacerdotibus erat objectum, quod nulla scriptura expressa legis ad hoc esse videatur, ex qua fideles teneantur credere, ut fidei articulum, quod fiat talis locus purgatorii post hanc vitam, in quo taliter ut magistri dicunt animae salvatorum purgarentur, sustinentes poenas corporales sensibiles, ut praemissum est; nec possumus, inquiebant, ex fide edoceri de aliqua anima, quod sit in tali purgatorio, et exieret de illo, sicut habemus de duabus viis expressum et de aliquibus ex nomine, qui illic ambularunt; nec alicubi dicebant, in lege videtur de tali purgatorio fieri expressa mentio, nec apostoli nobis aliquod expressum de hoc tradiderunt vel reliquerunt documentum nec ecclesia primitiva, cujus ipsi rectores erant, aliquid de illo scivisse videtur, cum primum, ut praemissum est, Pelagius Papa post 568 annos legitur tradidisse, ut in missa memoria defunctorum habeatur. Et beatus Augustinus de sacramentis libro secundo scribit, quod locus purgatorius non est determinatus, nisi quia multis exemplis et apparitionibus animarum in hujusmodi poenis positarum monstratus est. Et haec materia post suo loco latius determinabitur cum probationibus ex scriptura et testimoniis sanctorum se in eadem veraciter fundantium, quas auditi(ausi) sunt dicti fratres Thaborienses pro se contra illud purgatorium allegasse.

C. 16.

Phantasia infundabilis Magistrorum.

Scientes autem magistri ex praemissis, quod nec lex vetus nec nova nec doctores, quos pro ornamentis et ritu eorum missandi adduxerunt, eorum suffragantur proposito, recurrebant ultimo ad propriam eorum phantasiam, quam posuerunt in suo tractatu ante praemisso contra sacerdotes Thaborienses divulgato dicentes, quod sub aeterna damnatione tenemur, nedum statuta apostolorum et aliorum seniorum, sed *statuta ecclesiae* etiam malignae et discolae, dummodo sunt rationabilia et legi Dei directe non repugnantia *custodire* et observare, per hoc volentes sacerdotes Thaborienses antedictos obligatos habere ad custodiendum et observandum eorum ritum missandi totalem, quamvis a multis pontificibus Romanis longe post apostolos ab imitatione jam Christi et ejus apostolorum notabiliter declinantibus sit emanatus, cum, ut ipsi fatebantur, legi Dei directe non repugnet. Sed Thaborienses sacerdotes ad hoc responderunt: Ex quo ex capitulo praecedenti notum sit, quod in illo eorum ritu multa contineantur nociva in lege Domini non fundata, verum in pluribus eidem repugnantia ritum eorum hoc ipsorum fictum principium non salvat. Imo dixerunt dato quamvis nondum vere probato, quod nihil in ritu eorum legi Dei directe obviet, ad hoc sacerdotes Christi ad illum sub aeterna damnatione non essent obligati, cum ad omnia talia legi Dei directe non obviantia Christus suos non vult habere obligatos, sicut noluit suos apostolos obligare ad manuum ablutionem ante panis manducationem, quando Math. 15. dicit: non lotis manibus manducare non coinquiat hominem, licet seniorum fieret traditio et legi Dei non directe contraria; quia si quilibet sub aeterna damnatione esset obligatus ad tenendum et custodiendum omnia statuta legi Dei non repugnantia, tunc non cito aliquis possit salvari, cum non cito invenitur talis homo, qui haec omnia statuta nedum impleat sed cognoscat; et per consequens dixerunt: hoc magistrorum fictitium stare non potest, nec eorum proposito suffragatur.

C. 17.

Corrolaria sacerdotum Thaboriensium ex praedictis facta.

Illis altercationibus pro ritu magistrorum coram dictis auditoribus habitis sacerdotes Thaborienses ista elicuerunt et coram audi-

toribus expresserunt: primo, quod verum non est illud, quod magistri contra eos publice in scriptis publicarunt, videlicet quod ritus ille, quem magistri cum sacerdotibus Pragensibus sibi adhaerentibus observant, sic in universali ecclesia hucusque continuetur, sicut ab apostolis et primis sanctis eorum discipulis erat traditus, cum ex praecedentibus patet, quod ornatus moderni sacrae missae non ex lege Dei, sed humanitus sine fundamento expresso legis sumpserunt initium, et quod ritus, quem observant, non est apostolicus nec apostolorum sanctorum discipulorum, nec universalis ecclesiae, cujus rectores erant apostoli, sed est ritus ecclesiae Romanae modernae a multis Pontificibus Romanis longe post apostolos ab imitatione jam Christi et ejus apostolorum notabiliter declinantibus fabricatus et onerose introductus, claudens in se multa enormia capitulo praecedenti expressa, in quibus simulata consistit devotio, et per quae simplices excaecantur aequiparantes ea legi Dei aut ultra legem appretiantes. Secundo sacerdotes antedicti expresserunt, quod si magistri illum ritum suum lege Dei voluerint rectificare, necesse habeant viaticos suos et missalia in magna ipsorum parte emendare. Tertio expresserunt, quod magistri ritum suum volentes fundare et a peccato excusare multorum doctorum dictis utuntur, quorum ritum non observant nec observare intendunt. Quarto protestati sunt, ex quo magistri defecerunt in probatione, quod videlicet sacerdotes Thaborienses teneantur in ornamentis specialiter ad sacrificandum deputatis missare, secundum conditionem expressam in pronuntiatione circa Conopissez facta, amplius non intendunt illam missationem tunc post pronuntiationem in ornamentis per Procopium rasum factam continuare, quam continuassent, si vere ex lege Dei et sententia doctorum sanctorum se veraciter fundantium in eadem eis probatum fuisset, quod taliter, ut dictum est, missare debuissent.

C. 18.

Modus, quem sacerdotes Thaborienses observarunt in propositionibus in materia sacramenti eis per magistros oblatis, et quem servarunt magistri in propositionibus in eadem materia eis per sacerdotes Thaborienses ibidem similiter oblatis.

His itaque peractis ibidem in castro Conopissez durante eadem audientia coram auditoribus antedictis magistri Pragenses sacer-

dotibus Thaboriensibus istas propositiones reduplicativas in materia sacramenti obtulerunt: Corpus Christi est in sacramento altaris in quantum corpus in quantum est substantia, et in quantum substantia in se ipsa, et plures alias terminis hinc inde transpositis et variatis inducere volentes eosdem ad concedendum has propositiones simpliciter. Sacerdotes autem Thaborienses oblatis ipsis dictis ad confitendum propositionibus non eas simpliciter concedebant, sed exprimebant circa has propositiones certas acceptiones de modo specialiter essendi corporeo Christo in sacramento, ne videlicet credat aliqui Christum in sacramento Eucharistiae sub specie panis esse corporaliter situaliter seu dimensionaliter ita, ut sub eadem specie panis alibi sit assignare ejus caput, alibi oculum et alibi nasum, aut quod ex hoc de manducatione corporis domini grosse et carnaliter sapiat more illorum Christi discipulorum retro abeuntium, de quibus Joannis 6. credentium secundum Augustini et Ambrosii beatorum sententiam, quod carnem Christi concidere et vorare sicut carnem agni possent vivam integramque absorbere, sicut cetus maris vivum absorbuit Jonam. Et cum ex superabundanti magistri nolentes contentari de sola cum dictis exceptionibus concessione propositionum praedictarum artabant quantum potuerunt, ut sacerdotes Thaborienses antedicti propositiones praedictas scriberent nomina propria quilibet manu propria subscribendo, quod finaliter perfecerunt, in subscriptione istud ad cautelam inserendo: istas propositiones concedimus ad sensum Catholicum verum primarium et principalem salva declaratione terminorum.

Sed quod magistri eisdem sacerdotibus concesserant coram omnibus tunc praesentibus manu propria consignare recusarunt. Ne tamen illud omnibus hoc scriptum legentibus sit ignotum, dignentur jam audire; istud enim concesserunt magistri tunc praesentes coram toto auditorio saepe dicto sacerdotibus Thaboriensibus: panis sacramentalis in natura sua manens panis et sacramentaliter corpus Christi. Etiam istud concesserunt: Panis sacramentalis in natura sua manens panis non est identice corpus Christi de identitate materiali intelligendo.

Eodem quoque tempore et coram eisdem auditoribus in loco praefato Conopissez facta est mentio de tractatulis duobus, uno Nicolai de Pelhřimow Episcopi Thaboriensis nuncupati sic incipiente: Ad sacramenti Eucharistiae in veritate magnificationem; in quo ex

fide scripturae et testimonio sanctorum doctorum se in eadem veraciter fundantium istam determinavit quaestionem: quod Christus post sui in coelum ascensionem non est hic alicubi in terris substantialiter, corporaliter, dimensionaliter in illo corpore et in illa magnitudine, in quo et in qua resurrexit a mortuis et videntibus ejus apostolos coelos ascendit, propter quem tractatulum dictus Nicolaus fuit a magistris quibusdam Pragensibus et specialiter per magistrum Joannem Přžibram per regnum graviter infamatus propter unicam dictionem in illo eodem tractatulo in alio sensu, quam ejusdem erat Nicolai captam. De alio tractatulo magistri videlicet Joannis Přžibram incipiente: Exurge Domine tu et arca testamenti tui, ibidem mentio erat; cui tractaculo dictus Joannes Přžibram titulum praemittit dicens, se ipsum specialiter scripsisse contra praedictum sacerdotem Nicolaum Episcopum Thaboriensem nuncupatum, in quo eidem Nicolao, ut ibidem coram auditoribus expressit, magnam fecit injuriam et multa contra eum falsa testatur, qui nunquam in eisdem est convictus; nec hoc unquam in eum, ut asserit, veraciter fuerat deductum. In quo etiam tractatulo dictus Přžibram multa evangelio et fidei catholicae obviantia scripsit, inter quae hoc unum ibidem sibi objectum non veretur nomine beati Augustini asserere: o veneranda sacerdotum dignitas, inter quorum manus Deus fidelius velut in utero virginis incarnatur, linqua eorum de coelo deponit filium Dei et manus ejus in sanguine Christi intinguntur. Et quamvis Nicolao praedicto illos errores in eodem ejus tractatulo conventos objiciente, inprimis inceperat negare illum suum fore tractatulum, tamen postea replicante sibi Nicolao ipsum tractatulum suum proprium fore recognovit. De quibus quidem tractatulis mentione facta ex consensu partis utriusque scilicet magistrorum Pragensium et sacerdotum Thaboriensium et mandato superiorum arbitrorum eis praesidentium electus fuit magister Přžibram parte ex una et Gallus sacerdos, rector ecclesiae in spiritualibus in Sušyez parte ex altera, ad videndum et examinandum corrigendumque, si necessarium fuerit, tractatulum praedictum in materia fidei Nicolai antedicti jam in dictione illa, in qua eum in sensu alio ab ipso nunquam intento sinistre conceperant suppletum. Quo viso et pensato praedicti conspectores coram parte utraque publice confitebantur, quod visis et conspectis universis ejus clausulis et fideliter pensatis decrevimus et pronuntiamus, quod tractatulus suus praedictus, qui incipit: Ad sacramenti Eucharistiae magnificationem, suppletus

ad cautelam fidelium publicetur, quem offerimus vobis ad approbandum ut in cathedris ecclesiarum Pragensium et Thaboriensium publice proclametur, quatenus universi fideles sciant illum tractatulum suppletum et ad legendum approbatum; ideo cum ista nostra pronunciatione vestrae caritati Domini arbitri offerimus illum tractatulum jam suppletum et ad manus vestros deponimus, quatenus per vos executioni debitae et honestae demandetur publicandus et in cathedris supradictis et a modo secure legendus et tenendus. De tractatulo autem supradicto magistri Joannis Pržibram ibidem recessum est, et ab auditoribus utriusque partis injunctum et mandatum et magistro Jacobello de Missa ex parte magistrorum et uni alteri sacerdotum Wenceslao ex parte Thaboriensium ibidem commissum, ut illi duo recepto illi tractatulo ipsum corrigant, et errores in eo contentos, quos ibidem Joannes Pržibram negare non potuit, rejiciant, et hoc ut ex relatu partium manifestum est, hactenus ad effectum non est deductum per negligentiam et protractionem specialiter magistri Jacobelli antedicti, sic quod hodie adhuc ille suus tractatulus cum sinistris erroribus et in suis falsis contra praedictum Nicolaum testimoniis per regnum Boemiae currit et multiplicatur.

C. 19.

Quibus ex causis et quando indicta fuit audientia magistris Pragensibus et sacerdotibus Thaboriensibus in castro Pragensi.

Cum autem haec audientia sine finali decisione inter partes finita est, hinc est, quod anno postea Domini MCDXXIV [1]) currente iterum magistris Pragensibus cum sacerdotibus Thaboriensibus antedictis per communitates regni indicta fuit alia audientia, et auditores ex utraque parte electi et nominati locusque circa festum sancti *Galli* [2]) in castro Pragensi deputatus.] In qua quidem audientia partibus ad invicem conductis loco et tempore limitatis oblatis per magis-

---

1) Siehe Prohaska Congregatio magistrorum etc. 1420 (1424). Misc. S. 271—279.

2) Anno domini 1424 heisst es am Schlusse eines Codex der Universitäts-Bibliothek III. G. 27 conscriptum per totum est hoc opus per manus Jacobi de Stras post magistrum — Buzkonem de Gdyna — feria VI ante festum trinitatis in collegio Caroli in magna tribulatione tunc currente, quia Thaborenses et Sirotkones tunc circum Pragam devastabant et comburebant et dominica in octava corporis Christi prostrati sunt ad ultimum.

tros certis articulis de septem sacramentis, ritu missandi, purgatorio et invocatione sanctorum et super eisdem praehabita partium coram dictis auditoribus per communitates ex utraque parte electis longa concertatione modo tempore suo in posterum exprimendo et hic causa brevitatis praetermisso. Et facta per magistrum Joannem Přibram declaratione terminorum positorum in propositionibus in Conopissez per magistros sacerdotibus Thaboriensibus oblatis blasphemia et fratrum Thaboriensium multum et minus juste confusiva et detractoria omnes ad propria redierunt sub conditione in spatio aliquot septimanarum vice versa se in loco ejusdem constituendi. Quibus utrisque loco et tempore ipsis limitatis constitutis ex mandato et deliberatione auditorum de loco praefato castri Pragensis in antiquam civitatem Pragensem descenderunt et tempore ipsis per auditores in Collegio Caroli in stuba bursali praefixo utrique convenerunt; quibus convenientibus et tractatum inter se incipientibus coram dictis auditoribus et certis personis ab omnibus communitatibus legi Dei adhaerentibus deputatis et coram magna multitudine saecularium et spiritualium astantium magister Joannes Přibram more suo in verba diffamatoria prorupit dicens: quod de numero sacerdotum Thaboriensium hic assidentium *prodit pessima Picardica haeresis*, et ipso eodem ex hoc per proprios redargutо et in probatione dicti sui deficiente postremo cepit sacerdotem *Marcoldum* nomine unum de sacerdotibus Thaboriensibus incusare dicens: ipsum tenere, quod mali sacerdotes non conficiant, cui ad hoc sibi respondendum terminus ad crastinum per auditores erat limitatus.

Utrum mali sacerdotes conficiunt.

Quo tempore responsionis adveniente praefatus Marcoldus respondendo ad sibi factam quaestionem, utrum videlicet mali sacerdotes conficiant, inprimis protestationem praemisit in haec verba: Quod si in quocunque puncto aut in illa sua responsione ipsum contigerit in aliquo deviare, paratus est obedire veritati, ab ipsaque corripi et deformari, sciens quia veritas Dei super omnia vincit. Secundo protestatus est, quod respondendo ad illam quaestionem sibi factam aliud non intendit, nisi ut ad normam et honorem Dei sacerdotium reformetur et ad statum apostolicum reducatur et ut populus de se provideat, ne per talem falsum clerum amplius seducatur. Illis suppositionibus praemissis aliqua praemiserat notabilia

propter terminos positos in quaestione, in quibus jacebat difficultas. Primo quia in quaestione est mentio de malis sacerdotibus, ideo istud voluit habere pro notato, quod duplex est peccatum seu duobus modis peccatum accipitur, primo cum quis peccat contra bonum moris; secundo, cum quis peccat contra bonum fidei. Secundo voluit habere pro notato, quod aliqui sunt sacerdotes, qui rite promoti sunt ad sacerdotium, quamvis cadant in peccatum mortale et peccent primo modo peccandi, a secundo autem modo peccandi se praeservant, qualis fuit Judas. Et nunc dicebat: Habeo spem de multis, quod bona intentione sacerdotium adepti sunt, quatenus militent contra seductionem Antichristi, quamvis non talem habnerunt notitiam de episcoporum simonia, qualem modo habent, et de illis dicebat: Mihi non facio difficultatem, nec dicere audeo, quod sacerdos rite vocatus, licet aliquando peccat contra bonum moris, quod non conficiat, quamvis non deberet hoc facere sciens Deum hoc eis prohibere. Sed alii, inquiebat, dicuntur sacerdotes, qui nomen tantum sacerdotii sibi vendicant, qui haeretice promoti aliunde quam per ostium intrantes ad hunc statum tam ex parte conversationis quam doctrinae inhabiles circa fidem Jesu Christi reprobi et praesertim circa fidem sacramentorum et in hoc pertinaces; tales, dicebat, figurati sunt per meretricem apocalypticam intus et foris fornicatione corruptam; et de talibus, dixit, est difficultas in quaestione praefata, a quibus omnibus et singulis Christi fidelibus sibi attendere est necesse. Tertio voluit habere pro notato, quod Christus pro omni tempore est caput suae ecclesiae, non ipsam in aliquo negligens necessario, quin eidem influat motum et sensum spiritualem. Quod sit ecclesiae suae caput, patet Ephes. 1. Quod autem eidem suae ecclesiae non deficit, patet sapientiae ultimo, ubi dicitur: in omnibus enim Domine magnificasti populum tuum et honorasti et non despexisti in omni tempore et in omni loco assistens eis. Et Joannis 13. cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Illis notatis praefatus Marcoldus respondendo ad dictam quaestionem posuit tres conclusiones; primam istam: quod illi sacerdotes, qui tantum nomen sacerdotii sibi vendicant, sed in veritate sacerdotes non sunt, eo quod haeretice sunt promoti, aliunde quam per ostium intrantes ad hoc tam ex parte conversationis quam doctrinae inhabiles circa fidem Jesu Christi reprobi et praesertim circa acramenta et in hoc pertinaces nihil proficiunt sed magis officiunt ecclesiae. Istis ex infra annotatis scripturis Jeremiae 23.: nihil pro-

fuerunt populo huic. Sapientiae. 9. Fructus eorum inutiles et acerbi ad manducandum ad nihilum apti. Deuteronomio 32. Uva eorum uva fellis. Math. 7. Nunquid de spinis colligunt uvas, aut de tribulis ficus? Et iterum: Non potest arbor mala bonos fructus facere. Joannis 15. Palmes non facit fructum, nisi manserit in vite. Lucae 14. Nec in sterquilinium valet. Et 2 Thessal. 2. Cujus adventus in omni seductione. Et Judas in Canonica: Hi sunt nubes sine aqua, quae a ventu circumferuntur, et arbores autumnales infructuosae. Secundam conclusionem posuit istam, quod omnes et singuli Christi fideles tales sacerdotes et ipsorum doctrinam debent fugere et ab ipsis sibi diligenter attendere juxta has scripturas: Math. 7. Attendite a falsis prophetis. Et Math. 10. Cavete ab hominibus. Et Math. 24. Tunc qui in Judea sunt, fugite in montes. Et apostolus ad Timotheum! Hos devita. Et Joannes in Canonica tales prohibet in domum suscipere. Et proverbiorum 9. Qui applicabitur illi, descendet ad inferos. Tertiam conclusionem posuit istam: Quod tales sacerdotes in officia et cathedras ecclesiae intrusi, tanquam indigni et inutiles una cum eorum capite degradari debent, et hoc juxta istas scripturas: Isaiae 9. Dispersit Dominus ab Israël caput ad caudam etc. Et Isaiae 32. Non vocabitur is, qui insipiens et princeps. Et Isaiae 22. Quis tu hic aut qualis tu hic. Sapientiae 3. Filii autem adulterorum in consumatione erunt. Et sapientiae 4. Et commovebit illos a fundamentis et usque ad supremum desolabuntur et erunt gementes in aeternum et memoria illorum peribit. Daniel 7. Judicium sedebit, ut auferatur potentia et conteratur et dispereat usque in finem. Math. 7. Ruina magna erit huic domui. Et Math. 21. Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis. Apocalypsis 17. Decem cornua quae vidisti in bestia, decem reges sunt, hi odient fornicariam et desolatam facient eam et nudam, et carnes ejus manducabunt et ipsam igni concremabunt. Joannis 15. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes et arescet, et colligent eum et in ignem mittent eum et ardet. Imo Simoni Mago dixit Petrus, Actuum 8. Non est tibi pars neque sors in sermone isto; cor enim tuum non est rectum coram Deo. Ex quibus ulterius per modum corrolarii dixit; quod illi praedicti sacerdotes a Deo non habent potestatem conficiendi nec sacramenta ministrandi, quia defecit probatio ex scriptura, quod tales essent sacerdotes a Deo confirmati. Et dicebat, quod utilius esset populo, dum deficerent in bonis sacerdotibus, ut nullum habeant

talem, quia si fuit expediens ecclesiae militanti, quod careret corporali praesentia capitis Jesu Christi, sicut contigit, quando crevit ecclesia post ascensionem Domini; quanto magis prodesset militanti ecclesiae, quod careat talibus, qui non aequiparantur in virtutibus Jesu nostro, cum descenderet gratia perpendiculariter a Christo in homines proportionaliter, ut sint digni nec exinde ecclesia Christi servans fidem ejus esset acephala, cum Christus existens caput ecclesiae suae non deficiens suis in necessariis influeret motum et sensum, supplens necessaria etiam si omnes ad ultimum corrumpentur, sicut in praemissis ostensum est, et in confirmationem horum omnium praemissorum adduxit quaedam antiqua statuta de canonibus apostolorum, quaedam horum in decretum inserta, de quibus antea magister Joannes Přibram solebat dicere, quod tantae sunt autoritatis ad credendum, sicut ea, quae sanctus Lucas conscripsit in actibus apostolorum. Et per ista jam dicta magistros Pragenses praedictus Marcoldus evasit coram magna multitudine populi et coram praedictis auditoribus et personis eis de omnibus communitatibus legi Dei adhaerentibus coadjunctis. Et sic illa praedicta audientia eorum sine finali inter partes decisione est finita, *utrisque circa sua opinata remanentibus.*

C. 20.

Quibus ex causis a dominis Baronibus militaribus, clientibus, communitatibus et civitatibus regni Boemiae, Marchionatusque Moraviae legi Dei adhaerentibus indicta fuit Pragae audientia magistro videlicet Petro Anglico et magistro Johanni dicto Přibram.

De hinc quia anno Domini MCDXXIX magister Joannes dictus Přibram honoris Dei veritatis evangelicae aemulus et famae regni Boemiae ac salutis propriae immemor insurrexerat, libros Doctoris evangelici magistri videlicet Joannis Wicleff haereticans et erroneans, qui libri magistro Joanni Hus, divae memoriae, ut noscunt plures fide digni, quod sic asseruit, aperuerunt oculos, dum eosdem volvebat, et revolvebat una cum pluribus sibi adhaerentibus pro tunc magistris olim valde dolentibus de combustione librorum doctoris antedicti de anno Domini MCDX per Sbinkonem Archiepiscopum Pragensem et suos simoniacos praelatos Pragae facta, quamvis, proh dolor! quibusdam in arcum pravum conversis et non desideran-

tibus praesentia, praeterita, nec futura. Hinc est, quod eodem anno quo supra Barones, Milites, Clientes, Communitates et civitates praedicti regni Bohemiae, Marchionatusque Moraviae legi Dei adhaerentes cum eorum magistris et sacerdotibus tantae malitiosae praesumtioni et tam grandi periculo volentes occurrere, in convocationibus eornm generalibus decreverunt, quod contra voluntatem eorum est dicta haereticatio, cum nullum scriptum sive dictum in parte vel in toto doctoris praedicti volunt permittere, quantum erat in eis, haeredicari aut erroneari, quod scripturae expressae non dissonat aut doctorum sanctorum sententiae in eadem fundatae inevitabiliter. Et ob hanc causam omnes tam saeculares quam spirituales nominati scientes illud regnum ex illo opere non aliquam consequi utilitatem sed importabile detrimentum; intellexerunt enim, quod ex indiscreta maculatione librorum Wicleff illi regno sequerentur multa mala, primo, gentis Bohemicae aestimaretur justa haereticatio, et contra eandem facta crucis erectio. Secundo, Regis Hungariae recta putaretur contra eandem gentem crudelis invasio, et librorum doctoris evangelici in Pragensi civitate rationi consona judicaretur combustio. Tertio: de quo nominanter dolendum est legitima et non impugnabilis haberetur bonae memoriae magistri Joannis Hus in Constantia ad mortem sententiatio. Et quarto, intranea hujus regni sequeretur damnosa distractio. Hinc est, quod audientes magistrum Pržibram antedictum ex parte una libros praedictos specialiter in materia Eucharistiae haereticare et erroneare, Petrum vero Paine Anglicum et universitatis Oxoniensis magistrum parte ex altera in hoc sibi repugnantem eosdemque libros, quantum in eo fuit, justificare velle et omnibus ac singulis articulis materiam praesertim Eucharistiae sacramenti concernentibus, qui debite et veraciter ex eisdem traherentur, sanum et Catholicum assignare sensum, ipsis tempus disputationis et locum Pragae super his discernendis decreverunt et unanimiter eodem anno, quo supra, limitarunt auditores eis parte ex utraque speciales deputantes et certos de communitatibus tam saeculares quam spirituales actui eorum ut assideant, postea autem adjungentes optantes semper viam omnibus et singulis doctorem antedictum haereticandi et erroneandi praecludere, nisi prius aliqui doctorem praefatum efficaciter ostenderint, ut praemittitur, a via veritatis evangelicae aut doctorum sanctorum sicut praedicitur fundata sententia deviasse. In quo quidem actu magister Petrus praedictus omnibus et singulis

articulis per magistrum Pržibram de libris Wicleff pro haereticis et erroneis extractis ac sibi per eundem praesentatis et specialiter materiam sacrosanctae Eucharistiae concernentibus sanos et catholicos applicuit sensus, ex quibus nullum prout videbatur praefatus magister Pržibram efficaciter potuit improbare, prout lucidius potest videri et diligenter indaganti patere in positionibus et processu partium utrarumque hic causa brevitatis omissis. In illo etiam actu praefatus magister Petrus propositiones per magistros sacerdotibus Thaboriensibus in castro Conopiscz ad confitendum oblatas, de quibus fuit mentio in illa audientia in superioribus exarata, pro erroneis condamnavit, propositiones autem ibidem magistris et sacerdotibus Thaboriensibus oblatas justificavit. Post quorum magistrorum actum auditores ex utraque parte ad ipsos audiendum deputati istam subscriptam inter eos fecerant pronuntiationem:

In nomine Domini Amen. Nos auditores ex parte magistri Pržibram Joannis parte ex una et magistri Petri Anglici parte ex altera deputati inprimis hoc notificamus, quod potestatem, qua a communitalibus fulti sumus nobis in finem concordiae totius et finalis, quam Domino concedente inter eos facere intendimus, reservamus, nisi potestates, quae nobis potestatem in talibus contulerunt, nos ipsa potestate privaverunt. Secundo pronuntiamus et ambobus mandamus, quod ambo magistri praefati ipsum sacramentum divinum Eucharistiae promoveant juxta limites legis divinae et sanctorum Doctorum scripta in eadem se veraciter fundantium. Tertio pronuntiamus, quod magister Joannes Pržibram magistrum Johannem Wicleff Petrum Angelicum et eorum scripta non haeredicet in toto nec in parte nec diffamet. Et e contra magister Petrus Anglicus magistrum Pržibram et sua scripta quaecunque non haereticet nec diffamet etiam in toto nec in parte, nec unus alteri noceat verbo vel facto per se vel cujuscunque personae intermediae subordinationem. Quarto pronuntiamus, quod uterque eorum magistros divae memoriae Hus et Jacobum de Missa non haereticet nec diffamet quovis modo nec eorum scripta in toto nec in parte, *sed magis pro Catholicis reputet.* Quinto mandamus, ut neuter eorum publicet scripta aliqua, si quae post hanc dum in materia litis, quae inter eos vertitur, scripserit, nisi ad manus auditorum prius reposuerit, imo nec post repositionem, nisi voluntatem auditorum ad hoc habuerit. Sexto pronuntiamus, quod si positio et sensuum adoptatio

magistri Petri, quod publicationem sine dolo impediri non poterit, magister Pržibram in simili habeat, ut si positionem suam cum doctoribus, quos in schola de non remanentia panis in sacramento (in parte sua habuit, vellet publicare?) modo eo, quo pronuntiavit et in uno tantum idiomate scilicet *latino* habeat publicandi. Septimo mandamus, quod uterque eorum ad manus nostras infra hinc festum omnium Sanctorum proxime venturum positionem suam cum doctoribus et arengis, si magister Pržibram saltem vellet eosdem publicare, sine dolo reponat in effectum, et hoc illis auditoribus, qui tunc fuerint in Praga praesentes (tradat?). Octavo notificamus utrique eorum, quod pacem Christianam teneat in omnibus istis praedictis usque ad festum Spiritus Sancti proxime affuturum. Et si auditores maturorum virorum cum consilio infra hoc tempus pacem finalem et concordiam inter eos facere voluerunt, ad mandata et evocationem auditorum pareant loco et tempore per eos assignandis. Acta sunt haec anno Domini MCDXXIX feria quinta post festum Galli (20. Oct.) hora XVI^ta in dote plebani Sancti Galli majoris civitatis Pragensis [1]).

C. 21.

Quibus ex causis et quando indicta fuit sacerdotibus Thaboriensibus cum magistris Pragensibus audientia et electae duodecim personae ex omnibus communitatibus legi Dei adhaerentibus, coram quibus sacerdotes Thaborienses causa eorum publicata culpis eis per magistros objectis responderunt.

Interea quia materiebus inter magistros Pragenses ex una, et sacerdotes Thaborienses parte ex altera manentibus finaliter indiscussis in audientiis antedictis inter praedictas partes detractoriae stimulationes hinc inde pertransierunt, hinc est (sic), quod anno Domini MCDXXXI currente in convocatione generali regni Bohemiae partis adhaerentis legi Dei habita in montibus Cuthnis tempore

[1]) Die Erklärung des Peter Payne gegen M. Johann Pribram findet sich im Ms. der Prager Bibliothek: IV. G. 14. Fol. 137. von 130—157; dann folgt: in Christi nomine Amen. Anno domini MCCCCXXX currente ut articulorum pridem per magistros sacerdotesque utriusque civitatis Pragensis eosque qui in hac parte eis adhaerent conclusorum veritas magis elucescat, libet paucula circa singulos articulos ex serie scripturarum pertractare et quibuslibet articulis prout dominus ex alto dederit munimenta adaptare ut sic saltem occasio sapientibus condonetur.

carnisprivii electae erant, personae duodecim ex statu Baronum, Militum, Clientum, civitatum et comunitatum ejusdem regni legi Dei adhaerentium, quibus ab omnibus aliis concorditer data fuit autoritas de providendo aliquo bono ordine inter se et sacerdotum partium utrarumque. Quae postea personae electae graviter ferentes dictas partium inter se stimulationes auctoritate propria et omnium aliorum anno eodem, quo supra in festo sancti Georgii proxime venturi magistris et sacerdotibus Pragensibus ex una, et sacerdotibus Thaboriensibus parte ex altera terminum pro audientia statuerunt, ita quod in vigilia sanctorum Philippi et Jacobi apostolorum ad collegium Caroli utrique sunt conducti et in praesentia dictarum electarum personarum in stuba facultatis stabiliti, coram quibus quidem personis veluti auditoribus et coram multitudine cleri aliorumque multorum saecularium primum et ante omnia magister Johannes *Rokytzana* nomino suo ceterorumque magistrorum et sacerdotum Pragensium quasdam culpas sacerdotibus Thaboriensibus objecit. Quarum prima erat ista: Sacerdotes Thaborienses in facto non practisantes aliqua sacramenta vel aliquod, et circa ea ritus aliquos, nos quia practisamus, infamant, condemnant et nobis imputant, et ad haec lege Dei et scripturis sanctorum doctorum careant, quod hoc foret malum. Secunda culpa: Sacerdotes Thaborienses nocivi sunt mortuis hominibus, sic quod pro animabus mortuorum Deum non orant et alios ab hoc et ab operibus misericordiae pro animabus agendis abducunt, et ad hoc lege Dei et scripturis doctorum sanctorum carent, quod hoc foret malum. Tertia culpa, quod vivis hominibus sint nimis nocivi, prohibentes nobis peccatoribus pro suffragio optare illam coelestem Hierarchiam ac pretiosam virginem Mariam, et ad hoc lege Dei et scripturis sanctorum carent, quod hoc foret malum. Quarta culpa, quod sunt occasio sive concausa hominibus ad vorandum ad gulam et ingurgitationem, jejunia a fidelibus Christianis ab antiquo tenta deponentes, ad hoc lege Dei carentes, quod hoc foret malum. Quinta, quod sacerdotes Thaborienses aut aliqui ex illis bella moderna hominibus non deputant et ea (nec) lege Dei neque scripturis sanctorum cum his circumstantiis et conditionibus pro ut ducunt, deducere sciunt neque possunt. Sexta culpa: Sacerdotes Thaborienses vel ex his aliqui contra unum articulum astute et hypocritice sub specie legis Dei opera quaedam saecularis dominii ducunt, et ad illos suos cursus nec legem Dei nec scripturas sanctorum habent. Septima culpa, sacerdotes

Thaboritae officium in missa postponentes ritum nostrum abjiciunt et contemnunt, signum crucis in missa non faciunt, aquam ad vinum non affundunt, et caetera non observant, et ad hoc lege Dei et scripturis sanctorum carent, quod ritus noster foret malus. Post quarum culparum sacerdotibus Thaboriensibus oblationem sacerdotes Thaborienses antedicti, priusquam ad illas culpas responderunt, ante omnia coram dictis auditoribus et multitudine cleri aliorumque multorum saecularium causam ipsorum, quam contra dictos magistros et sacerdotes Pragenses promovent, via et modo immediate inferius descriptis declararunt.

C. 22.

Causa, quam sacerdotes Thaborienses promovent et pro qua cum eorum communitatibus et eis adhaerentibus se opposuerunt via et modo inferius descripto coram dictis auditoribus per eosdem declarata et roborata.

Cum sapientum et fidelium requirat conditio verba hominis sollicite audire, audita judicio rationis discutere, discussa pensare animo et tunc pensata sincera conscientia judicare cavendo iram, odium, invidiam et vanam gloriam, quae impediunt animum, ne possit cernere verum et subvertunt animum judicantis, unde locuturi coram sapientibus per Jesu Christi misericordiam juxta modum jam expositum cum silentio nos audite. Scimus enim ex dicto Nicodemi Joannis 7.: quia lex non judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, quid facit. Quia autem super omnia desideramus honorem Dei, profectum sanctae ecclesiae et quod simus fidelia membra Jesu Christi Domini, ideo ad cautelam et magnam securitatem istam praemittimus protestationem, quod in spe Domini Jesu Christi tenuimus, tenemus et firmiter tenere desideramus omnem credibilem veritatem, confitentes corde integro totam legem Christi tam firma veritate existere, quod nullum jota aut apex ipsius fallere potest, cujus singulos credimus articulos ad illum intellectum, ad quem benedicta trinitas praecepit illos credi. Credimus insuper domum suam id est veram suam sponsam sanctam ecclesiam fundatam tam firmiter super firmam petram, quod portae inferi non possunt adversus eam quomodolibet praevalere. Subjicimus quoque in nostris dictis et dicendis colla nostra doctrinae salvatoris nostri, ante cujus tribunal stabimus de singulis responsuri, sinceriter et fideliter ejus optantes esse discipuli, legi-

que ejus in omnibus et singulis obedire, prompti in spe ipsius capitis Christi Domini mortis dirae potius sustinere supplicium, quam elective aliquid dicere aut assere, quod foret Christi suaeque ecclesiae verae sponsae sententiisque doctorum se veraciter in lege ipsius fundantium contrarium voluntati. Insuper protestamur, quod per defensionem punctorum, in quibus a parte nobis adversa impugnamur et per nostram oppositionem pro eisdem non intendimus derogare alicui scripturae sacrae, nec aliquem sanctum doctorem aut aliquam aliam personam confundere in sententia fundata veraciter in eadem. Sed considerantes multorum fidelium hominum pro his punctis vexationem et horrendam haereticationem ac incinerationem, multarum quoque traditionum humanarum, legem Christi impedientium restringentium ac onerantium ac qualiter cum lege ac ultra legem magnificationem et appretiationem toto conatu nostro egimus et in futurum agere intendimus, ut hujusmodi pericula a cunctis Christi fidelibus declinentur, et quidquid humanum est legique post adjectum, pro hujusmodi habeatur, et quod divinum est, a nobis omnibus pro tali teneatur, ne Christus cum suis apostolis in legis suae traditione et ejusdem observatione tamquam insufficiens reputetur, et si, quod absit, aliud intenderimus, aut ex quavis circumstantia in minimo deviare contigerit, illud justificare nolumus, quovismodo summittentes nos in nostris actibus praesentibus et futuris sententiae Domini Jesu Christi, parati obedire veritati et permanere cum illa, scientes, quia veritas super omnia vincit.

C. 23.

Suppositiones pro omnibus per sacerdotes Thaborienses infra dicendis.

Qua protestatione praesupposita quia omnem fidelem necesse est, a Christo Jesu incipere tamquam a primo principio per se noto, ideo ab illo incipientes optantesque humiliter, ut omnipotentis Dei magnificentia hujus nostri operis exordium protegat, medium dirigat, et ejus finem ad suam laudem et honorem perducat, istas praemittimus suppositiones, quarum prima est ista:

Christus Jesus est unus legislator optimus. Jacobi 4. Dominus noster et legifer noster. Isaiae 33. Et fundamentum totius sententiae, quae pertinet Christiano. 1. Corinth. 3. In quo pater sibi com-

placens ipsum audire praecepit. Math. 17. Estque metrum et mensura infallibilis, penes quam attendi debet quodcunque aliud illegitimum vel legale, quum securissimum est in omnibus fidem et vitam Christianam ac mores concernentibus imitari, ipsumque primum et maxime attendere. Suppositio secunda: Lex Jesu Christi, quae est lex evangelica excedens legem veterem et alias leges in brevitate et instrumentorum paucitate ac modi implendi facilitate se sola est sufficientissima ad regimen ecclesiae militantis, ultra quam homo non indiget pro sua viatione ad patriam addere aliquam novam legem. Suppositio tertia: Nomine fidei intelligendae sunt veritates credendae a fidelibus primariae designatae per ea, quae scripta sunt in canone bibliae et veritates credendae inevitabiliter et directe deducibiles ex eisdem; quidquid autem nec per easdem veritates specificatum est nec ex eisdem ut praemittitur inferri potest, illud pro adjecto humanitus est habendum. Suppositio quarta: Quamvis dicta sanctorum doctorum post apostolos non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam sunt acceptanda, tamen sententiae eorum suscipiendae sunt hic a viantibus et admittendae, de quanto in ipsis Christus loquitur et de quanto vere et directe poterint fundari in lege expressa Domini nostri Jesu Christi, cum sancti doctores aliquid dicant conditionaliter, aliquid opinative sive probaliter et aliud asserunt supra opinionem tamquam fidem, et aliud contentiose et reprobative haereticantes et condemnantes se et aliquando contingit eos aequivocare. Suppositio quinta: Quamvis corpus Christi mysticum pro tempore legis veteris tamquam puella juvenis fuit signis sensibilibus multipliciter instruendum, crescente autem ecclesiae aetate pro tempore legis gratiae non est ad signa hujusmodi taliter attendendum; verum tamen cum Christus signa quaedam approbet, licitum est uti aliquibus ceremoniis, quamdiu est religio viatorum imperfecta cum moderamine tamen, dummodo caveatur in talibus nimia appretiatio, inutilis occupatio, eorumdem multiplicatio, ad eas infundabilis obligatio seu indissolubilis cum eisdem desponsatio et aliquid numinis ipsis ascriptio earum aeque cum lege vel ultra legem magnificatio et cum illis ecclesiae ultra legem veterem oneratio, quam Christus a signis hujusmodi tempore legis gratiae liberam esse ordinavit, cum nulla alia privata statuta sint licita vel a populo obligatorie admittenda, nisi de quanto sunt media facilitantia ad observantiam legis Christi. Suppositio sexta: Aliqua humanitas adinventa

sunt non propter efficaciam [1]), sed propter repraesentationem et significationem tantum, quae longe aliter se habent, quam ea, quae ob eandem causam in lege scripta sunt. Suppositio septima: Sacerdotes omittentes ritus humanitus legi Christi post adjectos eandem restringentes, impedientes, dimminuentes, ac onerantes in hoc caeteris paribus non peccant. Suppositio octava: In evangelio Jesu Christi plenius auctoritativius et moderatius omnis veritas a fidelibus credenda et practisanda et praesertim materia sacramentorum est decisa, quam in moderna Romana curia, in cujus fide, sensu, ritu et auctoritate praetensa illis sacramentis impertinentibus a multis hodie magnificantur et promoventur, cum per sacri evangelii diversissimas veritates, quae sunt lucidae et per se manifestae, solidius omnes sententiae confirmantur, fundantur stabilius et utilius ruminantur.

C. 24.

De septem sacramentis ecclesiae quid in generali aut speciali sacerdotes Thaborienses sentiant.

Istis suppositionibus pro fundamento dicendorum praemissis attendentes ad Baptismum, manuum impositionem, coenam Dominicam, Poenitentiam, Ordinem, Matrimonium et infirmorum unctionem, quae vocantur communiter sacramenta, circa ea duo advertimus, primum institutionem Christi, in quantum videlicet a Christo in sua puritate et substantia sunt instituta aut exemplata; secundum: sensus ipsis extraneos et impertinentes, ac ritus circa illa humanitus adinventos onerosos ad venandum pecunias applicatos, ratione quorum Christi plebicula privatur libertate legis Christi et subjicitur totaliter voluntati et arbitrio antichristi, et per quos modo doloso subditi coguntur voluntatem praelatorum exequi, quod si noluerint, varie torquebuntur; quorum transgressio, proh dolor! hodie plus pensatur, quam transgressio Domini mandatorum; in tantum, quod his sic introductis contradicens tamquam manifestus haereticus publicatur. Et secundum illum duplicem respectum doctores, quem circa dicta sacramenta habuerunt, varie loquebantur, nunc ad unum respectum habentes, nunc ad alium; de quibus quidem sacramentis, et si qua alia sunt in lege, quae eadem ratione dici deberent sacra-

---

[1]) efficientiam J.

menta, sicut aliquod ex his septem, primum et ante omnia in generali protestamur, quod in auctoritate, forma, sensuque Christi in fide et ritu et praxi primitivae ecclesiae, cujus rectores erant Apostoli, fuerunt et sunt capacibus multum utilia ac salubria antidota animarum, non tamen sic simpliciter necessaria, quin aliquando sine susceptione talium in signo sensibili fiat salus; circa quorum quodlibet sentire ac firmiter tenere volumus, quod sacra scriptura et doctores sancti fundantes se veraciter et directe in eadem institutive et praeceptive auctorisant et ostendunt. Magis autem circa praedicta nos specificantes particulariter de quolibet eorum, quid teneamus, omnibus et singulis hoc praesens nostrum scriptum legentibus intentionem nostram per infra scripta innotescimus cum applicatione fundamentorum et probationum, quas ad haec ex fide scripturae habemus et testimonio antiquorum doctorum se veraciter in eadem fundantium.

1. De sacramento Baptismi quid sit et ubi in fide scripturae habeat fundamentum, quae de ejus sint necessitate et quae non, et quid sacerdotes Thaborienses de ipso finaliter sentiant.

Et primo de sacramento Baptismi, quod est primum sacramentum mediante quo Deus principaliter confert gratiam sacramentalem primam spiritualiter generantem, cum sit signum generationis spiritualis in Deo.

Istud ex fide scripturae tenemus et corde sinceriter confitemur, quod sacramentum Baptismi est ablutio hominis per aquam facta ab alio verba praescripta a Christo debiter proferente, signans efficaciter ablutionem animae a peccato, quod expressum in evangelio habet fundamentum; nam Christus tam verbo quam opere docuit in se credentes sic baptizari; verbo: quando apostolis dixit Mathaei ultimo: Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Opere autem, quando baptizatus est a Joanne in Jordane, Math. 3. De cujus necessitate seu substantia sunt tria secundum Thomam. Quaestione 87. III^{tia} Parte Summae, articulo 1. et magistrum sententiarum in 4. Distinctione 13. et alios doctores concorditer, scilicet forma a Christo praescripta, quae designat principalem causam sacramenti; minister, qui est causa instrumentalis et ablutio in aqua, quae designat principalem sacramenti effectum. Utilia autem circa ipsum profitemur orationem, abrenuntiationem, paedagogorum fidelem curam et exhortationem.

Caetera vero omnia, quae in ritu baptizandi moderna observat ecclesia, sunt praeternecessaris seu non de necessitate aut substantia ad sacramentum Baptismi requisita, a quibus multi capiunt occasionem erroris et superstitionis. Et secundum aliquos, ut refert Thomas super Distinctione sexta quarti sententiarum non aliquid efficientia sed solum significantia, quid efficitur in Baptismo. In quorum confirmationem antiqui posuerunt metra (media) exprimentia ea, quae non de substantia sacramenti Baptismi sunt, sub his verbis: sal, oleum, chryama, cereus, chrysmale, saliva, flatus virtutem baptismatis ista figurant, haec cum patrinis non juvant esse, sed ornant. Ista nos omnia penssntes omissis pluribus ritibus consvetis circa sacramentum baptismi ad onus ecclesiae extra fidem scripturae manifeste supra fideles subditos ab antichristo cumulatos sacramentum baptismi exercemus in aqua simplici secundum formam a Christo praescriptam cum oratione, abrenuntiatione fidei, interrogatione et exhortatione, scientes illa circa hoc esse utilia, bonesta, licita et in fide scripturae fundabilia, hoc publice coram omnibus profitentes, quod sacramentum Baptismatis observatis his, quae ex fide scripturae ad ejus requiruntur necessitatem et circa ipsum sunt utilia, exemplo apostolorum et ecclesiae primitivae in Christo, quam ipsi gubernabant, potest licite et vere et libere loco et tempore opportunis exerceri *sine* excorcismis et patrinis sine chrysmate et oleo ab Episcopo prius sacratis ac sine trina immersione in aqua a sacerdote modo consveto non benedicta et sine aliis ritibus consvetis a curia Romana usitatis et quandoque nimium solemnizatis et pensatis.

2. De sacramento manus impositionis in fide scripturae habente fundamentum sequitur.

Post hoc accedimus ad sacramentum manus impositionis, quod est signum spiritualis roboris, quod ex manuum impositionis gratia fit a Deo; dicitur enim communiter, quod quia parvulus in Christu per baptismum genitus est nimis debilis in virtute, ideo supra baptismum, quo baptizantur homines, licitum est manuum impositiunem apostolicum superaddi, quia cum corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem, et hi sunt actus diversi diversas habentes difficultates; ideo oportuit ad utrumque dari specialem gratiam vel gratiae statum. Ideo ad primum inquiunt actum institutum est sacramentum baptismi, et ad significandum actum secundum

fiebat manuum impositio, quia manuum impositio fiebat ad designandum aliquem copiosum effectum gratiae factae a Deo; nam illi, quibus manus imponitur, quodammodo continuantur per quandam similitudinem ministris, in quibus esse licite potest, quemadmodum cum quis proximos in bono opere infirmari conspiciens, eis tota virtute succurreret, et exemplo suae opinationis illorum vitam roboraret, juxta illud Marc. 16.: super aegros manus imponent et bene babebunt. Quod sacramentum expresse in lege Christi exemplatur; scribitur enim Marci 10., quomodo Christus complexans parvulos et imponens manus super illos benedicebat eis. Ecce hic babetur exemplatio manus impositionis in Christo. Et actus apostolorum satis ostendunt manus impositionem exemplatam esse in apostolis; ex quo ipsi apostoli conversis ad fidem baptizatis manus imponebant, ut acciperent Spiritum Sanctum, ut patet actuum 8. et 19. apostolis. Nullus ergo debet ambigere, quin apostoli manuum impositionem a Christi exemplatione didicerunt, ex quo post ipsius ascensionem illam erga conversos ad fidem exercuerunt, de qua manuum impositione istud catholice tenemus et corde sinceriter confitemur, quod licet ejus in apostolis sanctis habemus exemplum, *nulllibi* tamen in scriptura adhuc invenimus de faciendo ipsam ex *obligatione* praeceptum; intentione tamen et ritu apostolico factam caeteris paribus salubrem fore et utilem confitemur; quodsi cui placet, potest exemplo apostolorum implorando baptizatis Spiritum sanctum, manus eis operatrices imponere, oves morbidas confirmando, recolens illud Lucae 22. dictum Petro: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos; cum in signum hujus Actuum octavo legitur, quod Petrus confirmando imposuit eis manus.

a. De Chrysmatione, quam nunc vocant sacramentum Confirmationis carente scripturae vero fundamento.

Liuitio autem chrysmatis prius autem ab Episcopo consecrati, quod ex oleo, oliva et balsamo conficitur, hominis viatoris baptizati in fronte in figura crucis in hac forma verborum: Consigno te signo sanctae crucis, confirmo te in signo salutis in nomine Patris et Filio et Spiritus Sancti Amen; quam cum alapisatione et capitis veste linea circumflexione et aliis ritibus et sensu modo consvetis nunc communiter vocant sacramentum confirmationis, *non videtur nobis*, quod sit constituta a Christo nec ab ejus apostolis; Christus enim exem-

plar totius ecclesiae non fuit in pueritia sua taliter confirmatus nec in baptismo suo chrysma hujusmodi sed aquam simplicem requisivit, ut doctor scribit evangelicus nec alicubi expresse in lege ipsam legitur tradidisse; et cum, ut communiter inquiunt, in confirmatione datur Spiritus Sanctus ad robur; sed quia videmus, quod Spiritus Sanctus datus est ad robur apostolis Act. 2. et aliis fidelibus Actuum 3. sine materia hujus sacramenti jam usitati, ergo non videtur institutum a Christo. Apostoli confirmabant etiam sola manuum impositione sine omni praedicta materia ut patet Actuum 8.; ergo non videtur hoc sacramentum ab apostolis esse institutum. Hinc Thomas loquens de institutione hujus sacramenti de quibusdam refert, quod aliqui dixerunt, hoc sacramentum non esse institutum a Christo nec ab Apostolis sed post in processu temporis in quodam Concilio. Et ad idem est Petrus de Tharanto, qui super 4. sententiarum tractans, a quo illud sacramentum confirmationis sit institutum, scribit sic de quibusdam: Aliqui dixerunt, quod ab ecclesia, quae primo legitur ipsius solennem ritum instituisse et praecepisse. Et ad hoc clarius significandum in Chronica, flores temporum, Calixtus II. anno Domini 1118. legitur instituisse confirmationem fieri cum chrismatione, quae prius fiebat cum manuum impositione sine chrysmatione. Et adhuc in hujus majorem confirmationem super illo 4. sententiarum, ubi distinctione 7. scribitur, quod confirmatio habuit ortum ab apostolis, quemadmodum Glossa sic habet: A quibus scilicet apostolis etiam ortum habuit quantum ad manuum impositionem, sed quoad confirmationem ortum habuit ad institutione ecclesiae. Ecce quod testimonia lucida ad hoc, quod hoc sacramentum confirmationis modo usitatum quantum ad chrismationem et ceteros ritus solemnes humanitus et infundabiliter quoad finem scripturae introductum non sit a Christo nec ab eius apostolis institutum, nec ab eis ortum habet nobis specificatum et traditum notabiliter in scriptura, et hoc est, quod adhuc in majorem hujus confirmationem Doctor evangelicus in quarto tractatu sui trialogi loquens de hoc sacramento praemittens, quod nimis levis videtur esse hujus sacramenti in actu Apostolorum, de quo scilicet Actuum 8. habetur institutio, facit plures persvasiones pro hoc, quod hoc sacramentum quoad talia, quae dicta sunt, ab apostolis non processit.

4. De Sacramento Domini Corporis et Sanguinis quid est et ubi fundatur et quid de ipso ex fide Seri urae est tenendum, et corde fideliter confitendum.

Jam post sacramentum baptismi et manus impositionis restat de tertio sacramento videlicet de sacramento Dominici corporis et sanguinis pertractandum, quia illa tria sacramenta sunt continua; nam per gratiam baptismi a peccato mundamur, per gratiam manus impositionis in bono ad pugnam roboramur; ipsa autem gratia sacramenti Dominici corporis et sanguinis gratiam baptismi et manus impositionis nutrit et augmentat; cum sacramentum Dominici corporis et sanguinis est signum ex divina institutione deputatum ad significandum efficaciter spiritualem nutritionem hominis in Deo, qua assistente vita spiritualis conservatur, et qua deficiente deficit, dicente veritate Joannis 6.: Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; quod sacramentum caetera multipliciter excellens ex alibi declaratis expressum habet in evangelio fundamentum, et vera fides ejus ponitur. Math. 26. Marc. 14. Lucae 22. Prima Corinth. 10. et 11. capitulis. De quo istud ex fide scripturae tenemus et corde sinceriter confitemur, quod panis, quem Christus in sua coena accipiens suis ad manducandum dedit discipulis, et in cujus digna perceptione per ministerium fidelium sacerdotum reliquit memoriam suae passionis, est in natura sua verus panis, qui pronomine *hoc* demonstratur in hac propositione sacramentali: Hoc est corpus meum. Et cum hoc verum corpus Christi de virgine sumptum et pro nobis traditum non identice de materiali indentitate intelligendo sed sacramentaliter realiter et vere, qui propter sui habitudinem ad corpus Christi in sibi debita babendus est reverentia et fideles ipsum venerantur non ut panis substantiam, sed de quanto, ut praemittitur, est corpus Christi, cujus verum corpus in eodem esse veraciter sacramentaliter ac spiritualiter est credendum, non autem in omnibus proprietatibus tam essentialibus quam accidentalibus consequentibus ipsum idem corpus Christi in coelo in dextera Dei sedens, nec ad sensum ponentium corpus Christi taliter ibi esse, quod ille modus praesupponeret desitionem substantiae panis et conversionem substantialem ipsius in corpus Christi, ad quod omnis fidelis in mente debet attendere suspensa consideratione circa naturam materialis substantiae sacramenti;

cum sollicitudo fidelium vere adorando, genuflectendo et cogitando esse debeat in imitatione Salvatoris nostri et devotione ad ejus corpus, quod sursum est, et quod etiam modo praedicto est in ipso venerabili Sacramento. Et proportionaliter de Sacramento calicis est sentiendum.

5. De Sacramento Poenitentia, quid videlicet poenitentia sit et quottuplex et ubi in Evangelio habeat fundamentum.

Jam restat de Sacramento poenitentiae pertractandum, unde quia viatores saepe decidunt spiritualiter infirmati, ideo poenitentia ad resuscitationem hominis et specialiter pro peccatis delendis ordinatur, quae homini lapso est necessaria; quia sicut per peccatum fit recessus a Deo, sic per poenitentiam est regressus ad eundem et per consequens est initium boni hominis poenitentis. Et propter hoc Christus et suus praecursor ambo suos sermones a poenitentia inchoarunt ut patet Math. 3. et 4. capitulis. Ita et apostoli poenitentiam docuerunt, quemadmodum patet de Petro Actuum 2. et sic expressum habet in evangelio fundamentum. Et poenitentia est forma, qua contritus dicitur formaliter poenitere. Et sic videtur poenitentiam in mente consistere. Alia vero quae vocatur pars poenitentiae ut contritio exterior, oris confessio et satisfactio sunt ut sic sibi accidentia ipsam communiter complentia. Et sic est tripliciter poenitentia aggregata; prima est solum in animo et insensibilis, qua contritus insensibiliter Domino confitetur, illa autem licet sit perimpensa est tamen virtute maxima, sine qua alia nihil valet. Secunda vero est poenitentia aggregata ex illa et expressione vocali singulariter facta Deo vel cuiquam indifferenti fideli. Et sic tam patres legis veteris quam patres novi testamenti communiter sunt confessi. Sed tertia poenitentia est aggregata ex duabus prioribus et promulgatione secreta privato facta presbytero; et ad istam poenitentiam magis attenditur propter lucrum.

6. Confessio auricularis privata non est simpliciter necessaria ad salutem.

Utrum autem ista poenitentia tertia jam dicta est de necessitate salutis, vel qua auctoritate introducta fuerat, est dissensio apud multos. Sed oportet credere Joanni de Deo in hac parte, qui in Glossa ordinaria decretorum dixit post multas opiniones, quas reprobat, quod Innocentius III. hanc invenit et pro ejus confirmatione hanc

legem statuit: Omnes utriusque sexus; qui in quinto Decretalium expressatur, et videtur, quod foret ecclesiae utilius ut de praedicta prima poenitentia et secunda contentetur. Aliquibus tamen, quos Deus ad hoc praeordinavit, taliter confiteri est utilis, cum multi ex erubescentia de confitendo peccatum commissum et expletione poenitentiae injunctae cum timore alias confitendi a peccato se communiter praeservant. Sed non credat quis, quin sine tali confessione auriculari privata stat hominem bene conteri et salvari, cum Petrus injunxit generalem poenitentiam et suffecit, ut patet Actuum 2. Imo aliter omnes mortui a tempore ascensionis Christi usque ad Innocentium tertium forent damnati, quod nefas credere; cum supponimus, quod sub ista lege papali plures damnantur, quam damnati fuerant sine illa. Et sic ista observatio legis hujus papalis potest admitti, de quanto discretio confitentis et confessoris judicat sibi ipsam proficere, non autem ratione hujus dictae institutionis papalis. Ex quibus patet, quam infundabiliter et temerarie istam confessionem auricularem modernam audent quidam plus quam oportet magnificare, docentes publice atque scribentes, quod sit ex fide tenenda sub damnationis poena; cum scitur ex fide, quod si in baptismo et eucharistia, quae sunt sacramenta expressa in evangelio, contingit, Deum dare rem sacramenti sine sacramento sensibili, ut concors tenet sanctorum doctorum sententia, ergo multo magis sine ista confessione non sic fundabili. Assumptum patet de baptismo sanguinis et fluminis qui saepe dantur sine baptismo fluminis. Et rem sacramenti eucharistiae saepe accipit quis sine sacramento sensibili, ideo evidentius accipit quis absolutionem criminum a Deo sine absolutione sensibili sacerdotis. Et videtur contrarium rationi, quod Deus necessatur dare potestatem suo inimico gravi et inscio tractandi suum amicum secundum legem antichristi contrarie; nam Romanus Pontifex est saepe Deo contrarius et maximus antichristus; et idem contingit secundum plus et minus de aliis confessoribus habentibus potestates suas a Romano Pontifice singulariter derivatas. Item si secundum Chrysostomi de opere imperfecto sententiam cogitationis peccatum contraria cogitatione disolvitur, Propheta dicente: quae dicitis in cordibus vestris et in cubilibus vestris compungimini; et verborum peccatum verborum satisfactione deletur, qualiter Aaron, cum detraxisset Moysi vadens verbis rogat; et operis peccatum rerum satisfactione detergitur exemplo

Zachaei, qui dicit: Si quem defraudavi, reddo quadruplum. Tunc papa latinus deberet erubescere de ista moderna poenitentia sine fundatione; cum non licet mortalibus etiam apostolis difficultare legem Domini ultra quod ipsemet limitavit. Sapientia autem divina Hebraeorum et sapientia Graecorum desideret istam stultitiam latinorum. Istis omnibus de sacramento Poenitentiae praemissis de ipsa poenitentia istud ex fide scripturae tenemus et corde sinceriter confitemur, quod homini lapso pro peccato delendo est necessaria juxta illud Lucae 13. si non poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Et quod ad medelam animarum, quae spiritualiter infirmatae deciderunt et decidunt, poenitentesque volunt praesupposita poenitentia in animo simpliciter necessaria ad salutem, qua contritus Domino insensibiliter confitetur, et cum expressione quoque vocali singulariter facta Deo vel indifferenti cuicunque fideli a prudentioribus requirens consilia juxta informationem beati Jacobi et praxim ecclesiae primitivae, adjunctis quandoque salubribus remediis jejuniorum elemosynarum orationum aliorumque operum bonorum, ad quae omnia tanquam ad eandem ex fide scripturae utilia sive necessaria nos hortamur, sufficit prout quondam suffecit *sine confessione auriculari* tantum facta privato presbytero juxta formam et obligationem Innocentii et curiae Romanae modernae, et sine forma usitata absolutionis et poenitentiae in numero, pondere et mensura secundum voluntatem confessoris injunctione, quae humanitus et infundabiliter quoad scripturam sunt inducta et non de necessitate poenitentiae requisita, non salutem animarum sed plus ut frequenter simoniam et cleri extollentiam promoventia.

7. De sacramento Ordinis, quid est videlicet ordo, et unde cepit originem, et quid de eo catholice est tenendum.

Jam restat tractandum de aliis duobus sacramentis; unde quia ecclesiam oportet habere duas manerias hominum generantium scilicet spiritualiter et corporaliter, ideo sunt duo sacramenta ad patres hujusmodi procreandi. Primum est ordo, cujus sacramentum et (est) ad presbyteros procreandum, de quo praesens nunc erit sermo. De illo ordine ergo ex fide scripturae tenemus et corde sinceriter confitemur, quod, quantum ad propositum sufficit, vocatur potestas data a Deo homini idoneo ministerio humano quodam quandoque concurrente ad debite differenter a laicis sacramentaliter ecclesiae

ministrandum, cujus exordium in nova lege fuit a Christo, de cujus sacramento istud confitemur: Quod non ex fide scripturae sed ex consvetudine habetur ecclesiae, quod ordo tantum a solis episcopis conferatur, intelligendo episcopum plus sacramentalis auctoritatis essentialis habere ultra alios unos et simplices sacerdotes. Circa cujus celebrationem utilia confitemur orationem, jejuniam et diligentem de habilitate electi examinationem; litteras autem testimoniales, manuum injunctionem, zonae, ampullae in manus dationem, et alia, quae circa hoc praeter expressam fidem scripturae communiter observantur, confitemur non de substantia seu necessitate ad Ordinem requisita.

8. De sacramento Matrimonii, quid videlicet sit matrimonium, ubi fundatur, et quid de eo catholice est tenendum.

Jam de sacramento alio videlicet de matrimonio est tractandum, quod ordinatur ad patres corporaliter generandum, quod licet non est signum immediatum ad procreationem hominis naturalem, est tamen signum efficax, per quod notatur sine peccato luxuriae licere inesse naturalis hominis procreare. De quo istud ex fide scripturae tenemus et corde sinceriter confitemur, quod matrimonium est conjugum legitima copulatio individuam vitae consvetudinem retinens, qua secundum legem Dei licet eis sine crimine filios procreare. Ordinavit enim Deus, quod Adam et Eva et per consequens iuncti duo homines conjuges de lege communi in procuratione corporali taliter copulentur. Unde Math. 19. Christus sic determinavit istam sententiam contra scribas et Phariseos ab ipso quaerentes concludens: Quod matrimonium exercendum legitime in personis idoneis et capacibus libere profitemur, svadentes tamen, ut nubere volentibus lasciva temeritas, parentum inobedientia, caeteraeque deordinationes praecludantur. Circa cujus celebrationem utilia profitemur orationem, jejunium et amborum debitam circa hoc instructionem ac proclamationem; manuum autem complicationem et earum stola circumpositionem et alia, quae circa hoc consvetudine humana praeter fidem expressam scripturae communiter observantur, dicimus non de substantia seu de necessitate ad matrimonium requisita.

9. De infirmorum unctione in fide scripturae habente fundamentum, ubi videlicet exemplatur, et quid de ea catholice est tenendum.

Jam restat ulterius tractandum de unctione infirmorum, quae expresse legitur in lege evangelica expressata Marc. 6 et Jacobi 5

Quia ex quo beatus Jacobus dicit de ista unctione olei, quod a poscentibus fiat infirmis; et Marcus dicit apostolos sic fecisse, evidens est, quod unctio infirmorum in apostolis Christi est exemplata.

De ista ergo infirmorum unctione istud ex fide tenemus et corde sinceriter confitemur, quod infirmi poscentes licite possunt oleo unctionis competenti, quod valeret ad corporis sanitatem ad intentionem et fidem ac effectum per apostolos memoratum inungi, intentioneque et ritu apostolico unctionem talem factam salubrem fore et utilem profitemur, scientes quod tempore Christi apostolorum pro necessitate et corporum alleviatione in signum charitatis et pietatis ungebantur non tantum infirmi sed sani corpore et non solum ab apostolis, verum ab aliis quibusvis indifferentur fidelibus, ut patet de Maria Magdalena Joannis 12. quae unxit Jesum, ex cujus unctionis defectu Christus arguit Pharisaeum se et eam judicantem; Lucae septimo.

10. De extrema unctione infirmorum modo usitata, quam ultimum dicunt esse sacramentum, carente, ut videtur, scripturae fundamento.

Unctio autem infirmi in determinatis partibus cum oleo olivae ab episcopo prius consecrato et saepe usque ad corruptionem retento ministrata a sacerdote, verba cum intentione ipsius proferente juxta formam et sensum usitata ecclesiae, quam communiter vocant sacramentum extremae unctionis, ipsum in dicto apostoli Jacobi fundare nitentes, non videtur esse instituta a Christo nec ab ejus apostolis; hinc Doctor evangelicus in suo trialogo loquens de hac extrema unctione dicit: Sed ista videtur nimis levis in verbis praedictis Jacobi apostoli fundatio sacramenti, cum dici poteat satis probabiliter, quod iste sanctus apostolus non specificat infirmitatem finalem sed consolationem fiendam a presbytero, dum aliquis infirmatur, et quia per viam naturae oleum abundans in illis partibus valet ad corporis sanitatem, ideo talem meminit unctionem, non quod illud oleum agat in animam, sed quod oratio effusa a sacerdote devoto inveniat quandoque, ut Deus infirmanti animae suffragetur; quia si ista corporalis unctio foret sacramentum, ut modo fingitur, Christus et ejus caeteri apostoli promulgationem et executionem debitam non tacerent. Haec ille; ex quo patere videtur, quod haec unctio antedicta non videtur esse a Christo nec ab ejus apostolis constituta: hinc est, quod Thomas tertia parte summae suae de institutione hujus sacramenti loquens de

quibusdam refert, quod aliqui dicunt, quod nec Christus nec apostoli ipsum instituerunt, sed quod in successu temporis in uno Concilio sit institutum. Hinc magister Jacobellus in Missa bonae memoriae in uno suo tractatu sic scribit, quod Innocentius, qui viguit anno Domini CDIV. statuit oleo ad usus infirmorum consecrato uti non solum presbyteris sed etiam omnibus christianis. In historia autem satyrica capitulo 164 Parte II[da] scribitur, quod tempore imperii Justini Felix natione Sabinus constituit, ut infirmi ante transitum ungantur oleo sancto. Ex quo verisimiliter datur intelligi, quod nec Christus nec ejus apostoli ipsam dictam unctionem statuerunt, cum Christus nullibi hoc sacramentum exhibuit vel ispo usus est, teste Thoma III[tia] Parte summae quaest. 29. art. 2. in responsione principali. Ergo non videtur ipsum per se instituisse. Nec etiam dici debet, quod esset ab apostolis institutum, cum idem Thomas ibidem dicit quaest. 72. art. 1. Instituere novum Sacramentum pertinet ad potestatem excellentiae, quae competit soli Christo. Nec Dionysius in libro de ecclesiastica Hierarchia tractans de sacramentis aliquam facit mentionem de extrema unctione, ut patet intuenti. Nec est de necessitate hujus sacramenti, quod oleum prius ab Episcopo consecretur vel chrisma ad confirmationem, quia vere arguit Thomas III[tia] Parte Summae quaest. 72. art. 3.

Baptismus, in quo fit plena remissio peccatorum, non est minoris efficaciae, quam haec praedicta duo sacramenta, sed non est de necessitate sacramenti baptismi, ut aqua benedicatur, ut patet in casu necessitatis; ergo non est de necessitate istorum sacramentorum scilicet confirmationis et extremae unctionis, ut oleum et chrysma sint per episcopum benedicta; si qua vero benedictio exhibeatur, pertinet ad solemnitatem sacramenti non autem ad necessitatem. Haec ille. Ecce quam vere arguit Thomas, licet postea more suo respondendo ad argumentum ad intentionem modernae Romanae ecclesiae declinit.

11. Justum de omnibus sacramentis petitur inter sacerdotes Thaborienses et partem eis adversam fieri judicium.

Ex istis omnibus jam supra scriptis quilibet potest sensum et intentionem nostram circa omnia praedicta septem sacramenta cognoscere, quid particulariter de eorum quolibet teneamus et sentiamus; judicareque potest, quod non sumus, ut quidam aemuli

nobis adscribunt, hostes et inimici dictorum sacramentorum, in quantum a Christo sunt instituta, sed amatores, quibus pensatis et cognitis omnes et singulos exhortamur, ut juste judicent inter nos et partem nobis adversam; si contra scripturam fidei peccamus tenentes et confidentes de ipsis septem sacramentis hoc, quod de ipsis ex fide scripturae est tenendum et confitendum, et non auctorisantes nec sicut ipsi magnificantes omnem sensum modo usitatum communiter circa praedicta sacramenta et ritus circa administrationem eorum humanitus et infundabiliter extra fidem manifeste supra Christum et ejus Apostolos introductos.

12. De officio Missae, quid videlicet missa proprie dicitur et qualis fuit imprimis et quae de ejus necessitate sunt et quae praeternecessaria.

Jam accedimus ad alium punctum, in quo a nobis adversantibus discrepamus videlicet ad officium seu ritum missae, quae circa commemorationem coenae Dominicae peragitur, quem moderni communiter vocant Missam, nostram circa hoc exprimentes intentionem. Ubi primum et ante omnia praesupponimus, quid nominis missae illud videlicet, quod de Conciliis, distinctione 2. utrum in fine, sub authoritate Augustini dicitur: Missa proprie est Eucharistiae consecration reliqua vero, quae sacerdos dicit, aut clerus chori canit nihil aliud quam laudes et gratiarum actiones sunt, aut certae obsecrationes fidelium et petitiones. Ex qua suppos itione elicitur, quod ritus missandi continet in se duo, quaedam, quae sunt de substantia seu de necessitate ipsius, et sine quibus non fit missa ut sunt debita materia panis et vini, certa forma verborum, ordo sacerdolatis, intentio debita sacramentum consecrandi, et fides debita de ipso sacramento, et si qua alia sunt ad hoc ex Christi institutione requisita; alia sunt accidentalia ipsi missae seu coenae Dominicae, quae observatis his, quae de ejus sunt substantia et necessitate, salva fidei veritate reverentia et devotione debita ex certis circumstantiis sine peccato omitti possunt; et illa sunt omnia alia, quae sacerdos dicit aut chorus cleri canit, praeter illa, quae dicta sunt. Praesupponimus secundum illud Bernardi in suo Rationali et Wilhelmi Episcopi Wilmacensis in suo Rationali, et Archidiaconi glossatoris decreti de conciliis distinc. 1. Jacobus super verbo Missae celebrationem, qui in unum convenientes sic scribunt, quod imprimis missa in vestibus communibus solum cum forma verborum sacramentalium scilicet: Hoc est corpus

meum, celebrata fuit, deinde additum fuit per Petrum seu apostolos Pater noster; et hoc inquiunt, significat officium Diei veneris circa altare, quia incipitur a Pater noster a sacerdote ministrante. Post hoc, inquiunt, addita fuerunt ab ipsis apostolis lectio epistolae et evangelii; ad cujus inquiunt significationem die sabbathi sancti officium missae incipit a prophetis sine lectionibus; deinde inquiunt successores eorum alii cantum et alii alia addiderunt. Et hodie ut in Rationali Wilhemi praedicti legitur, in ecclesia Lateranensi Romae in missa non dicitur aliqua alia oratio nisi oratio Dominica in signum, quia inquit, in ecclesia primitiva sic fiebat, nam ut in Chronica Isidori minori ex testimonio Hugonis Lib. II. de Sacramentis Parte VIII. legitur, qualiter Petrus apostolus post passionem Domini tenuit sacerdotalem cathedram in partibus Orientis annis IV. et primo anno primam missam celebravit, dicendo tantum Pater noster. Istis praesuppositis tamquam veris dicimus, quod ritus iste sacrificandi in signis et habitu aliisque a curia Romana moderna consvetis, quem quidam magistri Pragenses et sacerdotes eis adhaerentes dicunt legitimum et debitum, non est ille vel talis, qui tempore Christi et ejus apostolorum in ecclesia primitiva observabatur, cum ex secunda suppositione istius materiae pro tunc missa aliter peragebatur. Sed iste ritus praedictus magistrorum est ritus curiae Romanae modernae a multis Pontificibus Romanis longe post Apostolos ab imitatione jam Christi ipsiusque Apostolorum notabiliter declinantibus fabricatus, nullibi, ut videtur, expressum fundamentum scripturae habens, et per consequens quantum ad talia ritus Apostolorum non est ipsorum sanctorum discipulorum, nec ecclesiae universalis, ut latius declaratum est prius in tractatibus nostris, et patere potest ex testimonio Hugonis Lib. II. de Sacramentis Parte 9. et doctoris evangelici capitulo ultimo de Apostasia, et chronicantium diversorum, qui omnes brevem missationem beati Petri praemittentes tangunt, qui postea Pontificum, quae et qualia in successu temporis ad illam addiderunt, et illum ritum sic longum et onerosum computaverunt, propter quod nos, qui pro lege liberrima Jesu Christi per se sufficienti ad regimen ecclesiae militantis sine ceremoniis legis veteris et ritibus humanitus post adjectis offensivis, diminutivis ac impeditivis legis ejusdem nos exposuimus, scientes, quia securissimum est et optimum magisterium ecclesiae primitivae, quam regebant Apostoli, actus imitari et approximari, quantum sciverimus, Christo ac ejus sanctis Apostolis,

observarequc ritus circa coenam Dominicam, quos Christus observavit, et discipuli sui non immutaverunt, nec in quoddam aliud interpretati sunt, quosque ecclesia primitiva evangelio conversans ex doctrina Christi et ejus Apostolorum observavit declinantes a ritibus Pharisaeicis Christi legem liberam stringentibus et onerantibus ac sponsam suam ejus spoliantibus libertate, cum illum ritum Romanum magistrorum missandi licite ac rationabiliter omisimus ex octo causis supra 4. capitulo audientiae celebratae in castro Conopissez descriptis; ex quibus et pluribus aliis fideles debent excitari, ut excutiant hoc jugum grave, et non curent de signis hypocritarum, dummodo fuerit conscientia pura ob perfidiam specialiter quorundam, qui non credunt licitam esse missationem absque ritu praedicto, quamvis observent ea, quae de ejus sunt substantia et necessitate. Et etiam cum nullus ex talibus videtur profectus populo, nec tali modo servantur, quae in eo videntur utilia, quo instituta sunt, cum est eorum nimia appretiatio, sunt velamen hypocritarum, qui alias notarentur non ex signis talibus, sed ex conversatione eorum vana nec timere debent exinde de damnatione, ut dicit suppositio nostra septima in principio recitata. Ornamenta etiam usitata ex consvetudine humana ad sacrificandum deputata deposuimus ista de causa, ut libertatem missandi sine talibus omnibus et singulis christicolis declaremus, scientes, quia illa ornamenta pro tempore legis gratiae non de lege Dei expressa et institutiva aut praeceptiva, sed verius ab imperatoribus et Pontificibus Romanis sumpserunt initium, quamvis partim a veteri testamento sumpta sunt, ut testatur Hugo de sacramentis, parte IV. Et late probationibus magistrorum oppositum volentium deducere responsum est tractatu nostro, quem scripsimus contra tractatum magistrorum contra nos publice pronunciatum in Praga 2. et 4. capitulis, quae non oportet hic causa brevitatis secundo resumere et per consequens nos non intendentes aliqua talia nova, quae Christus non docuit, nec Apostoli posteris ad tenendum sub necessitate tradiderunt, auctorisare, magnificare aut appretiari, omisimus ritum praedictum magistrorum, quem dicunt fore legitimum et debitum, et a peccato nituntur excusare ex causis jam expresis, legi Christi liberrimae et sufficientisimae ac ritui ecclesiae primitivae, quem ex doctrina Christi et ejus apostolorum servavit, quantum proprius possumus approximantes. Istud tamen pro finali protestamur, quod in missa observamus ea, et observare intendimus, quae de ejus sunt

substantia et circa ipsam sunt utilia, non proprio in hoc utentes capite, sed imitantes in hoc specialiter ritum beati Dionysii, in quantum promovet devotionem populi in cantu moderato et vero, in vulgari, in lectione sacrarum scripturarum, et in aedificatoria praedicatione, parati circa hoc existentes et alia observare quae secundum legem evangelicam ad finem principaliter dignae communionis sacramenti Eucharistiae ordinantur, aut quae circa hoc ex doctrina Christi servarunt apostoli, et maxime ut pax et charitas in populo augeatur, et memoria gratitudinis Christi recentius habeatur, et vigilantius in modo conservandi Christus imitetur. In omnibus his ut speramus caeteris paribus non peccantes, cum notum sit, ut scribit Hugo de sacramentis, libro II., parte 9., quod primis temporibus ab epistola Pauli missa incipiebat, post Evangelium sequebatur, et tempore Dionysii lectio per ministros hagiographorum tractantium fiebat ut scribitur in libro de ecclesiastica Hierarchia capitulo 3.

13. De somniato purgatorio post hanc vitam, et mendaciis sacerdotum super illo seminatis.

Jam restat circa alium punctum videlicet purgatorium nostram exprimere intentionem, quod aliqui ex magistris Pragensibus et sacerdotibus eis adhaerentibus pro fidei articulo summa cum diligentia promovent, publice docentes, quod post Christi in coelum ascensionem animae quaedam specialiter eorum, qui salvandi sunt, non satisfacientes in hac vita pro peccatis de corporibus exeuntes, poenas corporales sustinentes sensibiles in illo eodem purgatorio post hanc vitam purgantur, de quo post purgationem exeunt aliquae prius, aliae posterius, aliquae in die judicii et aliquae nunc ante diem judicii; quodque fideles hic in via talibus propter vinculum caritatis et spiritus possent et debeant jejuniis et orationibus elemosynis et sanctis oblationibus pie suffragari. Super quo purgatorio suppletione suae avaritiae multi multa fingebant incerta, docentes, quod tales animae aliquae ad collum, aliquae ad cingulum, aliae per digitum torqueantur in dicto purgatorio, et quod aliquando ad mensam sedentes ibidem convivantur, et specialiter tunc, quando in anniversario animarum large sacerdotibus eorum offerunt superstites, et quod aliquando sub mensa divitum fragmenta colligunt. Per quae omnia et alia circa hoc conficta mendacia avaritia sacerdotum crevit et simonia exercebatur, et erecta erant claustra, aedificata sumptuosa templa, multiplicata

superflua altaria et inumerosa multitudo monachorum, canonicorum et caeterorum introducta, occasio data dissolutioni, et verbi Dei inadvertentiae et populus in facultatibus et animabus multum est deceptus, quem in incerto sperare faciebat, et multi fideles absconditi propter hoc, quod illud purgatorium pro fide astruere noluerunt, sunt condemnati et incinerati. De illo ergo purgatorio locuturi supponimus primo, quod animae salvandorum sunt suo tempore secundum Dei ordinationem ab omnibus suis inquinamentis finaliter expurgandae, patet ex illo Apocalypsis 21.: non intrabit in illam aliquid coinquinatum. Supponimus secundo, quod fides scripturae exprimit nobis certos et diversos modos purgandi, quibus in vita praesenti viantes a suis purgantur peccatis, nunc per sermonis Christi impletionem, Joannis 15.: jam vos mundi estis propter sermonem meum, quem locutus sum vobis; nunc per opera fidei et pietatis, Proverbiorum 15. per fidem et misericordiam purgantur peccata; nunc per elemosynam, Lucae 11. verum tamen, quod superest, date elemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis; nunc per adversitatum tolerantiam; Ecclesiastici 27. vasa figuli probat fornax et homines justos probatio tribulationis; nunc per abundantiam caritatis, Lucae 7. remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; nunc per injuriae propriae remissionem, Math. 6.: si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis pater vester coelestis peccata vestra; nunc per conversionem peccatoris alicujus a via mala, Jacobi ultimo: qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte et coperit multitudinem peccatorum; nunc per poenitentiam, cum lavit peccator in lacrimis stratum suum, et sint ei lacrimae suae panes die ac nocte, exemplo David, qui dicebat: per singulas noctes stratum meum lacrimis meis rigavi. Ecce quot certissimi modi purgandi viantium ex fide scripturae colliguntur, quibus in vita praesenti viantes a suis purgantur peccatis. Supponimus tertio, quod tutissimum et securissimum est, ut quilibet in praesenti sic vivat, ne post hanc vitam aliqua purgatione indigeat; cum secundum Gregorium 4. Dialogorum, melius est in vita mereri, quam post optare incerta suffragia, et vita tutior est, ut bonum, quod quisque per mortem suam operat agi per alios, agat, dum vivit ipse, per se, cum beatius sit liberum exire, quam post vincula libertatem quaerere.

14. Purgatorium somniatum magistrorum non videtur ex fide scripturae deducibile.

Istis suppositis tanquam veris dicimus, quod non videtur ex scriptura expressa legis Dei deducibile, quod fideles necessitarentur, ut articulum fidei credere et tenere talem, ut praemittitur, locum purgatorii post hanc vitam esse; patet sic, quia ex nulla propusitione scripturae sacrae sequitur inevitabiliter, talem locum purgatorii esse, nec ipsum datum est primarium significatum alicujus partis sacrae scripturae, nec possumus ex fide edoceri de aliqua anima, quod sit in tali purgatorio, et exierit de illo, sicut de duabus viis habemus expressum, et de aliquibus ex nomine, qui illis ambulaverunt; ergo non est credendum illud ac tenendum pro fide. In cujus signum Augustinus libro II. de sacramentis scribit: locus purgatorius non est determinatus, nisi quia multis ex exemplis et apparitionibus animarum in hujusmodi poenis positarum monstratus est; et forte probabilius dici poterit, ut in his locis singulae animae credantur sustinere poenam, in quibus commisere culpam. Et eandem sententiam tangit Hugo lib. II. de sacramentis. In quorum sanctorum verbis tanguntur tria, unum, quod locus purgatorius ex fide scripturae non est determinatus; secundum, quod solum ex exemplis et apparitionibus animarum in hujusmodi poenis positarum monstratus sit; et tertium, quod neutrum ex illis affirmant, sed sub dubio omnia de eo relinquunt, quando subdunt: et forte probabilius dici potest, ut in his locis singulae animae credantur sustinere poenam, in quibus commisere culpam. Quod autem certitudo non sit de loco purgatorii, scribit Augustinus in libro Milleloquiorum parte III^tia^ et Hyponesticon responsione quinta sic dicens: primum enim locum fide catholica et divina auctoritate regnum credimus esse coelorum, ubi baptizatus excipitur; secundum gehennam, ubi omnis apostata vel e fide Christi alienus aeterna supplicia experietur; tertium penitus ignoramus, imo nec esse in scripturis sanctis invenimus vel reperimus. Haec ille. Idem super illo: Neque ebriosi regnum Dei possidebunt, ita scribit: nemo se decipiat fratres; duo enim loca sunt, et tertius non est ullus, quia, qui cum Christo regnare non meruit, cum diabolo absque omni dubietate peribit. Haec ille: Ecce istae auctoritates ad hoc expresse sonant, quod tantum duo loca certa sunt post Christi in coelum ascensionem animarum de corpore exutarum post hanc vitam, et

tertius non est ullus, nec esse in scripturis reperitur. Cum quibus magister Johannes Hus sanctae memoriae in sermone: dixit Martha ad Jesum, qui quamvis plura ibi opinative de illo loco purgatorii scribat, tangat quoque modos, quibus melius vivi, dato quod sint aliqui in tali purgatorio, possint mortuis suffragari, sequens in hoc Thomam et alios de hoc sine scripturae expresse auctoritate loquentes, quid tamen solus de eo finaliter sentiat, conclusive manifestat, quando dicit: In tota scriptura sacra non docuit expresse Dominus orare pro mortuis, praeter librum Machabaeorum, qui non est de veteris testamenti apud Judaeos canone. Denique subdit: Neque Prophetae, neque Christus cum suis apostolis, nec sancti eorum sequaces propinqui orare pro mortuis docuerunt explicite, sed docuerunt valde sollicite populum, ut vivens sine crimine foret sanctus: Haec ille. Cum ergo nullibi in lege de tali loco purgatorii est expressa mentio, nec apostoli nobis aliquod expressum de loco reliquerunt documentum nec ecclesia primitiva evangelio conversans (concordans), cujus ipsi erant rectores, aliquid nobis institutive et praeceptive tradidit, sed Pelagius papa primum post annos 508 legitur tradidisse, ut in missa memoria defunctorum habeatur, relinquitur, quod non ex scriptura expressa legis Dei videbatur deducibile, quod fideles necessitarentur, ut articulum fidei credere tale post hanc vitam purgatorium esse.

15. Purgatorium somniatum magistrorum non videtur ex concordi sententia doctorum se in lege Dei fundantium.

Quod autem nec ex doctorum sanctorum se in lege Dei expressa inevitabiliter fundantium concordi sententia sit deducibile, quod fideles necessitarentur credere ut articulum fidei tale purgatorium, de quo sermo est, post hanc vitam esse; nam quidam doctores videntur sonare ad hoc, quod animae talium salvandorum, si qui hic non satisfecerunt pro peccatis, post exitum de hac vita pro illo tempore, quod inter hominis mortem et ultimam resurrec tionem interpositum est, sine corporibus non patiantur aliquas poenas corporales sensibiles, sed quod facta resurrectione in die judicii a defectibus, si qui remanserunt, significatis per foenum, lignum vel stipulam, per ignem conflagrationis seu emundatorium extremi judicii purgabuntur. Et illi capiunt pro sui fundamento illud dictum apostoli 1. Corinth. 3. de ligno, foeno et stipula, quod ad litteram in die judicii verifi-

cabitur. In cujus signum beatus Gregorius super Ezechiele Homilia 1. exponens illud Ezechielis primo: Ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone et ignis involvens, et splendor in circuitu ejus, concordat illud Petri dictum: Adveniet dies Domini magnus. Et aliud dictum psalmi ad litteram, quae de die judicii verificantur, cum praedicto verbo apostoli ita scribens: tunc cum hominibus in suo terrore videbitur, eique ignis judicii in reproborum vindictam famulabitur. Hinc enim scriptum est, dies Domini declarabit, quia in igne revelabitur, hinc Psalmista ait: Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit; ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida. Hinc Petrus apostolus dicit: adveniet dies Domini magnus ut fur, in quo coeli magno impetu transient, elementa vero ignis ardore solventur. Haec ille; ex cujus verbis doctoris patet, quod ipse exponit praedictum verbum Apostoli 1. Corinth. 3. De die judicii et igne conflagrationis, qui tunc revelabitur, quando dies Domini veniet ut fur, in quo elementa ignis ardore solventur. In cujus confirmationem Glossa etiam ordinaria illum eundem textum apostoli ad litteram exponit de die judicii, et de igne, qui revelabitur in ipso, ut patet intuenti. Hinc postea concludens dicit: et sic hoc temporis intervallo, id est: durante die judicii spiritus defunctorum, qui aedificaverunt lignum, foenum et stipulam, hujusmodi ignem dicuntur perpeti, quem alii non sentiant, qui hujus modi aedificia secum non portaverunt. Haec ibi; ubi etiam eadem Glossa ordinaria sic habet: duos ignes futuros legimus, unum aeternum, quo aeternaliter puniuntur reprobi; alterum, qui praecedet, quo exuretur facies hujus mundi, qui emundabit eos, qui aedificant lignum, foenum et stipulam, qui autem aurum et argentum et lapides preciosos, de utroque igne securi sunt, non solum de igne illo aeterno, qui in aeternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo emundatorio, quo purgabuntur quidem salvandi; ignis enim extremi judicii tam diu durabit, quousque purgati sunt, qui salvati erunt. Haec glossa. Pro eodem est et ille peritus linquarum beatus Hieronymus super Naum, capitulo primo in Glossa, qui dicit: Quamdiu poenitentiam aget mundus, non fiet consummatio, sed postquam multiplicata iniquitate et refrigescente charitate etiam ipsi electi tentabuntur, tunc zelator Dominus veniet in ultionem non quasi inimicus, sed ut ligno, foeno stipulaque consumptis purum recipiat aurum, et quidquid hostile atque contrarium sibi invenerit, tollat et in statum pristinum restituat et reducat. Haec

ille. Ad idem est et Remigius super illo eodem verbo apostoli ita scribens: igitur sicut aurum et argentum et lapides pretiosi igne probantur, et tamen non consumuntur, ita in die judicii, qui habuerit bona opera et bonam praedicationem, licet per ignem transeat, tamen nullam poenam neque laesuram sustinebit; qui autem habuerint levia peccata transeundo per ignem expiabuntur, quia consumentur ibi sicut foenum, lignum vel stipula ab igne; sed mundati et probati assendent ad Dominum, et sequitur: dies enim Domini declarabit, id est, dies judicii et vindictae Domini manifestabit omnia opera hominum, quia in igne revelabitur ipsa dies. Haec ille: Ecce omnes istae sanctorum autoritates sunt pro illo, quod anima talium salvandorum, si qui hic non satisfecerunt pro peccatis, facta generali resurrectione in die judicii a defectibus, qui remanserunt, significatis per lignum, foenum et stipulam per ignem emundatorium extremi judicii emundabuntur, et ab illo igne somniato sunt securi, qui capiunt pro suo fundamento dicta verba apostoli, quae bene de virtute sermonis verificabuntur, ad illum sensum, quem praetacti doctores exprimunt; nam juxta illum eorum sensum, quidquid illa verba apostoli exprimunt, hoc totum tunc implebitur, et tempus ultimi judicii et locus ibi, ubi Deus judicium constituit, eritque ibi quilibet ex omnibus, et ignis erit, in quo vel cum quo dies judicii revelabitur, per quem omnes, licet aliqui abque ulla violatione transibunt, et ideo ad confirmandum praedictum sensum apostoli et doctorum praecedentium se in eadem vere fundantium nominanter dicit veritas Matb. 12.: omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Et apostolus 2. Corintb. 5. non incongrue quia Christo concorditer scribit: omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis sui, sicut gessit, sive bonum, sive malum. Quod verbum apostoli tractans Ambrosius super beati immaculati libro II. scribit: vides, quia et Paulus assistet, ut ipse commemorat, cave ne lignum, cave ne stipulam ad judicium Dei tecum deferas, quia ignis exurit; cave, cum in uno vel duobus habeas, quod probetur in pluribus operibus, offeras, quod offendat. Haec ille, et idem ibidem libro eodem ostendens, quod omnes universaliter per ignem illum, de quo apostolus 1. Corinth 3. dicit: transire debeant: Omnes per ignem oportet probari, quicunque ad paradisum desideraot redire; non enim otiose scriptum est, quod ejectis Adam et Eva de paradiso posuit Dominus in exitu gladium versati-

lem. Omnis oportet transire per flammas, sive ille Joannes Evangelista sit, quem ita dilexit Dominus, ut de eo diceret ad Petrum: Si eum volo manere, quid ad te, tu me sequere; de morte ejus aliquis dubitavit, de transitu per ignem dubitare non possumus, quia in paradiso est, nec separatur a Christo; sive ille sit Petrus, qui accepit claves regni coelorum, qui supra mare ambulavit, oportet, ut dicat, transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. Sed Joanni cito versabitur igneus gladius, quia non invenitur in eo iniquitas, quem dilexit aequitas, si quid in eo vitii humani fuit, charitas divina excoxit. Haec ille. Ecce iste doctor exprimit, qualiter etiam optimi per ignem, de quo Apostolus mentionem fecit, transibunt, quod non potest esse verum de igne purgatorii magistrorum; cum secundum eos aedificans super fundamentum, quod est Christus, aurum et argentum et lapides pretiosos, illi non ingrediuntur purgatorium, et per consequens eaedem animae post exitum de hac vita pro illo tempore, quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, non videntur sine corporibus poenas aliquas corporales sensibiles sustinere, quia homo, cum non sit tantum corpus nec tantum anima, sed ambo simul componunt unum hominem, quae naturae simul merentur vel demerentur, simul plenam gloriam in coelo vel damnationem portabunt in inferno. Et anima quidquid mali post sui separationem secum portat, hoc cum tempore acquisivit, dignum et conveniens videtur, ut simul puniantur. Hinc est, quod Hugo de sacramentis libro II. parte 16ª de quibusdam refert dicens: Quidam putant animas a corporalibus poenis cruciari non posse, nisi per corpora et in corporibus manentes; qua propter a corpore exutas animas nullas alias poenas sustinere credunt, nisi eas solum, quas conscientia intus accusatrix irrogat. Haec ille. Et si quis quaesierit, ubi tunc animae talium salvandorum, qui hic non satisfecerunt pro peccatis, sint pro tempore inter mortem talium et ultimam resurrectionem? Ad hoc potest responderi, quod de corpore exeuntes sunt cum Christo corporum resurrectionem expectantes, ut ad aeternam et perpetuam beatitudinem pariter cum ipso immutenter. Scribit enim beatus Augustinus de dogmatibus fidei: ante passionem Domini omnes sanctorum animae in inferno sub debito praevaricationis Adam tenebantur auctoritate Domini, per indebitam ejus mortem de servili conditione liberantur, post ascensionem Domini ad coelos omnes sanctorum animae cum Christo sunt, et

exeuntes de corpore ad Christum vadunt expectantes resurrectionem corporum, ut ad aeternam et perpetuam beatitudinem pariter cum Christo immutentur, sicut peccatorum animae in inferno sub timore repositae etiam expectant resurrectionem sui corporis, ut cum ipso ad poenam convertantur aeternam. Haec ille. In Enchyridion autem et habetur transsumptive 13. 9. et 2., de tempore idem ita scribit: tempus, quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquaeque digna est, vel requie vel aerumna pro eo, quod sortita est in carne, cum viveret. Haec ille. Abditisi, glossa super illo sic habet: Ex his verbis sic videtur, quod Augustinus dubitat, quo animae defunctorum recedant; et bene dicitur dubitare, quia rarus vel nullus invenitur talium divinorum conscius secretorum. Nam Origines homilia 27.: super Numerorum mysticando mansiones filiorum Israel de Aegypto peregrinantium in terram promissionis, ita scribit: sed et anima cum de Aegypto hujus vitae proficiscitur, ut tendat ad terram promissionis pergit necessario per quasdam vias et certas quasque conficit mansiones, quarum credo memor Propheta dicebat: haec memoratos sum et effudi in me animam meam, quoniam disgrediar in loco tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Istae sunt mansiones et ista tabernacula, de quibus in alio loco dicit: qoam amabilia sunt tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Et infra modicum concludit dicens: Istae ergo sunt mansiones, quibus iter e terris agitur in coelum, et quis ita invenitur idoneus, et divinorum conscius secretorum, qui possit itineris istius et ascensionis animae describere mansiones, et uniuscujusque loci vel laboris explicare vel requies. Haec ille. Petrus autem ad Clementem libro I. itinerarii tangit, quod animae talium salvandorum in bonis laetisque regionibus tunc servantur, quando sic scribit: eorum vero, qui non integram potuerunt explere normam justitiae, sed aliquas in sua carne malitiae reliquias habuere, corpora quidem resolventur, animae vero servantur in bonis laetisque regionibus, ut in resurrectione mortuorum, cum corpora sua receperint ipsa jam resolutione purgata, pro his, quae bene gesserant, aeterna haereditate potiantur. Haec ille. Chrysostomus autem de opere perfecto Homil. 28. exprimit, quod animae post ascensionem Domini ante diem judicii suum ultimatum finem non adeunt, ita scribens: Unde manifestum est, quoniam ipsae post ascensionem animae in regionem

quandam abducuntur non adhuc habentes tempus revertendi, sed terribilem illum diem expectant. Haec ille. Ex quorum doctorum scriptis patet, quod ipsi non affirmant animas salvandorum, si qui hic satis non fecerunt pro peccatis, post exitum suum a corpore intrare locum purgatorii somniati nec eas statim ad coelum ingredi dicunt. Sed haec occulta sunt, qualiter cum dictis animabus ibi agatur et quod in bonis laetisque regionibus sunt cum Christo, abditis tamen receptaculis continentur. Et quoniam haec occulta sunt, ideo non invenitur quis idoneus, qui mansionis talium valet explicare; et per consequens nesciunt, quid de illis certitudinaliter debeant affirmare.

16. Alia pars doctorum in materia purgatorii.

Doctores etiam somniant ad hoc, quod hic est locus merendi et poenitentiae sive satisfactionis, cum primum in beatitudine attenditur penes gradum gratiae, in quo praesens vita finitur. Et pro illo est primo Hieronymus super illo verbo Evangelii: homo quidam erat dives, qui habebat villicum, ita scribens: post amissionem villicationis se non posse fodere villicus asseruit, quia post finitam vitam praesentem nullus confessionis nec poenitentiae locus jam esse poterit; mendicandi vero tunc nullus fructus erit, quia fatuae virgines, quae a prudentibus oleum petierunt, sine fructu redierunt. Fortitudo ergo fodiendi tunc non erit, mendicandi erit confusio, quia post mortem nec fructuosam poenitentiam de malis agere licebit, nec in semetipsis docere alicui possibile. Cum ergo in praesenti vivimus, in futurum nobis praevidere debemus, ut secundum apostolum, dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes et maxime ad domesticos fidei. Haec ille. Pro eodem est Cyprianus epistola 10ma: Cum hinc recessum fuerit, nullus jam poenitentiae locus, nullus satisfactionis effectus, hic vita aut amittitur aut tenetur; hic saluti aeternae Dei cultu et fructu fidei providetur. Haec ille. Et Hilarius: peccatum, quod in hac vita non corrigitur, ejus venia frustra postulatur. Haec ille. Ecce istae auctoritates sanctorum sunt ad hoc, quod hic est tempus merendi et poenitentiae seu satisfactionis, in quo electi qui aedificant super fundamentum, quod est Christus, lignum, foenum vel stipulam, puniuntur et purgantur in hac vita modis in suppositione nostra secunda superius expressis. Et isti doctores pro suo fundamento capiunt etiam illa verba Apostoli 1. Corinth. 3. de ligno, foeno et stipula, quae etiam de virtute sermonis verificantur de die et igne vitae praesen-

tis. Hinc est, quod Glossa ordinaria exponens illum textum apostoli primum ad litteram de die judicii et igne ipsius, ut in praecedenti capitulo ostensum est, exponit eum secundo ad sensum mysticum de die et igne praesentis tribulationis, quando sic dicit: vel ita potest dici, ut de die praesenti et igne praesenti accipiatur; nam hic etiam dies Domini est, dum judicium incipit a Domo Dei, id est: a salvandis incipit poena, quae consumabitur in reprobis; ideo enim hic puniuntur electi, ut ibi non puniantur, in quo die est etiam ignis tribulationis, quo uritur amor temporalium rerum, dum homines contristantur de amissis, unde dicitur: tribulationem carnis habebunt hujusmodi, quod enim sine illiciente amore non habent, sine urente dolore non perdunt, cujusque opus manifestum erit; dies enim Domini, id est: dies praesentis tribulationis declarabit, quia in igne tribulationis revelabitur; eandem enim tribulationem ignem vocat; et uninscujusque opus quale fuerit firmum vel solubile, ignis praesentis judicii probabit, et hoc igne illius opus non exuretur, qui non ea dilexit, quorum amissione crucietur; exuritur autem illius opus, qui haec temporalia dilexit, quia sine dolore non pereunt, quae cum amore possessa sunt. Haec Glossa. Ecce plana et bene fundabilis expositio textus apostoli exprimens, quod salvandi, qui aedificant super fundamentum, quod est Christus, lignum, foenum vel stipulam, satisfaciunt et purgantur ab illis in vita praesenti per ignem tribulationis, quorum uritur amor temporalium rerum, dum homines contristantur de amissis. Et pro eodem est Augustini longa auctoritas in Enchyridion, capitulo 13. cujus sententiam etiam Glossa ordinaria inserit dicens, quod ignis, de quo eo loco locutus est apostolus, talis debet intelligi, ut ambo per eum transeant, id est: et qui aedificat super hoc fundamentum aurum et argentum et lapides praeciosos, et qui aedificat lignum, foenum et stipulam; et quod iste ignis in hac vita interim facit, quod dicit apostolus, cujus verba hic causa brevitatis omittuntur, sed qui vult, ibi inveniet. Et ad hoc videntur multae sonare scripturae, quemlibet exhortantes, ut sit diligens quatenus modis in secunda suppositione hujus materiae expressis, quamdiu vivit, in hac vita a peccatis expurgetur, non suppodiatus super futura somniata et incerta purgatione. Sic hoc persvadit beatus Gregorius 4[to] Dialogorum capitulo 41. ex scriptura multiplici; primo per idem Joannis 5. qui audierit verbum meum et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, et in judicium non venit, sed transit a morte

ad vitam; et per illud Joannis 9.: me oportet operari ejus opus, qui misit me, donec dies est, veniet nox, quando nemo poterit operari: et per illud Apocalypsis 14. Hic est patientia sanctorum, qui custodiunt mandata Dei et fidem Jesu Christi. Et audivi vocem de coelo dicentem mihi: scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo jam dicit Spiritus, requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequentur illos. Et per illud Ecclesiasticis 9.: quodcunque potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio nec scientia erit apud inferos, quo tu properas. Et per illud Ecclesiastis 11. si ceciderit lignum ad austrum aut aquilonem, in quemcunque locum ceciderit, ibi erit. Et per illud Ecclesiastici 14.: ante mortem benefac et ante obitum operare justitiam, quia non est apud inferos invenire cibum.

17. Tertia pars doctorum in materia purgatorii.

Doctores etiam aliqui, prout Magistri Pragenses quidem illos pro se trahunt, sonare videntur pro loco purgatorii eorum, in quo, ut somniant, animae eorum, qui salvandi sunt, non facientes satis pro peccatis in hac vita, de corporibus exeuntes poenas sustinentes corporales sensibiles igne ipsius purgentur, de quo post purgationem aliquae exirent prius, aliae posterius, aliquae in die judicii, aliae pro nunc ante diem judicii, quibus fideles hic in via debeant jejuniis et orationibus, elemosynis et sanctis oblationibus suffragari; et illi pro sui fundamento etiam nituntur capere illa praedicta verba apostoli de ligno, foeno et stipula, in quibus secundum magistrorum quorundam expositionem dicunt apostolum primo tangere unicum fundamentum omnium salvandorum, scilicet Jesum Christum Dominum nostrum. Secundo dicunt apostolum tangere eorundem supradictum fundamentum fundatorum opera duplicia, bona scilicet et defectuosa, bona intelligens per aurum et argentum et lapides pretiosos; defectuosa autem per lignum, foenum et stipulam. Tertio dicunt: Apostolum tangere, quod talia utraque opera modo communi non prius, nisi in morte declarantur, quia nescit homo, an amore vel odio dignus sit; die vero mortis veniente quid puniendum, quidve remunerandum sit, videbitur. Quarto inquiunt, apostolum ostendere, quod cujuslibet opus, quale sit, ignis purgatorii, qui post mortem revelabitur, probabit, bonum ut sibi placitum et conveniens acceptando probando et non cremando, defectuosum vero ut sibi displicens exurendo et pur-

gando. Et ultimo inquiunt, concludere apostolum, quod sic purgatus suo tempore per suffragia vivorum salvus erit, quasi per ignem. Sed dato, quod aliqui doctores sic sentiant, et magistri Pragenses in hoc eos sequentes, sicut praedictum est, illa verba apostoli, intelligant; tamen si bene advertantur praefata verba apostoli, non videtur, quod possint de virtute sermonis ad sensum praedictum Magistrorum verificari, ut patebit in responsione ad culpam nobis in hac materia objectam. Cum ergo doctores in materia purgatorii, ut ex praedictis quilibet videre potest, non concordant, sed in differentia multiplici laborant, imo aliqui eorum in uno loco videntur pro eo sonare, et in alio loco aliter de ipso scribunt homines de eo in dubio relinquentes; relinquitur, quod ex doctorum sanctorum se in lege Dei expressa inevitabiliter fundantium concordi sententia non est deducibile, quod fideles necessitarentur credere ut fidei articulum, talem locum purgatorii post hanc vitam esse, qualem magistri praedicti pro fide praedicant et astruunt, quod fuit probandum. Ista tamen omnia antedicta nos bene pensantes et advertentes ex fide scripturae et sententiis sanctorum doctorum se in eadem veraciter fundantium non negamus, animas salvandorum super fundamentum, quod est Christus, foenum, lignum vel stipulam aedificantium in vita praesenti per ignem tribulationis et alios modos in secunda suppositione istius materiae expressos, vel in mortis articulo statim in adventu futuri saeculi, vel si quid purgandum post hanc vitam in eis remanserit, per ignem emundatorium extremi judicii, vel aliter secundum Dei ordinationem ab omnibus suis inquinamentis finaliter expurgandos, hortantes quemlibet, ut in praesenti sic vivat, ut statim in mortis articulo in adventu futuri saeculi purgatus alia postea purgatione non indigeat, cum ex tertia suppositione nostra hujus materiae melius est in vita mereri, quam in morte, et post optare incerta suffragia, et vita tutior est, ut bonum, quod quis post mortem suam sperat agi per alios, agat, dum vivit, ipse per se. Somniatum autem locum purgatorii praedictum magistrorum attendentes circa hoc varietatem doctorum, et non videntes aliquam scripturam expressam nos ad tenendum ipsum pro fide articulo sub aeterna damnatione obligantem, et considerantes homines ex hoc continue in pejus proficere, ipsum astruere et promovere pro fidei articulo non audemus et per consequens quamdiu de ipso ex scriptura certificati non fuerimus, non videtur nobis, quod fideles hic in via debeamus exhortari, ut talibus, quos somniant in tali existere purgatorio,

jejuniis et orationibus elemosynis et sanctis oblationibus debeant suffragari, publice profitentes, quod ex quo magistri non possunt docere ex aliqua propositione sacrae scripturae inevitabiliter, quod post hanc vitam sit aliquis talis locus sic purgandi, nec ipsum datum est primarium significatum alicujus partis sacrae scripturae, relinquitur, quod insecure Magistri illud tale purgatorium promovent, et infundabiliter vexant homines necessitantes eos ad hoc, ut hic in via talibus jejuniis et orationibus, elemosynis et sanctis oblationibus suffragentur; cum ex praedictis patet, illae animae salvandorum, qui hic non satisfecerunt pro peccatis, post exitum de hac vita pro tempore, quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, non videntur sine corporibus poenas aliquas corporales sensibiles sustinere, a quibus jejuniis et orationibus elemosynis et sanctis oblationibus superstitum eriperentur. Hinc beatus Hieronymus scribit, et ponitur transsumptive 13. quaest. 2.: in praesenti saeculo scimus, sive orationibus sive consiliis invicem posse nos adjuvare; cum autem ante tribunal Christi venerimus, nec Job, nec Daniel, nec Noë rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum. Haec ille. Ad idem et Augustinus in Psalm. 48. super verbo: Sepulchra eorum domus eorum in aeternum; ubi scribit: Quid est hoc: Tollunt panem et merum ad sepulchra, et invocabunt ibi nomina mortuorum? Putas, quantum invocatum est nomen illius divitis, postea quando inebriaverunt se homines in memoria illius, nec descendebat una gutta super linquam ipsius ardentem; ventri suo serviunt homines non spiritibus mortuorum, nisi quod secum vivi fecerunt. Si autem vivi secum non fecerunt, ad mortuos nihil pervenit. Haec ille. Pro eodem est Chrysostomus, opere perfecto morali secundo, qui sic dicit: uniuscujusque finis in januis est, et si senex aliquis fuerit, et si juvenis, et non est hinc abeuntes misericordiam emere, nam neque deprecantis potiri venia, et Abraham si deprecator fuerit, et si Noë et si Job et si Daniel. Donec ergo tempus habemus, tendamus ad vera, ut nobis ipsis libera praesentia congregemus misericordiam copiosam, transponamus universa in coelum et in tempore decenti, et in quo maxime eis in diebus omnibus fruamur. Haec ille. Et idem Morali 74. scribit: Si enim nunc non egerimus scilicet bona, cum abierimus, de reliqun nihil possibile est fructificare. Haec ille. Et secundum Hilarium superius allegatum, peccatum, quod in hac vita non corrigitur, ejus venia frustra postulatur. Ex quorum docto-

rum dictis elici potest, quod proficere ex opere aliquo est solum in via existentis; sed homines post mortem non sunt proprie et simpliciter viatores; ergo non videtur quod mortui de suffragiis alicujus viatoris juvari possint; et cum ex verbis apostoli necesse est unumquemque portare onus suum et omnes nos necesse sit manifestari ante tribunal Christi, ubi recipiat unusquisque propria corporis, quae gessit sive bonum sive malum; et ex Apocalypsi 14.: opera morientium sequuntur illos; et secundum Gregorium: qualis quisque in morte inventus fuerit, talis in die judicii praesentabitur; sequi videtur, quod ex his, quae post mortem geruntur, quando extra corpus erit, nihil ei accrescere poterit ex alicujus operibus. Quamvis Thomas in II, Parte Summae suae has auctoritates ad sensum confictum modernae Romanae curiae exponit; cum autem ejus expositio careat auctoritate scripturae, ideo secundum dictum beati Hieronymi eadem facilitate contemnitur, qua probatur; necessarium enim esset primum locum talis purgatorii stabilire, si dicta ejus glossae dictis scripturis potuerit taliter adaptari; nihilominus tamen si quis poterit in sacra scriptura expressa in sententiis sanctorum se in eadem veraciter fundantium illud praedictum purgatorium ostendere vel probare, vel si Deus ex occultis suis judiciis vult aliquem post hanc vitam sic vel aliter purgare, parati sumus, sicut et prius fuimus, gaudenter audire et non quovis modo contradicere, quod tamen hucusque nobis minime est ostensum.

18. De invocatione sanctorum in coelis et quae mala occasione illius in populo oriuatur.

Jam restat circa alium punctum, in quo a nobis adversantibus discrepamus, videlicet invocationem sanctorum, nostrorum enodare intentionem, quam quidam ex Magistris Pragensibus pro fidei articulo magna cum diligentia praedicant publice promoventes, quod sancti exuti a corpore sunt a nobis viantibus modo, quo communiter sacerdotes et alii populares ex eorum instructione consueverunt ipsis injungentes jejunia, orationes, incensa, oblationes etc. pro suffragio et intercessione necessario invocandi. Per quam invocationem et ipsius in populo auctorisationem et magnificationem populus ex hoc carnaliter et erronee de Deo et de sanctis sentire videtur, aestimantes, quod praecise sicut coram rege terreno ipso irascente alii non sic irati pro aliquo intercedunt, iram ejus erga ipsum mitigantes, sic

populus aestimat fieri coram Deo, quod sancti Deo irascente peccatoribus sibi assistant tanquam Marschalci intercedentes pro his, qui eis offerunt, et alia servitia jejuniorum et orationum exhibuerint, qui interponentes se erga Deum per amicabilem concordiam tanquam coram rege terreno gratiam facere solent, Deum mitigant, ut patientiam in eos habens nihil extra rationem in furia agat. Ex quibus apparet simplicibus, quod sancti misericordiores sint Deo, et adhuc quem ipse condemnaverit, illum ipsi adhuc a damnatione suis intercessionibus liberant, Dei quodam modo mutantes sententiam, quam fert in peccatores; et hoc specialiter de Beata Virgine quidam praedicant dicentes, hoc esse praefiguratum in Nabal, qui sententiatus a David placatus fuit per Abigail 1. Regum 25. Ex quo ulterius simplices aestimant, quod sint inter Deum et sanctos corpore exutos difformitates voluntatum, ita quod, cui ipse indignaretur, ipsi eidem non viderentur indignari, et per consequens ex tali sanctorum magnificatione simplices ipsis plus confidunt et affectuosius eis serviunt, quam soli Deo, et sic in crimen idololatriae incidunt. Ex quo ulterius simplices aestimant, quod sancti laudes et munera diligant, et quod nisi pro illis intercedant, qui eis offerunt, et quanto aliqui plus eis obtulerint, tanto pro eis diligentius intercederent. Sed sic sentire de sanctis est carnalium et erroneorum hominum, qui sicut de hominibus avaris et vanaegloriosis sentiunt de eisdem; sed sic de sanctis sentiendum non est; esset autem de eis sentiendum taliter, quando sancti exuti a corpore difformis essent voluntatis a voluntate Dei et secundum acceptionem personarum et munerum cum peccatoribus circuirent, et ipsis sine Deo ex speciali gratia proficerent, quod minime est dicendum, nec de Deo sic quemadmodum de rege terreno et suis gratianis est tenendum, cum hoc condemnet beatus Ambrosius super illo Romanorum primo: dicentes se sapientes stulti facti sunt; ita scribens: Solent pudorem passi neglecti Deo misera uti excusatione dicentes, posse ire ad Deum, sicut per comites pervenitur ad regem. Esto, nunquid sic demens, est aliquis, aut salutis suae immemor, ut honorificentiam regis vendicet comiti, cum de hac re si qui etiam tractare inventi fuerint, jure ut rei damnantur majestatis? Et isti se non cogitant reos, qui honorem numinis deferunt creaturae, et relicto Domino conservos adorant, quasi sit aliquid, quod plus reservetur a Deo; nam ideo ad regem per comites et tribunos itur, quia homo utique est rex, et nesciat, quibus debeat rem-

publicam credere. Ad Deum autem promerendum, quem nihil utique latet, omnium enim merita novit, suffragatore non opus est, sed mente devota; ubicunque enim ei talis locutus fuerit, respondebit ei. Haec ille; ex cujus verbis patet, quod non sic de Deo et sanctis suis quemadmodum de rege terreno et suis gratianis sentiendum est, cum Deus supremum bonum sit et immensum plus habens charitatis ad peccatores quam sancti, et prius eos diligens, quam sancti, differens in hoc a rege terreno, quod homini multa bona promittit et exhibet, et si homo incidit in indignationem ejus, non festinat, sed nolens mortem peccatoris longanimiter et patienter expectat, monens ad poenitentiam: Et si quis veram egerit poenitentiam, vita vivet. Ezechiel 18. etiam sine sanctorum intercessione.

19. De invocatione Sanctorum superstitiones. Et sequitur prima.

De illa ergo sanctorum invocatione locuturi primo et ante omnia supponimus, quid nominis invocationis, illud videlicet, quod etiam de his, qui filii sunt legitimi capitulo per venerabilem in Novella per Joannem Andreae scribitur: Invocare est ipsum desiderium ex tota mente et anima ad solum Deum in oratione per vocem emittere. Haec ille. Et illud doctoris evangelici in epistola: corde creditur ad justitiam: Invocare est creatura secundum charitatem vocare in animo Deum suum. Et isto modo Christus invocavit Patrem suum continue, nec dubium, quin si quis sic invocat, pro suo tempore erit salvus. Haec ille. Et illud Dictionarii: Invocatio nihil aliud est, quam quaedam instans et diligens vocatio, oratio et postulatio, et habet fieri erga illum, a quo auxilium expectatur, sicut est Deus, qui procul dubio semper est in necessitatibus invocandus. Psalmus: in tribulatione mea invocavi Dominum. Ideo Jonae existenti in periculo dictum est: quid tu sopore deprimeris, surge et invoca Deum tuum. Haec ille. Supponimus secundo, quod homo Christus est unus mediator Dei et hominum. 1. Timoth. 2. Et advocatus apud Patrem, propitiatioque pro peccatis nostris 1. Joan. 2., accedens per semet ipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis. Hebraeorum 7. Et ostium, per quod si quis introierit, salvabitur. Joan. 10. Et nemo venit ad Patrem nisi per eum. Joan. 14. Qui facit, pro quocunque quis petierit Patrem in nomine suo; ibidem. Et dat omnibus affluentur; Jacobi 1. Imo priusquam moneatur, quodam modo se ingerens stat ad ostium et pulsat, ut ei aperiatur: Apoca-

lypsis tertio. Supponimus tertio, quod sancti non sunt nobis relicti ad cultum sed ad imitationem; sicut ad hoc significandum Petrus non permisit se Cornelio adorare, Actuum 10. Et Joanni angelus, Apocalypsis ultimo, et apostolus dixit: Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. 1. Corinth. 11. Et observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Ad Philippens. tertio. Et pro illo est Augustinus in de vera Religione sic scribens: Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia, si pie vixerunt, non sic habentur, ut tales quaerant honores, sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante laetantur meriti sui nos esse consortes; honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Haec ille istis suppositionibus praesuppositis dicimus, quod nullus homo alius a Christo corpore exutus est artus et verus mediator Dei et hominum aut advocatus vel interpellator pro peccatoribus apud Patrem pro illa interpellatione a viantibus necessario invocandus, qui secundum apostolum Hebraeorum septimo ad hoc jurejurando sacerdotium suscepit, ut interpellet, et oret pro humano genere, quod per suam mortem reconciliavit, et est unicus et solus mediator Dei et hominum, aut advocatus seu interpellator in coelis pro peccatoribus apud Patrem, ita sufficiens, quod nullum patrem in nomine suo petentem negligit, nec orans repellitur, sed pro sua reverentia pro his, pro quibus oraverit, exauditur. Hebraeor. 5. Quia accedens per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis est sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, excelsior coelis factus, et filius primogenitus Patris, Hebraeorum 7. Qui unicus ex omnibus hominibus ibi existentibus habet jus et auctoritatem expressam, alios sanctificandi, ornandique seu interpellandi pro eis, sicut hoc patet ex auctoritatibus scripturae in secunda suppositione hujus materiae allegatis, et ex auctoritatibus sanctorum doctorum hic inferius immediate subscriptis; scribit enim primo Augustinus in Psalm. 64. de Christo: Tu sacerdos, tu victima, tu oblator, tu oblatio; ipse sacerdos est, qui nunc ingressus interiora veli solus ibi existens, qui carnem gestaverunt, interpellat pro nobis, in cujus rei figura in illo primo populo et in illo primo templo unus sacerdos intrabat in sancta sanctorum, populus omnis foris stabat, et ille qui solus ingrediebatur interiora veli offerebat sacrificium populo foris stante. Haec ille: Ista auctoritas Augustini ad hoc sonat, quod Christus solus in coelo existens de numero eorum, qui carnem gestave-

runt, interpellat pro nobis. Et quod recte figuratum fuit in illo sacerdote magno, qui solus intrans in Sancta Sanctorum offerebat sacrificium pro populo, de quo habetur Levitici 16. Ad idem, qui vult, potest legere Augustinum in Psalm. 109. super verbo: Tu es sacerdos in aeternum; et super Joannem Homilia 22. super illo verbo: Fugit in montem ipse solus; et non solum hoc Augustinus de Christo sententiat, sed et alii communiter doctores tunc praedictum textum de sacerdote magno postillantes inculcare videntur, ut patet de Origene Homilia 9. super Levitico, qui hanc historiam praedictam applicat ad Christum; et de Beda, Ambrosio et Hugone, qui super illo Lucae primo: Zacharias secundum consvetudinem sacerdotii sorte exivit, ut incensum poneret. Quorum omnium scripta causa brevitatis hic inserere non curamus. Ex quibus bene pensatis potest quilibet cognoscere, quod solus Christus inter eos, qui carnem gestaverunt, existens in patria, est certus et verus mediator Dei et hominum aut advocatus seu interpellator pro peccatoribus apud Patrem, et sufficiens pro omni usquequo finem accipiat mundus; imo si aliquid a trinitate concedi debeat pro oratione alicujus, solum Christum Jesum oportet mediare, ut potest cognosci ex auctoritatibus sanctorum infrascriptis; scribit enim beatus Gregorius libro 22. Moralium tractans illud Jobi 31. Quis mihi tribuat adjutorem, ut omnipotens desiderium meum audiat; isto modo beatus vir, postquam tot virtutum suarum sublimia narravit gesta, sciens quod suis meritis ad summa pervenire nequeat, adjutorem quaerit, et quem nimirum, nisi unigenitum filium Dei contemplatur, qui humanam naturam in hac mortalitate laborantem adjuvit. Infra hunc ergo beatus Job per totius ecclesiae significationem loquens mediatorem requirit, qui cum dixisset: Quis mihi tribuat adjutorem, aperte subdit, ut desiderium meum omnipotens audiat; sciebat quippe quod ad libertationis aeternae requiem humanae preces nisi per advocatum suum audiri non possent, de quo per apostolum Joannem dicitur: si quis peccavit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. De quo Paulus apostolus dicit: Christus Jesus, qui mortuus est pro nobis imo et resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Et infra ad propositum subdit: Adjutor ergo quaeritur, ut desiderium exaudiatur, quia pro nobis nisi interpellatio mediatoris intercederet, ab aure Dei pro-

cul dubio nostrarum precum voces silerent. Haec ille: Ecce quod iste sanctus dicit, quod bumanae preces nisi per advocatum Jesum audiri non possunt, et quod nisi interpellatio ejus pro nobis intercederet, ab aure Dei procul dubio nostrarum precum voces silerent. Pro eodem est Remigius super illo Ephesiorum 2.: quoniam per ipsum babemus accessum; qui ita scribit: per Cbristum accedimus ad Deum Patrem, quia ipse est mediator noster pro eo, quod Deus homo est, et per illum preces nostras ad Deum dirigimus et per illum introducimur in conspectu ejus, sicut ipse dicit: Nemo venit ad Patrem nisi per me. Haec ille. Idem super ad Hebraeos septimo: accedens per semet ipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis; ita scribit: Nos qui puri bomines sumus, per illum accedimus ad Deum Patrem, quia mediator noster existens, Dei vultui assistit pro nobis, dirigentes per ipsum preces nostras ad Patrem. Unde sacerdotes ecclesiae altari assistentes dicunt: suscipe Domine Pater preces populi tui per Dominum nostrum Jesum Cbristum Filium tuum; et quia semper vivit, semper interpellat pro nobis. Haec ille. Glossa ibi secundum literam aliam potest salvare, quos accedentes ad Deum non per alium, sed per semet ipsum, secundum quod ipse ait: Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Haec ille. Istae auctoritates sonant ad boc, quod bumanae preces non sortiuntur suum effectum, nisi per advocatum Jesum. Hinc adbuc ad majorem borum confirmationem doctor evangelicus in suo trialogo scribit: certum est ex fide, quod oportet mediatorem Dei et hominum Jesum Cbristum; si aliquid a trinitate concedi debeat, per orationem cujuscunque mediare, cum ex fide a quocunque catbolico concedi debeat, quod humanum genus perpetuo damnetur; si non Samaritanus iste curam ejus egisset, ut notat evangelium Lucae 10. Et hinc, inquit, multi probabiliter existimant, quod foret expediens, Cbristum inter homines simpliciter adorari, quia ipse est mediator et intercessor optimus, paratissimus quoad utrumque extremum, et benignissimus ratione charitatis et misericordiae infinitae. Stultus ergo foret, qui alium intercessorem requireret: Cbristus enim semper vivens apud Patrem ad interpellandum pro nobis est paratissimus, illapsus in mentem cujuslibet viatoris, qui ipsum dilexerit. Unde non oportet ad captandum ejus colloquium sanctos alios mediare, cum sit benignior et pronior ad juvandum quam aliquis eorum, et movetur, quod mens viatoris ex multitudine, quos orat, beatorum dispergitur, cum affectio

a Christo laxatur, eo quod tantum sit finita, et per consequens remittitur, cum sit in plures sic dispersa. Et multis, inquit, videtur, quando oratio singulariter directa fuit ad illam personam mediam pro adjutorio spirituali, tunc plus profuit, et crevit ecclesia, quam facit modo multis intercessoribus adinventis. Haec ille; ex cujus eximii doctoris patent plura; primo, quod nisi per mediationem Christi non impetratur aliquid a Deo. Secundo, quod secundum probabilem existimationem plurimam expediens est, Christum inter homines simpliciter adorari, qui est mediator et intercessor optimus, benignissimusque quoad utrumque extremum. Tertio, quod non oportet ad captandum ejus colloquium sanctos caeteros mediare, cum est pronior ad juvandum, quam aliquis eorum, et est a Deo ad hoc constitus, ut per eum intercessio transeat, qui magis est misericors quam alii; melius noscens omnes indigentias quam alii, et cui major est diligentia vel cura de genere humano quam aliis, quia pro quibus justum est intercedere, pro illis ipse suum sanguinem fudit, quorum nunquam obliviscitur, habens eos descriptos in manibus suis et pectore. Quarto tangit, quod stultus foret ex hoc, qui alium intercessorem quaereret et relicto isto certo et vero incertos requireret. Quinto tangit, quod quondam in ecclesia primitiva singulariter oratio directa fuit ad illam personam mediam, pro adjutorio spirituali. Et sexto, quando sic fuit, quod pro tunc plus profuit et crevit ecclesia, quam facit modo multis intercessoribus adinventis, qui sunt quasi nubes sine aqua, solem justitiae Christum verum intercessorem elypsantes, et vanam spem pluviam spiritualis adjutoris expectantibus relinquentes. Ista Christi intercessio et interpellatio sic debet promoveri et magnificari, quasi certa et vera a Deo ordinata, quam apostoli in locis memoratis commemorant, qui, cum sit justus nobis existentibus impotentibus et insufficientibus ex se, ipse est propitius tam active quam passive pro peccatis nostris; nam ipse se ipsum obtulit pro redemptione nostra, id est, fuit hostia, per quam est propitiatio facta 1. Joannis 4. Misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris, et sic remedium contra peccatum, ne cadamus in desperationem, est confugere ad Christum patronum causarum nostrarum, qui jugiter causam nostram interpellando ad Patrem pro nobis, quem nedum advocatum habemus sed et judicem; quia omne judicium dedit Pater filio, Joannis 5. et per consequens magna spes poenitentibus est, quod advocatus noster factus est judex noster. Ista fides est

fundata in Christo tamquam firma petra, in qua coetus apostolorum semper recte stetit, donec homo peccati non accepit potestatem, et novas sanctorum introduxit intercessiones, quam omnes sancti alii a Christo corpore exuti hic existentes tenuerunt, et hodie confitentur, quod aliunde nisi per oblationem et interpellationem ipsius sunt salvati, et ad regna pervenerunt coelestia, quando dicunt illud Apocalypsis 5. Dignus es Domine Deus accipere librum et solvere signacula ejus, et aperire eum, qui occisus es, et redemisti nos Domine in sanguine tuo, ex omni tribu et lingua, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes. Ecce adhuc in terra resonat eorum humilitas et gratitudo, quando recognoscunt se in sanguine ipsius illuc ingressos, et quidquid boni habent, totum per ipsum se habere confitentur, quod et de omnibus hic existentibus tenent, quod scilicet non adipiscentur aliquod bonum nisi per ipsum optimum mediatorem et intercessorem.

20. Sancti in coelis non sunt certi et veri advocati, intercessores aut interpellatores dicendi, quos viatores debeant pro tali intercessione invocare.

Cum ergo Christus solus et unicus in coelo existens de numero eorum, qui carnem gestaverunt, sit certus et verus advocatus et interpellator, habens jus et auctoritatem sanctificandi alios, pro aliisque ornandi et interpellandi, et nullus alius ab ipso est, qui ex officio a Deo sibi dato alios posset sanctificare, et pro eis interpellare, qui necessario pro illa interpellatione esset invocandus et orandus, ut patet ex sententia praedictarum auctoritatum sanctorum doctorum se in lege Domini veraciter fundantium in capitulo praecedenti adductarum, relinquitur, quod sancti a corpore exuti alii a Christo, qui carnem gestaverunt, non sunt certi et veri advocati, intercessores aut interpellatores dicendi, quos viantes debeant pro tali intercessione necessario invocare, patet hoc primo ex isto, quia ex nulla propositione sacrae scripturae sequitur inevitabiliter, quod tales sancti sunt certi et veri advocati, intercessores, aut interpellatores, quos viantes debeant pro tali intercessione necessario invocare, nec ipsum datum est primarium significatum alicujus partis scripturae, quod aliquis sanctorum hic existens unquam orasset alium sanctum mortuum corpore exutum. Sed semper et ubique lex nova et vetus, ubi aliquid loquitur de oratione ipsam docens, semper docet seu praecipit, ut solus Deus

oretur, sicut hoc confirmans Christus Math. 4. dicit: dominum Deum adorabis et illi soli servies. Si enim adoratio vel oratio saltem proprie dicta aliquo jure alteri competeret, non diceret Christus: et illi soli servies; ergo sancti corpore exuti alii a Christo non sunt certi et veri advocati, intercessores aut interpellatores dicendi, quos viantes pro tali intercessione debeant necessario invocare, quod fuit probandum. Secundo hoc idem patet ex isto: Si sancti corpore exuti alii a Cbristo de numero eornm, qui carnem gestaverunt, essent certi et veri advocati, quos viantes pro illa debeant invocare, tunc ex fide scripturae deberet ostendi, quod ipsi sunt medium a Deo ordinatum et sufficiens ad hoc, quantnm est ex parte Dei et hominum peccatorum indigentium, ut semper sint parati audire preces nostras babentes ad hoc sufficientiam pietatis, ut omnibus suis oratoribus possint sine defectu propitiari, et quod habeant cognitionem concernentem medium, quod aequaliter participat utroque extremorum, scientes, quid hic et quid alibi foret necessarium, et quod Deus velit pro parte sua, ut sic pro illis intercedant. Sed quia non videtur hoc sanctis competere, cum secundum apostolum 1. Timotb. 2.: unus est mediator Dei et hominum Cbristns Jesus, qui passus est pro salute omnium, cujus testimoninm est confirmatum temporibus suis, quia tempore veteris testamenti confirmatum est per prophetas ejus adventum praenuntiantes, et tempore novi testamenti post ipsius et Apostolorum praedicationem miracnlis confirmatum, et illud medium nemo potest esse nisi simul Dens et homo, sicut patet ex auctoritatibus infra scriptis; scribit enim Augustinus Confessionum Libro 10.: mediator inter Deum et bominem oportebat, ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus, ne in ntroque Deo similis longe esset ab hominibus, et ista mediatio non esset. Haec ille. Pro eodem est idem Augustinus in Psalm. 133. super verbo: Psallite nomini ejus, quoniam svavis est. Et Remigins super verbo eodem apostoli: Mediator Dei et bominum homo Christus Jesus, quorum hic verba ponere causa brevitatis omittimus. Ex jam dictis potest cognosci, quod apostoli Christi non se nec alios puros homines corpore exutos mediatores Dei et hominum, aut advocatos vel interpellatores pro peccatoribus apud Patrem vocaverunt, sed Christum Jesum, ut patet ex auctoritatibus scripturae et sententiis sanctorum doctorum se in eadem vere fundantium jam superius allegatis. Et hoc tenentes

non ex hoc erant haeretici nec schismatici, sicut in hujus signum et confirmationem praecedentium notabiliter apparere poterit ex ista auctoritate beati Augustini infra scripta; scribit enim sermone primo super epistolam Joannis super illo verbo 1. Joannis 2.: advocatum habemus, isto modo: iste vir justus et magnus, qui de pectore Domini mysteria secretorum bibebat, ille, qui de pectore Domini divinitatem eructavit: in principio erat verbum etc., Christum advocatum posuit, non se, et maluit se ponere in numero peccatorum, ut haberet advocatum Christum, quam poneret se advocatum pro Christo. Et infra subdit: Hoc qui tenuit, haeresim non fecit; hoc qui tenuit, schisma non fecit. Unde enim schisma factum est, cum dicunt homines: Nos justi sumus, cum dicunt homines, nos sanctificamus immundos, nos justificamus impios, nos impetramus, nos petimus, Joannes autem dixit: et si quis peccaverit, advocatum habemus Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Haec ille. In quibus verbis beatus Augustinus volens ostendere unum esse et sufficientem advocatum Christum Jesum pro hominibus, qui egent gratia Dei, commendat Joannem apostolum, ex quo, quod existens vir justus et magnus, cui Deus multa prae aliis revelavit, ab humilitate non excidit, sed ex illa in numero se ponens peccatorum non se sed Christum pro se et aliis advocatum confitetur. Et in hoc, quod dicit, eum de pectore Domini mysteriorum secreta bibere, dat intelligi, quod bene Joannes intellexit officium Christi, in quo Deus ipsum constituerat ad sensum prius expositum, quem ipse et alii tunc spiritu Jesu abundantes habuerunt, tenentes et credentes, quod omnes peccaverunt et omnes egent gratia Dei, et quod nisi in omnibus unus est, qui omnes sanctificat, et illi, qui sanctificantur, locum sanctificantis tenere non possunt, Christum autem semper confitere debent sempiternum habere sacerdotium, et salvare in perpetuum posse, paratum semper ad interpellandum pro his, qui per eum sanctificantur, et ideo Joannes noluit nomen advocati vel interpellatoris induere. Cum enim sciret sanctos omnes hoc credere et tenere, quod per orationem et oblationem Christi sunt salvati, non est possibile, quod pervenientes illuc per ipsum suum, quod eis non convenit, sibi usurpant officium; ex superbia enim hoc facere non possunt, nec ex officio, quia sciunt esse alterius, nec ex necessitate, quia Christus Pontifex futurorum bonorum melius supplet indigentias omnium, quam alii omnes sancti, sanctificans

quemlibet in se credentem et impetrans cuilibet necessarium sibi, quo indiget. Et per consequens non est possibile, quod ex aliqua arrogantia sancti usurpent sibi officium sui Domini, sed eandem humilitatem, quam hic habuerunt, habent, et gratitudinem ejus beneficii, quod videlicet mediante ejus intercessione illuc pervenerunt, semper ostendunt. Et ex quo Joannes Apostolus ex testimonio Augustini praedicto, ex humilitate et vera cognitione declinavit se ponere advocatum pro Christo, datur intelligi, quod ista via intercessionis sanctorum, quam magistri promovent, non processit ex humilitate et vera cognitione Christi unici, certi et veri advocati, sed ex caeca superbia, et per consequens ex illo videtur sequi, quod, qui ausus se fuit ponere advocatum pro aliis, aut jus commune aliis sanctis, ut advocati necessario invocandi sint, pro peccatoribus tradit, caecus et superbus fuit, non habens veram cognitionem de uno, certo et vero advocato Christo, quod Joannes apostolus non fecit ex dicto testimonio Augustini. Ulterius ex verbis praedictis Augustini elicitur, quod, qui tenuit vel tenet, unum esse certum et sufficientem advocatum Christum, ille non tenuit nec tenet haeresim, nec schisma facit aut fecit; sed abinde venerunt et veniunt schismata, quando aliqui tenuerunt, aut tenent plures esse advocatos seu mediatores inter Deum et homines, et quando officium unius certi et veri advocati Christi sibi usurpantes dicunt: nos justi sumus, nos sanctificamus immundos, nos justificamus impios, nos impetramus; per hoc occasionem schismatis praestiterunt, ut illi Christum et alii sanctos respiciant, et illi unum sanctum, quem aestimant sanctiorem, et alii alium attendant. Qua ex re postmodum variae sectae in fide succreverunt et variae religiones introductae sunt ex hoc, cum spirituales sic infideliter suas et aliorum magnificarunt orationes.

21. Circa invocationes sanctorum finalis sacerdotum Thaboriensium intentio.

Ista nos omnia pensantes et advertentes, et praesertim ex suppositione nostra prima hujus materiae percipientes ex communi sententia doctorum, quod invocatio sive oratio saltim proprie dicta est cultus soli Deo exhibendus, et non videntes expressam scripturam legis, sub aeterna damnatione obligantem ad tenendum pro fidei articulo, quo sancti exuti corpore a fidelibus hic viantibus pro suffragio et intercessione necessario sint orandi aut invocandi modo, quo communiter sacerdotes Pragenses et alii populares ex

eorum instructione consveverunt, nec videntes apostolos nobis de hoc aliquid expressum tradidisse vel reliquisse documentum, nec exemplum ad hoc habentes alicujus sancti in nova lege vel veteri canonizati, qui sic in oratione sanctos in coelis existentes invocet vel ecclesiam primitivam evangelio conversantem, cujus rectores erant apostoli, aliquid de tali invocatione praecepisse, aut instituisse, cum Gregorius primus primum legitur instituisse fieri invocationes, notantesque populum ex his in magna superstitione et perfidia continue laborare, ea intentione ipsos sanctos non oramus nec invocamus, nec suffragia eorum ab eis postulamus, nec cultum soli Deo debitum ipsis impendimus, quamvis sic, ut decet, eos ex secunda suppositione nostra hujus materiae dicamus honorandos ac imitandos; suffragia autem sanctorum non negamus, quibus pro capacitate suffragantur hominibus in ecclesia militante, non ea asserimus a Deo nullatenus postulanda exemplo David, qui, ut canit ecclesia, orabat Deum dicens: participem me fac Deus omnium timentium te, et custodientium mandata tua; et Deum specialiter dicimus invocandum, ut orationes sanctorum inter nos suscitet, quibus sancti hic existentes orabant Deum juxta illud Ecclesiastis 6.: suscita precationes, quas locuti sunt in nomine tuo Prophetae priores; scimus enim, quod sancti, qui sunt in ecclesia triumphante, affectum bonum habent ad nos, in quantum nobis nunc existentibus cum eis, nos sine illis et ipsi sine nobis consumatam non consequuntur beatitudinem; cum ipsi usque ultimam resurrectionem non habeant ex parte illa consumatam beatitudinem, cum careant corporibus suis, quibus habitis gloria erit in eis consumata; nec etiam ex parte illa adhuc habent consumatam gloriam, quando nondum omnes sunt simul, qui salvandi sunt. Unum enim corpus est, quod justificari expectatur, (et) est quod resurgere dicitur in judicio; licet enim sunt multa membra, unum tamen corpus, quibus illuc omnibus simul existentibus cuilibet ex alio augebitur laetitia, quando quilibet meriti ac laetitiae alterius particeps fiet, ut compleatur, quod veritas dicit Joannis 4.: videte regiones, quoniam albae sunt jam ad messem, et qui metit, mercedem accipit, et qui congregat fructum in vitam aeternam, ut, et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit. Istius confirmationem et probationem ulteriorem, si quis vult habere, legat Originem Homilia 7. super Levitico, ubi tractans illud Christi verbum, quod dicit: Amen dico vobis, qui non

bibam de genimine vitis hujus, usquequo bibam vobiscum illud novum in regno Patris mei; sententiat non solum de sanctis, sed et de Christo capite, quod nondum consummatam habent beatitudinem, fundans in illo verbo apostoli Hebraeorum 11. Qui cum enumerasset omnes sanctos Patres, qui per fidem justificati sunt, addit post omnia etiam hoc: sed isti, inquit, omnes habentes testimonium per fidem, nondum assecuti sunt repromissionem, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut ne sine nobis perfectionem consequantur. Quantum ergo hoc bonum sancti corpore exuti desiderant, tantum bonum nobis affectant; quod si eis aliquid specialiter de nobis a Deo aliquando revelatum sit, hoc neque negamus, neque affirmamus, Dei dispositioni committentes. Penes hoc et de eorum suffragiis tenemus, quod pro capacitate et dispositione hominum hic existentium ipsis possunt suffragari et suffragantur; exempla enim eorum qui attenderet, scriptaque intelligeret, ad bonum ei suffragarentur; cogitans etiam de eorum felici statu, quem post praesentes miserias adepti sunt, posset in bono in tantum roborari et succendi, quod nihil posset eum a veritate et justitia retrahere aut separare. De quibus suffragiis sanctorum Origenes Homil. 2. super Josue tractans illud Numerorum 32., et quomodo Moyses haereditatem terrae distribuit trans Jordanem duabus semis tribubus, pactum iniens cum illis, ut relictis mulieribus et infantibus suis in illa terra trans Jordanem ipsi cum fratribus suis pugnent, usque etiam ipsi haereditatem consequantur, ita scribit: unde mihi laboranti hodie in agone vitae hujus et habenti certamen adversus inimicos, id est, contrarias potestates, quomodo in auxilium veniunt illi, qui ante adventum Domini Jesu Christi in lege justificati sunt; vide quomodo Isaias mihi praestat auxilium, cum me sermonibus suae lectionis illuminat; vide accinctum et expeditum venientem Jeremiam ad auxilium nostrum et voluminis sui jaculis hostes acerrimos cordis mei tenebras effugantem; accingitur et Daniel ad auxilium nostrum, cum nos de praesentia Christi et regno ac de Antichristi futura fraude instruit et praemunit; adest et Ezechiel sacramenta nobis coelestia in quadriformibus circulis rotarum figurans et rotam concludens in rotam ducit; et Osea bissenas prophetici agminis turmas, et praecedunt omnes succincti lumbos in veritate, quam praedicant, ad auxilium fratrum suorum ut eorum voluminibus instructi diabolicas non ignoremus astutias. Haec ille. Ista sunt suffragia sanctorum certa, quae

nos non negamus, pro quibus non tantum magistri sollicitantur, nec tantum ad illa populum hortantur, quantum ad suffragia eorum incerta et de novo fabricata, quae non possunt veraciter doceri ex scriptura. Ideo quantum ad eam partem, ex quo non transit nobis ab eis suffragium, ibidem Origines subdit: infantes autem et mulieres non exeunt ad praelium nostrum nec mirum; infans enim dicitur, qui non loquitur; quid ergo me juvare potuit, qui nihil locutus est, cujus nihil invenio, ut legam, cujus sermo me non instruit. Mulieres vero, dicit apostolus, infirmum vas esse, unde et communiter infirmum vas ad conflictum non venit, ne confrigatur, et pereat; sic enim de Domino Jesu in Evangelio dicitur, quia calamum quassatum non confringet, quia ergo mulieres a viris suis domi doceri jubentur. et magis in discipulorum quam docentium persona ponuntur; ad auxilium meum non venit, qui me docere non potest, et cujus nihil invenio, quod imitari debeam vel tenere. Haec ille; ex cujus verbis patet, quam infundabiliter magistri cum multis, qui in canone missae ponuntur, participium se habere petunt et eorum postulant suffragia, de quorum beatitudine certificari non possumus ex scriptura, et quorum nihil invenimus, quod legamus, aut imitari debeamus.

C. 25.

Responsio sacerdotum Thaboriensium ad culpas, ipsis per magistrum Joannem Rokytzanam nomine suo caeterorumque magistrorum et sacerdotum Pragensium objectas.

Facta declaratione coram dictis auditoribus et multitudine cléri aliorumque multorum saecularium per sacerdotes Thaborienses causa ipsorum, quam contra quosdam magistros Pragenses et sacerdotes eis adhaerentes promovent, et ipsius lege Dei ac sanctorum doctorum sententiis se in eadem fundantium minutione modo et via pro posse superius elucidatis, illis pro fundamento praemissis dicti sacerdotes ad culpas eis per magistrum Joannem Rokytzanam nomine suo caeterorumque magistrorum et sacerdotum Pragensium sibi adhaerentium objectas via et modo infradescriptis responderunt, se prius in his et singulis aliis submittentes sententiae Domini nostri Jesu Christi secundum formam protestationis, quam superius ante causae ipsorum declarationem praemi-

serunt. Quamvis ad aliquas culpas, nobis objectas nobis non esset necessarium respondere, cum cuilibet non participanti et protervire solenti, qui vellet vere et fideliter pensare dictam nostram causam superius descriptam, patere potest noster conceptus et plena nostra intentio per ea, quae ibidem posita sunt: tamen ne videamur subterfugia quaerere, et culpas nobis objectas sub silentio pertransire, volumus Dei cum adjutorio, quanto succinctius fieri poterit, omnes locis suis per ordinem tangere, et quamlibet singillatim salutare, ut omnibus et singulis innotescat, quod minus juste et sine causa nos deturpant, non valentes vero in nos deducere, quod aliquid in punctis his, in quibus ab eis discrepamus, contra fidem scripturae pertinaciter teneamus, aut quod contrarium foret fidei, defendere velimus, aut quomodolibet tueri.

1. Responsio sacerdotum Thaboriensium ad primam culpam ipsis objectam.

Quantum ergo ad primam culpam sub tali forma nobis propositam (sacerdotes Tha)boritarum non practizantes in opere sacramenta aliqua, aliquid et quaedam sacramentis adjacentia, nos, quia illa practizamus, in hoc contemnunt, confundunt et pro malo reputant, et ad haec legem Domini et scripturas sanctorum doctorum non habent, quod hoc sit *malum*; in qua nos specialiter inculpant de duobus; primo, quia non practizamus in opere sacramenta aliqua vel quaedam ipsis adjacentia, et quae sunt illa, postea descenderunt ad extremam unctionem et confirmationem; et secundo, quod ipsos pro eo, quod ipsa practizant, in hoc contemnimus, confundimus et eis pro malo reputamus. Ad primam partem istius culpae nobis objectae taliter respondemus: Quod sacramenta necessaria saluti hominum, quanto fidelius possumus et scimus, practizamus et practizanda in auctoritate, forma sensuque Christi in fide et ritu ac praxi ecclesiae primitivae, quantum in nobis est, svademus, nec est de intentione nostra contemnere aliquam laudabilem alicujus sacramenti a Christo instituti sumptionem, aut sacramentum aliquod ex dictis in sui puritate et substantia, prout est a Christo institutum, quomodolibet parvi pendere; ritus etiam utiles et veritatis promotivos circa talia non ohmittimus, prout hoc notum est cunctis fideliter considerantibus circa tales materias nostram operationem; imo summopere optamus, ut omnes et singuli in omnibus sacramentis tam quoad substantialia quam quoad ritus confor-

maremus nos Christo et apostolis in his, quae circa eadem lege Domini continentur et necessitas concernit fidei aut requirit, Pharisaeicis ritibus legem Christi liberam stringentibus, diminuentibus, onerantibus vel impedientibus postergatis. Qui autem vult specialius nostram intentionem cognoscere, quid sentiamus, de unoquoque specialiter sacramentorum ex fide scripturae et auctoritatibus sanctorum doctorum se in eadem fundantium et ritibus ipsis sacramentis adjectis, potest in causa nostra superius descripta sufficienter edoceri. Ubi autem specialiter nos inculpant, quod sacramentum extremae unctionis in sensu et forma modo usitata erga infirmos ad intentionem eorum cum ipsis non practizamus; ad hoc taliter respondemus, quod carentes de hac unctione expressa scriptura legis et sententia sanctorum doctorum veraciter se fundantium in eadem et notantes plures circa eandem currentes superstitiones, non videntesque, quod illam alicubi Christus vel ejus apostoli sacramentum nominasset, vel ejus debitam executionem promulgassent; scientesque, quod Dominus voluit et vult multos salvare sine susceptione hujus unctionis, non audemus eam pro articulo fidei practizare et confiteri, aut ad eandem exposcendam exhortari tanquam ad sacramentum, ut sic a Christo et suis apostolis institutum, licet unctionem infirmorum ad intentionem, finem et effectum apostolorum intentum et ritu eorum et virtute factam, de qua beati Marcus et Jacobus faciunt mentionem, licitam esse confitemur, et si qui sacerdotes gratiam curationum habentes sic unxerint infirmos, et bene haberent, vellemus hortari omnes, ut, cum in gravem infirmitatem inciderint, illud sacramentum ab eis suscipere non omittant aut quovis modo contemnant, quia contemptores illius aut aliorum sacramentorum, in quantum sunt a Christo instituta, sunt castigandi, et juxta legis evangelicae regulas corrigendi; cum fateamur, ut in causa nostra praescripta dictum est, quod tempore Christi et apostolorum pro necessitate et corporum alleviatione in signum charitatis et pietatis ungebantur non tantum infirmi sed et sani corpore non solum ab apostolis, verum et ab aliis quibusvis indifferenter fidelibus. Idem dicimus de sacramento confirmationis quantum ad chrismationem et certos ritus solemnes humanitus et infundabiliter, quoad fidem scripturae circa illam introductos, quod non videntes, quod sit a Christo vel ejus apostolis instituta, aut ab eis ortum habeat nobis specificatum et traditum notabiliter in scriptura, non audemus eam pro articulo fidei practizare, aut confiteri,

aut ad eandem exposcendam exhortari tanquam ad sacramentum ut sit a Christo vel ejus apostolis instituta, licet sacramentum confirmationis quantum ad manus inpositionem intentione et ritu apostolico factum, et caeteris paribus salubre fore et utile confitemur; modo in causa nostra circa punctum hujus materiae latius expresso.

2. Responsio ad doctores, quos magistri adducunt pro praelicta confirmationis et extremae unctionis.

Ad doctores autem, quos magistri adduxerant pro sacramento confirmationis quantum ad chrismationem et certos ritus solemnes humanitus adinventos volentes illud fundare in illo Actuum 6., apostolorum actu de impositione per apostolos manuum super baptizatos, et pro sacramento extremae unctionis, quantum ad formam et sensum modernae Romanae ecclesiae usitatum volentes illud fundare in illo Jacobi 5.: infirmatur quis in vobis etc. taliter respondemus, quod doctores circa illa duo sacramenta sicut et circa alia duo adverterunt; primum institutionem Christi in quantum videlicet a Christo in sua puritate et substantia sunt instituta aut exemplata. Secundum, sensus ipsis extraneos impertinentes et ritus circa illos humanitus adinventos, ut tactum est in principio causae nostrae superius descripta. Et secundum illum duplicem respectum doctores, quem circa sacramenta habuerunt, loquebantur, nunc ad unum respectum habentes, nunc ad alium, sicut hoc quilibet, qui vellet, posset faciliter cognoscere ex scriptis doctoris evangelici, quando scribit de ultimo sacramento, quod vocatur extrema unctio, dicens ipsum fundari in illo dicto Jacobi 5.: infirmatur quis etc. Et de confirmatione dicens ipsam fundari in illo Actuum 8.: cum venissent apostoli in Samariam etc.: hoc scribit respectum habens de ipsis, in quantum scilicet a Christo in sua puritate aut substantia sunt instituta aut exemplata. Quando autem scribit, quod nimis levis videtur fundatio horum sacramentorum in dictis locis scripturae; et iterum quando scribit de extrema unctione: si ista corporalis unctio foret sacramentum, ut modo fingitur, Christus et caeteri apostoli ejus promulgationem et executionem debitam non tacerent; similiter quando de confirmatione scribit: quibusdam videtur, quod ista levis et brevis ipsorum confirmatio cum adjectis ritibus tantum solemnibus est ideo motione diaboli introducta, ut populus in fide ecclesiae illudatur ac episcoporum solemnitas aut necessitas plus credatur; illa omnia et

similia scribit de ipsis non quantum a Christo in sua puritate sun instituta, sed sic scribit de eis respectum habens ad sensus illis sacramentis Christi extraneos et impertinentes, et ad ritus circa illa humanitus adinventos, et extra fidem scripturae supra fideles subditos cumulatos. Et eodem modo catholice possunt et alii doctores, quos pars nobis adversa in hac materia adducit, intelligi, quod loquuntur ad hunc sensum; sicut specialiter Thomas, quando loquens de institutione confirmationis et extremae unctionis scribit de quibusdam, quod aliqui dixerunt, haec sacramenta non esse instituta a Christo nec ab Apostolis, sed post in successu temporis in quodam concilio; hoc intelligi debet de confirmatione, quantum ad chrismationem et caeteros ritus humanitus adjectos et de sacramento extremae unctionis quantum ad formam Romanae modernae usitatam ecclesiae, quae aperte nobis adversa quantum ad hoc, quae praedicta sunt, pro fidei articulo promoventur tanquam sacramenta, ut sic a Christo vel ab ejus apostolis instituta.

3. Quare de practica quorundam sacramentorum magistris imputatur.

Ad hoc autem, de quo in eadem prima culpa secundo nos inculpant, videlicet quod nos ipsos pro eo, quod ipsi aliqua sacramenta vel aliquod et quaedam ipsis adjacentia practizant, in hoc contemnimus, confundimus, et pro malo reputamus; taliter respondemus, quod bene et rationabiliter facimus hoc, imo facere tenemur, cum digni sunt reprehensione pro eo, quod oleum extremae unctionis et chrisma confirmationis ut communiter a simoniacis simoniace promotis benedicta pro sacramentis promovent execratum, vocantes sacrum, propter quorum praetensam talium benedictionem volunt, ut illa pro fide teneantur et promoveantur in sensu, ritu et forma modo usitata tanquam sacramenta, ut sic a Christo et ejus apostolis instituta et ad remissionem peccati, quae fit per unctionem talem, ut inquiunt, ordinata, carentes ad hoc vera probatione, quod unquam Christus vel ejus Apostoli talem unctionem sacramentum nominassent, aut ejus debitam executionem alicubi promulgassent. Cum ergo illud quod non videtur ex fide scripturae esse, pro fide promoveatur, merito a quolibet est reprehendendum, cum secundum beatum Ambrosium nova omnia jure damnantur, quia fidelibus via est Christus. Et apostolus dicit: Non enim audeo aliquid loqui eorum, quae per me non efficit Christus. Et Hieronymus in libro 3tio contra Ruffinum

scribit: Nolo sapientiam, quam Paulus vel Petrus non docuit, nolo veritatem, quam apostoli non probarunt. Cum ergo haec unctio videatur esse nova a Christo non procedens nec ejus apostolis, non audemus eam tanquam articulum fidei promovere. Et non solum reprehendimus eos de promotione et practisatione talium duorum sacramentorum; sed etiam ex eo, quod sacramentum Ordinis suscipiunt ab episcopo praetenso simoniaco et simoniace promoto, qui ex operibus prioribus indignus et ineptus est quoad hujusmodi dignitatem juxta dictamen juris divini et humani, cum causas sanguinis agitavit, et ut verisimiliter aestimatur ad mortem plurimos sententiavit, nigromantiam, ut dicitur, exercuit, simoniace episcopatum adeptus est, condemnationi calicis Domini consensit, pro praxi ejusdem quamplurimos puniens, contributionem a clero recipiens et testes subordinans, condemnationem magistrorum Johannis Hus et Hieronymi procuravit, Regem Hungariae contra modum solicitum hujus regni coronavit, et quod amplius est, nostri linquagii, ut vulgus loquitur, *quia teutonicus, naturalis existit inimicus* [1]); de quibus proh dolor ut timetur, poenitentiam dignam non peregit; ubi aliter possent secundum legem Dei et morem ecclesiae primitivae de ordinandis sacerdotibus providere, in casu deficerent et carerent episcopo catholico legitime ordinante. Si autem sciverint aut poterint adversarii vere docere ex scriptura legis expressa ac sententia sanctorum se veraciter fundantium in eadem, quod illa praedicta sacramenta sic et sub tali forma praescripta pro fidei articulis debeamus promovere tanquam sacramenta ut sic a Christo vel ejus apostolis instituta, et quod non liceret eis aliter secundum legem Dei et morem ecclesiae primitivae sibi de ordinandis providere sacerdotibus ex debitis et certis circumstantiis in casu, quo deficerent in episcopo catholico legitime ordinante, aut quod aliter secundum legem Dei non liceret, nisi ab episcopo vel episcopis sacramentum ordinis conferri, etiamsi sint simoniaci et simoniace promoti, et alias indigni et inepti ad hujusmodi dignitatem intelligendo episcopum plus sacramentalis auctoritatis essentialis habere ultra alios veros et simplices sacerdotes, etsi haec omnia sciverint aut potuerint modo praescripto adversarii deducere, quare his stare et acquiescere recusaremus.

---

[1]) Conradus Archiepiscopus Pragensis.

4. Responsio sacerdotum Thoboriensium ad secundam culpam ipsis per magistros objectam.

Jam ad culpam secundam accedimus nobis sub tali forma propositam: *Sacerdotes* Thaboritarum sunt mortuis hominibus nocivi, quia pro animabus defunctorum non orant, alios ab oratione et operibus pietatis pro animabus fiendis abducendo, et ad hoc legem Dei atque scripturas sanctorum non habent, quod hoc *sit malum*. Ad quod taliter respondemus, quod salvandis mortuis non nocemus docentes populum, ut vivat secundum legem Dei, prout uniuscujusque requirit status atque conditio, credentes ex eadem lege ecclesiam sanctam catholicam et ejus in omnibus bonis communionem, sic videlicet quod opera bona mortuorum, quae hic existentes fecerunt, sunt pro consolatione vivorum, et e contra bona opera viantium sunt et finaliter erunt pro consolatione mortuorum; nec quantum ad hoc negamus, quin vivi homines suis piis operibus proficui sint mortuis, cum ponamus eos in participio superstitum modo praedicto; cum teneamus ex dicto Origenis Homil 7. super Levitico adducto in causa nostra praescripta capitulo ultimo de invocatione sanctorum, quod nondum sancti jam mortui receperunt consummatam laetitiam suam sine nobis; nam apostoli et ipsi expectant, ut et nos ipsorum laetitiae participes fiamus et ipsi nostrae, cum cuilibet Christiano augebitur laetitia, quando quilibet laetitiae et meriti alterius particeps fiet. Ubi autem specialiter nos inculpant, quod pro animabus mortuorum non oramus et alios ad hoc non exhortamur, ut talibus piis operibus suffragentur ad modum usitatum et intentionem magistrorum, ad hoc taliter respondemus, quod attendentes de loco purgatorii varietatem doctorum, qui nos certitudinaliter docent, utrum videlicet hic in praesenti vita tempore legis gratiae animae salvandorum ad plenum purgentur, an primo in die judicii corporibus assumptis igne emundatorio ipsius, quo exuretur facies hujus mundi, expientur; vel utrum fiat hoc secundum sensum magistrorum tempore medio diem judicii praecedente; cum aliqui doctorum ad unam differentiam temporis hanc salvandorum purgationem limitare videantur, et alii ad aliam, ut in causa nostra praescripta late ostensum est, et non videntes aliquam scripturam expressam nos ad tenendum talem locum purgatorii, quem magistri somniant, pro fidei

articulo sub aeterna damnatione obligantem, nec volentes totam ecclesiam Graecorum condemnare, quod ad istum punctum, quem, ut dicitur, ipsi minime tenent; considerantesque homines ex hoc in pejus continue proficere, ipsum astruere et promovere pro fidei articulo non audemus; et per consequens quamdiu de ipso ex scriptura certificati non fuerimus, non videtur nobis, quod fideles hic in hac via debeamus exhortari, ut talibus, quos somniant in tali existere purgatorio, jejuniis et orationibus, elemosynis et sanctis oblationibus debeant taliter, ut ipsi somniant, suffragari.

5. Quid ex fide scripturae cuilibet sufficiat tenere christiano de purgatione animarum salvandarum super fundamentum, quod est Christus, lignum, foenum et stipulam aedificantium et quid non.

Quia autem de purgatione animarum salvandarum tempore legis gratiae de corporibus exutarum, quae non ad plenum hic in via pro peccatis satisfecerunt, quam purgatorium vocant, quidam multa incerta fabulantur, alii vero via securiori incedentes nolunt de hoc plus quam oportet sapere ultra evangelium et veteres sanctos legis evangelicae fideles expositores; hinc est, quod fideles circa hoc decet esse cautos, ut incertam circa hoc doctrinam declinantes veritatem in hoc assumere sciant eidem non contradicentes. De illa ergo praescripta animarum purgatione sufficit cuilibet fideli confiteri et ex fide scripturae ac testimonio sanctorum doctorum in eadem veraciter se fundantium tenere, quod animae salvandorum pro tempore legis gratiae super fundamentum, quod est Christus, lignum, foenum vel stipulam aedificantium, in die Domini, qui revelabitur in illo, ab omnibus suis inquinamentis finaliter purgabuntur; cum Apocalypsis 21.: in beatitudinem non intrabit aliquid coinquinatum, et si quae tales animae in vita praesenti per ignem tribulationis et alios modos in fide scripturae expressos vel in mortis articulo statim in adventu futuri saeculi purgatae non fuerint, sed purgandum aliud post hanc vitam in eis remanserit, hoc debet admitti, quod per ignem emundatorium extremi judicii, vel aliter secundum Dei ordinationem ab omnibus suis inquinamentis finaliter purgabuntur. Qui sensus purgationis talium animarum habet firmum fundamentum in verbis apostoli Petri. 2. Petri 3. Adveniet dies Domini sicut fur etc. et in verbis apostoli 1. Corinth. 3. ubi loquens de ligno, foeno et stipula, dicit in sententia, quod animae talium, qui super funda-

mentum, quod est Christus, lignum, foenum vel stipulam aedificant, illae in die Domini per ignem, qui revelabitur in illo, ab omnibus inquinamentis suis purgabuntur; cum doctores Augustinus, Gregorius et Remigius cum Glossa ordinaria illa verba apostoli de ligno foeno et stipula, super quibus communiter nituntur purgatorium probare, similiter et verba Petri praedicta exponunt ad litteram de die judicii et de igne emundatorio, qui revelabitur in ipso et ad sensum mysticum de die et igne praesentis tribulationis, et verba praedicta apostoli bene de veritate sermonis illi utrique sensui et non alteri extra fidem scripturae fabricato adaptantur, ut late ex testimonio praedictorum doctorum superius in causa nostra circa materiam de purgatorio capitulo 3. declaratur, quae hic causa brevitatis non oportet secundo resumere, hoc est purgatorium animarum salvandarum tempore legis gratiae corporibus exutarum, quae non ad plenum hic in via satisfecerunt pro peccatis, Christi fideles ex praedictis scripturis et testimonio practactorum doctorum se in eisdem fundantium debent intrepide confiteri, de purgatorio autem animarum corpore exutarum, quod magistri et sacerdotes eis adhaerentes pro fidei articulo praedicant, dicentes, quod post Christi in coelum ascensionem pro illo tempore, quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, sit locus, in quo animae quaedam, specialiter eorum, qui salvandi non satisfacientes in hac vita pro peccatis de corporibus exeuntes poenas corporales sensibiles sustinentes post hanc vitam purgarentur, de quo post purgationem exirent aliquae prius, aliae posterius, aliquibus fideles hic in via propter vinculum charitatis et spiritus possent et debeant jejuniis et orationibus elemosynis et sanctis oblationibus piis pie suffragari; cujus purgatorii locus secundum Augustinum libro secundo de sacramentis non est determinatus scilicet in scriptura, nisi quia multis exemplis et apparitionibus animarum in hujusmodi poenis positarum monstratus est; de cujus purgatorii igne idem Augustinus libro de poenitentia confitetur, nihil se scire certi terminare, super quo pro suppletione suae avaritiae multi multa fingebant incerta, ut in causa nostra primo capitulo hujus materiae descriptum est, de eo inquam et tali purgatorio Christi fideles non videntes aliquam scripturam expressam ad tenendum ipsum pro articulo fidei sub aeterna damnatione obligantem, illud pro fide non astruunt, scientes quia, ex quo ex fide scripturae hoc tale purgatorium doceri non potest, quod insecurum est illud pro fide astruere.

6. Nulla scriptura, quam pro existentia somniati purgatorii post hanc vitam magistri allegare consueverunt, eorum servit propositio.

Ea, quae praemissa sunt, pensantes et memoriter tenentes, quid certi ex scripturis sacris et testimonio sanctorum doctorum de purgatione animarum praedictarum corpore exutarum, pro tempore legis gratiae est confitendum, et quid pro incerto et infundabili sit tenendum, jam restat ad cautelam simplicium taugere probationes magistrorum, quibus ex diversis scripturis videntur posse hoc eorum purgatorium, quod pro fide astruunt, fundare et probare. Illae tamen si fideliter et vere advertantur, poterit quilibet intelligere, quod non sunt de illo et tali purgatorio, nec ipsum datum est primarium significatum alicujus partis scripturae sacrae, quas ipsi pro fundatione illius purgatorii allegare consueverunt, et quia inter omnes scripturas, quas pro existentia talis loci purgatorii allegare consueverunt, et quia inter omnes scripturas, quas pro existentia talis loci purgatorii magistri adducunt, non est apparentior, quam dictum apostoli 1. Corinth 3. ubi tangit, quod animae talium, qui super fundamentum, quod est Christus, lignum, foenum vel stipulam aedificant, illae in die Domini per ignem, qui revelabitur in illo, purgabuntur, intelligentes ibi per diem Domini mortem hominis, per ignem autem ignem illius eorum purgatorii, et dicentes, quod illae animae sic suis temporibus per suffragia vivorum purgatae salvarentur per ignem talis purgatorii; ideo restat nobis verum sensum illius scripturae investigare, quo investigato et ostenso, quod illa verba apostoli non bene videntur posse verificari de virtute sermonis ad sensum magistrorum pro existentia hujusmodi loci purgatorii, constabit illorum fundamentum cum toto superaedificio esse jam eversum et dejectum: cum autem non videatur verior sensus illius scripturae apostoli, nisi quem doctores in praecedenti capitulo memorati exprimunt, interpretantes eam ad litteram de die judicii et de igne emundatorio, qui revelabitur in ipso, et ad sensum mysticum de die et igne praesentis tribulationis: ideo ex hoc potest intelligi, quod sensus praescriptus magistrorum, quem ex dictis verbis apostoli eliciunt, ipsis non potest coaptari, nec ipsum datum est primarium significatum illius scripturae, quia si apostolus per diem Domini prout ipsi volunt, intelligere velit diem mortis et per ignem talis purgatorii somniati, qui opus uniuscujusque probare debeat, tunc

necessario omnes generaliter intrarent illud purgatorium; ignis enim de quo ex loco apostolus facit mentionem, talis debet intelligi, ut omnes per eum transeant, quamvis aliqui absque ulla violatione juxta testimonium Augustini in Enchyridion capitulo 13. et Ambrosii super Beati immaculati superius in causa nostra capitulo tertio hujus materiae adducti. Et hoc est contra magistros, qui dicunt, quod hi, qui aedificant super fundamentum quod est Christus, aurum et argentum et lapides praetiosos, vel quibus damnatio parata est et Christum in fundamento non habuerunt, purgatorium illud eorum non intrant; ex quo evidetur, quod non est ille sensus verborum apostoli, quem magistri pro se fingunt, cum magistri hoc per suam expositionem ex verbis apostoli capiunt, quod nec illa verba exprimunt, nec per sententiam continent, et per hoc faciliter potest investigari falsus sensus scripturae, quando sensus elicitus non potest stare cum illo, de quo scriptura loquitur. Si quis ergo bene vult exprimere scripturam, maxime debet attendere, quid illa scriptura exprimit, quia hoc, quod exprimit, illud vult, et sic quilibet, qui vult illa verba apostoli pensare, potest percipere, quod magistri illis verbis apostoli suum purgatorium minime probant.

7. Invalidae magistrorum sui purgatorii probationes.

Ostenso, quod locus purgatorii post hanc vitam ad sensum magistrorum non vere fundatur in illo verbo apostoli 1. Corinth. 3. de ligno, foeno et stipula, jam restat ostendere, quod nec dictus locus purgatorii vere fundatur in aliis locis scripturae, quae pro ipsius fundamento magistri consveverunt allegare. Allegant enim pro dicto suo purgatorio etiam illud verbum apostoli 1. Corinth. 15. Alioquin quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt, ut quid baptizantur pro illis; ubi per baptizationem, inquiunt, intelligit apostolus quandam purgationem seu mundificationem sacerdotum et aliorum fidelium per elemosynationem, et orationum devotionem pro ipsis defunctis. Sed illa scriptura non est pro illo, sed ibi apostolus reprehendit aliquos, qui non credebant resurrectionem, quia erant quidam apud Corinthum, qui non credebant resurrectionem; alii erant, qui credebant illos resurrecturos, qui baptizati moriebantur, credebant autem non resurgere vel male resurgere illos, qui sine baptismo moriebantur, propter quod si quis istorum propinquius sine baptismi gratia migrasset e mundo,

nnus alius in nomine ipsius baptizabatur, putantes quod mortuo baptismus vivi prodesset, quod factum ibi commemorat apostolus, non ut approbet, quod ille baptismus aliquid prodesset mortuo, sed ut ejus exemplo non credentibus resurrectionem svadeat et ostendat, quia si illi resurrectionem non crederent, nequaquam vivos pro mortuis baptizarent; haec est sententia illius praedicti textus apostoli Remigii, Lyrae, Gorrae et aliorum communiter hunc textum postillantium. Vereri ergo deberent magistri in Israel de tali falsificatione verborum apostoli, quando allegant ea praeter intentionem dicentis ad hoc, ad quod non sunt dicta. Allegant insuper tertio magistri pro eodem suo purgatorio et illud veritatis dictum, quo Math. 12. dicit: qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro. Ex quibus verbis, inquiunt, patet, quod in futuro aliquod peccatum dimittitur et aliquod non; sed non dimittitur in inferno, neque in paradiso habet locum peccatorum remissio; quare inquiunt, sequitur, quod est aliquis locus purgatorius, per quem poena in inferno remittitur, quia quod de uno negatur, consequens intellectus patet, quod de quibusdam conceditur, et hanc dicunt sententiam esse beati Gregorii in libro Dialogorum. Sed notum est, quod Gregorius ex textu evangelii allegati ratiocinando et via humana secundum artem logicae argumentando a sensu contrario et modo indirecto elicit quasdam poenas, in inferno remitti. Sed notum est theologis, quod scriptura regulis grammaticae sive logicae necessario non subjacet. Quare merito Marcus Evangelista loquens eodem spiritu et sensu, quo Matheus de eadem materia non sic argumentando ut Gregorius sed simpliciter inquit: qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti. Nec Lucas sic argumentatur, sed simpliciter dicit: ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur ei. Quomodo ergo vere fundabitur dictum Gregorii et sensus magistrorum, quem capiunt ex textu Mathaei, ut propter hoc, quia aliquod peccatum est, quod neque in hoc saeculo, neque in futuro remittitur, necessario sequatur, ut aliqua peccata in futuro remittantur. Ex quo beatus Marcus de eodem loquens, de quo Mathaeus simpliciter dicit, quod non habebit remissionem in aeternum, nec talia argumenta a contrario semper in tantum sunt valida, quod instantia non inveniatur, ut unum de aliquo negantes semper debea-

mus eidem contrarium affirmare; quia ubi determinatio posita in jure refertur ad factum, non valet argumentum a sensu contrario, ut patet expresse extrav. de magis prohibeas super isto: Gratis accepistis, gratis date; non enim valet a contrario: Non gratis accepistis, ergo non gratis date. Et de usuris quarto, ubi prohibetur Judaeis, ne immoderatas usuras exigant a Christianis; non autem conceditur a contrario, quod moderatas exigere possent, imo nec minimas ut ibi per doctores; probatio ergo purgatorii per talem argumentationem a contrario non est formalis nec sufficiens; nec adhuc magistri, dato quod aliqua poena in futuro pro aliquo remittitur peccato, suum per hoc possunt stabilire purgatorium; quia si animae aliquae corpore exutae in futuro post hanc vitam purgabuntur, hoc potest concedi ad sensum superius expressum apostoli 1. Corinth. 3. et Petri 2. Pet. 3. et testimonio doctorum sententiantium, quod illa poena diluetur in die judicii igne emundatorio, qui revelabitur in illo; et per consequens dictum hoc Gregorio magistrorum propositum non confirmat; nec praedictum Christi verbum eorum sensui in aliquo servit. Allegant quarto magistri pro eodem suo purgatorio et illud Christi dictum Math. 5: esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum eo in via, ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas minutissimum quadrantem; quam scripturam dicunt debere intelligi de eorum purgatorio, cum per carcerem, inquiunt, non potest intelligi infernus, quia de illo nulla est redemtio, et ergo dicunt, quod per carcerem ibi debet intelligi purgatorium, de quo post satisfactionem fit egressus. Sed ibi magistri decipiunt simplices in revocatione hujus termini, donec, cum aliquando donec excludat tempus praecedens tantum, aliquando sequens et aliquando utrinque ut hic, secundum quod communiter doctores distinguunt. Magistri ergo his dictionibus: donec reddas, simplices decipiunt asserentes, quod ille, qui in illum mitteretur carcerem, de quo ibi Christus facit mentionem, de illo aliquando post redditionem exiret, cum secundum Nicolaum de Lyra et alios communiter expositores per carcerem hic intelligitur infernus damnatorum, et non purgatorium Magistrorum; et donec excludat tempus praecedens et sequens simul, et sumitur pro semper, ut sit sensus: Non exies inde, donec reddas, id est, nunquam exies; quia de inferno non est possibilis redemptio; sicut et in illo verbo

Psalmi, ubi dicitur de Christo: sede a dexteris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, non est intelligendum, quod, quando inimici Christi erunt positi sub pedibus tempore judicii extremi, quod desinat sedere in dexteris Patris, cum aeternaliter sedebit; sic est in proposito et hoc secundo ex hoc potest cognosci, quod hoc Christi verbum non coaptatur eorum purgatorio; quia cum secundum omnes concorditer expositures hujus dicti Christi, ubi dicit: esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum eo in via, per adversarium non debeamus intelligere mundum vel diabolum, sed legem Dei, quae contraria est nostris carnalibus desideriis, quae semper militant adversus animam; 1. Pet. 2. Si ergo haec dicta scriptura intelligeretur de purgatorio, tunc transgressores legis venirent illuc; cujus oppositum tenent adversarii dicentes, quod purgatorium eorum non ingrediuntur, nisi cum peccatis minimis venialibus per lignum, foenum et stipulam significatis et per consequens hoc Christi verbum eorum proposito non deservit. Quinto magistri allegant pro eodem suo purgatorio et illud dictum apostoli ad Philippens. 2. ubi dicit: ut in nomine Domini omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum. Ex quibus verbis magistri argumentantur dicentes: Planum siquidem est, quod quamvis daemones in inferno positi credant et contremiscant, ut dicitur Jacobi 2., non tamen genua in nomine Jesu humiliari possunt in veritate Christum colendo et adorando, cum si amorose in nomine Jesu genua flecterent, exaudirentur teste Salvatore, qui dicit: si quid petieris Patrem in nomine meo, dabit vobis; quae tamen genuflexio cultus Christi et adoratio non in damnatis diabolis in inferno positis sed magis in electis Dei in purgatorio repositis verificatur. Haec magistri. Sed non est ille sensus hujus scripturae. Ideo Origenes Homilia 2. super? penes illum, textum apostoli exponendo ita dicit: Confertur ergo populus hic, qui salvatur in ecclesia illis omnibus sive hominibus sive animalibus, quae salvata sunt in arca, verum quoniam non est unum omnium meritum, nec unus in fide profectus, idcirco et arca illa non unam omnibus praebet mansionem, sed bicamerata sunt inferiora et tricamerata superiora, et nidi distinguuntur in ea, ut ostendat, quia in ecclesia licet omnes intra unam fidem contineantur, atque uno baptismate diluantur, non tamen unus omnibus atque idem profectus est, sed unusquisque in suo ordine, hi quidem per rationabilem scientiam vivunt et idonei sunt non solum semetipsos

regere, sed et alios docere, quoniam valde pauci inveniuntur paucorum, qui cum ipso Noë salvantur et proxima ei propinquitate junguntur, figuram tenent, sicut et Dominus noster Jesus Christus verus Noë paucos habet proximos, paucos filios et propinquos, qui fidei ejus participes sunt et sapientiae capaces, et hi sunt, qui in summo gradu positi sunt, et in summitate arcae collocantur. Caeterum multitudo animalium irrationalium vel etiam bestiarum in inferioribus locis habetur, et eorum maxime, quorum feritatis saevitiam nec fidei dulcedo mollivit, superiores vero aliquantulo ab his sunt, qui licet minus rationis, plurimum tamen simplicitatis innocentiae custodiunt; et sic per singulos habitationum gradus ascendentibus pervenitur ad ipsum Noë, qui interpretatur requies vel justus, qui est Christus Jesus. Haec ille; ex cujus verbis potest patere sensus verborum apostoli, quid intelligat per genuflexionem infernorum, quia illos malos in ecclesia militante et infirmos, qui tamen per susceptionem fidei quamdiu in ecclesia sunt, subjiciantur nomini Dei Jesu, in nomine ejus genua flectentes; hinc est, quod magistri nec per illa apostoli verba suum possunt stabilire purgatorium. Sensus etiam illi allegorici vel mystici nihil probant, cum litteralis sensus secundum principia Augustini habet summam auctoritatem, alii autem sensus nisi de quanto fundantur in sensu primo et authentico, quia aliter quilibet posset moralisare vel trahere autoritatem scripturae ad sensum, quem habere vellet. Sexto magistri pro purgatorii sui existentia allegant illud Actuum 9. de Thabita per beatum Petrum suscitata; ex tali scriptura taliter arguentes: Thabita post suam mortem fuit in aliquo loco; sed non est ipsam dicendum esse in paradiso aut in inferno, cum de inferno nulla sit redemptio, et de paradiso etiam in miserias non rediret, relinquitur ergo, ajunt magistri, quod non alibi sit nisi in eorum purgatorio. Sed potest ad hoc responderi, quod non est fides catholica, hoc quod magistri ex illa sic arguunt scriptura; sed est sensus et opinio magistrorum, qui sciunt trahere apparenter ex scripturis et more logico de vero falsum et de falso verum coram simplicibus facere persvadendo, ut si anima Thabitae post mortem nec sit in inferno, nec in paradiso, quod ergo necessario ex hoc sequatur ipsam fuisse in purgatorio; sed hoc sequi posset, si doceretur vere ex scriptura, quod nullus alius locus esset animarum post mortem praeter coelum et infernum nisi purgatorium magistrorum, sed quondam antiqui Christiani loquentes de animabus post earum de

corpore exitum nec dicebant eas statim intrare coelum, nec etiam purgatorium, sed dicebant eas esse in quibusdam abditis locis et laetis regionibus cum Christo resurrectionem corporum expectantes, ut patet superius in causa nostra Capitulo 3. hujus materiae ex auctoritatibus sanctorum Augustini, Origenis, Chrysostomi et Petri apostoli. Ideo non stat fundamentum purgatorii magistrorum in phantasia eorum, quam trahunt a Thabita, quod ex isto potest ostendi, quia si secundum adversarios, qui aedificant super fundamentum, quod est Christus, aurum, argentum et lapides praetiosos id est plena opera bona, non intrant purgatorium, sed solum illi, qui super eodem fundamento aedificant foenum et stipulam, id est minima peccata, tunc hoc non potest verificari de Thabita, de qua ibidem legitur, quod erat plena bonis operibus et elemosynis, quas faciebat, et per consequens non est credendum, animam Thabitae post mortem fuisse in purgatorio magistrorum.

8. Oratio, quam magistri docent debere fieri pro defunctis, caret fundamento scripturae etc.

Adhuc magistri existentiam sui purgatorii somniati conantur fundare in orationibus pro animabus fiendis defunctorum, docentes illas orationes a viantibus ex triplici specialiter testimonio debere fieri pro animabus eorundem. Primo ex illo secundi Machabaeorum 12. de Juda Machabaeo, qui facta collatione XII. millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum, concludens, quod sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. Secundo ex illo Clementis, qui in epistola ad Jacobum fratrem Domini inter caetera de beato Petro scribit, quod ipsi diligenter praecepisset pro mortuis orare et elemosynas dare. Et tertio ex illo Dionysii in de ecclesiastica hierarchia capitulo 7. dicentis: quod hierarcha orationem faciebat sanctam super eum, qui dormivit deprecans thearchicam bonitatem, ut dimittat ei, qui dormivit, omnia, quae per humanam infirmitatem peccavit. Ex quibus magistri istud eliciunt, quod, ex quo Judas Machabaeus et isti discipuli apostolorum loquuntur de orationibus fiendis pro defunctis, si purgatorium post hanc vitam non esset, illae orationes nihil animabus prodessent, quia in coelo sancti orationibus viantium et quolibet alio non egent juvamine; in inferno vero positi nulla redemptione jam potiuntur. Sed qui fideliter et diligenter vult ista advertere,

cognoscet, quod ex dictis testimoniis magistri non possunt stabilire suum purgatorium somniatum; ex illo enim secundi Machabaeorum 12. de Juda non probatur, quod nunc pro tempore legis gratiae orationes necessario debeant fieri a viantibus pro animabus defunctorum; nam Judas eo tempore illud fecit, donec animae sanctorum patrum ante Christi incarnationem in tenebris tenebantur, et donec Deus Pater non dedit suum unigenitum Filium in foedus populi et in lucem gentium, ut educeret de conclusione vinctos, quod non debet nunc in consequentiam trahi tempore legis gratiae post destructionem per Christum loci illius, qui tempore Machabaeorum adhuc animas capiebat, et per consequens hoc dictum Judae Machabaei non servit proposito magistrorum, nec sufficiens probatio quoad fidem est de libro Machabaeorum, cum secundum Bartholomeum Brixiens. super decimo sexta distinctione: Canones, libri Machabaeorum apocryphi dicuntur, nec habentur in canone Hebraeorum, in quibus quamvis inveniantur utilia, non tamen obligamur omnia in eis contenta acceptare. De secundo tunc adversariorum testimonio Clementis de Petro, quem dicit diligenter praecipere pro mortuis exorare et elemosynas dare; si hoc fecit Petrus apostolus, certitudine de hoc expressa in ejus scriptis canonicis caremus, cum attendentes ejus scripta canonica non videmus, quod docuisset fideles sic debere esse sollicitos pro spiritibus mortuorum, sed istud certum est, quod ipse homines viantes ad vitae perfectionem inducebat, ut patet 2. Pet. 1. quando sic scribit: Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis; haec enim facientes non peccabitis aliquando; sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in aeternum regnum Domini nostri Jesu Christi et Salvatoris. Et 2. Pet. 3. praemittens terribile judicium Dei subdit: propter quod charissimi hoc expectantes satagite immaculati et immolati inveniri in pace. Ex quo ergo in canonicis scriptis beati Petri illa doctrina non invenitur, ut ipse viam salutis ostendat mortuis in merito viantium, cum tunc non videtur impleri verbum apostoli ad Gallatas 6. dicentis: Opus autem suum probet unusquisque et sic in semet ipso tantum gloriam habebit et non in altero. Nec illud verbum, angeli, videretur, quod dixit Joanni Evangelistae Apocalypsis 14. Beati mortui, qui in Domino; a modo jam dixit spiritus, ut requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos. Cum sic secundum magistrorum intellectum nunquam vivi haberent spem salutis ex operibus propriis, nec

opera illorum sequerentur illos; sed praedecessores eorum mortui haberent spem ex operibus superstitum, et ipsi morientes iterum expectarent opera filiorum et sic consequenter. Cum ergo hoc non est expressum in scriptis beati Petri, quod ipse diligenter praecipiat orare pro mortuis et pro illis elemosynas dare, non est hoc certitudinaliter asserendum, quia sicut nullum dictum tale beati Petri, cum quo Deus ipsum misit, est objiciendum, sic nec quodlibet dictum sub nomine ejus inductum in Evangelio non expressum nec in ejus dictis canonicis inventum pro vero est suscipiendum propter librorum per malos corruptionem. Unde sciens apostolus, quod Pseudo sub nomine apostolorum quibusdam veris per eos dictis sua falsa inserebat, hortabatur Thessalonicenses, ne cito moveantur a vero sensu per epistolam tanquam per apostolos missam, dans per hoc intelligere, quod nec nunc nos debemus leviter suscipere omnia scripta, quae sub nomine alicujus offerentur apostoli, et specialiter si non fuerimus bene certificati, quod ille apostolus hic existens talia docuisset, et si tunc ob causam hanc necessarium erat omnia probare, quanto magis nunc, quando jam homines perversi ad voluntatem scripturas tractans, quaerentes per illa sua opinata infundabilia stabilire, non est eis leviter credendum, nisi certitudo eorum ex fide sit ostensa. Sic et hoc dictum Clementis de beato Petro, ex quo in ejus canonicis scriptis non invenitur, quod ipse doceat orare pro mortuis, est bene trutinandum et per consequens hoc dictum Clementis de Petro non necessitat nos ad credendum existentiam purgatorii magistrorum. Jam restat pensare verba Dionysii de oratione, quam hierarcha faciebat super eum, qui dormivit deprecans thearchicam bonitatem, ut dimittat ei, qui dormit, omnia, quae per humanam infirmitatem peccavit, si ex illis possit argui existentia purgatorii magistrorum post hanc vitam, et qui vult bene notare illud totum capitulum Dionysii a principio usqoe ad finem, videbit, quod ex illo dicto Dionysii de oratione Jerarchae super eum, qui dormivit, non sequitur propositum magistrorum; notum est enim fideliter pensantibus verba Dionysii praedicta, quod ipse non fundat orationem, quae fiebat super mortuo super hoc, quod ipsi per hanc orationem illum dormientem de aliqua poena liberarent, aut animabus talium praesupponerent aliquas poenas corporales sensibiles praeparari, nec verba Dionysii praedicta confirmant perpetuas orationes fiendas pro mortuis, cum tunc solum semel super mortuo ibi jacente fiebat oratio. Oratio etiam hierarchae

non fiebat communiter pro omnibus mortuis, sed tantum pro his, qui pie vixerunt; et per consequens dictum Dionysii nihil facit ad propositum magistrorum, cum ibi Dionysius describat sanctorum virorum canonisationem, sicut finis orationis hierarchae demonstrat; ad hoc enim fiebat ejus oratio, ut Deus eum, qui dormivit, constituat in lumine et regione viventium in sinibus Abrahae, Isaac et Jacobi in loco, in quo auffugit dolor et tristitia et gemitus; et qui familiares erant sancto dormienti et vita conformes ipsum beatificabant tanquam provenientem juxta proprium desiderium ad finem adducentem sibi victoriam et cum cantu gratias agebant de fine causa hujus victoriae optantes se ipsos venire ad similem finem. Novit, inquit Dionysius, episcopus, in scripturis promissa, postulat eadem dari his, qui sancte vixerunt sanctas retributiones, et sciens has promissiones futuras praesentibus manifestat, videlicet quod ea, quae petit secundum attestationes scripturarum, omnino fient his, qui in sancta conversatione consummati sunt. Haec ille. Quod autem Hierarcha precabatur thearchicam bonitatem, ut dimittet ei, qui dormivit, omnia, quae per humanam infirmitatem peccavit, non est intelligendum, quod animam talis dormientis Hierarcha supponat esse in aliqua poena corporali sensibili, de qua per illam suam orationem ipsam liberet; sed hoc sic est intelligendum, quod Hierarcha sciens, quia homines quantumcunque sint sancti, quamdiu sunt in hac vita ad liquidum puri esse non possunt, nisi tempus mortis advenerit, ubi statim in adversu futuri saeculi purgantur; ideo beatificans sanctum dormientem, cum his, qui familiares erant ei et vita conformes, tanquam pervenientem juxta proprium desiderium ad finem adducentem sibi in victoriam orat, ut ab immunditia, quam ab humana infirmitate contraxit, statim in adventu futuri saeculi mundentur; et quod ille sit intellectus verborum Dionysii, ipsemet, ubi supra insinuat, quando inter caetera sic scribit, dicit ergo episcopus ex eloquiis a Deo traditis, quod his, qui sancte vixerunt, clarissima et divina vita secundum dignitatem a justissimis legibus retribuitur divina clementia et benignitate supportante maculas per humanam infirmitatem contractas, quia nullus, ut dicit scriptura, mundus est a macula. Haec ille; ex cujus verbis lucide patet supra dicta sententia, et in signum illius tempore Dionysii illa oratio non fiebat nisi semel in morte defuncti; hinc et adhuc hodie ecclesia Graeca, quamvis, ut dicitur, hoc purgatorium magistrorum non teneat, tamen hunc morem, de quo Dionysius scribit,

sequens, semel in morte defuncti super mortuo orat, et pro tunc tempore Dionysii, quando oratio fiebat super sancto dormiente, ministri legentes in libris sacrae scripturae veraces promissiones de sancta nostra resurrectione nostra decantabant psalmos ad ipsam resurrectionem pertinentes, et hoc fiebat non propter dormientes, sed ad excitandum vivos ad bonum et ut Deus glorificetur, quoniam jam coronat discedentem, ut tangit Chrysostomus Homilia 4. capitulo 2., arguens modernum ritum plorandi mortuos; ex quibus patet, quod ritus modernus orandi pro mortuis et psallendi supra corpora mortuorum et memoriam pro eisdem faciendi, non habet sortem in actu horum, quae fiebant circa mortuos tempore ecclesiae primitivae. Istis de causis; primo: ubi tempore Dionysii memoriam mortuorum faciebant in laetitia in spe salutis aeternae Deum glorificantes et gratias sibi agentes, quoniam jam eum, qui vitam praesentem finivit, coronavit, supponentes eum beatitudinem secundum promissionem Dei adipisci, legebantque scripturas et psalmos decantabant ad resurrectionem pertinentes et consolationem viventium, et hoc ut fides eorum, quam de resurrectione habuerunt, gloriosior fiat. Ibi nunc modo contrario huic memoriam mortuorum faciunt in luctu et fletu supponentes animas dormientium esse in tormentis inferni, canunt supra ea, quae de damnandis intelligenda sunt, quando in offertorio defunctorum de manu inferni et de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscura. Ecce qualis fides magistrorum supponere animas morientium haerere in faucibus diaboli et inferni lacu profundo, et clamare illud Job, quod in miseria corporali existens dicebat amicis suis: Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me; ad hoc, ut de inferno, de quo nulla est redemtio, liberentur. Secundo, ubi tempore Dionysii mortuorum memoriam facientes mortuum beatificant optantes se ipsos venire ad similem finem, ibi nunc mortuum supponentes esse in tormentis, sibi ipsis ad similem finem venire cavent. Tertio, ubi tunc semel tantum in profectu corporis mortui memoriam defuncti faciebant ipsum pro sancto habentes, ibi modo memorias perpetuas pro mortuis intitulare solent animas faucibus diaboli haerentes et cuti pergameni nomina eorum inscribere, ut successive quamdiu pergamenum durat una multitudine monachorum vel curatorum decedente et aliis succedentibus pro eisdem semper orent et nunquam dicunt: satis est; nec in cordibus suis cogitant,

quare sic diu orantes non exaudiantur. Multum differens a fide est ista modernorum oratio; Christus enim dicit: cum stabitis ad orandum, credite, quia quod petitis, accipietis. Ex istis autem modernis nullus credit se exauditum aut exauditurum; ex quo unus moriens relinquit post se aliis nomina animarum et ipsarum tales memorias faciendi; cujus causa non videtur esse alia nisi avaritia sacerdotum, ut videntes tantam curam eorum, quam ostendunt ad eorum praedecessores superstites concitentur ad committendum eis in agone animas suas salvo pretio vel munere aliquali. Quarto, ubi tempore Dionysii fiebat tantum memoria defunctorum, qui sancte vixerunt et in bona ac laudabili conversatione vitam praesentem finiverunt, non autem pro his, qui immunde moriebantur, ut dicit Dionysius, ubi supra; quia per hoc, inquit, episcopus ordinem divinae recitationis pervertisset, quando haec his, qui immundi moriebantur, exercuisset, nec effectum injusta, orationis sortirentur audientes a scriptura divina: petetis, et non accipietis, et quod male petatis; ibi nunc memorias defunctorum faciunt indifferenter pro quibuscunque. Et quod damnabilius est secundum acceptionem pecuniarum illis maxime, qui habent offerre sceleratissimis divitibus, avaris, usurariis, et gratia quaestus temporalis pactatione et mercatione interveniente, ipsos in mendacio confidere facientes, occasione quorum avaritia sacerdotum crescit et simonia exercetur et populus in facultatibus et animabus decipitur. Ex quibus omnibus patet, quod modernus modus orandi pro mortuis non habet sortem in actu horum, quae fiebant circa mortuos tempore ecclesiae primitivae, et per consequens dictum Dionysii non servit quoad hoc propositio magistrorum. Et magistri allegantes pro se illos sanctos primitivos et de ritibus eorum facientes mentionem, non ideo hoc faciunt, quod imitari in hoc eos velint, sed ut ritum modernum supra Christum et illos primitivos sanctos infundabiliter quoad scripturam introductum per hoc confirmare aut palliare possunt.

9. Solutio casuum, quos magistri ponunt purgatorium fore arguentes.

Adhuc magistri pro existentia sui purgatorii somniati istum ponunt casum dicentes: Ponamus, quod sint duo homines, quorum unus vixerit bene omnibus diebus vitae suae et decedat, et alter male vivens omnibus diebus vitae suae, in fine poeniteat et etiam decedat, tunc quaeritur: utrum ambo ibunt ad coelum, et si hic, sequitur,

quod Deus non sit judex justus, cum non aeque meruerunt; si autem dices, quod alter damnatur, hoc non potest dici, quia in fine poenituit, ergo necessario, inquiunt, oportet poni locum medium, scilicet purgatorii, in quo alter purgatus tandem evolet ad superna. Per illum casum magistri in malum proficiunt his, qui a spiritu Jesu desolati, sedent in tenebris et ut intellectus eorum sit constrictus, ne possit effugere; cum et Deus de injustitia reprehenditur, si non secundum eorum fecerit contritionem. Sed ista probatio magistrorum in Israel ex triplici scriptura convinci potest et refutari; primo per illud Math. 20. ubi dicitur, quod omnes missi in vineam patrisfamilias sive mane hora 3., 6., 9. vel 11. acceperunt singulos denarios. Secundo per illud Romanorum 9. ubi dicitur: quod, cum nondum fuissent nati filii Rebeccae aut aliquid boni aut mali egissent, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, et Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Tertio per illud Lucae 15. de filio prodigo, qui dissipans substantiam suam in se reversus dixit: surgam et ibo ad patrem meum, et dicam sibi: pater peccavi, et surgens venit ad patrem suum et susceptus est ab eo favorabiliter. Ex primo dicto scripturae, ubi paterfamilias pares fecit novissimos primis in mercede, patere potest, quid dicendum sit ad casum magistrorum, quod videlicet ambo vadunt in coelum, licet non habeant aequalem gloriam, et per consequens Christus destruet eorum argumentum, quando faciet procuratori suo mercedem reddere, incipiens a novissimis usque ad primos et tantum dando novissimis, qui modicum laboraverunt, quantum primis; et quare faciet hoc, nisi quia sibi licet facere, quod vult, cum sit summe bonus et dives in omnes non deficiens in aliquo, et si alicui dederit multum, non laborem attendans, sed hoc quod ipsum concernit ex sua bonitate multum retribuere pro modico; si quis autem sapientior eo esse voluerit, contendat suum et nihil obtinebit. Ex secunda etiam scriptura, ubi Deus dicit: Jacob dilexi, Esau autem adio habui, non convincitur Deum fore injustum, si unum ex illis non consequitur gratia, quia potest sequi unum gratia et alterum. Non sequitur hoc, quod Deus ex hoc sit injustus, cum liceat sibi facere, quid vult, et per consequens faciens secundum gratiam illi bene, qui modicum laborat, non est ex hoc injustus, cum liceat sibi facere, quid vult, et per consequens faciens secundum gratiam illi bene, qui modicum laborat, non est ex hoc injustus. Ex illa etiam scriptura de

filio prodigo non habetur, quod pater revertentem filium puniat vel ab eo se elonget, sed cum adhuc longe esset videns eum, misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus et osculatus est eum et multam aliam affabilitatem ei ostendit. Nunquid ergo juste senior frater, qui nunquam mandatum patris praeterivit, indignabitur patri reconcilianti sibi filium, qui petierat, non ex merito ipsius sed ex sua immensa misericordia. Et hoc idem confirmari potest per latronem sero flebilem, qui ad mortem male vivens modica et brevi poenitentia praemia cum Christo, non purgatorium somniatum sed paradisum intravit. Et per consequens nihil pro existentia purgatorii magistrorum facit casus ipsorum antedictus.

10. Exemplum invalidum magistrorum pro purgatione ipsarum animarum.

Ultimo magistri pro stabilitione sui purgatorii adducunt exemplum de rege habente sponsum sedentem in sordibus, qui non praemitteret eam in sui conspectum adduci, nisi lavetur prius et mundificetur; ex hoc volentes trahere, quod sic fiat de anima qualibet fideli, quae existens sponsa Christi est in carcere carnis pleno abominatione, a qua, quamdiu est in hac vita, ad plenum mundificari non potest, nisi exuat carnem, et carne exuta non venit in conspectu Domini, nisi in purgatorio expietur. Sed ista deductio magistrorum quamvis simplicibus videtur valde prudens, inperceptibiliter tamen inculcat multa mala et malam conculcat(?) partem fidei, quia ex isto dicto magistrorum omnes modi purgandi ex fide alii ab illo, qui fit in purgatorio, ut fingitur, quibus viantes in vita praesenti vere et perfecte a suis purgantur peccatis et reponentur in spe et in quadam expectatione illius eorum futurae purgationis somniatae, in qua etiam pessimi homines suppodiantur, nec advertunt, si audiunt de illa purgatione, in illa, qualitercunque male vixerint, spem ponentes. Ideo ad reprimendum hoc dictum magistrorum diligenter notandi sunt modi purgandi ex fide scripturae, quibus mediantibus animae fidelium in praesenti purgantur, ut corporibus exutis statim digne possint in conspectu Domini apparere, quorum licet aliqui tacti sunt in secunda suppositione hujus materiae capitulo primo causae nostrae superius descriptae, tamen hic aliquos adducemus. Petrus enim dicit Actuum 15. nihil discrevit inter nos et illos fide purificans corda; ibi Petrus innuit, fidem esse sufficientem ad purgandum malos sine omnibus extrin-

secis additamentis, ut praeostensum est in latrone dextero, qui credens et peccatum suum recognoscens statim dignus fuit paradiso. Alius modus purgandi sponsae Christi per poenitentiam tangitur Isaiae 1. ubi Dominus dicit: lavamini et mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse et discite bene facere. Et sequitur: Si fuerint peccata nostra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Ubi Dominus se obligat vere poenitentibus, quod etsi enormia peccata habuerint, dealbabuntur velut nix. Et apostolus testatur Ephes. 5., qualiter Christus per semetipsum sponsam suam mundat in praesenti, quando dicit: Christus dilexit ecclesiam et tradidit semet ipsum pro ea, ut sanctificaret eam, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujus modi, sed ut sit sancta et immaculata. Ubi apostolus exprimit, quod Christus tantum dilexit ecclesiam, quod noluit ipsam aliquo alio lavacro mundificare nisi suo proprio sanguine et non sic sufficienter, ut remaneat aliquid immunditiae; sed sic gloriosam eam sibi exhibuit, ut non habeat maculam neque rugam, sed ut sit sancta et immaculata; et non solum testimonium hoc resonat in terris mundificatione sufficienti sponsae Christi in sanguine ejus; sed etiam testimonium eorum resonat de coelis, qui actualiter illam consecuti sunt munditiam, de quibus ut Apocalypsis 7. scribitur, sic est dictum: Hii sunt, qui venerunt de tribulationibus magnis et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine agni. *Quando haec fidelia testimonia in lucem venient, qui valebunt magistrorum fictiones, quibus fingunt, quod anima exuens carcerem abominabilem carnis non venit in conspectu Domini, nisi mundificata fuerit igne purgatorii somniati, cum per hoc, quod sanguini Christi debetur, attribuunt purgatorii igni. Ex quibus omnibus fideliter supra scripta advertenti patere potest, quod nullum fundamentum magistrorum, super quo nituntur fundare suum purgatorium, stare potest. Utinam igitur ad praemissa attenderent, et non ex ambiguis multum concertarent.

11. Responsio ad auctoritates doctorum, quos magistri pro existentia sui purgatorii somniati adducunt.

Ex dictis patet, qualiter respondendum est ad doctores, quos magistri pro existentia sui purgatorii adducunt; quod ibi scribunt pro

purgatione animarum super fundamentum, quod est Christus, lignum, foenum vel stipulam aedificantium, intelligunt esse statum vel locum medium inter beatitudinem et locum meriti, diem videlicet extremi judicii et ignem emundatorium ipsius, in quo revelabitur illa dies, vel diem praesentis vitae ac ignem praesentis probationis, in quibus animae talium suo tempore secundum Dei ordinationem in illo magno tempore ab initio scilicet mundi usque ejus consummationem inclusive finaliter ab omnibus suis inquinamentis purgabuntur, cum in beatitudinem non intrabit aliquid coinquinatum, ut dicitur Apocalypsis 21. et quoad hoc videtur doctor evangelicus sonare in tractatu de monte, ubi sic scribit: Quod sicut philosophi loquentes de periodis rerum corruptibilium et terminabilium dicunt, quod sicut quaelibet talis res habet suam aetatem, periodum sive diem, sic oportet, quod iste totus mundus ex causa multiplici habeat magnum annum. Et statim subjungit, quod super isto videtur Apostolum 1. Corinth. 3. capere suum modum loquendi de ligno, foeno et stipula. Haec ille. Ex cujus doctoris verbis quilibet potest libere et catholice intelligere, quod iste doctor, ubi et in quibus locis loquitur de purgatorio fundans ipsum in dictis verbis Apostoli 1. Corinth 3. videtur, quod loquatur de purgatione animarum, qua in hoc praedicto magno anno ab initio scilicet mundi usque ad consummationem ejus secundum Dei ordinationem ab omnibus suis inquinamentis finaliter purgabuntur, et eodem modo possunt intelligi omnes alii doctores, quos magistri pro suo adducunt purgatorio, quod loquuntur ad hunc sensum.

12. Responsio sacerdotum Thaboriensium ad tertiam culpam ipsis a magistris objectam.

Jam ad culpam tertiam restat accedere nobis sub tali forma propositam. *Sacerdotes* Thaboritarum sunt hominibus vivis multum nocivi prohibentes nobis miseris peccatoribus pro suffragio optare illam coelestem hierarchiam et beatam Virginem *Mariam.* Ad quam taliter respondemus: Quod in spe vivis hominibus non nocemus, quando ex auctoritatibus sacrae scripturae et sententiis sanctorum doctorum se veraciter in eadem fundantium in causa nostra superius descripta, ubi tractatur de invocatione sanctorum late descriptis docemus populum: ut cognoscentes unum solum certum, verum et sufficientem advocatum Christum Jesum pro omnibus, qui egent

gratia Dei, ex verbo Joannis apostoli, qui secundum Augustinum licet vir sit justus et magnus, cui Deus multa prae aliis revelavit, se in numero ponens peccatorum non se sed Christum pro se et aliis advocatum confitetur, ipsum solum inter homines simpliciter invocen sequentes in hoc ecclesiam primitivam, quae, ut dicit doctor evangelicus, orationem singulariter dirigebat ad illam personam mediam pro adjutorio spirituali, et qualiter tunc plus profuit ecclesia et crevit, quam facit modo multis intercessionibus adinventis. Nec in hoc vivis hominibus nocemus, quando svademus ipsis, ut bene viventes sanctos imitentur in hoc, in quo ipsi imitati sunt Dominum Jesum Christum, et quando ipsos praemunimus, ut spem non reponant in incertis et novis intercessionibus sanctorum, nec honorem, soli Deo debitum eis exhibeant; haec taliter ut dicitur, agentes, non pro nocumento sed pro magno juvamine vivorum fore reputamus. Ubi autem specialiter nobis imputatur, quod in hoc valde vivis hominibus noceamus prohibentes peccatoribus pro suffragio optare illam coelestem hierarchiam ac beatam Virginem Mariam; quantum ad hoc remittimus omnes ad nostram causam superius descriptam, in qua finalem nostram intentionem circa punctum illum reserantes dicimus, quod nos suffragia sanctorum in coelesti patria existentium non negamus, quibus pro capacitate suffragantur hominibus in ecclesia militante, et affectum bonum habent ad nos, in quantum nobis unum existentibus cum illis nos sine illis et ipsi sine nobis consummatam non consequuntur beatitudinem juxta dictum apostoli Hebr. 11. et ideo in coelo existentes quantum hoc bonum desiderant, tantum bonum nobis affectant. Et illa dictorum sanctorum suffragia dicimus ab hic viantibus merito a Deo postulanda ex verbo David, qui, ut canit ecclesia, orabat Deum dicens: participem me fac Deus omnium timentium te et custodientium mandata tua. Quod autem pro illis suffragiis sanctorum noviter adinventis non invocamus illam coelestem hierarchiam neque beatam Virginem Mariam modo, quo magistri Pragenses et alii populares ex eorum instructione communiter consveverunt ipsis jejunantes eos orantes et incensa et oblationes eis peragentes, hoc ideo facimus, quia, ut in causa nostra superius descripta tactum est, quod, cum invocatio sive oratio saltem proprie dicta ex communi sententia doctorum sit cultus soli Deo debitus, ideo non videntes expressam scripturam legis sub aeterna damnatione obligantem ad tenendum pro fidei articulo, quod sancti corpore exuti a fidelibus hic viantibus

pro suffragio et intercessione necessario taliter sint orandi aut invocandi, notantesque populum per hoc in magna superstitione et perfidia continua laborare, ut in causa superius nostra descripta capitulo 1. hujus materiae ostensum est, ea intentione eos non oramus nec invocamus, nec suffragia eorum ab eisdem secundum magistrorum sensum et doctrinam postulamus, ne cultum soli Deo debitum ipsis impendamus, quamvis sicut decet eos dicamus honorandos ac imitandos, quae omnia non in dedecus sunt sanctis nec hominibus vivis in nocumentum sed juvamen, quando cavemus, ne homines honorem soli Deo debitum sanctis impendant, unde ex eo, quod vas electionis sanctus Paulus in suis epistolis semper exhortatus est ad Jesum Christum crucifixum et ad ejus dilectionem, orationem et reverentiam nominando eum ad quingentas vices et ultra, et nomen Virginis gloriosae nunquam vel raro non per hoc inhonoravit, sive non ut debuit ipsam vel caeteros sanctos dilexit, cum dicat: certus sum, quod nemo separabit nos a charitate Christi. Cum ergo ipse Deus summe diligitur aut honoratur, in hoc omnes sancti ejus diliguntur et honorantur, ipse autem suam gloriam alteri non dat, imo si aliqua creatura ultra ipsum diligeretur, et prae ipso honoraretur, non esset hoc honorare, sed inhonorare et quasi Antichristum supra id quod Deus dicitur, extollere, sicut inveniuntur multi, qui ex infundabili magistrorum invocationis sanctorum magnificatione et ex eorum caeca devotione plus afficiuntur, sanctis in jejunando, orando, sacrificando, celebrando, genua flectendo et alia signa latriae ipsis exhibendo, quam ad Christum omnium creatorem. et hoc nos caventes illam noviter introductam invocationem sanctorum pro fidei articulo non audemus promovere, cum periculosissimum nobis videatur propter futura, quae conspicimus, his diebus totam ecclesiam Graecorum contemnere quoad istum punctum, quae ut dicitur ipsum minime tenet, svadentes hominibus, ut solum Deum adorent, illi soli serviant, quia scimus, quod haec voluntas honor est omnium sanctorum et reverentia, quia non ipsi, sed eorum Deus nobis est Deus, cum in scriptura sacra nullibi habemus de hoc faciendo exemplum explicite vel praeceptum, quod sanctos taliter debeamus invocare.

13. Nulla scriptura, quam magistri pro invocatione sanctorum consveverunt allegare, eorum servit proposito.

Jam restat ad cautelam simplicium tangere probationes magistrorum, quibus ex diversis scripturis conantur praefatam sanctorum

invocationem, quam pro fidei articulo astruunt, fundare ac probare; illae tamen, si vere et fideliter advertantur, non sunt pro illa sanctorum invocatione, nec ipsum datum est primarium significatum alicujus partis sacrae scripturae, quas ipsi pro fundatione dictae invocationis allegare consveverunt, et quia inter omnes scripturas, quas ipsi pro sanctorum invocatione adducunt, non sunt fortiores, quam istae, quae tangentur per ordinem, ideo restat nobis verum earum investigare sensum, quo investigato et ostenso, quod illae magistrorum non serviunt proposito, constabit fundamentum magistrorum esse ejectum et eversum. Prima scriptura, quam pro fundamento invocationis sanctorum magistri consveverunt adducere, est illud secundi Machabaeorum ultimo, ubi scribitur: Hic est, qui multum orat pro populo et pro universa sancta civitate Jeremias Propheta Dei. Sed haec scriptura non probat magistrorum propositum, nec hoc certum, cum hoc in somnis Judae ostensum fuit et per Oniam summum sacerdotem nuntiatum, et nescitur certitudinaliter, si ita in re factum sit, cum istud tacetur primo libro Machabaeorum capitulo 7., ubi describitur illud bellum secundum doctorem de Lyra. Et dato, quod oret Jeremias pro populo et sancta civitatē Jerusalem, de hoc non contendimus; nec hoc per nos impugnatur; non tamen ex hoc sequitur, quod debeat a viantibus ad sic orandum necessario invocari; et per consequens (pro) invocatione adducunt illud Job quinto, ubi sic scribitur: Voca ergo, si est, qui tibi respondeat et ad aliquem sanctorum convertere. Ex quo dicto istud eliciunt, quod homines viantes volentes Deum orare debent sanctos invocare, ut pro eis Deum orent. Sed qui vult vere et fideliter illa verba notare, a quo, qua ex causa, et ad quid dicta sunt, poterit intelligere, quod ex illis dicta invocatio sanctorum non probatur; notum enim est secundum quod dicit doctor Lyra; quod Elipbaz amicus Job credens, quod adversitates hujus mundi non eveniunt homini nisi in poenam peccati, et per consequens quod ipse Job pro peccato sit punitus, et quod illud recognoscere debeat et poenitere, verba praemissa dixit, ut invocet Deum, si est, quasi diceret, non est, qui respondeat ex audiendo, innuens, quod Deus non respondebit, quia eum in tranquillitate contempsit, et quod ad aliquem sanctorum convertatur scrutando, si aliquis unquam existens innocens puniretur. Pensando ergo sensum et intentionem dicentis quilibet cognoscere poterit, quod hoc dictum amici Job nihil facit pro materia invocationis sanctorum magistrorum. Et dato quamvis non concesso, quod ille Eliphaz haere-

ticus per hoc dictum suum intelligat, quod sancti illius coelestis hierarchiae debeant invocari, non tantum hoc dictum suum carens vero scripturae fundamento nobis fidem de invocatione sanctorum facere debet, sicut nec hoc, quod haeretice sensit de punitione Dei erga homines, et per consequens ex illa scriptura fundamentum infirmum et fragile capitur ab auctoritate haeretici invocationis sanctorum antedicta. Similiter dici potest et ad illud Job 11., ubi Sophar disceptans cum Job ad ipsum dixit: et deprecabuntur faciem tuam plurimi, quod magistri tertio pro invocatione sanctorum allegare solent; sed hoc iterum dictum non servit eorum proposito; quia doctor de Lyra hoc sic exponit: deprecabuntur faciem tuam plurimi, id est: desiderabunt faciem tuam et reverentiam facient tumulo tuo, commemorantes beneficia. Gregorius autem in Moralibus libro 10. exponit hunc textum de hypocritis ambitiosis, qui omnia faciunt, ut commendentur ab hominibus, et pro hominibus intercessores esse videantur, quod justi non quaerunt, nec affectant; ita enim scribit: sed inter hoc sciendum, quod pravi, cum recta praedicant, valde dificile est, ut ad hoc, quod taciti ambiunt, non erumpant; unde Sophar protinus adjungit: Et deprecabuntur faciem tuam plurimi; neque enim justi viri idcircò innocentiae suae itinera arcta custodiunt, ut ab aliis exorentur, sed sive haeretici sive perversi quilibet, et per hoc, quod inter homines quasi innocenter vivunt, videri pro hominibus intercessores esse volunt, et cum sancta loquentes insinuant, quod ipsi appetunt, hoc aliis pro magno pollicentur, dumque coelestia praedicant, in suis repente sponsionibus ostendunt, quod amant. Haec ille. Ex quorum dictorum sententiis luculenter patet, quod hoc dictum amici Job non est pro invocatione sanctorum magistrorum antedicta. Sic responderi potest et ad illud Danielis 3., ubi Azarias in sua dicebat oratione: Ne quaesumus tradas nos in perpetuum propter nomen tuum et ne dissipes testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israhel sanctum tuum; quod magistri pro sua invocatione sanctorum etiam allegare consveverunt; quod hoc dictum Azariae non est pro invocatione sanctorum astruenda; notum enim est, quod ibi Azarias, quia sciebat hanc promissionem divinam veracem in suis promissionibus, ideo in sua oratione praedicta sic se continuans dicit, ne decipias populum tuum, scilicet de quo promisisti Christum tuum nasci, et hoc (propter) Abraham; ubi doctor de Lyra

dicit, quod ibi Azarias implorat Dei clementiam allegans promissionem factam sanctis patribus, et ideo subdit in textu: Quibus locutus es polliciens, quod multiplicares semen eorum sicut stellas coeli et sicut arenam, quae est in littore maris; et per consequens iterum illa scriptura non servit eorum proposito. Adhuc magistri pro invocatione sanctorum adducunt illud Oseae 12. ubi sic dicitur: In utero supplantavit fratrem suum, et in fortitudine sua directus est cum angelo et invaluit ad angelum, et confortatus est; flevit et rogavit eum. Ex qua scriptura dicere volunt, quod Jacob in lucta, quam habuit cum angelo, flevisset et rogasset angelum, ubi tamen quilibet potest videre et cognoscere, coassumpta historia de lucta Jacob cum angelo, quae ponitur 32. Geneseos, et ipsa diligenter pensata et notato dicto Lyrae super praedicto textu Oseae 12., qui refert Hebraeos dicere et tenere, quod angelus rogasset Jacob, et non e contra. Et dato, quod Jacob rogasset angelum, tunc non rogavit eum, in quantum angelus sed in quantum Deus, ut patet ex textu Genesis 32. ubi dicitur: Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praevalebis. Et in signum illius eundem textum de lucta Jacob cum angelo Beda exponens retorquet ad angelum Christum, quando sic scribit: Quid autem in hoc loco significat Jacob, nisi Judaeorum populum, qui ab eo originem ducit; quid vero angelus nisi Christum designat, de quo scriptum est: et statim veniet ad templum sanctum tuum dominator Dominus, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis. Et continuando per longum passum dictam historiam de Christo exponit. Ex quibus patet, quod nec illa scriptura fundat invocationem sanctorum. Adhuc magistri pro invocatione Sanctorum adducunt illud Job 33. ubi sic scribitur: Si fuerit pro eo angelus loquens unus de similibus, ut annuntiet hominis aequitatem, miserebitur ejus, et dicet: libera eum, ut non descendat in corruptionem, inveni, in quo ei propitier. Ex qua scriptura arguunt magistri, quod angeli sint medii inter Deum et homines, hominis desiderium Deo proponentes; et per consequens sunt pro illo suffragio invocandi etsi angeli, et quare non alii sancti in patria existentes. Sed istud caret fundamento scripturae; ideo verius et fundabilius beatus Gregorius in Moralibus Libro 24. exponens hunc textum limitat hoc ad Christum mediatorem Dei et hominum, quid est advocatus noster apud Patrem, et interpellat pro nobis, sic scribens: Quis enim est ille angelus nisi ille, cui per prophetam

dicitur: magni consilii angelus; quia enim graeca linqua evangelizare denuntiare dicitur, semetipsum pro nobis annuntians Dominus angelus vocatur. Et exponens praedictum textum usque ad finem ad eum limitat, ut patet intuenti. Et dato, quod angeli alii a Christo justitiam et desiderium hominis Deo proponant non quasi nescienti sed velut homines adjuvantes et sicut ut sic sint allegatores justitiae in facie hominis apud Deum, sicut sint executores misericordiae divinae apud homines, non tamen adhuc ex hoc necessario concluditur, quod sint propter hoc ab hominibus pro illo beneficio invocandi; et per consequens illa scriptura invocationes Sanctorum non probat. Adhuc magistri gloriantur cum illo Actuum 27. apostoli dicto: Astitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cujus sum ego et cui deservio. Ex qua scriptura innuere volunt, quod apostolus dicat se angelo Dei deservire, cum tamen hoc ibi relatum, cui non referat angelum sed Deum secundum doctorem de Lyra, qui praedictum textum exponens dicit: Astitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cujus sum ego, scilicet apostolus, et cui deservio in evangelio. Ecce iste doctor hic ad Deum et non ad angelum facit relationem. Vereri ergo deberent corruptores scripturarum, et ex quo non verecundantur hoc in locis plurimis jam tactis praeter scripturam facere, idem timendum est, quod faciunt in allegatione aliarum scripturarum; quarum si expositores ubilibet viderentur, appareret, quod non per illas suum probant propositum. Simplices autem sacerdotes et alii audientes nude verba scripturae allegare et sensum ignorantes nec omnes expositores super his videre valentes credunt eis, et *laici* specialiter in sic sinistre allegatis scripturis *decipiuntur.*

14. Fundamenta invalida magistrorum.

Ex illis jam dictis potest quilibet supradicta pensans cognoscere, quod nullum fundamentum magistrorum, super quo nituntur fundare invocationes sanctorum, stare potest; cum scripturae, in quibus illa fundare nituntur, si fideliter advertantur, non sunt pro illis, ut patuit ex praemissis; et quamvis in aliquibus scripturis per magistros productis invocationibus adductis innuatur, quod multi sancti Patres velut Abraham, Genesis 18. Loth, Genesis 19. Manue, judicium 13. Tobias, capitulo 10. et sic de aliis multis alloquebantur angelos in forma humana eos visitantes homines ipsos fore aestimantes, ut testatur communiter doctor de Lyra praedicta loca scrip-

turae exponens; et illud a nobis non negatur, sed conceditur, quod et hodie quilibet nostrum facere posset, si et dum in tali casu alicui angelus appareret vel eidem destinaretur. Ex hoc tamen non videtur concludendum, quod sancti corpore exuti a nobis viantibus modo, quo pro fide a magistris astruitur, debeant necessario invocari. Unde cum angeli sint spiritus administratorii; nunc propter electos Dei in ministerium missi, propter hoc in tali ministerio humilitatem observant, non quaerentes ab hominibus venerationem aut cultum, sed hominibus exhibent ministerium; Deo autem reverentiam et cultum sibi debitum et per consequens ad Deum observantes reverentiam nolunt ab hominibus rogari aut cultum ab eis suscipere, scientes, quia illa soli debetur Deo, sicut manifeste ostenditur Apocalypsis ultimo, quando Joannes apostolus videns et audiens visiones, cum recidisset, ut adoret ante pedes angeli, qui sibi hoc ostendebat, dictum est sibi: vide, ne feceris; conservus enim tuus sum et fratrum prophetarum tuorum, et eorum, qui servant verba prophetiae libri hujus; Deum adora. Ubi ostenditur, per quid beatus angelus a se orationem abjicit, quia per hoc quod se horum ministrum fore recognoscit, quibus legationem peragebat, et per hoc humilitatem suam ostendit et cultum Domino Deo exhibere praecepit. Simile habetur de angelo Tobiae 12.: ex quo patet, quod homines sancti non oraverunt, nec adoraverunt angelos in quantum angelos, imo angeli si voluisset eos aliquis adorare et praesertim post Christi incarnationem, ipsi ex sua humilitate et reverentia, quam ad Deum habent, non admiserunt, ne honore Deum sibi debito spoliarent. Contra hoc quidem gentiles philosophi peccaverunt, qui volentes investigare summum bonum, a quo caetera cuncta reguntur, et considerantes, quod illud non sit aliquod corpus, nec illud potest esse principium omnium, quod est immutabile, spiritus angelicos attenderunt; et videntes, quia omnia quasi eorum dispositione aguntur, dati in sensum reprobum eos deos vocitabant, et honorem divinum eis exhibebant. Et de numero illorum quosdam dixerunt esse, qui bona inducerent, et alios qui mala, et ideo illis utrisque serviebant, illis bona ab eis exoptantes, et istis, ne mala in eos venire permittant. Et licet in scholis disputabant quod unus sit Deus, in templis tamen eorum multos colebant Deos angelis illum honorem eis indebitum exhibentes. Quod videns apostolus Colossens. 2.: omnes ab illo praemunivit errore dicens: Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione angelorum, quae non vidit

ambulans frustra inflatus sensu carnis suae, et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et junctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei. Super quo Remigius ita scribit: Nemo vos seducat in religione angelorum, id est: cultura angelorum. Erant philosophi gentium et quidam Judaeorum, qui dicebant: sicut sunt quatuor elementa ita sunt et quatuor angeli, qui praesunt illis. Hi ergo dicebant ad illos, qui crediderant, volentes apparere religiosi, quia ex quatuor elementis constatis, debetis angelis illis, qui praesunt elementis, culturam aliquam et sacrificia offerre. Sed quia nihil erat, quod dicebant, subjunxit apostolus, quae non videt scilicet docens. Haec ille; ex cujus verbis manifeste ostenditur, quod illi errant, qui angelos colunt vel orant. Hinc 24. quaest. ubi scilicet de sectis haereticorum tractatur in numero alio et angelici enumerantur erronei, qui angelos colunt, ubi magistri timere debent, ne participes talium fiant, quando docent angelos pro intercessione orare, et communiter alios sanctos ea bona, quae homines a solo Deo quaerere debent, eis denuntiantes in angelis et caeteris sanctis. Quamvis ergo angeli sint administratorii spiritus et nobis multum utiles, cum eorum dispositione multa fiant, non tamen propter hoc sunt a nobis adorandi, sed Deus, cujus dispositione et hoc bonum, quod per angelos fit, ad utilitatem electorum ordinatur, quemadmodum per similitudinem quandam videmus in molendino fieri; ita quod quamvis ad faciendam farinam concurrant molae, rotae et aqua, tamen is, qui vult habere farinam, petit non molam, rotam vel aquam, sed ipsum molendinatorem, cujus ordinatione omnia illa fiunt, et dicitur principalius farinam disponere, quam illa concurrentia praedicta instrumenta. Sic in proposito secundum quandem similitudinem ac proportionem dici potest.

15. Magistri attribuunt sanctis corporibus exutis ea, quae ipsis minime conveniunt.

Adhuc magistri volentes invocationes sanctorum fiendas stabilire, tales solent simplicibus facere svasiones: Si sancti fuerunt potentes, sagaces atque benevoli in terris ad orandum pro fratribus suis miseris, quando adhuc soli de se erant sollicití et impedimentum a carne propria habuerunt, quanto magis corpore exuti, ubi majores sunt domini suae voluntatis, carnis impedimentis privati, omniscientes ad indigentiam nostri status, cum videant in vero tan-

quam in speculo omnes indigentias nostras, et compatiantur nobis et pro nobis intercedant, et omnivolentes excremento purissimae charitatis, cum illa patria charitatem viae non minuit, sed augmentati, charitas enim nunquam excidit, nec beati, quia impassibiles, ideo incompassibiles, quin potius viscera misericordiae intensius pro nobis induunt, cum ante fontem misericordiae nunc assistunt, et eo potissime, quo norunt Deum pro nobis disponere, quod ante complementum nostrae viationis nec beatorum numerus nec eorum beatitudo erit finaliter consummata; per quod magistri ostendere volunt sufficientiam sanctorum, ut unusquisque securius et liberius se ad eos convertat, audiens, quia respiciant indigentias nostras, habent compassionem ad nos et de bono nostro sollicitantur, ubi jam non habentes impedimenta a carne, qualia hic existentes habuerunt, possunt in quiete melius pro nobis erga Deum agere et dicere, quemadmodum monachi laboriosis hominibus dicere solent: vos propter occupationes vestras Deo libere servire non potestis, nos autem pacati die noctuque pro vobis orare non cessamus. Ex quibus non aliud possunt cogitare simplices, nisi securi esse de salute et diligenter servire sanctis, ipsos orare, eis jejunare, incensa succendere, et in festivitatibus eorum in manus non securim, falcem vel aliud instrumentum operis servilis, sed picarium cum vino vel cerevisiam bene posse capere. Tales doctrinae sunt valde nocivae et allectivae hominum; nec diabolus habuit eis unquam similes pro parte sua, qui sic adulterare scirent sub spiritualium rerum spem et ita subtiliter populum abducere, et in erroribus perpetuare et assecurare. Ideo cum diligentia est advertendum et videndum, quod istae persvasiones et probationes Magistrorum sunt deceptoriae, et stare non possunt; notum enim est, quod ista probatio eorum est insufficiens: si sancti fuerunt potentes, sagaces et benevoli in terris ad orandum pro fratribus miseris, ergo multo magis corpore exuti, cum illa patria charitatem viae non minuat, sed augmentet; quia si sic credendum esset, tunc istud nos tenere oporteret, quod sancti in corpore existentes aliquod opus salutiferum ad perfectum perducere non possunt, nisi exuto corpore, ubi tunc primo profectum verum habere possunt, et majorem ad illud charitatem; et per consequens, quod meliores et utiliores sunt vivis sancti mortui, quam fuerunt in corpore viventes, et juxta hoc tenendum esset, quod, ex quo sancti habent ibi actus fructuosiores, tunc et meritoriores, et si sic, tunc non vere poterimus

tenere, quod ibi post hanc vitam sit status, locus et tempus mercedis pro labore fruitionis; nec illud dictum Sapientis bene stare posset, quo Ecclesiastis 9. dicitur: quodcunque potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas; ubi insinuatur, ut homo hic operetur, cum ibi opus non erit. Nec illud Apocalypsis Joan··is 14. verificaretur, quo dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis, quia opera illorum, id est: retributio pro operibus sequuntur illos; ubi requies post laborem denuntiatur. Illa omnia dicta inconvenientia ex eorum probatione sequerentur. Ideo magistri, ne sibi videantur sapientes in eorum probatione, recurrendum est ad judicium sanctorum, et videre, utrum ipsi sic sentiunt. Et si verba apostoli attendimus, bene poterimus in hoc intelligere veritatem, ipse enim bene hoc dijudicat, quando Philippens. 1. scribit: Mihi vivere Christus est, mori autem lucrum. Quodsi vivere in carne hic mihi fructus operis est, et quid eligam ignoro; coarctor autem e duobus desiderium habens disolvi et esse cum Christo; nam hoc multo melius est, permanere autem in carne necessarium est propter vos, hoc confidens scio, quia manebo, et permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum. In quibus verbis apostolus tangit duo; unum bonum enarrat, quod actum est secum in hac vita, et aliud quod consequi debuit in futura et ponderat, ubi magis sibi sit proficuus et ubi aliis, et concludens dicit, quod mori et esse cum Christo melius sit sibi, quantum concernit personam suam, id est evadere miserias et pericula et esse in gloria. Sed attendendo profectum aliorum tunc dicit, quod vivere in carne hic mihi fructus operis est, in quo mereatur, ut alios in fide aedificet et confirmet; propter quod subdit: permanere autem in carne est necessarium propter vos ad profectum vestrum, et gaudium fidei ibi manifestum est, quam partem Apostolus ad profectum vivorum eligit, quia manere cum eis in carne. Ex cujus sententia patet, quam infundabiliter magistri dulcorant hominibus stultis et de astutia Sathanae ignaris sanctos dicentes, quod utiliores sunt sancti hominibus vivis post mortem, et quod ibi efficacius quaerunt bonum eorum, quam hic existentes quaesierunt, cum apostolus determinet oppositum exprimens, quod sancti utiliores sunt vivis hic existentes quam ibi sunt. De hoc autem, quod objiciunt, quod illa patria charitatem viae non minuit sed augmentat, et ergo juxta majorem illam charitatem ibi

magis nobis possunt prodesse, quam hic profuerunt, hoc non suffragatur eis, habeant sancti multum aut parum charitatis, cum quantumcunque charitatis habeant, non habent tamen illam occasionem, mediante qua illam vivis possent ostendere charitatem, cum carent corporibus et locis, in quibus illam charitatem vivis impendere possunt docendo eos, praemuniendo in fide, aedificando et confirmando, et per consequens illa charitas, quae in eis ibi est major, quam hic existebat, mutata est in aliud, quam in illa opera corporalia fatigatione et sollicitudine plena, in illud videlicet bonum, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, quod praeparavit Deus diligentibus se, quae charitas tenet sanctos in illo adepto bono non admittens in habere alium laborem nisi delectabiliter in illo bono delectari, et inducere se in illud, in magis hoc esse bonum, quam se ipsos, haec illa major charitas ab eis habita, qnam hic habeatur, in eis operatur. Sicut ergo labor differt a mercede, ita quod in labore est fletus, in mercede vero gaudium, sic in homine differens est gratia promerens actualiter gloriam a gratia de plenitudine gloriae satiatae, ita ut secunda sit retributio primae; unde si snave et delectabile est vindemiare vinum, multo suavius atque delectabilius est ipsum tempore congruo libere, et per consequens, quamvis sancti ut in causa nostra superius descripta tactum est, et affectum bonum habeat ad nos de quanto ante complementum nostrae peregrinationis carent beatitudine finaliter consummata, non tamen videtur, quod ex officio bonum nobis affectent, ita quod sint a Deo ad hoc constituti, ut sint aptum inter Deum et homines et sufficiens medium ad hoc, quantum est ex parte Dei et hominum indigentium ut semper sint parati audire preces nostras, et eas suscipiant ab hominibus ad hunc finem, ut invocati pro eis intercedant; quamvis etiam ex fide in hac vita existentes orare debemus pro invicem, illa tamen eadem fides non videtur nobis esse relicta in his, qui jam de hac vita decesserunt, quod verbis beati Hieronymi affirmari potest, et ponuntur in Canone 13. quaestione 1. In praesenti saeculo scimus sive orationibus sive consiliis invicem posse nos adjuvare, cum autem ante tribunal Christi venerimus nec Job nec Daniel nec (?) non posse rogare pro quoquam sed unumquemque portare onus suum. Haec ille. Ubi Hieronymus tantum hic homines de juvamine mutuae orationis certificat, ibi non, nec tantum pietatem quoadhoc ibi demonstrat in aliis, et per consequens illa probatio magistrorum, qua probare nituntur invocationes sanctorum, per hoc quod dicunt si sancti fuerunt poten-

tes sagaces ac benevoli in terris ad orandum pro fratribus miseris, quanto magis corpore exuti, bene stare non potest; similiter potest dici, quod nec dictum illud magistrorum habet veritatem, quo dicunt sanctos corpore exutos esse omniscientes quoad indigentiam nostri status, et quod videant omnia in verbo tanquam in speculo, et omnes indigentias nostras cognoscant; notum enim est, quod sancti corpore exuti non omnia cognoscant; quamvis enim concedi debeat, quod sancti aliqua videant in verbo et cognoscant ea specialiter, quae plenitudinem eorum concernunt beatitudinis, sed quod omnia cognoscant et videant, quae in Deo vel extra Deum fiunt, hoc non videtur possibile, quia sic concedendum foret, quod tantum haberent de notitia sui et aliorum sicut Deus et sic cognoscerent quorumlibet damnationem vel salvationem et Dei occulta judicia, quae dicuntur abyssus multa, et cujuslibet rimarentur cor, quae solum concernunt Deum; verum sancti secundum mensuram eis concessam participant ipsius notitiae, ipse autem alios in notitia praecellit, et plus omnium de illa habet sicut fons indeficiens, a quo juxta mensuram dona ejus fluunt in alios. Aliud ergo est sanctos in coelis habere plenitudinem eorum propriam et aliud habere plenitudinem Dei, cum Dei plenitudo illorum plenitudinem incomparabiliter excellat, quam ipsi attingere possunt minime. Et istud potest ex scriptura multiplici confirmari. Primo ex illo Apocalypsis 5. ubi scribitur: Et vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus et foris, et signatum sigillis septem; et vidi angelum fortem praedicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus, et nemo poterat neque in coelo neque in terra neque sub terra aperire librum neque respicere illum, et ego flebam. Et sequitur: Et unus de seniotibus dixit mihi: ne fleveris; ecce vicit Leo de tribu Juda aperire librum et solvere septem signacula ejus. Ubi per librum clausum, quem vidit Joannes, mysteria clausa sibi revelata intelliguntur, quae occulta erant coram omnibus, qui sunt in coelo vel in terra, excepto eo, qui sedebat in throno, quem agnus dignus fuit aperire, et sancto Joanni revelare. Ex illa scriptura manifeste patet, quod nec sancti corpore exuti omnia cognoscunt, quousque non fuerint eis ex causis aliquibus revelata. Hoc idem confirmari potest ex verbis Dionysii, qui in fine sui libri de ecclesiastica hierarchia sententiat, quod multa absconsa sunt a supremis angelis, quae a sola divina patientia cognoscuntur. Et alibi scribit, quod chori angelorum differentes habent notitias et dona diffe-

rentia, et quomodo inferiores a superioribus suas capiunt illuminationes. Ex cujus verbis manifeste ostenditur, quod multa ibi latent supremos angelos, sed quod omnia nosse soli conceditur Deo. Nec hoc, ut videtur, potest bene sustineri, quando magistri adjiciunt, quod sancti noscant omnes indigentias nostras; notum enim est de Paulo, quod de se ipso dicit 2 Corinth. 12 : scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore sive extra corpus nescio Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium coelum. Ubi datur intelligi, quod sancti quandoque ad tantum sunt mente rapti, quod non solum ignorant, quid circa alios agatur, sed quid agatur apud ipsos met, et si Paulus tunc raptus nescivit, an fuit in corpore an extra corpus, nunquid si tunc pro aliquo ab alio deprecatus fuisset, dispositus fuisset ad audiendum ipsius deprecationem? Similiter Exodi 24. scribitur: cum descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, et ignorabat, quod cornuta esset facies ejus ex consortio sermonis domini. Per quod datur intelligi, quod consortium sermonis domini auffert quandoque advertentium aliorum, et per consequens non est hoc certum sicut magistri affirmant, quod sancti noscunt ibi omnes indigentias et miserias nostras, quia extrav. de rescripto cum adeo in Glossa C. de veteri jure enucleando. Quod autem dicitur omnium habere notitiam, potius est divinitatis quam humanitatis; unde pensantes dictas scripturas et aliam coassumentes ubi 3. Regnum 8. scribitur: si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in coelo in loco habitationis tuae, et repropitiaberis et facies, ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus, quia tu solus nosti cor omnium filiorum hominum, ut timeant te cunctis diebus, ex quibus vivunt super faciem terrae, quam dedisti patribus nostris. Ex illa scriptura bene poterimus cognoscere, quod sancti non sunt sufficientes tenere officium mediatoris aut intercessoris apud Deum pro peccatoribus, quos viantes debeant pro tali intercessione necessario advocare, quia ex quo Deus, ut ex immediata adducta scriptura habetur, non suscipit preces petentis, nisi cor ejus et utilitatem rei petitae cognoscat, cum attendat circa hoc vias hominis et cor, et si viderit cor alicujus pravum et vias ejus iniquas, non audit eum, quantascunque ad eum fundat orationes, differentes etiam homines et diversi sunt, quibus ex ocultis suis judiciis Deus vult et non vult benefacere; aliquibus enim non rogatus nec ab eis cognitus

benefacit et scit, ad quid serviat eis, et quare eis benefacit. Alios de terra longinqua venientes propter nomen suum manum robustam et brachium extentum audit, et facit cuncta, pro quibus invocant eum, ut sciant omnes populi nomen suum ut habetur 1. Paralipomenon 6. Alios audit, videns eorum futuram conversionem ut patet de Cornelio Actuum 10. Aliquando autem nec suos electos in arduis audit, ut patet de Apostolo, qui quamvis ter rogasset eum, ut auferat stimulum ab eo, non est exauditus. Ad illa omnia sancti sufficientes non sunt carentes tanta notitia, quantum Deus habet omnium praedictorum. Et ergo officium intercedendi pro peccatoribus apud Deum non bene stare potest in sanctis mortuis, ex quo non possunt tantam notitiam habere cordium, praedestinationis, et aliarum differentiarum hominum, quantam habet Deus, quomodo possunt audire preces aliquorum, et pro eis intercedere, qui forte ex eis dubio sunt de damnandis, vel forte intercederent pro aliquibus, sicut mater filiorum Zebedaei, quibus Deus responderet: nescitis quid petatis; et per consequens ex quo Deus solus noscit corda hominum, nos latet, et si voluerimus sanctos invocare, nescimus, si ipsi audiunt preces nostras, vel cognoscunt, cum Isaiae 63. propheta Deum invocans dicat: Tu Pater noster es, et Abraham nescivit nos: et Israël ignoravit nos. Ubi Glossa Augustini dicit: quod mortui etiam sancti nesciunt, quid agunt vivi. Et ad regem Josiam dicitur 4 Regum 22.: idcirco, scilicet quia flevisti coram me, colligam te ad Patres tuos, ut non videant oculi tui omnia mala, qua inducturus sum super locum istum; quod non fieret, si ipse post mortem cognosceret, quae mala debuerunt evenire genti suae. Hinc est, quod beatus Augustinus in tractatu de spiritu et anima sic scribit: ibi quidem sunt spiritus defunctorum, ubi non vident neque audiunt, quae aguntur aut eveniunt in vita hominibus; ita tamen, quod cura est eisdem de vivis, quamquam quod agant, omnino nesciunt, quemadmodum cura est nobis de mortuis, quamvis quod agant omnino nesciamus; nesciunt quidem mortui, quid hic agatur, sed dum agitur, possunt audire ab eis, qui hic moriendo ad eos pergunt, non quidem omnia, sed quantum eis sinitur indicare, et eos oportet audire, sicut etiam possunt ab angelis, qui hic praesto sunt nobis et animas nostras ad illas etiam spiritu Dei revelante cognoscere possunt, quae aguntur; ergo necessarium est, eos cognoscere. Haec ille, ex quibus scripturis et dicto beati Augustini potest cognosci stultitia et temeritas illorum, qui ita temere

sine fundamento scripturae audent ad tantum dictas sanctorum invocationes promovere.

16. Responsiones ad auctoritates doctorum, quos magistri pro invocatione sanctorum adducunt.

Ostenso quod nulla scriptura, super quibus magistri fundare nituntur invocationes sanctorum, eorum servit proposito, facilis potest esse responsio ad auctoritates sanctorum doctorum, quas in hac materia pro invocandis sanctis adducere solent, pro quibus notandum, quod, ubi doctores tangunt, quod sancti corpore exuti juvant nos orationibus suis, hoc retorquendum videtur esse ad orationes, quibus in hac vita existentes orabant Deum, pro quibus nos hodie juvant sicut et gestorum suorum confirmant atque hortantur exemplis, et illum sensum exprimit Origenes, homilia 26. super Numerorum, ubi sic scribit: Quis enim dubitet, quod sancti quique Patrum et orationibus nos juvent, et gestorum suorum confirment atque hortentur exemplis, sed et voluminibus suis, quae nobis ad memoriam scripta reliquerunt, docentes nos et instruentes, quomodo adversum inimicas potestates dimicandum sit, et quomodo agonum toleranda certamina. Pugnant ergo pro nobis et ipsi incedunt primi ante nos armati; ipsos enim nos habentes in exemplum, et videntes eorum per spiritum fortia facta armamur ad proelium spirituale et adversum spiritualia nequitiae in coelestibus dimicamus. Haec ille, ex cujus verbis patet, quod ubi Origens dicit sanctos orationibus nos juvare, intelligit orationes, quas sancti nobis ad orandum Deum in exemplum reliquerunt, ut eos in talibus imitemur; quod ille ibi sensus sit Origenis, potest confirmari ex alio ejus scripto, quod Homelia 3. supra Josua scribit per nos in causa superius scripta capitulo ultimo materiae invocationis allegato, ubi exprimit, quo modo in auxilium nobis veniunt illi, qui ante adventum Domini Jesu Christi in lege justificati sunt. Ubi autem doctores tangunt, quod sancti corpore exuti orant, et intercedunt pro nobis, hoc intelligendum videtur, quod ipsi affectum bonum habent ad nos, in quantum nobis unum existentibus cum illis nos sine illis et ipsi sine nobis consummatam non consequuntur beatitudinem, ut Origenes homilia 7. super Levitico deducit ex verbis apostoli, Hebraeorum 11. dicentis: Isti omnes testimonium habentes per fidem nondum assecuti sunt repromissionem Deo pro nobis aliquid melius providente, ut ne sine nobis perfectionem consequantur; quod autem affectus sanctorum bonus, quem

habent ad nos, propter suae perfectionis assecutionem intelligatur per orationem sanctorum, qua dicuntur orare pro nobis, est Beda in Homilia super illo: Si quid petieris Patrem in nomine meo, qui ita scribit: Possunt autem spiritus electorum in illa coelesti civitate etiam pro ipsis in nomine Salvatoris petere intelligi, quia videlicet tempus universalis judicii et resurrectionis corporum, in quibus pro domino certavere, venire desiderant, unde Joannes ait: vidi sub altari Dei animas interfectorum propter verbum Dei et testimonium quod habebant, et clamabant voce magna dicentes: usquequo Domine sanctus et verus non judicas, neque vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra, ubi continuo subinfert, et datae sunt illis singulae stolae albae, et dictum est illis, ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec implerentur conservi eorum et fratres eorum. Singulas quippe stolas albas nunc habent animae, cum sola sua felicitate fruuntur, binas tunc accipient, cum impleto in fine numero fratrum corporum quoque immortalium receptione laetantur. Haec ille: ex cujus verbis patet supradicta nostra sententia. Sed quod pro illo suffragio sanctorum quo suffragantur suis orationibus hominibus in ecclesia militante, et bono affectu, quem sic, ut tactum est, habent ad nos, sancti a nobis debeant necessario invocari, hoc non videtur fundabile expresse in scriptura, cum aliud est sanctos orare pro nobis, et aliud, nos sanctos pro sic orandum pro nobis invocare. Hinc Origenes, homilia 16. super Josue, quamvis exprimat, quod sancti, qui dormierunt ante nos, juvent nos orationibus suis, non tamen exprimit, quod ipsi pro illo juvamine a nobis debeant invocari; sed notanter docet, Deum in adjutorium invocandum, quando eandem concludens authoritatem immediate subdit: Ita ergo et nos fidem firmam plenam opera perfecta indesinentes orationes meditationem divini verbi intelligentiam spiritualem tollentes et illis omnibus velut armis Dei muniti stemus adversus astutias diaboli, invocantes Deum adjutorem nostrum in Christo Jesu Domino nostro, cui est gloria et imperium in saecula Amen. Haec ille; ex cujus verbis patet, quod non sanctos pro adjutorio illo, quo nos adjuvant, sed Deum docet notabiliter invocandum. Et quamvis aliqui doctores, quos magistri pro invocationibus sanctorum adducere solent, in aliquibus locis ex propriis forte vel aliorum sequentes opinionem videantur loqui pro parte invocationis sanctarum, alibi tamen melius prospicientes et fundamentis scripturae innitentes aliter scribunt, ut exemplariter

patere posset de pluribus, si longum non esset eorum interserere scripta, quae alias inseruntur. Si qui autem snnt doctores, qui de invocationibus sanctorum magistrorum sapiant sententiam, quia ut sic carent fundamento scripturae, ideo in hoc suscipiendi non sunt, cum haec sit communis sanctorum doctorum sententia, quod dicta sanctorum doctorum post apostolos non sunt acceptanda ad authoritatem ecclesiasticorum dogmatum, quamvis sententiae eorum sint suscipiendae et admittendae, de quanto in ipsis Christus loquitur et de quanto vere et directe fundari poterint in lege expressa Domini nostri Jesu Christi, ut nostra quarta nostrae in principio causae superius descriptae canit suppositio.

17. Responsio ad quartam culpam sacerdotum Thaboriensium eis per magistros objectam.

Jam ad culpam quartam accedimus nobis sub tali forma propositam: Sacerdotes Thaborienses sunt concausa hominibus gulae, voracitatis, et castrimargiae, jejunia fidelium ab antiquis tenta deponentes. Circa quam culpam nobis asscriptam caventes, ne ex multiplicitate jejuniorum in populo Christiano ex institutione diversorum hucusque observatorum populus gravetur, ant ultra libertatem legis oneretur aut idolatriam incurrat, ad ipsam respondentes ipsa jejunia circnmstantionanda fore judicamus, intentionem talem nostram circa ea enodantes: Quod jejunia a lege Domini commendata tam ex lege veteri quam nova meritorie observanda ipsi certis temporibus observamus, et nobis subditos ad observandum tenemns, optantes, ut totus populus Christianus nedum ea, sed et alia ab ecclesia rationabilitei et divinitus inducta domino complacenter ac sanctis Dei primitivis conformiter non observantiae superstitione sed virtute continentiae jejunarent, libertate tamen lege utentibus semper salva, cum sciamus praesupposito semper spirituali jejunio, quod est omnino cessare a peccatis, corporale jejunium, quod est virtuosa et rationabilis a cibo et potu corporalibus abstinentia, ex causa rationabili proveniens et ad finem debitum ordinata esse multipliciter commendatum, multam vere jejunantibus afferens utilitatem, dicimus quoque, quod libertas est Christiano per omne tempus jejunandi cum omni die jejunii sibi tempus aptum est non observantiae superstitione sed virtute continentiae, ut scribit Origenes, homilia 10. super Levitico: Jejunia autem scribarum et Pharisaeorum et ab antichristo ordinata, jejunia

haereticorum, et superstitiosa, quae observant sortilegi, incautatores et nigromantici, jejunia sapientia idolatriam, ut sunt jejunia limitata sanctis in lege Domini non fundata, et jejunia alias deordinata, cum cibis specialibus, rarioribus, pretiosioribus ac lautioribus, occasione quorum pauperes plus spoliantur, divites autem ingurgitantur et elemosyna pauperibus substrahitur, ubi si in levioribus cibis et communibus jejunarent, citius et facilius possent familiae et aliis egentibus impertiri, illa omnia et similia deordinata jejunia detestamur, et non promovemus, de quo non deberemus reprehendi, sicut nec sancti ex hoc sunt reprehendendi, quod contemnebant supradicta deordinata jejunia ut Isaiae 58. Zacbariae 7. et apostoli jejunium in Sabbatho et in dominica sub anathemate probibentes, et Christus excusando discipulos de boc, quod jejunium Pharisaeorum et discipulorum Joannis cum eis non observabant, circa quae jejunia nobis videtur inserendum primo, quod soli Deo videtur esse jejunandum juxta illud Christi verbum Math. 6.: tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava; ne videaris hominibus jejunans, sed patri tuo, qui est in abscondito, et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi; ubi ex verbo Christi jejunium videtur soli Deo fore limitandum, in cujus signum etiam notantur Joelis 2. praecepit Dominus, ut in toto corde ad eum convertantur in jejunio et fletu et planctu. Et Zachariae 7.: videntur argui, qui non Deo sed sibimet ipsis jejunabant. Hinc est quod Beda in homilia super illo verbo Math. 6.: cum jejunatis, ita scribit: Non propter humanam gloriam sicut hypocritae faciunt, sed propter futuram spem soli Deo jejunemus, a quo expectamus humilitatis hujus devotam mercedem. Haec ille. Ambrosius in libro de Nabotb scribit: compara tunc affectum pauperis, ille nihil habet, et jejunare voluntarius nisi Deo nescit jejunare, nisi ex necessitate non novit dives. Haec ille. Secundo circa jejunia videtur inserendum, quod Christus non videtur determinare, quibus cibariis uti debeant vel non uti jejunantes, sed sub indifferentia pro libito et voluntate hominum hoc relinquere videtur, cum Mathaei 15. determinet, non quod intrat in os, coinquinat hominem. Et Lucae 21.: quamvis diligenter praecipiat, ne graventur corda hominum nimia crapula et ebrietate, non tamen determinat aut limitat aliquem cibum; binc est, quod Apostolus 1. Timoth. 4.: errare dicit sic cibos discernentes; ubi secundum *doctorem Evangelium* error de discretione ciborum tripliciter destruitur;

primo quia Deus creavit cibos, ut fideles ipsos percipiant cum gratiarum actione; secundo, quia omnis res creata est bona ut patet Genesis 3.: et per consequens cibus a Deo ordinatus est etiam bonus; nihil enim, quod intrat in os, coinquinat, sed omne quod in macello venditur, licite manducatur; tertio, quia etsi *diabolus* quandoque *immisceat* coloribus odoribus saporibus *excitantiam* ad voluptatem, tamen verbum Dei aeternum et orationes sanctificant. Haec ille. Ad hunc etiam errorem detestandum Augustinus, quem adducit Linconiensis dicto suo de jejunio, quaerens sic concludit: A quibus autem cibis corporalibus est jejunandum? a nullis quasi a malis vel immundis, quia omnia munda mundis, et nihil est rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sed a multis, ut puta, lautioribus et actu rarioribus quasi non necessariis, quia moderari carnis usum pro tempore christianorum est. Haec ille. Quamobrem Eleutherius in epistola dicit: qua de re necessarium judicamus vos instituere, ut escas, quas vitare vos audivimus, irrationabiliter non respuatis. Scitis fratres legislatorem docuisse: Omnia, quae creavit Deus, erant valde bona. Et ipsa per se veritas ait: Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod exit de ore. Unde constat, non debere refutare escas communes, quas Deus ad cibos tribuit fidelibus suis. Haec ille. Ad hoc de ciborum indifferentia clarius confirmandum adhuc Beda in homilia super illud Evangelii: Nolite judicare, ita scribit: De genere autem ciborum quia possunt bono animo et simplici corde sine vitio concupiscentiae quidcunque humani cibi indifferenter sumi, prohibet apostolus judicare eos, qui carnibus vescebantur et vinum bibebant ab his, qui se hujusmodi alimentis temperabant. Qui manducat, inquit, non manducantem non spernat, et qui non manducat, manducantem non judicet. Haec ille. Cibi etiam speciales, rariores, pretiosiores ac lautiores, occasione quorum pauperes plus spoliantur, et divites ingurgitantur, in jejunantibus reprehenduntur; hinc Augustinus in sermone de adventu Domini sic scribit: qui sic se a carnibus temperat, ut alias escas et difficilioris praeparationis, et majores pretii inquirat, multum errat; non enim hoc est suscipere abstinentiam, sed imitari luxuriam. Haec ille. Imo qui abstinentes a carnibus et jejunantes vacare solent deliciis ciborum lautioribus, illis conceditur in canone esus omnium aliorum; hinc est, quod distinctione 4.: sub autoritate Gregorii scribitur: Parum autem est, ut qui in his diebus a carnibus abstinemus animalium, ab omnibus quoque, quae sementinam trahunt

originem carnis, jejunemus, a lacte videlicet, caseo et ovis, et post pauca, caeterum piscium ejus ita christiano relinquitur, ut ei hoc infirmitatis solatium non luxuriae pariat incendium. Denique qui a carne abstinent, nequaquam sumptuosiora marinarum belluarum convivia praeparent, vinum quoque ita bibere permittimur, ut ebrietatem omnino fugiamus, alioquin restat, ut omnia, quae corporibus libent, finaliter faciamus. Haec Gregorius.

18. Leves probationes jejuniorum modernorum.

Ex his jam scriptis potest quilibet leviter judicare, quam leves sunt probationes magistrorum et infundabiles magnificationes jejuniorum ab antiquo constitutorum et hucusque communiter tentorum, quibus fundare nituntur jejunia sanctis limitata, jejunia cum cibis specialibus, rarioribus, pretiosioribus ac lautoribus, cum, ut ex praemissis evidet, soli Deo videtur jejunium limitandum et appropriandum et lex Christi determinare non videtur, quibus escis uti debeant, vel non debeant jejunantes, sed praesupposita modestia rationabili haec sub indifferentia et voluntate hominum relinquit, nec tantum videntur praeferenda esse jejunia cum talibus cibis specialibus, rarioribus, pretiosioribus ac lautioribus jejuniis cum cibis levioribus et communibus, cum Vincentius historiarum libro 17. capitulo 64. allegans Hieronymum dicentem ita scribit: nonnulli vitam impudicam appetentes in medio itinere corruunt, dum solum carnium abstinentiam putant et leguminibus stomachum onerant et ut, quod sentio, loquar, nihil sic inflammat corpora et titillat membra genitalia sicut cibus indigestus, victus convulsus quidquid seminarium voluptatum est, venenum puta. Parcus cibus et venter semper esuriens triduanis praefertur jejuniis, et multo melius est quotidie parum, quam raro satis sumere. Haec ille. Protestamur tamen hic, quod non ista de jejuniis ideo dicimus, ut abstinentiae Christianae frena laxemus, cum certe sit libertas christiano per omne tempus jejunandi non observantiae superstitione sed virtute continentiae; nam quomodo apud eos castitas incorrupta servatur, nisi arctioribus continentiae fulta subsidiis, quomodo scripturis operam dant, quomodo sapientiae et scientiae student? nonne per continentiam ventris et gutturis? Quomodo quis se ipsum castrat propter regnum coelorum nisi ciborum affluentiam resecet, nisi abstinentia utatur ministra? Haec ergo Christianis est ratio jejunandi; sed ideo ista de jejuniis interserimus, ut confidentia cauteriata

multorum in hypocrisi circa ea loquentium mendacium rectificetur. De hoc autem, quod nobis specialiter imponitur, quod simus occasio sive concausa hominibus gulae, voracitatis et castrimargiae, si propter nostram communem intentionem aut decretum per nos uniformiter prolatum contingit tunc dissolutio tempore istius moderni disturbii, non debemus judicari concausa talium esse, sicut nec salvator cum sanctis suis fuit damnabilis concausa, si aliqui reprobi et mali homines occasione mala accepta ex illo Christi verbo: quod intrat in os, non coinquinat hominem; vel ex illo: nunquid possunt filii sponsi quamdiu cum illis est sponsus, jejunare; vel ex illo: omne quod apponitur vobis, manducate; vel ex illo: omnia munda mundis, et nihil est rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, vivebant dissolute et sibi contrarie et damnabiliter.

19. Responsio sacerdotum Thaboriensium ad quintam culpam eis objectam, et sequitur.

Quantum ad culpam quintam nobis in hac forma propositam, quod Thaborienses sacerdotes aut aliqui ex illis bella moderna hominibus non deturpant, et ea lege Dei neque scripturis sanctorum cum his circumstantiis et conditionibus, prout ducunt, deducere nesciunt neque possunt, in qua reprehendunt nos vel aliquos ex nobis de duobus, primo quod bella nunc currentia populo non detestamur; secundo quod illa nec lege Dei nec scripturis sanctorum cum illis circumstantiis et conditionibus quemadmodum aguntur, nescimus neque possumus emetiri. Priusquam huic culpae responderimus nobis objectae, primum et ante omnia omnibus et singulis ad memoriam reducimus, qualiter cum inimicis veritatis ac humanae salutis diabolus nolens ut hoc bonum augeatur in regno Bohemiae et Marchionatu Moraviae, quod ex gratia Dei et fideli praedicatione magistri Joannis Hus sanctae memoriae et aliorum magistrorum ac simplicium fidelium sacerdotum ortum fuit in hominibus pro tunc propositum bellandi non habentibus, suscitavit membra sua, quatenus hoc honum per potentiam, violentiam caeterasque crudelitates tam per spirituales quam saeculares impediatur, propter quod nolentes per talem potentiam, violentiam atque crudelitatem a bono cessare proposito, et a fide resilire catholica, totus videlicet ille populus in causa quatuor articulorum regni unitus, una voluntate et unamini assensu et cum consilio magistrorum Pragensium et aliorum sacerdotum pro tunc

dictum populum gubernantium bellum ex necessitate non voluntate erexerunt ad finem in principio hujus operis capitulo secundo descriptum. Illud prius ut ibi exprimitur bene circumstantionantes illis ad memoriam reductis, ad primam partem culpae nobis objectae taliter respondemus, quod nos bella illa moderna, quae ex necessitate sicut praemittitur ad finem ibidem tunc expressum erecta sunt, si et dum continuarentur *in caritate* contra fidei destructores, innocentium oppressores, vel alios pertinaces et sceleratos legis Dei transgressores, qui aliis modis lenioribus nullatenus a sua pertinacia et invasione fidelium reduci possent, et coerceri, semper parati existentes illa bella contra tales sub certis dimittere conditionibus, dum inimici veritatis vellent viam veritatis et justitiae fideliter suscipere, illa nos bella omnino deturpare non audemus, quamvis viam fore securiorem dicebamus, pugnare spiritualiter non cum gladio aërem verberando, sed Deum orando, ac in tractatu hostes ad concordiam obsecrando, et (in) illa reputata vecordia mortem si oporteat patiendo, scientes, quoniam in principio illorum bellorum, ut praetactum est, mutua simul cum magistris in Praga habentes consilia, bella cum debitis circumstantiis requisitis ad eadem habitis, simul asserimus esse licita, quas circumstantias inter nos recitantes et futura pericula praecavere volentes, populo simul cum ipsis magistris diximus, quod nobis justum et rectum videbatur, et sicut dictum est, bellum erectum est *ex magistrorum et nostro simultaneo consilio* ad hunc specialiter finem, ut veritates totae ecclesiae salutares in Dei ecclesia debitum sortiantur effectum, prout constat communitatibus eorum et nostris absque aliqua ambiguitate. Ubi autem secundo nobis objiciunt, quod nos ea bella nescimus lege Dei neque scripturis sanctorum cum illis conditionibus et circumstantiis, sicut aguntur, emetiri, ad hoc taliter respondemus, quod non est intentionis nostrae promovere aut quomodolibet excusare vel defendere, quod malum est deordinatum circa bella; hinc advocamus in testimonium communitates nostras, qualiter nos dudum videntes hoc bellum dictum per multos, qui se ipsis fraudulenter cum aliis applicuerunt intentionibus, in magnas verti deordinationes semper contra propositum et intentionem nostram et aliorum, qui pro illo praedicto bono se fideliter opposuerunt; ob hoc plures inter nos habuimus convocationes, ut in principio hujus operis capitulo 3. tactum est. In quibus convocationibus, ut ibidem tangitur, contra omnes deordinationes, licet contra

nostram omnium communem intentionem in dicto populo undecunque exortas cogitavimus et pro reformatione horum certos articulos ibidem capitulo tertio hujus scripti expressos confecimus, illos in omnibus nostris communitatibus pronuntiari proourantes; quod autem praeter nostram communem omnium intentionem aut decretum per nos uniformiter prolatum in populo, cui praedicamus, contingunt tales deordinationes, de hoc dolemus, sicut et multi excessus similes aestimamus praeter magistrorum intentiones contingunt conformiter inter subditos eorum informationi.

20. Responsio sacerdotum Thaboriensium ad sextam culpam eis objectam.

Quod sextam culpam nobis sub tali forma propositam: *Sacerdotes* Thaboritarum vel ex his aliqui contra unum articulum ex quatuor astute et hypocritice sub specie legis Dei opera quadam saecularis domini ducunt, et ad illos eorum cursus nec legem Dei nec sanctorum scripturas *habent*. Ad illam taliter respondemus: quod quamvis in convocationibus nostris, de quibus in responsione ad culpam praecedentem fecimus mentionem, hoc inter nos decrevimus, quod nullus sacerdos aut alius ordinibus majoribus insignitus de communi lege debet saecularibus negotiis implicari in offensam et scandalum aliorum limites sui status excedens, occasione hujus excessus poenam irregularitatis incurreret; tamen si saecularibus existentibus ex permissione divina improvidis aut incurabilibus aliquis sacerdos spiritu Dei agitatus debite et meritorie pacem inter homines saeculares procuraverit et ad concordiam ipsos induxerit, ne occasione eorum discordiae pauperes spolientur, in hoc non quae sua sunt quaerens pro tempore, quo non negligeret magis utilia, nostrum non interest condemnare aut judicare, cum per Clementem in itinerario in epistola, quam scripsit ad Jacobum fratrem Domini, hoc non videtur esse interdictum etiam sacerdotibus, quos ibidem hortatur, ut orphanis exhibeant semetipsis parentes, viduis virorum curam impendant, et his, qui ignorant artificia, exquirant honestas aliquas occasiones, quibus victum necessarium quaerant, et si qui ex fratribus inter se negotia habuerint, apud cognitores saeculi non judicentur, sed apud presbyteros ecclesiae, quidquid illud fuerit, dirimatur. Et aestimamus inter nos nullum esse sacerdotem, qui non libenter privaretur occupatione hujus modi sui officii impeditiva, et utinam inter magistros et ei s adhaerentes

nullus esset sacerdos, qui plus occulte et palliate regeret saecularia facta quam aliqui certis ex nostris regunt hujusmodi ad hoc necessitati manifeste. Et si impugnantes nos aut aliquos ex nobis de ducatu quorundam actuum saecularis Domini scrutarentur vias eorum et vere cognoscerent, ex cujus scitu aut consilio sacerdote cum sacramento praecedente excutiebantur, domus spoliabantur et captivabantur homines per Pragam, et postea insequebantur fratres Thaboritarum in Kostelecz, Malessow, Graetz Reginae et Czaslaviam et demum in principem Lithuaniae Sigismundum irruerunt, et nova civitate Pragensi devastata exercitus campestres circa Gurim prostraverunt, timemus, ne conveniret eis aut alicui eorum illud apostoli: qui alium doces, te ipsum non doces; qui praedicas, non furandum, furaris; qui dicis non moechandum, moecharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis; qui in lege gloriaris, per praevaricationem legis Deum inhonoras; et illud ethnici commune proverbum: Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

21. Responsio sacerdotum Thaboriensium ad culpam septimam et ultimam eis objectam.

Quantum ad culpam septimam et ultimam nobis in hac forma propositam: *Sacerdotes* Thaborienses officium in missa postponentes ritum nostrum contemnunt et abjiciunt, signum crucis in missa non faciunt, aquam vino non miscent, et caetera non observant, et ad hoc lege Dei et scripturis sanctorum carent, quod ritus noster missandi foret *malus;* in qua nos inculpant de quinque; primo: quod ritum missae abjecerimus; secundo quod ritum eorum missandi contempserimus et abjecerimus; tertio: quod signo crucis in missa non utimur; quarto: quod aquam vino non misceamus; et quinto: quod ritus caeteros eorum missae non observemus. Quantum ad primam partem articuli respondemus, quod injuriam nobis magnam magistri faciunt imponentes nobis simpliciter officii missae abjectionem, cum non abjecerimus officium seu ritum missae, quod tempore primitivae ecclesiae secundum testimonium Bernardi et Wilhelmi in suis rationalibus et archidiaconi glossatoris decreti in causa nostra superius descripta allegatorum peragebatur in vestibus communibus solum cum forma verborum sacramentalium cum additione postea per Petrum seu apostolos Pater noster, et lectione epistolae et Evangelii, et per

consequens cum circa missationem observemus ea, quae existunt de substantia missae, et circa ipsam sunt utilia, non proprio in hoc utentes capite, sed imitantes in hoc specialiter ritum beati Dionysii, in quantum promovet devotionem populi secundum formam in praedicta causa nostra descriptam, non vere nobis simpliciter imponitur, quod officium sive ritum missae abjiciamus. Ubi autem nobis secundo imponitur, quod ritum missandi magistrorum contempserimus et abjecerimus: benedictus sit Deus, quod non inculpamur de abjectione et contemptu ritus ecclesiae primitivae, cum illum toto posse sequamur, et si qua nondum assecuti sumus, parat sumus suscipere: sed inculpamur de abjectione ritus magistrorum, qui est ritus curiae Romanae modernae, a qua etiam in administratione sacramenti Eucharistiae sub utraque specie discrepamus et non in tolerantia prostibulorum, taxillatorum, chorearum lascivarum, et sic de aliis. Qui eorum ritus non est ille aut talis, qui tempore Christi et ejus Apostolorum in ecclesia primitiva servabatur, nec est ritus ecclesiae catholicae et universalis, cum alius sit ritus missandi Graecorum, alius Ambrosianus, quem sine contemptu ex causis rationalibus omisimus capitulo tertio audientiae habitae in Conopissez late descriptis, in hoc ut speramus caeteris paribus non peccantes. Quod autem signum crucis in missa non facimus, hoc agimus ideo, quia facere signa crucis in missa non est de substantia nec necessitate missae, caretque haec signa facere in missa vel alias ubicunque auctoritate sacrae scripturae, ut declaratum est capitulo tertio supra audientiae in Conopissez habitae, ubi tractatur de signis, quae fiunt in missa magistrorum; ibi etiam respondetur, qualiter intelligendi sunt doctores, qui sententiare videntur, quod nullum sacramentum rite celebratur sine talibus signis, quae hic resumere causa brevitatis non oportet. Eodem modo respondemus ad hoc, quare in missa aquam vino non admisceamus, quia haec admixtio non est de necessitate sacramenti, ut dicit Thomas III. parte summae quest. 75. articulo 7. respondendo ad tertium argumentum. Sed ut in principali responsione ibi ponit, appositio aquae ad vinum refertur ad significandum participationem hujus sacramenti a fidelibus, quantum ad hoc, quod per aquam mixtam vino significatur populus adunatus Christo. Et idem patet quaest. 83. in responsione principali ad quartum. Et in signum hujus Cyprianus gloriosus Martyr ponit, quod, si aqua vino miscetur

ex·ignorantia potest simplicitati ejus venia concedi, quod non fieret, si aqua esset de necessitate sacramenti. Videant ergo magistri, quomodo probabunt dictum Theophili, quem coram toto auditorio allegarunt, sic dicentis: Erubescant ergo qui vinum in sacris non lymphant mysteriis; videntur enim non credere, quod aqua de latere fluxerit Christi. Haec ille. Non videtur hoc dictum suum habere veritatem, cum aliter omnes a tempore ascensionis Christi usque ad Alexandrum Papam non crederent aquam de latere Christi fluxisse, quod nefas est credere, cum Alexander Papa primum statuit aquam in missando vino misceri, ut scribitur de Cons. distinct. 2. in Sacramentorum. Et hodie ecclesia Graecorum aquam vino non apponere (solet). Ubi autem nobis ultimo imponitur, quod et ritus caeteros eorum missae non observamus, quare hoc faciamus, hujus causae sunt tactae rationabiles in superioribus, ubi tractatur haec materia, quas hic non oportet secundo resumere, cum sciamus istum ritum missandi curiae Romanae esse alium et in multis differentem a ritu apostolorum et sanctae ecclesiae primitivae, ut patet cuilibet, qui dicta Dionysii vere et diligenter pensaverit. Ritus etiam iste magistrorum non est ritus ecclesiae Catholicae et apostolicae, cum alius ritus sit Graecorum, alius Ambrosianus, ut tactum superius; nec ritus magistrorum est idem omnimodo cum ritu ecclesiae Romanae modernae; plura enim aliqui horum omiserunt ut osculum pacis dari, epistolas etiam et evangelia non secundum ritum eorum sed pro suo beneplacito legunt; in die Parasceves non mittunt hostiam consecratam in vinum non consecratum, thurificationes, aspersiones, benedictiones placentarum, ovorum, caseorum, candelarum, cinerum non faciunt, imagines et organa in ecclesiis non habent, et multa alia sunt, quae per se omiserunt et non per concilium generale; quae ergo excusatio serviet eis, serviet et nobis, qui ritus ecclesiarum semper fuerant varii, sicut et nostris apparet temporibus, et sic curret usque in finem, ut patet per Gregorium, distinctione 12. Novit fraternitas; qui imitari possunt pro necessitate temporum et locorum; Distinctione 14. Sicut Deus quaedam et distinctione 29. Regula Sanctorum Patrum. Sicut et ecclesia Romana statuta sua secundum exigentiam temporis quandoque mutat, 21. q. ultima his, ita et in capitulo ultimo et in pluribus aliis locis.

22. Responsio sacerdotum Thaboriensium ad fundamenta magistrorum, super quibus ritum suum missandi fundare nituntur.

Quando autem magistri fundare nituntur ritum suum sacrificandi in missa et vesperis ac circa alia officia divina in babitu aliisque ab ecclesia Romana moderna consvetis, allegantes pro illo primo in generali illud Corintb. 14. apostoli dictum: omnia honeste et secundum ordinem fiant, quod dicunt consvetudinem laudabilem fore fundamentum, doctorem evangelicum in De potestate papae pro illo allegantes. Secundo allegant pro illo ritu suo in genere illud 1, Timoth. 2.: obsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, ubi inquiunt secundum glossam ordinariam ordo missae eorum praemonstratur. Et tertio allegantes pro illo ritu suo magis in speciali ritum Dionysii in De ecclesiastica Hierarchia, cui dicunt ritum suum fore quasi in omnibus coaptatum. Illa tamen praedicta omnia loca scripturae, super quibus fundare nituntur ritum suum sacrificandi magistri, si fideliter et vere advertantur, non sunt pro illo, ideo relinquitur, quod ritus ille sacrificandi magistrorum vero caret fundamento; nam illud primum dictum apostoli non militat directe pro illo, quando dicit: omnia honeste et secundum ordinem fiant; ibi enim secundum doctorem de Lyra Apostolus ostendit, quod dona spiritus sancti sunt appetenda, et quod ipsis utendum sit ordinate et a personis, quibus decet uti, id est: prout decet viros et mulieres ad vitandum confusionem. Nec ad hoc suffragatur eis dictum doctoris evangelici, quod pro se allegant, ubi in De potestate papae scribit, quod ibi includantur omnes usus ecclesiae incidendo servitium omnes ritus ordinum privatorum et breviter omnis consuetudo laicalis vel clericalis laudabilis, cum laudabilis inquit consuetudo ecclesiae est observanda, licet non sit explicita sed implicita in scriptura; nam ipse quamvis sic scribat, non tamen est intentio ejus fundare in illo dicto apostoli totum ritum sacrificandi in missa et vesperis, ac circa alia officia divina in habitu et signis omnibus aliisque ab ecclesia Romana moderna consvetis tam onerosum et legis Christi liberae restrictorium et impeditivum; hinc est, quod idem Doctor Evangelicus illa, quae magistri allegant exprimens immediate post hoc satis per longum passum redarguens praeponderantium traditionum et adinventionum humanarum ultra expressa in lege Domini et per illas ecclesiae

ultra pharisaeos legis veteris onerationem, quam Christus a traditionibus hujusmodi pro tempore legis gratiae liberam esse ordinavit, quid intelligat per ritus usus vel consuetudines laudabiles in praedicto verbo apostoli fundatas subdit: conceditur igitur, quod ritus et leges honestae ex lege Domini eliquatae sunt in suo ordine observandae, sed caveat Christianus de nimietate studii eorum et observantiae. Suspensus itaque sine utiliori sollicitudine sit contentus de flatu spiritus sine istis extravagantibus dirigendis. Haec ille. Et adhuc magis specificans se in dicta materia et quasi concludens intentum suum sequenti capitulo post multa, quae interserit, subdit: contentemur ergo de paucis ritibus, quos ex doctrina Christi servarunt apostoli, et omnino honeste superadditos vere et modeste non praeponderanter vel hypocritice observemus; omnia enim talia non expediunt vel sunt licita, nisi de quanto juvant ad observantiam mandatorum. Haec ille. Ex cujus verbis, quae magistri omiserunt, patet sua intentio, quam ipse doctor evangelicus habuit in sic dicendo, ubi ipsi eum allegant. Nec doctor evangelicus simpliciter dicit: consvetudines laudabiles ibi esse fundatas, licet non sint explicitae in scriptura, sed ipse signanter dicit, quod observanda est laudabilis consvetudo, licet non sit explicita sed implicita in scriptura. Illud autem in scriptura impliciter dicitur, quod vere et directe sequitur ex eadem. Non ergo aestiment magistri, quod eorum ritus quoad omnia et singula, quae ab eis circa missationem communiter observantur, in praedicto verbo fundetur apostoli, cum illa, quae ridiculosa videntur in eorum ritu puta gesticulationes facere, brachia extendere, manus jungere, digitos complicare et se ipsum incurvare, et saepius se ad populum vertere et alios characteres multiplicare cum mendosis et erroneis prosis ac historiis et aliis inconventiis alibi superius tactis non videtur in illo dicto apostoli vel alia quacunque parte scripturae vere fundabilia; quod attendens Chrysostomus scribit: orans nihil novum faciat nec voce clamet nec manus expandat nec impudenter oculos tollat ut notabilis fiat sed in spiritu et veritate oret. Haec ille. Ecce quid iste doctor sanctus de magistrorum ritu in pluribus risu digno scribat et per consequens illud dictum ejusdem apostoli, super quo magistri nituntur suum fundare ritum missandi eorum proposito minime servit; sed nec 1. Timoth 2. ut patebit inferius, nec ritus Dionysii, cui magistri dicunt suum ritum quasi in omnibus

fore adaptatum, eis famulatur; tempore enim Dionysii episcopus seu sacerdos secundum apostolorum consuetudinem eucharistiae celebrationem cum devota oratione incipiebat; et verisimiliter sic fiebat, quod populo conveniente sacerdos accedens ad altare incepit orare legendo vel contando cum choro et populo orationem dominicam Pater noster, exemplo Christi, qui sic orare docuit Math. 6.: hinc beatus Petrus Apostolus post passionem Domini anno primo legitur primam missam celebrasse dicendo tantummodo Pater noster. Et hoc secundum Archidiaconum glossatorem decreti de Con. distinctione prima. *Jacobum* super illo verbo missae celebrationem significat officium diei veneris sancti circa altare, quia incipit a Pater noster a sacerdote celebrante, ut patet ex praemissis in causa nostra descripta, ubi tractatur de officio missae; postea legebantur lectiones de sacris scripturis seu hagiographorum tractatuum, et hoc secundum exigentiam temporis et populi fiebat in vulgari, ut colligitur ex dicto apostoli 1. Corinth. 14., ut populus audiens inducatur ad virtutum informationem et ad vitiorum purgationem, cum juxta Psalmistae testimonium: lex domini immaculata convertens animas testimonium Domini fidele sapientiam praestans parvulis. Ad cujus significationem ut dicit Archidiaconus glossator decreti ubi supra die Sabbathi sancti officium missae incipit a prophetis sine (sive?) lectionibus, quibus finitis decantabantur psalmi, hymni vel divina praecepta et hoc in vulgari, ne fiat insania secundum apostolum, cum laici et idiotae nescirent ad illud, quod non intelligunt, dicere Amen; ad quod apostolus memoria tenens illud praeceptum Domini, quo praecepit Deuteronomii 31. ut scribentes eis canticis Domini doceant filios Israel, ut memoriter teneant et ore decantent et sit eis carmen hoc pro testimonio inter filios Israël Ephes. 4. (Apostolus) christianos hortabatur dicens: loquentes vobis met ipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino; ubi glossa: loquentes vobis met ipsis id est si vos intelligitis et si vos ipsos instruitis de his, quae dicitis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, quae de aeterno gaudio sunt, et ideo spiritualiter intelligenda sunt, quia spiritualia sunt, quae dicetis. Haec glossa. Post hoc fiebat praedicatio verbi Dei, ad quam omnes indifferenter boni et mali proselyti et poenitentes admittebantur, ad hoc ut eorum in veritate evangelica illuminetur intellectus, quia Psalmo 118. dicitur: declaratio sermonum tuorum illuminat

et intellectum dat parvulis; tempore cujus praedicationis si sedenti aliquid revelabatur, prior tacebat, ut scribit apostolus ut supra, qui autem digni habebantur communione, manebant; erant autem ad hoc ordinati diaconi, qui conscii erant populi. Hi si quem scribaot indignum, non admittebant, sed ejiiebant, nisi prius probaretur et ageret poenitentiam. Interim apponebatur panis et vinum ad altare cum decantatione prius symboli catholici a cuncta ecclesia; quo finito ad excitandum homines in bono exbortatio brevis praemittebatur, in qua adhortabantur homines congregati ad recordationem omnium Christi beneficiorum, et vitae ipsius poenosae, ad quam amplexandam hortabantur ad se in talibus probandum. Deinde sacerdos accedens ad altare sub silentio populi et chori expresse aliis circumstantibus et intelligeotibus sacramentum altaris conficiebat, et postquam perfecit consecrationem, in silentio demonstrando eam communicavit, et invocando nomen Domini super populum et exhortando ipsum ad charitatem et pacis unitatem, ipsum communicavit juxta ritum sanctorum apostolorum testante Anacleto, qui dicit: peracta consecratione omnes communicent, qui ecclesiasticis nolunt carere liminibus, sic etenim et sancta Romana tenet ecclesia et apostoli tenuerunt. Tandem finita communione sacerdos cum tota congregatione gratias agebat, et sic officinm complebat exemplo Christi, et hymno dicto exierunt in montem oliveti. Et hunc ritum missandi non magistrorum docet apostolus, ubi eum pro suo ritu allegant 1. Timoth. 2. quando dicit: obsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus etc., ubi secuudum glossam ordinariam, quam allegant magistri, Apostolus tradidit omnibus presbyteris omnique ecclesiae formam, quomodo deberent missarum solemnia celebrare et pro omnibus hominibus orare; nam obsecrationes secundum glossam praedictam sunt quidquid praecedit in missarum solemniis usque ad illum locum, in quo incipit sacerdos consecrare mysteria corporis et sanguinis Domini, orationes sunt, quas fundit sacerdos in consecratione eucharistiae; postulationes sunt benedictiones seu adhortationes, quas dicit sacerdos super populum invocans nomen Domini super illum et adbortans eum ad charitatem et pacis unitatem, quod tractum est de veteri testamento per Moysen. Namque dicit Dominus sacerdotibus: invocabitis nomen Domioi super filios

Israel, et ego benedicam eis. Gratiarum actiones sunt laudes, quas communicato populo refert sacerdos Deo Patri cum universa ecclesia, quod dignatus est eis mysteria corporis et sanguinis filii sui dare ad redemptionem et salutem. Ista ritus Dionysii includit, quae remota sunt a ritu magistrorum, ut patet cuilibet fideliter pensanti ritum eorum et ritum Dionysii antedictum.

23. Differentia inter ritum missandi magistrorum et ritum beati Dionysii.

Ex istis videri potest et cognosci, quam temerarie magistri in tractatu suo contra nos publicato capitulo septimo audent asserere, quod ritus Dionysii quasi in omnibus modo per eos observetur, cum ritus magistrorum non sit similis aut coaptatus ritui Dionysii aut vere fundabilis in eodem, nisi forte ut loquimur ironice, in aliquo istorum locorum ibidem fundetur; primo in illo, ubi tempore Dionysii ejiciebantur indigni a communione etiam et a visione sacramenti; ibi magistri cum ritu suo indifferenter omnes admittunt et pulsu campanae convocant ad visionem sacramenti, et saepe processionaliter extra ecclesiam in conspectu omnium deferunt sacramentum cum magno tumultu, cantu et pulsu, omnes ad spectandum sacramentum excitantes. Secundo, ubi tempore Dyonisii ea, quae legebantur in congregatione populi vel decantabantur, omnia erant certa et vera et in lege Domini fundabilia, cum lectiones fiebant solum de sacris scripturis, et si qua legebantur aut cantabantur in linqua peregrina, illorum statim fiebat interpretatio, ibi in ritu magistrorum multa leguntur et decantantur incerta, falsa et erronea et multa in linqua peregrina, quorum nulla omnino ibidem fit pro tunc interpretatio contra praeceptum apostoli 1. Corinth. 14. Tertio, ubi tempore Dionysii sacerdos sub silentio populi et chori expresse aliis circumstantibus et intelligentibus sacramentum altaris conficiebat, ibi secundum ritum magistrorum confectio fit tacite nullo audiente et tempore magni cantus et tumultus. Quarto, ubi tempore Dionysii sacerdos celebrans cum munda conscientia et devotione observatis his, quae sunt de substantia missae et circa ipsam sunt utilia, sacerdos eucharistiae sacramentum conficiebat et cum digno ac probato populo communicans in corde puro et quieto mortem Christi cum aliis suis beneficiis memorabatur, juxta praeceptum Domini, quo ait per se et in suo apostolo: haec quotiescunque feceritis, in meam memoriam facietis: ibi in ritu magistrorum multa legis Christi liberae restrictiva et impeditiva congregantur, longe unum

Pater noster sancti Petri excedentia, cum multa pars temporis inutiliter in hujus ritus occupatione decurrit, ex quo populus redditur taediosus, et indisponitur ad dignam Christi et sanguinis sumptionem et sacerdotem oportet negligere magis utilia, cum multo melius foret minus cantare, illud quod verum et aedificatorium esset et reliquum in doctrina salubri consumere, quam quas missas ab hora octava usque quartam decimam inclusive cantare, et unam horam praedicare, nec stante ritu illo tumultuoso et inquieto et nimis longo propter inutilem in talibus occupationem principalis finis missationis, qui est mortis Christi vivax memoria, attingi utiliter potest. Nec valet excusatio magistrorum, ubi illam prolixitatem ritus sui excusantes contra nos invehentes scribunt dicentes: si propter taedium ritus noster sit omittendus, multo magis ritus Thaboritarum est detestandus, cum fere omnes docti clerici sacerdotes pro majori parte sui viri et mulieres regni Bohemiae ceteraeque terrae adjacentes ritum eorum *detestentur* et *vilipendant*. Ad hoc respondemus, quod licet decorus et gloriosus ritus magistrorum coram carnalibus a spiritu Christi vacuis et coram simplicibus de altitudine sathanae astutiis ignaris fulgeat tanquam sol in sua virtute supra ritum Christi et primitivae ecclesiae, qui respectum (?) sicut stella in solis praesentia tenebrescere totaliter videatur, tamen in rei veritate hic splendidus modus et gloriosus ritus missandi magistrorum in multis videtur esse poculum aureum in manu magnae meretricis plenum abominatione et immunditia fornicationis ejus, quo terrenos inebriant, Apocalypsis 17. videturque quantum ad talia, in quibus in scriptura fundabilis vere non est, esse fucus meretricis magnae Jesabel, qui si fuerit abstersus, appareret horridus et tanquam leprosus a cunctis odiendus, et ipsum magnificantes omnino confusi et nudi starent, eo quod ornatum sanctorum Apostolorum puta divinam scientiam et sanctam conversationem tanquam discolariam vestem ex cunctis virtutibus compositam perdiderunt, et nihil ut communiter in se habent nisi maculatam tunicam cunctorum vitiorum; et haec ratio, quare Christus saepe in evangelio *generationem pharisaicam*, quae ex extrinseco ornare ritibus consuevit, comparat quandoque sepulchris foris pulchre depictis, quae intus sunt plena ossibus mortuorum, quandoque vero catino extra loto et intus immundo; quid ergo miri, quod multi tales de genere talium *pharisaeorum* ritum nostrum innocentem detestentur sic et vilipendant et per consequens in vanum

magistri cum suo ritu gloriantur referendo se cum illo ad ritum Dionysii, qui refertur fuisse discipulus apostolorum, cum nec sanctus Petrus libertatem praedicandi aut missandi cum suo ritu haberet inter illos, ut canit unus eorum articulus, in quo decreverunt, ut inter eos nullus haberet libertatem praedicandi aut missandi, quin se in ritu eis minime conformaret, et hoc non propter aliquid aliud magis fieret nisi propter nonobservantiam accidentalium et non de necessitate et substantia ad missationem requisitorum, quae paleas nuncupant. Mirabilis ergo sapientia magistrorum non dare libertatem granum verbi Dei habentibus propter paleas illud fidelibus ministrandi.

24. Responsio sub uno per Dominum ad caudas fere omnium culparum sacerdotibus Thaboriensibus objectarum.

Expedita responsione ad culpas nobis per magistrum Joannem Rokytzanam nomine suo ceterorumque Pragensium objectas jam restat nobis respondere ad hoc, ubi idem magister omnia sua et aliorum sibi adhaerentium, quae contra nos promovet, per se debens probare, quod illa omnia bene et fundabiliter faciat, suum laborem, qui sibi congruit, in nos conatur retorquere, quando post quamlibet quasi culpam nobis objectam subjungit: Et ad hoc legem Dei et scripturas sanctorum doctorum non habent, quod haec sint mala. Ad hoc taliter respondemus, quod ipsis est probare, si bene et juste facit omnia, quae contra nos promovet in materia sacrorum rituum, invocationis sanctorum, purgatorii, missae et aliorum, et hoc faciat ex fide scripturae et testimonio sanctorum, se in eadem veraciter fundantium, non ex fabulis aut somniis, ex quibus conatus est nos ad multa inducere, ut ea pro articulo fidei teneamus, et promoveamus, quae non in fide, sed in humana et infundabili phantasia consistunt, ut verificetur in eo illud Psalmi: narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua; nobis sufficit causam nostram contra eum et sibi adhaerentes justificare, qua ex gratia et auxilio Dei justificata apparere cuilibet poterit causam nostram fideliter et diligenter advertenti, quantum et quid valent sua, pro quibus inutiliter vires suas exhaurit. Et quid ultimo valebunt suae ampullosae detractoriae et confusivae fratrum sine causa rationabili praedicationes, quando velut alter Achitophel, cujus consilium erat in diebus illis quasi si quis consuleret Deum, magnis afficietur taediis, *cum suos sudores et labores videbit vanos*, et sua non stabilita consilia, quo tanta verbositate et ampullosa prolixitate fabricavit. Ex quibus responsionibus

nostris patere cuilibet potest vere et fideliter advertenti, quod adhuc Deo duce fundamentum nostrae causae superius exaratae, et cum toto desuper aedificio stat immotum, ut tetragonus sine vituperio, et quod in vanum et sine causa in ea nos deturpant magistri, non valentes vere in nos deducere, quod aliquid in punctis his, in quibus ab eis discrepamus, contra fidem scripturae pertinaciter teneamus, aut quod contrarium fidei foret, defendere velimus, tueri aut quomodolibet defensare. Et sic dicto audientia terminata est sine finali decisione inter partes. Post quae omnia hortabantur sacerdotes Thaborienses in Christo piissimo Jesu crucifixo quemlibet pium horum auditorem, et nunc hortantur, ut in fide spe et charitate Domini nostri Jesu Christi suscipiant omnia, quae in scripto eorum praesenti legerent, et in tantum, et pro eo ea recipiant, pro quo et in quantum aedificant ecclesiam catholicam et apostolicam fidem et spem Jesu Christi, quae fides omnia per dilectionem et ad dilectionem operatur, rogantes omnes et singulos, ad quos scriptum praesens pervenerit, quatenus omnes defectus eorum, si qui in eorum opere relucent, pie et misericorditer interpretentur, et supportent propter amorem Domini Jesu Christi, sive lapsi fuerint in verbo, et in grammatica forsitan, sive in allegationibus scripturarum, sive in sententiis verborum et superfluitate, sive in audacia loquendi de diversis difficultatibus, sive quod in aliquibus materiebus descendisset forte reprehensive nimis ad personas quorundam, sive de aliquibus verbis satyricis ad increpandum compositis usque ad commotionem vel piarum aurium forte offensam sive de zelo, si fiant in aliquibus locis non secundum scientiam, sive de inepta et incompleta expressione veritatis, de omnibus talibus petebant et semper petunt veniam et compassionem, et si necesse est modo et forma in protestatione eorum posita, piam correctionem. Si quid autem ajebant in his sententiis fuerit conveniens et utile, sit in eo laus et gloria Deo Patri et Filio ejus piissimo et Spiritui sancto, ex quo omnia, in quo omnia et per quem et propter quem, qui vivit et regnat Deus in saecula saeculorum Amen [1]).

Finis primi tractatus qui incipit: quia anno domini Milesimo.

Finitum est hoc opus ad honorem Dei et proximorum profectum proxima feria V[a] ante festum nativitatis Christi sub anno domini MCCCCXXXV. (22. Dec.)

---

[1]) Hier endigt die confessio Thaboritarum. Roterdam. 1616. p. 503.

Pars secunda.

C. 1.

Quando, qua occasione et qua prius facta distinctione, (et) dispositione data est Bohemis et Moravis in causa quatuor articulorum, pro quibus se opposuerunt, in Concilio Basileensi audientia.

Cum ergo res sic pro tunc ut praemissum est agerentur, postea sub anno Domini MCDXXXI Julianus Cardinalis Bavarorum, Sedis apostolicae legatus ac Consilii Basileensis director metas regni Bohemiae manu armata intravit innumeram copiosamque armatorum equitum peditumque secum ex diversis locorum spatiis aggregatam trahens multitudinem, metisque regni Bohemiae appropinquans patentes praemisit litteras per illas omnes Bohemos sexus utriusque ad gremium matris ecclesiae evocando, omnesque et singulos se ecclesiae Romanae in omnibus conformantes et ecclesiasticam veritatem et pacem cum eadem realiter et cum effectu suscipientes, ne formident, assecurando, alios se eidem ecclesiae conformare recusantes, dicens se velle per potentiam exercituum armatorum secum intrantium ad hoc faciendum compellere. Dum autem Deo aliter disponente dictus Julianus cum suis armatis exercitibus per partem Boëmorum causae quatuor articulorum adhaerentium de regno Bohemiae magnanimiter et cum magnis partis suae damnis turpiter fuit expulsus, statim post expulsionem eorum anno eo, quo supra, Basileensis Synodus per litteras suas patentes universis viris ecclestiacis nobilibus et toti populo regni Bohemiae unitatem et pacem in Christo Jesu Domino nostro offerens, ipsos venire in concilium Basileense evocabat promittens securam et liberam eis dare audientiam. Et ne aliqua forsan occasione dicti Bohemi retrahi possint, dictum concilium offerebat se, his quos destinare voluerint, plenum ac sufficientem salvum conductum veniendi, standi et redeundi nomine universalis ecclesiae concedere, ac omnia facere, quae pro cautela et securitate ipsorum expedire videbuntur. Quibus visis litteris Bohemi causae quatuor articulorum adhaerentes audientes, quod hoc, quod diu optabant, eis veniebat in manus, quaerulabantur enim saepe ante ea eis non esse traditam, qualem voluissent, pro dictis articulis liberam

audientiam. Intelligentes ergo, quod jam locus et facultas plena offerebatur audientiae, ideo gratanter ad hoc dederunt assensum, et habito super hoc maturo in generali eorum congregatione consilio concluserunt, et personas ex unanimi omnium consensu, quae mitti debuerant ex spiritualibus et saecularibus deputarunt. Quae personae deputatae de anno Domini MCDXXXII mandato et auctoritate totius partis quatuor articulis adhaerentis accepta Concilium Basileense adierunt, facta prius dispositione et concordia in civitate Egrensi cum doctoribus praemissis a Basileensi Synodo super audientia Bohemis danda.

C. 2.

Concordia in Egra facta inter regnicolas Boemiae et Concilium Basiliense super audientia Boemis danda.

Quae concordia et dispositio partis utriusque praetactae unanimis et consentanea super dicta audientia Boëmis a Synodo Basileensi danda erat talis: Dabitur ambassiatoribus et nuntiis de regno Boemiae et Marchionatu Moraviae ad generale concilium Basileense mittendis, quam primum applicuerint et petierint, audientia plena et libera coram tota congregatione ejusdem concilii toties quoties in Basilea manentes poposcerint circa opportuna et negotia praesertim quatuor articulorum, pro quibus se opposuerunt pro ipsis deducendis ac commoda; et nihil tractabitur interim in eodem concilio per dictum tempus, quod prosecutionem et expeditionem hujuscemodi audientiae et causae impedire poterit. Item si petierint, deputabuntur aliqui nobiles boni et litterati viri de concilio, qui cum ipsis vel eorum deputatis super propositis benigne et fraterne conferent, toties quoties opus fuerit. Item assignabitur ipsis pro tali audientia in congregatione ante mutuam nostram unionem honestus et decens locus, post unionem vero habebunt locum sibi juxta exigentiam suae legationis debitum et honestum. Item dabitur eis tempus unius, duorum vel plurium dierum mature deliberandi super hujuscemodi sua audientia et responsis sive replicationibus ex adverso proponendis, secundum quod petierint. Item dabitur eis copia ex adverso propositorum in scriptis, si petierint sic et ipsi dabunt similiter in scriptis, si petitum fuerit. Item quod nulla jura Canonum decretorum decretalium et statutorum quorumcunque edita vel edenda aut quaevis alia scriptura in et contra quantumcunque facinerosos homines etiam usque quaque a fide deviantes

sonantia cruciatae et sententiarum excommunicationis qualitercunque in praefatos Dominos nuntios utriusque status saecularis et spiritualis et a quocunque sive per quemcunque fulminatio decreta determinationes praesertim concilii Constantiensis, aut quaecunque declarationes ejusdem debebunt aut poterint quovis modo excogitatae salvo conductui et audientiae eorum praedictis derogare, eos infringere, infirmare aut quovis modo annullare. Item in causa quatuor articulorum, quam ut praefertur prosequuntur, lex divina, praxis Christi et Apostolica et ecclesiae primitivae una cum conciliis doctoribusque fundantibus se veraciter in eadem, pro veracissimo et indifferenti judice in Basileensi concilio admittentur. Item liberum erit eis, sicut et nobis salva pace et bona honestate coram dicto concilio, si placuerit, objicere sive accusare quoscunque status exorbitantes defectus sibi invicem quos senserint modeste exponendo. Item sicut Domini nuntii de Boemia instituerunt, ut publica crimina elimineutur ab ecclesia Dei et praesertim a loco dicti concilii, nos nuntii ejusdem concilii pro viribus cooperabimur, quod haec gradatim et opportune sicut et alia in ecclesia Dei fiant. Item ad quemcunque locum eundo, stando et redeundo per totum tempus salvi conductus eos contigerit declinare, nulla fiet cessatio a divinis nec interdictum servabitur propter eorum praesentiam. Item dabimus operam per honestam ordinationem, ita quod in suis divinis in ipsorum hospitiis agendis non inquietentur, aut turbentur. Quibus sic ut praemittitur ordinatis postea anno Domini MCDXXXIII currente dicti ambassiatores et nuntii Regni Boëmiae et Marchionatus Moraviae ad dictum Basileense concilium pervenientes, caeteris prius eis opportunis dispositis quatuor articulis, pro quibus se exposuerunt cum probationibus et fundamentis, quae pro eisdem habuerunt, in toto auditorio prae icti concilii publice proposuerunt, et post hoc contra se electos a concilio audierunt. Sub qualibus autem salvis conductibus ambassiatores et nuntii praefati Regni et Marchionatus concilium Basileense intraverunt, et quas post introitum positiones in causa quatuor articulorum contra se invicem proposuerunt, et ipsas sibi mutuo secundum condicta in principio in scripturis praesentaverunt, qualesque in illis materiebus altercationes contra se invicem habuerunt, et replicationes, qualia quoque postea utrisque regnum anno quo supra intrantibus legati ex parte concilii antedicti Regno obtulerunt, et quid a regno ad eorum oblata sit responsum, et qualia ultimo inter regnum Boëmiae et

Marchionatum Moraviae ex una et dictum concilium parte ex altera facta sunt compactata, illa omnia non oportet hic inserere, cum haec omnia in alio speciali volumine contineantur, ad quae, si cui placuerit, fieri poterit esse recursus.

C. 3.

Condescensus magistrorum cum sacerdotibus Thaboriensibus in magistrum Petrum Paine Anglicum sub quibus erat limitibus.

Interea materiebus ventilatis inter magistros Pragenses ex una et sacerdotes Thaborienses ex altera parte manentibus in audientiis praetactis finaliter in discussis ex certarum personarum instigatione postea anno Domini MCDXXXIV ambae dictae partes sub certis limitibus condescenderunt in magistrum Petrum Paine Anglicum compromittentes stare suo dictamini, quidquid ex scriptis magistri Joannis Hus, magistri Joannis Wicleff scriptis ipsius propriis et (secundum) indicem compactatorum in Egra inter partes praedictas pronuntiaverit, cujus partium compromissi forma et tenor erat talis: Volumus et promittimus stare scriptis magistri Joannis Hus, magistri Joannis Wicleff et scriptis magistri Petri Anglici in controversiis habitis inter nos Pragenses ex una et Thaborienses parte ex altera in materiebus sacramentorum septem ecclesiae, suffragii, invocationis sanctorum, rituum missae ac purgatorii, sic tamen quod magister Petrus omnia secundum scripta praemissorum et indicem compactatorum in Egra faciat. Magister autem Petrus illo in se suscepto onere cum pronunciatione inter praedictas partes facienda usque susceptionem a Regno Boemiae Serenissimi Domini Sigismundi Ungariae etc. Regis et Romanorum Imperatoris ipsius in regnum introductionem prorogavit. Post cujus in regnum introductionem anno Domini MCDXXXVI praedictus magister Petrus ad mandatum specialiter Seronissimi praedicti Imperatoris et aliorum instigationem Baronum ac Comitum ibidem pro tunc assistentium acclamationem inter partes praedictas quamvis una eorum parte scilicet sacerdotum Thaboriensium absente ista in forma fecit pronuntiationem.

C. 4.

Magistri Petri Paine Anglici natione inter Magistros Pragenses ex una et sacerdotes Thaborienses parte ex altera pronuntiatio.

In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti Amen. Quemadmodum majus bonum bono minori praeponitur, ita communis utilitas speciali praefertur; hinc est, quod alias coram Imperiali dignitate postulatus instanter et evidentiis variis incitatus potius volo in vestrarum magnificentiarum praesentia de *ineruditione confundi*, quam negotium arbitrandi mihi commissum relinquere imperfectum. Sed quia communiter verba diffusa fastidium generant in animis audientium, et quibus censura taciturnitatis indicitur, luxuriantis eloquentiae lasciviosa prolixitas congruere non videtur, sermonis dispendium declinare, satagam, arbitrium promulgando, sic tamen quod ipsius compromissi in me facti, prout ratio exigit aequitatis et justitiae limites deposcunt undique sic servata expediens tamen et praesenti operi accedendum decrevi formam et tenorem compromissi primo vestris auribus intimare, et paucis tunc adjectis pronuntiationem ulterius non differre, cujus sequitur forma, et est talis: Volumus et promittimus stare scriptis magistri Joannis Hus, magistri Joannis Wicleff et scriptis magistri Petri Anglici in controversiis habitis inter nos Pragenses ex una et sacerdotes Thaborienses parte ex altera in materiebus sacramentorum septem ecclesiae, suffragii sanctorum et invocationis sanctorum, rituum missae et purgatorii, sic tamen quod magister Petrus omnia secundum scripta praemissorum et judicem compactatum in Egra faciat. In hac verborum serie sapientes reor non latere, istud compromissum generale non esse, imo limitatum et restrictum; nemo igitur cujuscunque status fuerit aut dignitatis arbitro culpam impingat, aut detrahat quovis modo, si prior Patrum doctrinam arbitrando servaverit, compromisso supposito taliter ut praemittitur limitato, quia nihil extra compromissum arbiter facere potest; ff. de arbitris non distinguimus. Protestor insuper palam et publice, quod meae intentionis est in hac pronuntiatione mea nihil dicere piarum aurium offensivum, sacrae scripturae contrarium illud pertinaciter defendendo seu limites compromissi in me facti excedendo; et si, quod absit, quavis fragilitate oppositum contingat, prout rationis modera-

men expostulat, illud habeo pro non dicto. Qua protestatione praesupposita ejusdem inventorem ab omni haeresi excusante in hac parte, in materia commissa incipio pronunciare. His omnibus praemissis integraliter observatis, ac inconcusse ego magister Petrus Paine Anglicus natione inter praedictas partes arbiter constitutus, articulos infrascriptos tenendos et servandos pronuntio a partibus saepius antedictis. Istud pronuntio, pro *primo* articulo: ecclesiae septem sacramenta undecunque a variis diversimode nominentur, sunt tenenda et servanda, secundum quod congruit viatorum statibus et personis omni pravitate simoniaca exclusa ab eisdem, per avaritiam sacerdotum infidelium introducta. Patet iste articulus ex quarto trialogi, capitulis primo, secundo, tertio et communiter per magistrum Joannem Hus super quarto sententiarum satis diffuse, nec non et per illud, quod scripsi in quodam folio, qnando solebam sedere *in officio spirituali*. Ulterius pro *secundo* articulo istud pronuntio: sanctorum suffragia, qui sunt in patria coelesti, sunt ab hic viantibus merito postulanda secundum sententiam scriptorum, quibus stare promiserunt praedictae partes sibi invicem adversantes. Patet istud tertio Trialogi capitulo 31. de civili dominio, capitulo 31. et in sermone: Maria optimam partem elegit; et per magistrum Joannem Hus super distinctione 45. quarti sententiarum, et per illud, quod scripsi folio supradicto. Consequenter pro *tertio* articulo hoc promulgo: purgatio animarum a corporibus exutarum tempore legis gratiae est ponenda secundum scripta saepius antedicta, ut patet per magistrum Joannem Wicleff libro de nova praevaricatione capitulo 8. in libro Dialogi capitulo 33. De ecclesia 1., 5., 6., 20., etc. capitulis, de blasphemia, de dominio civili libro 1., 16. capitulo et multis aliis locis, et per illud, quod scripsi folio supradicto; pro hujusmodique animabus orandum esse, ac caetera pietatis opera exercenda pronuntio, dum tamen circa haec omnis simonia, missarum venalitas quaeque, ac aliae fictiones dolosae universaliter excludantur; et aliquid horum acceptare praesumentes per dominum archiepiscopum hic presentem secundum criminis exigentiam puniantur, pro oratione et operibus praedictis exercendis faciant scripta, quibus partes stare promiserunt, ut patet per magistrum Joannem Hus in sermone: Dixit Martha ad Jesum; et in decalogo Wicleff capitulo 23.; et per illud, quod scripsi folio saepe repetito. Item pro *quarto* articulo per viam arbitrii istud dico: Quod licet sacerdotibus Christianis missando vel divina peragendo uti orna-

mentis ad hoc officium communiter deputatis, omni tamen superfluitate et magna pretiositate resecatis. Istud patet per magistrum Joannem Wicleff de potestate Papae capitulo 11. et de apostasia capitulo 17. et per illud, quod scripsi folio in praetacto. Ultimo quoad petitionem et instantiam multarum civitatum dicentium: sacerdotes earundem velle stare meo dictamini absque aliqua limitatione, sic respondeo: isto praehabito, quod per vos est dictum, arbitror et pronuntio, quod in ornamentis ecclesiasticis divina peragant, ne populus in melioribus negligatur, et non in bona causa seu rationabili sacerdotes ex civitatibus excludantur, in aliis vero obediant doctrinae et mandatis Domini Archiepiscopi Pragensis nunc electi consonis legis Dei. Isto arbitrio sic ex Dei gratia terminato cujus effectus sicut etiam aliorum arbitrorum est ut status eidem prout liquet. Extra. de arbitris. Non sine omnipotentis Dei Majestate quo humilius valeo, illam imploro, quatenus corda partium sic moveat ad consenciendum in ipsum quod exinde ipsius et omnium celestium civium supernorum laus honor et gloria consequatur.

Haec pronuntiatio facta est anno domini 1436 post introductionem Imperatoris Sigismundi in regnum Bohemiae ad instigationem ipsius Imperatoris ac (baronum?) ac communitatum acclamationem inter partes praedictas. Cod. Universit. Prag. III. G. 8.)

C. 5.

Responsio sacerdotum Thaboriensium ad dictam magistri Petri pronuntiationem anno quo supra coram serenissimo Principe Domino Domino Sigismundo Romanorum Imperatore, legatis concilii Basileensis, Baronibus regni Boemiae, Magistris universitatis Pragensis, civitatibus ejusdem regni et magna astante multitudine nobilium et generosorum ac famosorum de Hungaria, Slesia et aliis regionibus diversis coronam regni Boëmiae et dictum Dominum Imperatorem respicientium.

Serenissime Imperator et alii viri magnifici! Quia alias coram vestris reverentiis facta est pronuntiatio inter Dominum Archiepiscopum electum et sibi adhaerentes parte ex una et sacerdotes Thaborienses parte ex altera, quae juris ordine observato fieri debuit in praesentia partium et non una absente; sed undecunque aut quomodocunque hoc accidit, paucis et circa hoc negotium nobis necesariis interpositis circa illam nostram deliberationem vestris

auribus decrevimus intimare. Primum et ante omnia vestras honorabilitates bumili supplicatione deposcentes de grata, benigna et attenta audientia sermonibus nostris accommodanda; nam novit scrutator cordis, nos paratos esse in nostris dictis et dicendis corda nostra subjicere velle doctrinae salvatoris nostri, ante cujus tribunal stabimus de singulis responsuri, nec non et sententiis doctorum veraciter se fundantium in eadem. Ex quo patet nos obstinatos non esse in his, quae tenemus, sed si quis nos devios a fide probare poterit, parati sumus credere veritati, et permanere cum illa. Priusquam ergo ad dictam pronuntiationem respondebimus, istud unum nobis necessarium videtur praemittendum, quia dictum est nobis, quod nuper, quando dicta pronuntiatio facta est nobis absentibus, coram vestris reverentiis fuisset dictum, quod nos in punctis, quae contra partem nobis adversam promovemus, saepe fuissemus devicti scripturis sacris et auctoritatibus sanctorum doctorum, quando nobis aliquoties cum ipsis deputata fuisset audientia, ubi et de missatione circa Conopisscz domini Procopii facta dicitur esse mentio, et de septem sexternis nobis in scriptis praesentatis; sed quod nos per potestatem exercituum illis non obstantibus in punctis illis, quae tenemus, praehibito, quod sic sit dictum, ad hoc sic respondemus: referentes nos ad communitates nobis audientias cum auditoribus nobis parte ex utraque deputantes, quod nunquam per illos auditores nobis deputatos est nobis intimatum, quod in aliquo simus devicti; potentia etiam in his factis usi non sumus, sed scripturis sacris et doctorum sanctorum sententiis se in eadem fundantibus ante moderna bella tempore illorum bellorum et post illa bella nos in punctis hactenus nominatis defendimus. In cujus signum istud promissum, quod utrique magistro Anglico fecimus, hoc jam dicta potentia sublata egimus, et hodie parati sumus stare coram reverentiis vestris contra quemcunque ex illis, ut si quis dimissa omni violentia et potentia et receptia dictis scriptis sibi in adjutorium sciverunt, vere probari lege Dei, praxi Christi et apostolica, ecclesiae primitivae consiliis doctoribusque fundantibus se veraciter in eadem, quod in aliquo excesserimus contra fidem aut contra bonos mores, aut ritus, quos primitivi Christiani cum apostolis ex doctrina Christi servaverunt aut ex quavis circumstantia deviare contigerit, parati sumus obedire veritati et permanere cum illa. Et circa hoc declaretur missa Procopii circa Conopisscz, quomodo et quibus ex causis et ad quem finem facta est.

Secundo vestrum omnium reverentias exhortamur, ut pensata forma compromissi et tenore utraiumque partium in magistrum Petrum factis et in pronuntiatione sua insertis diligenter pensetis, si pronuntiationem inter praedictas fecit, ut debuit, et patet cuilibet advertenti, quod pronuntiatio scilicet non est facta secundum formam compromissi, quia solum secundum unam partem compromissi pronuntiavit, cum tamen omnia debuit facere secundum scripta magistri Joannis Hus, magistri Joannis Wicleff, scripta sua propria et secundum judicem compactatum in Egra nec nos unquam voluimus stare scriptis praedictorum trium sine indice antedicto, nec materiam fidei dare voluimus super aliquo homine vivente. Et per consequens ex quo magister Petrus pronuntiando inter partes fuit extra compromissum, et limites ejusdem compromissi in se facti excessit, ad suscipiendam illam suam pronuntiationem non sumus obligati, quod ex verbis ipsiusmet pronuntiatoris evidet; primo ex eo, ubi dicit, quod nihil extra promissum arbiter facere potest, ff. de arbitris illo non distinguimus. Secundo ex eo, quod in protestatione sua sententionaliter dicit, quod si excesserit limites compromissi in eum facti, prout rationis moderamen expostulat, illud habet pro non dicto. Tertio patet id ex eo, quia juris ordine observato pronuutiato debuit fieri in praesentiá partium et non una absente. Illis praemissis undecunque aut quomodocunque accidit illa pronuntiatio, jam ad ejus sententiam sic respondemus, quia illam ad bonum ejus intellectum servare volumus, stantibus compromisso et protestatione in ipsa pronuntiatione factis, summopere exoptantes, ut omnes et singuli in punctis pronuutiatis conformemus nos Christo et apostolis in his, quae circa eadem lege Domini continentur et necessitas concernit fidei, aut requirit, omnibus circa haec sensibus fidei impertinentibus postergatis: ne autem super hac pronuntiatione nova inter nos in postero litigio oriatur, mox in praesenti nostram circa hanc sententiam exprimimus, scientes, quia circa doctrinam veritatis catholicae verbis sic ordinate conceptis incedendum est, ut nullibi sit in futurum offendiculum, unde aliquis posset habere occasionem erroris. Respondentes ergo ad articulum primum, ipsum concedimus ad hunc sensum, quod ecclesiae septem sacramenta sint tenenda et servanda, in quantum videlicet a Christo in sua puritate et substantia sunt instituta, aut exemplata; nec est de intentione nostra, nec unquam fuit, contemnere aliquam laudabilem alicujus sacramenti sumptionem aut

sacramentum aliquod ex dictis ut sic quomodolibet parvipendere. Ad articulum secundum respondentes ipsum concedimus ad hunc sensum, quod sancti in patria coelesti pro capacitate suffragantur hominibus in ecclesia militante, et affectum bonum habent ad nos, in quantum nobis unum existentibus cum illis, nos sine illis et ipsi sine nobis consummatam non consequuntur beatitudinem juxta dictum apostoli Hebraeorum 6. Quantum ergo hoc bonum sancti in coelo existentes desiderant, tantum bonum nobis affectant, et illa sanctorum, qui sunt in patria coelesti, suffragia dicimus ab hic viantibus merito postulanda, cum nunquam asseruimus ea nullatenus fore a Deo postulanda, exemplo prophetae David, qui, ut canit ecclesia, orabat Deum dicens: participem me fac Deus omnium timentium te, et custodientium mandata tua. Ad tertium articulum respondentes ipsum concedimus ad hunc sensum, quod animae salvandorum super fundamentum, quod est Christus, lignum, foenum, vel stipulam aedificantium juxta verbum apostoli 1. Corinth. 3. in die Domini per ignem, qui revelabitur in illo, ab omnibus suis inquinamentis finaliter purgabuntur; cum Apocalypsis 21. in beatitudinem non intrabit aliquid coinquinatum, et si quae tales animae in vita praesenti per ignem tribulationis et alios modos in fide scripturae expressos vel in mortis articulo statim in adventu futuri saeculi purgatae non fuerint, sed purgandum post hanc vitam aliquid in eis remanserit, illas concedimus secundum dictum beati Petri per ignem emundatorium extremi judicii ab omnibus suis inquinamentis secundum Dei ordinationem finaliter expurgandas; cum doctores Augustinus, Hieronymus, Gregorius et Remigius cum glossa ordinaria illa verba apostoli de ligno, foeno et stipula, super quibus communiter nituntur fundare purgatorium, exponunt ad litteram de die judicii et de igne emundatorio, qui revelabitur in ipso, et ad sensum mysticum de die et igne praesentis tribulationis, et verba praedicta apostoli bene de virtute sermonis illi utrique sensui, et non alteri extra fidem scripturae fabricato adaptantur. Quoad quartum articulum pensantes ex una parte hoc, quod per viam arbitrii inter nos et partem nobis adversam circa illum dicit, et quod respondet parte ex altera ad petitionem et instantiam certarum civitatum dicentium: Sacerdotes eorum velle stare suo dictamini absque aliqua limitatione, sic respondemus, quod capiendo *licet* pro admisso, ut communiter capitur a legistis, tunc dicimus, quod licet sacerdotibus caesareis, qui tempore dotationis

Constantini receperunt ab eo Imperialia ornamenta, missando vel divina peragendo uti ornamentis ad hoc officium communiter deputatis, sacerdotibus autem Christi licet reddere, quae sunt caesaris caesari, et observare formam apostolorum sequendo illos, qui ita ambulant, sicut habent formam illorum. Ubi autem in fine pronuntiationis dicitur, quod sacerdotes volentes stare suo dictamini absque aliqua limitatione, in aliis obediant doctrinae et mandatis Domini Archiepiscopi electi consonis legi Dei, petimus hic cum communitatibus nostris unanimiter qualiter consecratio et confirmatio ipsius ad effectum deducantur, et mox libenti animo parati erimus, sibi obedire praecise de quanto ipse fidem Christi docuerit, et virtutes; sic autem pro tanto respondemus, quia isto non praehabito, scilicet de Domino Archiepiscopo, quis dicet nobis aut mandabit, quid, quantum aut quando facere debeamus aut exequi, qui electus est per Dominos et communitates atque clerum, et qualia promissa et obligationes circa hanc materiam sibi facta sunt, nos non latet. Ex quibus omnibus bene et fideliter pensatis potest cognosci causa sacerdotum Thaboriensium, et si verae sunt magistrorum Pragensium ejusdem impugnationes.

Omnium quasi praecedentium epilogatio.

Ut autem ea melius, quae a principio hujus operis usque huc scripta sunt, memoria teneantur, et discrepantia magistrorum Pragensium a sacerdotibus Thaboriensibus memorativius percipiantur, restat per modum epilogi articulos magistrorum inserere, quos interim causa praescripta utrorumque praecedente scriptotenus publicare consveverant, articulos sacerdotum Thaboriensium his in pluribus contrarios juxta ponendo.

Articulus primus magistrorum.

Inprimis credimus et tenemus, ad quod singulos christianos adhortamur, ut credant et teneant, quod Christus verus Deus et verus homo est in sacramento visibili Eucharistiae secundum suam propriam naturam et substantiam corpoream, et secundum ejus naturalem existentiam eandem penitus in natura, quam sumpsit de virgine Maria et secundum quam residet in coelo in dextera Patris, cui in eodem sacramento honor, cultus, genuflexione, adoratione luminum accensione et aliarum venerationum exhibitione debet exhiberi.

Cui juxta ponitur articulus sacerdotum Thaboriensium.

Inprimis credimus et tenemus, sicut et antea tenuimus et credebamus, quod panis, quem Christus in sua coena accipiens suis ad manducandum dedit discipulis, et in cujus digna perceptione per ministerium fidelium sacerdotum reliquit memoriam suae passionis, est in natura sua verus panis, qui pronomine *hoc* demonstratur in hac propositione sacramentali: hoc est corpus meum; et cum hoc vere sacramentaliter et realiter corpus Christi de virgine sumptum et pro nobis traditum, qui in sibi debita habendus est reverentia, et fideles illum venerantur non ut panis substantiam, sed de quanto, ut praemittitur, est corpus Christi, cujus verum corpus in eodem esse, veraciter sacramentaliter ac spiritualiter est credendum, non autem cum omnibus proprietatibus tam essentialibus quam accidentalibus, consequentibus ipsum idem corpus in coelo in dextera Dei sedens, nec ad sensum ponentium corpus Christi taliter ibi esse, quod ille modus praesupponeret desitionem substantiae panis, et conversionem substantialem ipsius in corpus Christi, ad quod omnis fidelis in mente debet attendere suspensa consideratione circa naturam materialis substantiae sacramenti, cum sollicitudo fidelium vere adorando, genuflectendo et cogitando esse debeat in imitatione Salvatoris nostri, et devotione ad ejus corpus, quod sursum est, et etiam modo praedicto in ipso venerabili sacramento, et proportionaliter de sacramento calicis est intelligendum.

Articulus secundus magistrorum.

Credimus et tenemus, quod septem sacramenta videlicet Baptisma, Confirmatio, Poenitentia, Sacrosancta Eucharistia, Ordo, Matrimonium, Unctio sacra, sunt ex fide catholica necessaria ac salubria antidota animarum ab omnibus promovenda et tenenda.

Cui juxta ponitur articulus Thaboriensium sacerdotum.

Secundo tenemus sicut et antea semper tenuimus, quod Baptismus, Manuum impositio, Coena Dominica, Poenitentia, Ordo, Matrimonium et infirmorum unctio, quae vocantur communiter sacramenta, et si qua alia sunt in lege, quae eadem ratione dici debent sacramenta, sicut aliquod ex his septem in auctoritate, forma, sensuque Christi in fide et ritu ac praxi primitivae ecclesiae, cujus

rectores erant apostoli, fuerunt et sunt capacibus multum utilia ac salubria antidota animarum, non tamen sic simpliciter necessaria, quin aliquando sine susceptione talium in signo sensibili fiat salus.

Articulus tertius magistrorum,

Item tenemus, quod sacramentum Baptismatis more ecclesiae cum exorcismis et cum patrinis, cum chrismate et oleo sacris ac cum trina Immersione in aqua benedicta, ac aliis ritibus consvetis est exercendum, dum ad ista adest congrua opportunitas loci, temporis et personarum.

Cui juxta ponitur articulus sacerdotum Thaboriensium.

Etiam tenemus, sicut et antea semper tenuimus, quod sacramentum Baptismatis observatis his, quae ex fide scripturae ad ejus requiruntur necessitatem, et circa ipsum sunt utilia exemplo apostolorum et ecclesiae primitivae, potest licite, vere et libere loco et tempore opportunis exerceri sine exorcismo, exsufflatione, sale, signatione crucis in pectore et in fronte, sine limitatione aurium, narium et pectoris et scapularum, sine unctione chrismatis in vertice, et ejusdem cum olio per episcopum, et aquae per sacerdotes, ut inquiunt, benedictione, sine trina immersione et patrinorum requisitione, et sine quibusdam aliis circa hoc sacramentum ab ecclesia Romana moderna institutis, et quandoque nimium solemnisatis et pensatis.

Articulus quartus magistrorum.

Item credendum est et tenendum et instandum est, quod baptizati a proprio episcopo juxta formam et statuta ecclesiae primitivae cum chrismate sunt confirmandi.

Cui juxta ponitur articulus sacerdotum Thaboriensium.

Item manuum impositionem, quam nunc vocant confirmationem, si episcopus canonice electus per se reservaverit, illam exerceat, ecclesiae ad profectum, cujus licet in apostolis sanctis habemus exemplum, nullibi tamen in scriptura invenimus de faciendo ipsam ex obligatione praeceptum, intentione tamen ac ritu Apostolico factam, caeteris paribus, salubrem fore, et utilem confitemur.

Articulus quintus Magistrorum.

Item tenemus, quod pro remedio animarum lapsarum et labentium ac poenitere volentium confessiones auriculares idoneo sacer-

doti sunt exercendae et remedia salutifera scilicet jejunia, elemosynae et orationes ac caetera opera satisfactionis pro modo culpae sunt eis injungenda.

Cui juxta ponitur articulus sacerdotum Thaboriensium.

Post haec tenemus, prout et semper tenuimus, quod ad medelam animarum, quae spiritualiter infirmatae deciderunt, et decidunt poenitereque volunt, praesupposita poenitentia est animo simpliciter necessaria ad salutem, qua contritus Domino insensibiliter confitetur, et cum expressione quandoque vocali singulariter sibi facta, vel cuicunque indifferenter fideli a prudentioribus requirens consilia, juxta informationem beati Jacobi et praxim ecclesiae primitivae adjunctis quandoque salubribus remediis jejuniorum, elemosynarum, orationum, aliorumque bonorum operum, ad quae omnia tanquam ad eandem ex fide scripturae utilia seu necessaria nos hortamur, sicut et antea hortabamur, sufficit prout quondam suffecit sine confessione auriculari tantum facta privato presbytero juxta formam et obligationem Innocentii, et ecclesiae Romanae modernae, et sine forma usitata absolutionis, et poenitentiae in numero et pondere et mensura secundum voluntatem confessoris injunctione, quae humanitus et infundabiliter quoad scripturam sunt inducta, et non de necessitate requisita, magis simoniam et cleri extollentiam, quam salutem promoventia animarum.

Articulus sextus Magistrorum.

Item credendum et tenendum est, quod sacramentum ordinis duntaxat ab Episcopo vel Episcopis est conferendum.

Cui juxta ponitur articulus Thaboriensium sacerdotum.

Non ex fide scripturae sed ex consuetudine habetur ecclesiae, quod ordo a solis duntaxat Episcopis conferatur, intelligendo Episcopum plus sacramentalis auctoritatis essentialis habere ultra alios veros et simplices sacerdotes.

Articulus septimus Magistrorum.

Item tenendum est quod sacramento Ordinis soli duntaxat annexae sunt claves ecclesiae et potestas solvendi et conficiendi et vasa sacra contrectandi, sic quod non alteri statui vel personae (licet).

Cui juxta ponitur articulus sacerdotum Thaboriensium.

Item potestas solvendi atque ligandi et conficiendi data est a Christo apostolis, et conceditur veris eorum sequacibus vicariis, non tamen ut pro sua utantur talibus voluntate, vasa vero rerum ecclesiasticarum contrectandi nullibi in scriptura aliis licentia denegatur fidelibus, exclusis tamen irreverentia et contemtu.

Articulus octavus Magistrorum.

Item tenendum est et credendum, quod sacramentum matrimonii usque in saeculi finem libertatum et libertandum est exercendum in personis idoneis et capacibus juxta statuta sanctorum et ecclesiae catholicae et regulas ab illa traditas et ordinatas, exclusis circa hoc erroribus et caeteris exorbitantiis, et signanter hoc errore, quod filia in annis discretionis et in aetate puellari existente et absque consensu parentum cuipiam matrimonium vovente sunt divortiandae propter dissensum parentum vel propinquorum.

Cui juxta ponitur articulus Thaboriensium sacerdotum.

Item matrimonium exercendum legitime in personis idoneis et capacibus libere profitemur, nubere tamen volentibus lascivia, temeritas, parentum inobedientia, deordinationes caeterae praecludantur.

Articulus nonus Magistrorum.

Item credimus. et tenemus, quod sacramentum extremae unctionis poscentibus aegris et infirmis juxta formam et ritum ecclesiae sanctae est ministrandum, et exercendum, et nos hortamur omnes et de post volumus adhortari, ut, cum in gravem infirmitatem inciderint, illud sacramentum non omittant, aut quovis modo contemnant, quia contemptores illius et aliorum sacramentorum sunt castigandi et juxta censuram ecclesiae corrigendi.

Cui juxta ponitur articulus Thaboriensium sacerdotum.

Insuper praeponentes et confitentes utilitatem unctionis infirmorum ad intentionem et finem per apostolos ad memoriam reductae, ac ritu eorum ac virtute factae, de qua beati Marcus et Jacobus faciunt mentionem, super aegros olei in partibus determinatis impo-

sitionem ab episcopo quandoque simoniaco et simoniace promoto prius, ut inquiunt, benedicti et saepe usque ad corruptionem et foetorem retenti cum recitatione litaniae, orationum, et alia juxta formam Romanae modernae usitatam ecclesiae ordinatione carentes de hac scriptum expressa legis ac sententia sanctorum se inevitabiliter fundantium in eadem, non audemus illam pro fidei articulo practizare, et confiteri tanquam sacramentum, ut sic a Christo vel ejus apostolis institutum, reputantes ipsum ut sic non a Christo nec ab ejus apostolis sed ab humana institutione processisse, cum, si talis corporalis unctio foret sacramentum, ut modo fingitur, Christus et caeteri apostoli ejus promulgationem et executionem debitam non tacerent.

Articulus decimus Magistrorum.

Credimus, et tenemus, quod decem praecepta dominica et caetera puncta evangelica sunt a cunctis fidelibus sub obtentu salutis aeternae observanda, in sensu vero, quem Spiritus Sanctus flagitat et sanctorum sententia concors Spiritui Sancto disserit, et explanat, potissime attendendo ad matrem et magistram omnium nostrum ecclesiam primitivam Spiritu Sancto regulatam, et praxes ejus ac executiones eorundem praeceptorum.

Cui juxta ponitur articulus sacerdotum Thaboriensium.

Item credendum est et fideliter tenendum, quod praecepta Dominica imo et lex integra christiana, quae est aggregatum ex omnibus veritatibus scripturae sacrae succedens pro suo tempore, quarum aliqua est temporalis manens pro sua periodo, aliqua manens perpetuo, et aliqua stans in aeternitate cum Deo, quam Christus non venit solvere sed implere, et quae tam firmae existit veritatis, quod nullum jota vel apex ipsius fallere potest, sunt a cunctis fidelibus sub obtentu salutis aeternae observanda secundum uniuscujusque conditionem atque statum.

Articulus undecimus Magistrorum.

Tenendum est et observandum, quod in occisione reorum non est lex vetus in singulis suis judiciariis sequenda et alleganda, nec ipsa occisio a quoquam est in propria causa aut vindicta exequenda, nec in quemquam nisi in eum, qui aliter corrigi nullatenus valet, nec unquam aliter nisi magna urgente necessitate lex nova occidere licenciat, et per potestates legitimas svadet et auctorizat, hoc autem ut

fiat cum magna compassione, et cum conditionibus sedecim charitatis, et ipsa regula legis naturae observetur: Quod tibi non vis rationabiliter, alteri non facias.

Cui juxta ponitur articulus Thaboriensium sacerdotum.

Item tenendum est, et firmiter observandum, quod nec in condemnatione reorum nec in occisione lex vetus ut hujusmodi in singulis suis judiciariis est exequenda, nec leges humanae Evangelio contrariae sequendae sunt, et allegandae, nec ipsa occisio unquam in aliqua causa alicui infligenda, nisi si et in quantum urgente necessitate lex nova occidere vel condemnare licentiat, et ecclesiae primitivae praxis declarat, et ostendit, ita tamen quod circa praedictam sedecim conditiones charitatis observentur et ipsa legis naturae regula: Quod tibi non vis rationabiliter, alteri ne feceris.

Articulus duodecimus Magistrorum.

Credendum est et tenendum, quod res alienae a quantumcunque justis de communi lege non solum sunt avare non invadendae, nec concupiscendae, nec nocive tangendae, et plebs fidelium in bonis suis non est opprimenda, juxta documenta Pauli: Mala non sunt facienda, ut bona eveniant.

Cui juxta ponitur articulus sacerdotum Thaboriensium.

Item firmiter tenendum est, quod de lege communi res alienae non solum non sunt avare invadendae, sed nec tangendae nocive, nec concupiscendae, nec plebs fidelium et innocentium quomodolibet opprimenda, semper tamen salvo sensu scripturarum infra annotatarum, et aliarum ipsis similium: nemo militat propriis stipendiis unquam: Omnia vestra sunt, justi tulerunt spolia impiorum; custoditur justo substantia peccatorum; David cum his, qui cum eo erant, comedit de panibus, quos non licebat comedere, nisi solis sacerdotibus, cum injustum non potest esse, quod justititia fieri jussit.

Articulus decimus tertius magistrorum.

Credimus et ex scriptura comperientes tenemus, quod sancti in coelis chaistianis hic fidelibus suis orationibus et charitativis auxiliis pro capacitate sive eorum dispositione suffragantur, quos fideles possunt licite postulare, et exorare pro auxilio et intercessione, circa hoc tamen cultum latriae soli Deo debitum eis non impendentes, sed

in moderamine, prout decet, ad sanctos se habere, ad eosdem habentes et quidquid deordinati fuerit, respectus ad sanctos et supra mensuram postulationis hoc abjicentes.

Cui juxta ponitur articulus sacerdotum Thaboriensium.

Caeterum quamvis credamus et ex fide scripturae teneamus, sicut et prius tenuimus, et tenebamus, quod sancti coelestis patriae ac fideles hic viantes affectum bonum habeant, et ipsis suffragantur, qui ipsorum suffragiorum participium a Deo optare debent, quod et nos optamus, scripturam tamen expressam nescimus nos sub aeterna damnatione obligantem ad tenendum pro fidei articulo, quod sancti in coelestibus a fidelibus hic viantibus pro dicto suffragio et intercessione debeant necessario invocari, quod tamen si necessario fieri debeat, Christus et caeteri apostoli hujus promulgationem et executionem debitam non tacerent.

Articulus decimus quartus magistrorum.

Item tenemus, et ex multis sanctorum scripturis comperientes in lege Domini fundatis credimus, quod animarum a corpore exutarum locus purgatorii post hanc vitam est ponendus, quae non ad plenum hic in via pro peccatis satisfecerunt, post hanc vitam purgatae salvabuntur, quodque fideles hic in via talibus propter vinculum charitatis et spiritus possunt et debent jejuniis, orationibus, elemosynis et sanctis operibus pie suffragari, circa hoc tamen semotis et detestatis omni avaritia, lucris deordinatis sacerdotum, qualibet simonia, quae olim sacerdotes avari et simoniaci imo hodie exercebant et exercent.

Cui juxta ponitur articulus Thaboriensium sacerdotum.

Amplius quamvis teneamus, et ex fide scripturae legis credamus, sicut et antea tenuimus, et credebamus, quod animae salvandorum in illo magno et longo tempore ab initio videlicet mundi usque ipsius consummationem sunt secundum scripturas et Dei ordinationem ab omnibus suis inquinamentis finaliter expurgandae: scripturam tamen legis expressam ignoramus nos sub aeterna damnatione obligantem ad tuendum pro fidei articulo, quod locus purgatorii animarum corpore exutarum post hanc vitam sit ponendus tempore legis gratiae praehabita Christi assensione, in quo postmodum poenas sensibiles corporales sustinentes purgatae salvarentur, et quod fideles

hic in via talibus debeant jejuniis elemosynis et orationibus ac piis aliis operibus suffragari, quod tamen si esset et necessario fieri deberet, Christus et caeteri apostoli bujus promulgationem et executionem debitam non tacerent.

Articulus quindecimus Magistrorum.

Item tenemus, et firmiter observare intendimus, quod ritus et ordo sacrificandi in missa et vesperis ut circa alia officia divina in signis et habitu consvetis est legitimus et debitus pront circa missam est humerale, alba, stola, mappula, cingulum et ornatus ab ecclesia ordinatus, qui ritus absque notabili necessitate et circumstantia debita et magna in missa (et) aliis divinis officiis a sanctis in honorem et laudem Dei dispositis et ordinatis a sacerdotibus Christi non debet omitti, sed in facto teneri et observari.

Cui juxta ponitur articulus Thaboriensium sacerdotum.

Cum hoc etiam in missando observantes et promoventes ea, quae de ejus sunt substantia et necessitate, sequentes circa hoc ritum beati Dionysii, in quantum promovet devotionem populi in cantu moderato et vulgari, in lectione scripturarum sacrarum, in aedificatoria praedicatione, et indignorum etiam a visione sacramenti pro posse exclusione et in aliis, quae secundum legem evangelicam ad bonum suffragantur, tenemus et confitemur, quod ritus missandi in signis omnibus et vestimentis consvetis puta in alba, humerali, mappula, cinctorio et casula, quae ecclesia moderna Romana instituit et communiter observat, et quidam magistri Pragenses a peccato excusant, et exercent, nostro videre nullibi expressum fundamentum scripturae habet; quod si fuerit, ritus legitimus et debitus non est; cum legitimus secundum virtutem vocabuli, ut dicit Catholicon, est bonus secundum legem habitus vel factus et debitus dicitur ad sic faciendum obligationem, nec est ritus apostolicus nec apostolorum sanctorum discipulorum nec ecclesiae universalis, sed est ritus ecclesiae Romanae modernae a multis pontificibus Romanis longo post apostolos ab imitatione jam evangelii Christi notabiliter declinantibus fabricatus et onerose introductus, quem ex causis idoneis omisimus, in hoc, ut speramus, caeteris paribus, non peccantes.

Articulus sedecimus Magistrorum.

Item jejunia in vigiliis sanctorum ipsi Deo facienda et alia jejunia debita in ecclesia sancta hucusque legitime observata ipsi volumus observare et nobis subjectos ad observandum tenere.

Cui juxta ponitur articulus Thaboriensium sacerdotum.

Item cum diligentia promoventes omnia jejunia a lege Domini commendata et a fidelibus tam in lege veteri quam nova meritorie observanda jejunia vigiliarum sanctis limitata idolatriam sapientia et in lege Domini non fundata ac alias undecunque deordinata cum cibis specialibus, rarioribus, pretiosioribus, ac lautioribus, ratione quorum pauperes plus spoliantur, divites autem ingurgitantur, non promovemus, sed quomodolibet detestamur, optantes, ut totus populus christianus Domino complacenter ac sanctis primitivis conformiter jejunarent.

Articulus decimus septimus Magistrorum.

Item tenemus, quod festivitates sanctorum praesertim Domini nostri Jesu Christi, quae sunt beatae virginis Mariae, apostolorum Christi Jesu, Martyrum sanctorum, et caeterae antiquae, quae in ecclesia Dei in celebratione ab antiquo observatae modo debito non solum ab opere servili corporalis laboris sed et abstinendo a peccatis, veluti ebrietatibus et caeteris deordinationibus, sunt festivandae, de aliis vero festivitatibus minoribus ex unanimi consensu clerus congregatus sibi juxta Deum propositis quid concluserit illas diminuendo vel secus de eisdem ex instinctu spiritus constituendo, volumus contentari.

Cui juxta ponitur articulus Thaboriensium sacerdotum.

Item cum Apostoli sine quibusdam festivitatibus modo consvetis et usitatis sanctorum plus nobis dilexerunt Dominum Jesum Christum, et ut reputamus, nec scripturae nec apostoli has docebant, videtur nobis catholicum dicere, tot sanctorum novitates esse temerarium, et prodesse ecclesiae, quod cessantibus istis omnibus festivitatibus sanctorum solum Christi festivitas observetur, quia sic Christi memoria recentius haberetur, et plebis devotio non sic in membra Christi indebite spargeretur, cum non valeat solemnisatio vel festivitas talis, nisi de quanto ad magnificandum praeparat, et ad honorem suum incitat et ad amorem suum provocat et accendit.

Articulus decimus octavus magistrorum.

Item tenendum est, et diligenter observandum, quod ecclesias sive Basilicas exurere sive destruere absque inevitabili et stricta necessitate, aut ipsas quomodolibet violare aut contemtibiliter profanare, altaria sacra subvertere, aut loca alia consecrata quovis modo polluere est grande sacrilegium et nefas a cunctis fidelibus execrandum.

Cui juxta ponitur articulus Thaboriensium sacerdotum.

Item ecclesias divino cultui mancipatas exuere seu destruere prohibemus; speluncas vero latronum execratas et simonia infectas, in quibus legis Domini praxis non exercetur fideliter, *tratare, ut decet tales, nolumus prohibere.*

Articulus decimus nonus magistrorum.

Item tenendum est, et simul observandum, quod res ecclesiae et Deo dedicatas, ut sunt ornamenta, et pallae et vasa sacra in ministerium Domini deputata, et alia caetera auffere absque inevitabili et pia intentione et necessitate et illa in alios usus humanos convertere et commutare, est sacrilegum et profanum.

Cui juxta ponitur articulus Thaboriensium sacerdotum.

Item res ecclesiae quasque furto aut sacrilegio auferre interdicimus, sed in usus pauperum, seu redemptionem captivorum, aut in alios quoscunque convertere usus pios, non intendimus prohibere.

Articulus vicesimus magistrorum.

Item clericus professionem suam etiam habitu et tonsura a communi populo differente gestu et incessu probet, nec vestimentis nec calceamentis decorem sed religionem quaerat.

Cui juxta ponitur articulus Thaboriensium sacerdotum.

De habitu et gestu cleri a communi populo differente, quamvis libertas religionis Domini requirat, quod cuncta talia sensibilia, quae non sunt virtutes vel gratiae, licet nedum laico sed clerico nunc dimittere, nunc tenere, cum de indumentis corporalibus non legimus Christum vel apostolos legem particulariter tradidisse, sed sine dissensione vel scandalo nunc unum indumentum, nunc aliud leniter acceptasse, docendo nos, ut faciamus similiter. In cujus signum

Christus legitur in ultimo die suae viationis variationem triplicem sui habitus sine apostasia indubie induisse; quandoque enim habuit vestem communem, quae probabiliter creditur tunica inconsutilis, supra qua milites sunt sortiti; habuit secundo vestem albam, in quam Herodes induit ipsum tamquam stultum; habuit tertio vestem purpuream, per quam sua cruentatio celaretur. Ad quid autem ordinasset omnisciens hic fieri, si non ad futuras privatas observantias in vestibus refutandas, tamen si placet sacerdotes Domini professionem suam in gestu et habitu omnibus aliis a communi populo differentius ac praeeminentius, ut est concedens, comprobare, non convenientius potuerit hoc facere, quam secundum doctrinam Apostoli, quam tradidit ad Timotheum et Titum, ut irreprebensibiles sint sicut Dei dispensatores, sintque exemplum fidelibus in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, fugientes sibi omnino a scandalosa et vitiosa conversatione, cum nulla scriptura alia de dispositione sacerdotis sit completior, quam illa, quae complectitur, quidquid necessarium sit sacerdoti cuicunque. De tonsuris autem ac aliis pluribus ritibus pro sacerdotibus Romanae ecclesiae traditis nec docemur verbo nec exemplo Christi et suorum apostolorum, sed magis de opposito, in quibus securius est fideli Christum et apostolos imitari quam alios. Ne tamen de habitu oriatur inter nos difficultas, consentiamus nobis in habitu Joannis Baptistae, quem Dominus Jesus commendat, aut in sacris duorum testium, de quibus in Apocalypsi, quia istud bene scimus fundabile in lege gratiae libertate tamen legis Domini semper salva.

Articulus vicesimus primus magistrorum.

Item quilibet Christi sacerdos, cui tempus et locus facultatem dant, ad horas canonicas sit obligatus, nisi meditatione aut studio in lege divina, aut alio utiliori inevitabiliter sit praepeditus, quod si quis otiis vacaverit, et tempus, pro quo aut orare aut studere potuit, vane consumpserit, sit anathema.

Cui juxta ponitur dictum sacerdotum Thaboriensium.

Non reprehendimus, sed verius laudamus, si sacerdotes non existentes magis arduis praepediti, legerent bibliam secundum distinctionem historicam ab antiquo distinctarum, modum orandi, quem Christus limitat, imitando, alium vero modum sensibilem secundum

artem humanam introductum, secundum rationem et proficiendi experientiam moderando, cum occupatio fastidiosa circa nimiam multitudinem psalmorum omni die explendam,.et multiloquium in orando ex propria voluntate veniens, dum haec fiunt sine attentione, et cum poena superbiente et murmurante non multum videatur valere, quia per talia labor eorum et expletio exterior corporalis in tantum hominem praepedit quandoque, et abducit, et conatus ejus terminat, quod his occupatus Deo vacare in intimis impeditur, et negligit. Sed neque discit neque curat amplius, ut sciat unquam in spiritu et veritate Deum Patrem adorare, quod tamen Deus requirit in oratione, et demandat principaliter.

Articulus vicesimus secundus magistrorum.

Item placuit omnibus, quod in proxima generali congregatione saecularium petantur Domini Barones et omnes communitates regni de consensu dando ad translationem dedicationum ecclesiarum hujus regni ad unum certum diem Dominicum, quod ipso die omnium fiat celebratio simul uniformis.

Cui juxta ponitur articulus Thaboriensium sacerdotum.

Dedicationes ecclesiarum modo usitatae carent fundamento scripturae in nova lege; quia quamvis primum Salomon fecit dedicationes, demum Esdras, post hoc Judas Machabaeus, in quibus et Christus legitur interfuisse, tamen dudum legalia cum cessaverunt, christiani pro tempore legis gratiae praesertim post promulgationem Evangelii ad illas observandas non obligantur, cum juxta sententiam beati Hieronymi cultus divinus pro nunc, qui debet esse in spiritu et veritate, sicut et evangelica sacramentorum ministratio non requirit ritum splendidum vel ornatum pretiosum vestimentorum; ideo placeret nobis, quod omnino postponerentur, ne judaizare videantur, et praesertim propter turpem observationem earum, et propter fictas et simoniacas benedictiones basilicarum, et nimis multas superstitiones, quas simplices contrahunt ex hoc, credentes multa, quae minime sunt credenda, cum, si ad dedicationes hujusmodi obligarentur christiani, secundum testimonium apostoli universae legis fierent debitores, si autem poterit hoc ordinari, ut fiat translatio dedicationum ecclesiarum hujus regni ad unum certum diem Dominicum, sic videlicet, quod ipso die omnium fiat simul celebratio uniformis semotis circa has avaris et quaestuosis lucris sacerdotum, et aliis deordinationibus laicorum et

superstitionibus, si volunt ob devotionem populi non secundum morem judaicum ut talem, ut uno die Dominico celebrentur, instent et pro illo, ut qua die feriata festum usitatum alicujus sancti occurrat, non ibi sed dominico immediate praecedenti illius fiat commemoratio, non ad cultum sed ad imitationem, cum sancti secundum Augustinum et si non ad cultum, tamen ad imitationem sunt relicti.

Articulus vicesimus tertius Magistrorum.

Item tenendum et fideliter observandum pro unitate et societate catholica in nobis perpetuo conservanda et pace ecclesiae custodienda juxta decretum Clementis omnes sacerdotes et alii Christi subjecti fideles teneantur episcopis etiam discolis et aliis praepositis in omnibus praeceptis licitis et honestis obedire, etiam si ipsi aliter, quod absit, agant, quam debeant juxta praeceptum domini, quod dicit, quae dicunt, facite, quae autem faciunt, facere nolite, et quod tales episcopi non leviter sunt arguendi sed potius supportandi, nisi in fide erraverint.

Cui juxta ponitur dictum Thaboriensium.

Item omnes sacerdotes et alii Christi fideles Episcopis suis canonice tamen electis non simoniace intrusis quamvis discolis in moribus, in his, quae sunt fidei et salutis, obedire debent, de quanto obedientia eorum sonat in obedientiam Dei nostri, et quod ministris sacramentorum indistinctis existentibus peccatis notoriis irretitis aut simonia aut alia quavis haeretica pravitate infectis cautius et tutius est fidelibus assumptione ab eis sacramentorum abstinere, quam per talem susceptionem eosdem in malitia confortare. Istas partium diversitates qui vult bene advertere, potest recurrere ad materias in superioribus lucidius et diffusius descriptas, ubi tractantur illae materiae, de quibus mentio in articulis ante memoratis.

C. 6.

Prima oblatio, quam communitas montis Thabor cum suis sacerdotibus obtulit Serenissimo Principi et Domino Domino Sigismundo Romanorum Imperatori et Hungariae, Boemiae etc. Regi.

Interea anno Domini MCDXXXV ante Serenissimi Principis et Domini Domini Sigismundi Romanorum Imperatoris et Hungariae, Boemiae etc. Regis in regnum Boemiae introductionem ipso Iglaviam

pro concludendo praefato suo introitu properante et pausam in oppido dicto Tržebicž faciente et honorabilem virum Bedricum de Straznicz cum providis et discretis sibi a communitate montis Thabor adjunctis occurrentem generose alloquente, et se ad procurandum ipsis, quantum in eo fuerit suo salvo honore, pro quo coram ejus Majestate insisterit, et pie offerente, ipse Bedricus una cum praedictis sibi adjunctis matura praehabita deliberatione istud obtulit, quod sequitur immediate. Cum inprimis missa in vestibus communibus solum cum prolatione verborum sacramentalium et adjunctione post modum per beatum Petrum seu caeteros apostolos orationis Dominicae cum caeteris ad hoc de substantia missae et Christi institutione requisitis ad finem principaliter dignae communionis sacramenti Eucharistiae peragebatur, et sacramentum baptismatis observatis his, quae ex fide scripturae ad ejus requiruntur necessitatem, et circa ipsum sunt utilia, pro tunc licite, vere, libere, loco et tempore opportunis exercebatur sine exorcismis et patrinis, sine chrismate et oleo ab episcopo prius sacratis, in aqua simplici modo consveto non benedicta, et sine aliis ritibus consvetis a Romana ecclesia institutis, et quandoque nimiumsolemnisatis et pensatis, nos qui pro lege liberrima Jesu Christi per se sufficienti ad regimen ecclesiae militantis sine ceremoniis legis veteris et ritibus humanitus post adjectis offensivis, diminutivis ac impeditivis legis ejusdem nos exposuimus scientes, quia securissimum est et optimum vitae magisterium actus ecclesiae primitivae imitari, ritusque circa administrationem sacramentorum observare, quos ecclesia primitiva Evangelio conversans ex doctrina Christi et ejus apostolorum observavit et ad observandum limitavit, quosdam ritus circa administrationem dictorum sacramentorum Christi legem liberam stringentes et onerantes, ac sponsam suam ejus spoliantes libertate, causis rationabilibus nos ad hoc moventibus omisimus, observatis semper circa missationem et ministrationem aliorum sacramentorum his, quae ex fide scripturae de ipsorum sunt substantia, et circa ipsa sunt utilia, non proprio in hoc utentes capite, sed imitantes specialiter formam primitivorum antiquorum sanctorum, in quantum promovebant devotionem populi, in cantu moderato et vero in vulgari, in lectione sacrarum scripturarum et in aedificatoria praedicatione, parati semper circa hoc existentes alia observare, quae secundum legem evangelicam ad bonum suffragantur, aut quae circa haec ex doctrina Christi servarunt apostoli. Ideo optamus primo ut

omnis communitas de numero earum, quae Thaborienses nuncupantur, quae voluerit stare in ritibus, qui circa divina in ea hactenus sunt servati, babeat in boc pro semper libertatem. Secundo ut nulla persona spiritualis aut saecularis de dictis communitatibus a quoquam quovis modo vexetur ex hoc, quod aliquid teneret, aut assereret legi Dei non contrarium manifeste. Tertio ut per Serenissimum Dominum Imperatorem fide dignis munimentis sit roboratum, ut per eum et ejus successores in futurum perpetuo ista singula eis praedicta eis teneantur et plene conserventur. Et si, quod absit, aliquis in Regem susceptus undecunque provocatus aut motus seu quacunque occasione suscepta pro aliquo praedictorum infestaverit, vel oppresserit aliquem incolam praedictarum communitatum, ex tunc praedictae communitates liberae volunt esse et absolutae, et a promisso et obligatione qnibuslibet praestitis tali Regi. Qua oblatione facta in crastino Iglaviam cum praedicto Domino Imperatore sunt profecti et Iglaviae existentes dicto Bedrico cum sibi adjunctis pro responso sibi ad dictam oblationem dando instante finaliter est conclusum, quod ipso Imperatore Pragam veniente tempore suo materia incepta tractabitur, et finem qui concordabitur, capiat efficacem.

C. 7.

Concordia facta mediantibus Illustri Principe Ulrico comite Ciliae et generosis Baronibus regni Boemiae inter Serenissimum principem et Dominum Dominum Sigismundum Romanorum Imperatorem et Ungariae, Boemiae etc. Regem ex una et honorabiles Bedricum de Strazniez, Nicolaum de Pelrzimow dictum Episcopus, Wenceslaum dictum Coranda cum aliis eorum partis sacerdotibus ac providis Magistro Civium, consulibus et tota communitate montis Thabor et eis adhaerentibus parte ex altera.

Tandem praedicto Domino Imperatore regnum Boëmiae de consensu fere totius regni intrante et in civitate Pragensi ejusdem regni Metropolitana more consveto ad dictum regnum coronato anno Domini MCDXXXVI currente super oblatis Serenissimo Domino Imperatore per honorabilem Bedricum de Straznicz et providos ac discretos a communitate montis Thabor sibi adjunctos facta est finalis concordia mediantibus personis in concordia ex nomine expressis et sigillo aureo pendenti Imperialis Majestatis ac sigillis concordatorum in perpetuam rei memoriam roborata. Quae autem

sit illa concordia praetermissis his libertatibus, quae statui saeculari ejusdem communitatis montis Thabor et eis adhaerentibus in temporalibus et aliis in praedicta concordia expressis conceduntur, inserere tantum hic curavi ea, quae causam eorum, pro qua se cum eorum sacerdotibus exposuerunt, quorum in tacto puncto concordia exstat, et est talis: Anno a nativitate Domini 1436 die dominico ante festum Elisabeth facta est concordia per illustrem principem dominum Ulricum comitem Ciliae ac generosos dominos dominum Ulricum de Rosenberg, dominum Ales de Sternberg, dominum Hince de Pirgstein, magistrum curiae, dominum Caspar cancellarium, dominum Hassik de Walstein, dominum Arnestum de Wlassym, dominum Przibik de Klenow, et Joannem de Cunwald subcamerarium inter invictissimum principem et dominum dominum Sigismundum Dei gratia Romanorum Imperatorem semper Augustum, et Hungariae, Boemiae etc. regem ex una et honorabiles sacerdotes Bedricum de Straznicz, Nicolaum de Pelhrzimow dictum episcopus, Wenceslaum Corandam cum aliis eorum partis sacerdotibus ac providis magistro civium et tota communitate montis Thabor ac eis adhaerentibus parte ex altera; primum quod dom. Bedricus sacerdotibus cum aliis sibi adhaerentibus, et cum illa Hradicensi communitate a lege Dei et a ritibus, quibus hactenus circa divina utebantur, per violentiam trahi non debent; arbitrorum tamen quatuor ex parte utraque electorum, quidquid pronuntiatum fuerit secundum indicem in Egra compactatum dictamini stare utrique debent modo et forma ex unanimi consensu de condescensu in arbitros magistrorum Pragensium ex una, et sacerdotum Thaboriensium parte ex altera in litteris utriusque partis expressis; hoc etiam signanter est expressum et concordatum, ut dicti Thaborienses habeant debitam, pacificam et securam audientiam, et quidquid per praefatos arbitros pronuntiatum fuerit secundum indicem antedictum, ut ultra hoc ejus serenitas ipsiusque successores eos vexare non permittant. Item quidquid his temporibus pro eadem causa contra ejus majestatem a dictis sacerdotibus et a communitate actum est, hoc totum transire debet et ejus majestas nunquam hoc eis in temporibus futuris in malum refricare debet. In testimonium omnium praetactorum nos concordatores superius nominati nostra propria sigilla praesenti litterae appendi fecimus, quae est data Pragae anno et die praescriptis. (18. Nov. 1436.)

C. 8.

Litterae recognitoriae Magistrorum Pragensium et sacerdotum Thaboriensium super condescensu in arbitros secundum indicem compactatorum in Egra, de quibus in compactatis cum Imperatore fit mentio expressa in primo articulo.

In nomine Domini Amen. Ego magister Joannes de Rokytzana electus archiepiscopus ecclesiae Pragensis meo ac aliorum magistrorum et sacerdotum mihi adhaerentium nomine notum facio omnibus et singulis litteram banc inspecturis aut legi audituris, quod cum domino Bedrico de Straznicz suisque sacerdotibus Tbaboriensibus et sibi adhaerentibus pro materiis spiritualibus et ritibus, pro quibus fuit difficultas nostra cum illis annis his bellicosis circa divina, condescendimus, et vigore praesentium litterarum finaliter condescendimus in concordatores, et arbitros quatuor per nos et domini Bedricum cum suis sacerdotibus ex unanimi consensu electos, videlicet in magistrum Petrum Anglicum et sacerdotem Martinum de Chrudim episcopum electum, et in magistrum Wenceslaum de Drachow, ac in magistrum Buzkonem, in quos consensimus et vigore praesentium titterarum consentimus, ac plenariam potestatem damus, quateuus ipsi ad Deum et salutem prospicientes populorum pro rebus spiritualibus et ritibus circa divina, pro quibus inter nos et illos difficultas annis his extiterat secundum indicem inter nos et praelatos Basileenses in Egra compactatorum finaliter in quatuor temporibus in quadragesima proxime affuturis pronuntient, et declarent. Et ego magister Joannes antedictus meo et aliorum sacerdotum mihi adhaerentium nomine promitto bona fide absque omni dolo pro me ipso et aliis sacerdotibus mihi adhaerentibus huic, quod secundum indiacem supra nominatum pronuntiaverint, consentire et asvescere, atque hoc suscipere corde ore et opere. In robur et testimonium horum omnium ego supradictus magister Joannes et mecum magister Christanus de Prachaticz et magister Joannes de Przibram sigilla nostra propria dedimus litterae huic sponte applicari. Datum in Praga anno Domini MCDXXXVI feria sexta post Martini. (16. Nov.)

Littera recognitoria partis alterius.

In nomine Domini Amen. Ego dominus Bedricus de Straznicz meo et aliorum sacerdotum mihi adhaerentium nomine notum facio

omnibus et singulis litteram hanc inspecturis aut legi audituris, quod cum magistro Joanne Rokytzana suisque sacerdotibus sibi adhaerentibus pro materiis spiritualibus et ritibus, pro quibus fuit difficultas nostra cum illis annis his bellicosis circa divina, condescendimus et vigore praesentium litterarum finaliter condescendimus in concordatores et arbitros quatuor per nos et magistrum Joannem Rokytczanam cum suis sacerdotibus ex unanimi consensu electos, videlicet in magistrum Petrum Anglicum et sacerdotem Martinum de Chrudim episcopum electum, et in magistrum Wenceslaum de Drachow et in magistrum Buzkonem, in quos consensimus, et vigore praesentium litterarum consentimus, ac plenariam potestatem damus, quatenus ipsi ad Deum et salutem prospicientes populorum pro rebus spiritualibus et ritibus circa divina, pro quibus difficultas inter nos et illos annis his extiterat, secundum indicem inter nos et praelatos Basileenses in Egra compactatorum finaliter in quatuor temporibus in quadragesima proxima affuturis pronuntient, et declarent. Et ego dominus Bedricus antedictus meo et aliorum sacerdotum mihi adhaerentium nomine promitto bona fide absque omni dolo pro me ipso et aliis sacerdotibus mihi adhaerentibus huic, quod secundum indicem supranominatum pronuntiaverit, consentire et asvescere, atque hoc suscipere corde, ore, et opere. In robur et testimonium horum omnium ego supradictus Bedricus et mecum Nicolaus de Pelhrzimow dictus episcopus, et Wenceslaus Coranda sigilla nostra propria dedimus litterae huic sponte applicari. Datum in Praga anno Domini MCDXXXVI feria sexta post Martini. Post cujus concordiae Serenissimi Imperatoris cum Thaboriensibus terminationem, et ejusdem per litteras patentes cum pendentibus sigillis ipsius imperatoris et concordatorum praenominatorum roborationem, sacerdotes Thaborienses cum eorum arbitris die et loco ipsis limitato et in litteris superius exaratis recognitoriis partis utriusque expresso in quatuor videlicet temporibus quadragesimae proxime post concordiam praefatam affuturis in Pragensi civitate termino paruerunt, parati audire arbitrorum a parte utraque electorum inter eos et partem eis adversam pronuntiationem, secundum quod extiterat concordatum. Cum autem tempore paritionis utrorumque quaedam aliae materiae tractandae cum Imperatore supervenerunt, occasione quorundam articulorum per certos sacerdotes et quosdam generosos et famosos districtus Grecensis ipsi Imperatori cum legatis Basileensibus objectorum ob

non ipsorum cum regno Boemiae et marchionatu Moraviae compactatorum factorum servationem, tandem ob praetactam causam distractione facta — interim duo ex praedictis quatuor arbitris ad propria cum conducentibus eos recesserunt, quibus recedentibus postea sacerdotes Thaborienses suam comparitionem ad audiendum inter se et partem eis adversam pronuntiationem domino Imperatori et magistro Joanni Rokyczanae archiepiscopo electo notificantes cum eorum licentia et voluntate ad propria redierunt, gaudentes jure et privilegio eis per dominum Imperatorem mediantibus praenominatis concordatoribus gratiose concesso, parati semper mediis bene dispositis secundum formam et modum in praedicta concordia expressis locum indifferentem et secundum contra quemcunque eos in eorum causa volentem impugnare eligere ad excessus, qui eis objicerentur, abluendum, aut si per quempiam lege Dei, praxi Christi et apostolica et ecclesiae primitivae, consiliis, doctoribusque fundantibus se veraciter in eadem vere docti fuerint, quod in aliquo excesserint contra fidem, aut contra bonos mores, aut ritus, quos primitivi Christiani cum apostolis ex doctrina Christi servarunt per veritatem corrigendum optantes semper cum illa permanere, cum veritas super omnia vincit. Ista facta currentia inter magistros Pragenses et sacerdotes Thaborienses memoriae commendavi, ne oblivioni posteris traderentur, rogans omnes et singulos, ad quos opus praesens pervenit, quatenus omnes defectus, si qui in hoc opere relucent, pie et misericorditer interpretentur et supportent, scientes, quod solum pro eo et ad id in hoc scripto laboraverim, ut veritas ex controversiis partium elucescat, quod concedere dignetur Pater et Filius et Spiritus sanctus in saecula benedictus Amen.

Explicit Chronica causam sacerdotum Thaboriensium continens et Magistrorum Pragensium ejusdem impugnationes usque mortem Illustrissimi Sigismundi Romanorum Imperatoris et Hungariae, Boemiae etc. Regis. Quae est finita anno Domini MCDXLII. feria IV proxima post commemorationem apostoli in locum Judae per sortem electi, quae fuit dies 28. Mensis Februarii.

Pars tertia.

C. 1.

Continuatio materiae ventilatae inter magistros Pragenses et sacerdotes Thaborienses, quid specialiter actum sit inter eos post mortem Illustrissimi Sigismundi Romanorum Imperatoris et Hungariae et Boemiae etc. Regis ac deinceps.

Post materiam ventilatam inter magistros Pragenses et sacerdotes Thaborienses ab initio congregationis populi Boemici pro libertate legis Dei instantis ac causae quatuor articulorum, pro quibus se exposuerunt, inchoationis usque mortem Illustrissimi Sigismundi Imperatoris Romanorum et Hungariae et Boemiae etc. Regis, et concordiam ipsius modicum antea cum Thaboriensibus factam unus ex regni Boemiae baronibus Hincze de Pirgstein dictus Ptaczek residens in Ratay sacerdotum Thaboriensium magnus aemulus associatis sibi et colligatis magistro Joanne Rokytzana et quatuor districtuum capitaneis videlicet Curimensis, Czaslaviensis, Grecensis et Chrudimensis, quo spiritu ignoratur, pro diffamatione et interpretatione dictorum sacerdotum Thaboriensium, nisi opinatis magistri Joannis Rokytzanae consenserint et secum concordaverint, temerarie ut praesumitur, insurrexit.

C. 2.

Prima evocatio sacerdotum Thaboriensium et eis adhaerentium per dominum Ptaczkonem et sibi associatos.

Et ideo de anno Domini MCCCCXLI. idem dominus Ptaczko nomino suo et capitaneorum dictorum districtuum scripsit diversis communitatibus regni et specialiter communitatibus Thabor, Zacz, Piesk et Clatow evocando eorum sacerdotes ad comparendum in termino per eos et magistrum Rokyczanam in montibus Cuthnis in festo sancti Francisci sacerdotibus ad conveniendum limitato.

C. 3.

Responsio sacerdotum Thaboriensium evocatorum ad praemissa.

Quarum litterarum serie dicti sacerdotes Thaborienses visa et intellecta inter se prius praehabita deliberatione magistro Rokyczanae istud, quod sequitur, rescripsernnt et legi publice coram tota cleri synodo in montibus Cuthnis in festo Francisci congregata per nuntios suos optarunt.

In his quae salutem concernunt, salubriter occupari. Reverende magister! Visis litteris certorum Dominorum saecularium, quasi passim per hoc regnum currentibus de quadam synodo in montibus Cuthnis celebranda facta ecclesiastica concernente, cui ut percepimus et vos consensum praebuistis, praestolabamur et illius, qui aliquid juris in hoc facto haberet intimationem, ut de more fieri consvevit specialiter in materia de Synodis celebrandis, qua debita intimatione facta scire debetis, quod illo, qui potius jus habet, intimante, ut praemittitur de Synodo celebranda, et nolente quovis modo nos arctare ad ea, quae legis divinae non sunt nec eadem roborata existunt et praesertim ad articulos tempore Imperatoris Sigismundi vel post ejus obitum in hoc regno per nonnullos admissos communi deliberatione et assensu fidelium communitatum et sacerdotum earundem omnino praetermisso et praecipue ad articulos, in quibus ecclesia Romana totum suum postremo dudum occultatum evomit venenum, quorum rubrica baec est: ordo servandus circa reducendos in regno Boemiae. Sed actualiter exsequente ea, ad quae ex officio de jure divino et humano juri praefato consono tenetur et obligatur salvis semper libertatibus juribus proscriptionibus vigorosis, factis eisdem ad id quod bonum est, qualibet pertinacia ac protervia postergata non erimus novissimi, ut speramus, cum nostrae voluntatis sit, sicut et antea semper fuit, veritati nequaquam obsistere; sed illi prae omnibus assensum praebere. Datum in monte Thabor feria 3. ante commemorationem sancti Wenceslai (27. Sept.). Ista, quae praemissa sunt, scripserunt in spe Domini sacerdotes communitatum Thabor, Zacz, Piesk, Clatow ac Sarowczonum nec non alii ipsis in hoc adhaerentes Reverendo Magistro Joanni de Rokyczana in Archiepiscopum Pragensem electo.

C. 4.

Legatio domini Ptaczkonis, quam cum capitaneis districtuum sibi associatis per certas personas fecerunt communitati montis Thabor.

Videns autem dominus Ptaczko cum sibi associatis et colligatis non multum per praedictam suam attentionem in sacerdotibus Thaboriensibus optatum capere fructum siluit ad tempus de alio medio contra praefatos Thaborienses sacerdotes cogitans et ideo anno Domini MCCCCXLII. nomine suo et capitaneorum dictorum quatuor districtuum direxit certas personas in montem Thabor cum certis punctis, occasionem quaerens contra illos et eorum sacerdotes, quae personae ex parte eorum, a quibus directae fuerunt, inter caetera praefatam communitatem alloquebantur ipsam inculpare de quibusdam conantes, duo de eorum sacerdotibus proposuerunt; unum quod sacerdotes eorum ascribant, quia praedicant contra septem ecclesiae sacramenta et contra ritus ecclesiasticos; aliud ad quod sacerdotes eorum hortabantur, videlicet ut se conforment magistris et aliis sacerdotibus secundum compactata.

C. 5.

Responsio sacerdotum Thaboriensium ad praedicta eis objecta.

Qua legatione dicti sacerdotes Thaborienses audita et intellecta inter se prius praehabita deliberatione domino Ptaczkoni et quatuor dictis districtibus et eorum capitaneis, a quibus legatio facta fuerat, postea rescripserunt et legi publice coram tota eorum congregatione habita in Gurim per nuntios a dicta communitate Thabor destinatos optarunt, quod et lectum est coram omnibus sic in forma: in propositis per oratores quatuor districtuum superius nominatorum et ipsorum capitaneorum communitati montis Thabor concernentibus specialiter facta ecclesiastica duo insinuantur; unum quod sacerdotibus eorum ascribitur, videlicet quod praedicant contra septem ecclesiastica sacramenta et contra ritus ecclesiasticos; aliud ad quod praefati eorum sacerdotes invitantur, videlicet ut se conforment magistris et aliis sacerdotibus *secundum compactata*. Ad primum sacerdotes Thaborienses cum aliis sacerdotibus eis adhaerentibus sic respondent, quod septem ecclesiae sacramenta a Christo instituta et in ejus lege vere et directe fundabilia intendebant et inten-

dunt servare et tenere circumscriptis omnibus infundabilibus in praemissa lege circa substantialia eorundem currentibus praesertim cum in omnibus emergentiis stare volunt dictamini indicis inter regnum et concilium Basiliense ex unanimi consensu in Egra compactati, qui est lex Dei praxis Christi obligans et apostolica et ecclesiae primitivae, conciliorum doctorumque fundantium se veraciter in eadem; et si per quempiam per illum indicem vere docti fuerint, quod in aliquo excesserint contra fidem catholicam et apostolicam aut contra ritus, ut praemittitur, fundabiles, parati sunt obedire veritati et permanere cum illa, scientes quia veritas super omnia vincit. Non tamen supradicti sacerdotes audent simpliciter asserere, quod dicta sacramenta sic sint simpliciter necessaria, quin aliquando sine susceptione talium in signo sensibili fiat salus, quamvis asseverent, quod ipsa, ut praemittitur, accepta sunt utilia ac salubria antidota animarum, conantur tamen secundum dona a Deo eis data destruere avaritiam et simoniam sacerdotum communiter currentem circa ministerium eorundem et indebitam praeponderantiam rituum humanorum nullatenus contemnendo institutionem Christi circa aliquod eorundem. Ad secundum praedicti sacerdotes respondentes admirantur, cur ista sententia expressata in compactatis ad propositum pertinens pensata non fuerat a mittentibus oratores, si aliqui in divinis celebrandis non statim incipiant ritus, qui generaliter observantur, propter ea non fiat impedimentum pacis nec unitatis, nec dici possit, tales non esse de regno vel marchionatu imo per Sigismundum Romanorum Imperatorem in proscriptione eis facta de eadem materia ultra istam praedictam sententiam manifeste sic scribitur, quod praedicti sacerdotes una cum communitate Hradicensi a lege Dei et a ritibus, quos hactenus circa divina observabant, per potentiam cogi non debent per praefatum Sigismundum Imperatorem aut per aliquem ejus successorem nec ab his, quae secundum praenominatum indicem tenuerint, per quempiam repelli permittantur. Ne tamen homines eis praesumptionem ascribant, prout fuerunt, sic et adhuc parati sunt, in quibuscunque emergentiis concernentibus fidem aut ritus humanitus adinventos stare sententiae indicis antedicti; insuper praesupposito ordine debito in hoc regno et praesertim in materia ecclesiastica quidquid concernit obedientiam impendendam Praelato superiori ex decreto et determinatione praefati indicis nolunt esse ultimi, quod patere potuit expresse per litteram ab illis

nuper missam ad montes Cuthnis tempore, quo erat una Synodus celebrata ibidem magistro Joanne Rokyczana electo Archiepiscopo praesidente. Super hoc non est praetereundum imo memoriae hominum imprimendum, qualiter compactata ad quae observanda dicti sacerdotes invitantur, non servantur Boemis et Moravis, sed violantur, et ubi veritates in *ducentis* locis vel pluribus regni Boemiae et marchionatus Moraviae practisatae fuerant, jam sunt postergatae et ad illas in illis locis observandas nemo anhelat nec aliquem impellit, sed ad observantiam rituum humanitus adinventorum (per?) homines, ut praesumitur, non fundatos manifeste oculos suos convertunt nos et alios ad illos volentes compelli, servatis igitur praescriptionibus per praefatum imperatorem super his materiebus eis confectis et concessis praedicti sacerdotes parati sunt singula facere, ad quae tenentur, de conformitate autem eorundem cum magistris et aliis sacerdotibus quid respondere possunt, cum et illi inter se discrepant horribiliter ut est notum. Haec a sacerdotibus antedictis domino Ptackoni et dictis districtibus data sunt pro responso.

C. 6.

Evocatio secunda sacerdotum praedictorum per dominum Ptaczkonem et sibi associatos.

Considerans autem praefatus dominus Ptaczko cum associatis et colligatis sibi, quod ex responsione sacerdotum praedictorum suum non bene potest assequi propositum, quamvis ad tempus latuerit, ab incepto tamen non resiliens de modo subtiliori cum suis collegis cogitavit habitum induens illorum, de quibus Jeremiae 18. qui dixerunt: venite cogitemus contra Jeremiam cogitationes, non peribit lex a sacerdote neque consilium a sapiente, nec sermo a propheta; venite, percutiamus eum linqua et non attendamus ad universos sermones ejus; dictos sacerdotes undecunque et per quoscunque conabatur, quantum in eo fuit, omnibus exosos et abominabiles reddere. Et ideo post hoc de anno Domini MCCCCXLIII. nomine suo et capitaneorum dictorum quatuor districtuum sub suo proprio et eorum sigillis cum consilio eis adjuncto et aliis adhaerentibus eis scripsit litteras, certis communitatibus videlicet Thabor, Zacz, Piesk et Clatow, evocando de qualibet dictarum communitatum unum sacerdotem ex nomine ad comparendum tempore et loco per eos limitato et cum

illis litteris dictorum dominorum saecularium littera magistri Joannis Rokyczanae citatoria ad quamlibet dictarum communitatum est transmissa. Quorum litterae istam sententiam continebant, quod heu reperirentur homines reprobi circa fidem divinissimi sacramenti et in medio tritici supercrescens zizania inveniretur, et quilibet sacerdos de praefatis communitatibus evocatus sit accusatus, quod et ipse male credat de corpore Christi et alios doceat; ideo ipsi tali malo cum Dei auxilio viam volentes praecludere constituunt synodum districtuum ipsorum omnibus dominis militaribus terrigenis civitatibus et sacerdotibus districtuum eorundem in montibus Cuthnis die immediate praecedenti festum Sophiae [1]) optantes a communitatibus praefatis, quatenus quaelibet earundem cum suo sacerdote evocato aliquos saeculares dirigat, ipsum ibidem die praemisso in illa synodo in montibus constituendo, hoc notabiliter adjungentes alias si aliquis ex sacerdotibus evocatus non comparuerit, solus se ipsum dabit hominibus in malam suspicionem et jam inquiunt nos et alii boni homines scirent et pro illo haberent, quod ipse in hoc est culpabilis. Quo viso sacerdotes evocati optabant litteratorie a magistro Joanne Rokyczana, quatenus accusatorem ipsorum nomina cum ascriptis articulis ipsis dirigat, ad quod litteratorium tale dedit responsum: parcite quaeso mihi dilecti, quia ad talia manum, quae in commissis non habeo, ista pro vice extendere pertimesco, timens, ne praeceps ab eis, qui sapiunt, judicarer.

C. 7.

Responsio communitatum praemissarum et sacerdotum ipsorum evocatorum ad praemissa.

Cumque res sic pro tunc, ut tactum est, agerentur, interim dictae communitates sum sacerdotibus suis super dicta ipsorum evocatione deliberantes inter se decreverunt, ut non in loco subjecto juridictioni domini Ptaczkonis certis ex causis compareant, sed in loco indifferenti et sub aliis conditionibus exprimendis ad hoc necessariis parti utrique, sicut poterit, qui vult, intelligere ex litteris pro responso datis tam a saecularibus quam a spiritualibus personis evocantibus eos.

---

[1]) 14. Mai.

C. 8.

Copia rescripti communitatum.

Communitates enim a domino Ptaczkone et aliis capitaneis dictorum quatuor districtuum evocatae ipsis taliter rescripserunt: servitiis nostris vestris reverentiis antemissis sicut per mirabilem sensibus nostris litteram causam civilem ac ecclesiasticam in se claudentem nos ad synodum, quam in montibus Cuthnis vobis constituistis, evocatis, ut ibidem cum sacerdotibus nostris a vobis nominatis compareamus, dicentes ipsos coram vobis accusatos, quod ipsi male credant de corpore Christi et alios doceant, quae epistola vestra, quamvis prima facie verborum honestatem praetendat, stimulum tamen occultum subinfert pungitivum, et timemus, ne hoc fiat quodam mentis impetu, prout vobis placuit, non autem ut decuit. Quo autem jure aut cujus auctoritate haec fiant, penitus ignoramus. Quodsi occasionem quaeritis nos aut alios infestandi causa efficaci nulla praehabita forte ad voluntatem et inductionem nos odientium aemulorum magis ex rancore quam charitate haec facientes, firmam gerimus fiduciam, quia potentissimus dominus judex justissimus nos proteget et juvabit. Estne hoc justum et rationabile, hoc ipsimet pensate, ut et cum sacerdotibus nostris compareamus in loco subjecto jurisdictioni domini Ptaczkonis, qui alias coram domino Trcka nos omnes praedictas communitates non est veritus super haeresi quamvis sine demerito maculare, ubi ipse non ut pars sed tanquam potestatem habens cum aliis suis adjutoribus ad praedictam congregationem nos vocantibus vult pro judice residere et accusator forte et armiductor fore. Si autem domino Ptaczkoni aut alicui alteri videtur in factis istis nos aut sacerdotes nostros in aliquo devio inculpare, inscribat se et cum talibus aliis sub poena talionis, prout tenentur ipso jure, et probent in nos aut in sacerdotes nostros hoc, in quo nos aut ipsos voluerint inculpare. Et nos quamvis non simus jure aliquo astricti et cum sacerdotibus nostris ad vestram evocationem in loco nobis per vos praefixo comparere, ne tamen de nobis aliqua sinistra suspicio in cordibus fidelium oriatur, cum sacerdotibus nostris cum auxilio etiam et aliarum communitatum domino nostro Poloniae, Ungariae etc. regi adhaerentibus a praefato Ptaczkone occasione undecunque capta publice existentes diffamati, volumus comparere cum Dei auxilio nostris

accusatoribus et diffamatoribus tanquam parti actrici in his, quae fidei sunt, responsuri, sic tamen, ut ad hoc locus sit indifferens praehabitis salvis conductibus sufficientibus et securis sub forma per nos postulanda, et personae ab utraque parte pro audiendis talibus deputentur, et ut audientia ab utraque parte fiat plena et libera sine impedimento et tempus utrisque si necessarium fuerit deliberandi detur, et copia ex adverso propositarum culparum sibi mutuo objectarum, responsionum sive replicationum in scriptis, si una pars ab alia petita fuerit, dari effectualiter non denegetur, et accusatores nostri sive sacerdotum nostrorum vel quicunque alii de parte nobis adversa, si a nobis aut a sacerdotibus nostris fuerint de aliquo requisiti, ut ad respondendum et satisfaciendum secundum quod res postulant, astringantur nobis et illis semper paratis ad quiescendum in concernentibus specialiter fidem sacramenti venerabilis eucharistiae determinatis et diffinitis sufficienter et securissime a Judice notabili inter regnum Boemiae et Basileensem synodum alias compactato. Praeterea scribitis nobis in sententia quia sacerdotibus nostris, quos nominatis non comparentibus in termino praenominato soli se ipsos darent hominibus in majorem malam supicionem (sic), et nobis in hoc non bene deservirent et quod jam vos et alii sciretis et pro illo haberetis, quia ipsi in hoc sunt culpabiles, et quia nos eos protegimus in hac causa; si enim hoc motivum vestrum vos contra errores opponentes validum reputatis scientes charitatem a se ipsa incipere, cur magistrum Joannem Rokyczanam non per simplicem laicum nota pravitatis haereticae infamatum, sed in contemptum omnium nostrum ac singulorum sacerdotum, quos ejus regimini subjecistis, per magistrum Joannem Przibram pravitate praevia maculatum ad aequitatem non offertis eo fine, ut veritas in hoc articulo cognoscatur, sicut hoc a nostris exposcitis sacerdotibus; et diffamatore comperto falsa ipsius lingua huic regno nociva et perfida merito ac utiliter compescatur in honorem vestrum, si hoc vergit, quod vobis ac vestris in causis praesidens ecclesiasticis a tali viro pestifero maculatus sciens et potens eidem publice non resistit, vos ipsi corde sincero discernite secundum primarium ac integrum scripti proprii communitatibus minime palliantes sed potius indifferentiam servando laudabilem hoc ad quod nos offerimus, ex quo dignum et justum est, executioni debitae Deo placenti mancipetis. Si autem haec justa et rationabilis oblatio nostra a vobis suscepta non fuerit, jam scire poterimus, quod

vestram propriam nobiscum velitis habere voluntatem et hoc Deo quasi judici justissimo nos committere opportet. Haec communitates a capitaneis quatuor praedictorum districtuum evocatae.

C. 9.

Copia rescripti sacerdotum evocatorum.

Sacerdotes autem a magistro Joanne Rokyczana evocati eidem magistro nec non aliis omnibus sacerdotibus in montibus Cutbnis tunc secum congregatis taliter rescripserunt: Auxilium nostrum a Domino, qui salvos facit rectos corde, Venerande Magister! quia juris ordine praetermisso nullaque praehabita causa rationabili adjuncto vobis in hac parte brachio saeculari, prout patet ex associatione et colligatione, quam cum Dominis temporalibus in causa ecclesiastica facere praesumpsistis, protestationi nuper per nos factae, super qua et instrumentum fieri postulastis, notorie derogatis, evocando nos ad personaliter comparendum coram vobis tanquam legittimo judice in loco nobis et vobis non indifferenti, in quo vos tanquam *judex praesidere* intenditis nondum in nobis aliqua pertinacia comprobata nec facta prius aliqua praemonitione aut personarum vocatione seu examine, ideo cogimur in hac emergentia cura vigili pro nobis providere, ne periculis rerum et corporum expositi cum detrimento notabili seducamur. Et miramur, cur modo bellorum et guerrarum suscitativo ad terminum per vos in montibus *Cuthnis* celebrandum, ut praemittitur evocamur occasione quadam capta ex calumniatorum quorundam nostrorum verbis levibus et ventosis, si enim charitas ad haec sic agendum vos compellit, cum a se ipsa incipiat, quare non offerentes vos omni aequitati, cum scitis et potestis verbis ipsius magistri Joannis Przibram, quibus nos haereticat in contemptum omnium vobis voluntarie subjectorum, vestram non opponitis personam prout decet eo fine, ut veritas in hoc articulo cognoscatur sicut a nobis hoc exigitis et optatis, et diffamatore comperto mendace ipsius perfida et infectiva linqua huic regno Boemiae multum nociva merito et utiliter compescatur; et nos, quamvis non simus jure aliquo astricti ad vestram evocationem in loco nobis per vos praefixo comparere, ne tamen de nobis aliqua sinistra suspicio in cordibus fidelium oriatur, sed veritas pure evangelica dilatetur, nos ipsos offerentes aequitati non parcentes laboribus eo

expensis praehabito salvo conductu sufficienti et securo sub verborum tenore per nos postulando volumus personaliter comparere loco indifferenti et tempore competenti coram personis ab utrisque partibus ad hoc opus electis responsuri nostris accusatoribus de ipsa, quae in nobis est, fide, sic tamen ut audientia ab utraque parte fiat plena et libera sine impedimento et tempus utrisque si necessarium fuerit deliberandi super accusationibus responsis sive replicationibus ex adverso proponendis detur, et copia ex adverso propositorum in scriptis, si una pars ab alia petita fuerit, dari effectualiter non denegetur, et quod ad interrogata nostra satisfacere praefati accusatores vel alii de parte nobis adversa si requisiti fuerint secundum quod res postulant, astringantur nobis et illis semper paratis ad quiescendum in concernentibus specialiter fidem sacramenti venerabilis eucharistiae determinatis et diffinitis sufficienter et securissime a iudice notabili inter regnum Boemiae et Basilieusem synodum alias compactato. Ad tractandum autem et concludendum super praemissis nos infra scripti recognoscimus, nos potestatem et auctoritatem dedisse, quam et praesentibus damus honorabili domino Bederico de Strasznicz secundum, quod ipse novit sibi a nobis fideliter concommissum secundum quod nos faceremus in hoc loco personaliter constituti. Datum *Coloniae* [1]), feria sexta proxima ante festum benedictae Trinitatis anno Domini etc. XLIII. sub sigillo Nicolai de Pelhrimow. Haec sacerdotes evocati [2]). Postquam autem honorabilis praedictus dominus Bedericus accepta potestate a communitatibus praefatis et sacerdotibus earum evocatis et auctoritate praesentandi eis litteras praedictas responsales et offerendi eos ad aequitatem et concludendi super praemissis secundum formam in praedictis epistolis responsalibus exaratam veniens ad congregationem eorum in montes Cuthnis, obtulit epistolas responsales saepe dictas; quibus visis et acceptis magister Joannes Rokyczana cum domine Ptačkone et aliis ibidem tam saecularibus quam spiritualibus in multitudine congregatis, deliberantes oblationem communitatum et sacerdotum evocatorum justam et rationabilem rejecerunt et rejecta Pragam ad synodum generalem regni congre-

[1]) In Thabor. Cod. Un. Prag. III. G. 17. f. 46 (14. Juni 1443).

[2]) In dem erwähnten Codex sind unterzeichnet: in spe domini sacerdotes Nicolaus de Pelhezimow in Picack, Wenceslaus Coranda in Zac, Laurentius Teutonicus in Lansperk, Wenceslaus Roblik in Tabor, et Wenceslaus Ragowecz in Klatovia ecclesiis praesidentes.

gatam equitarunt, et ibi provenientes Rokyczana cum magistro Joanne Pržibram sibi associato impetum et clamorem magnum contra communitates praedictas et sacerdotes earum Pragae in dicta synodo congregata fecerunt, ipsos contra eosdem, quantum in eis fuit, omnes et singulos volentes libenter concitare, nota pravitatis haereticae ipsos quamvis minus juste maculantes. Et alii pro tunc campum contra Thabor Pieszkam et Wodnanam receperunt, Wodnanam fortiter circumvallantes et expugnantes spiritu quo ducti et ad quem finem Deum non latet. Quod audiens dominus Bedericus antedictus existens per synodum Pragae tunc congregatam invitatus capto secum Nikolao de Pelbrimow dicto episcopus Pragam ad dictam synodum equitavit, qui duo in synodo in praetorio antiquae civitatis Pragensis constituti obtenta sibi audientia omnes et singulos dominos barones, milites, clientes et civitates hortati sunt optantes, ne magistris et aliis eorum aemulis dicentibus eos apud alios fratres eorum errores aliquos specialiter in materia sacramenti venerabilis altaris tenere aut dogmatisare fidem velint adhibere creditivam, nisi in eos aut in aliquem ex ipsis hoc veraciter ostensum et probatum fuerit ex scriptura. Et ibi ad hoc idem se et alios evocatos sacerdotes coram omnibus obtulerunt, ad quod dominus Bedericus praedictus se et alios antea in montibus obtulerat auctoritate, qua fungebatur tam saecularium quam spiritualium ut in anterioribus est expressum. Synodus autem praedicta ex instigatione magistrorum Rokyczanae et Przibram per se terminum in montibus magistris et sacerdotibus praedictis conveniendi limitavit rejecta domini Bederici et Nicolai de Pelhrimow justa et rationabili oblatione ista videlicet, ut spirituales inter se ipsam materiam ecclesiasticam tractarent et modo quo condecet terminarent, antequam ipsa causa ecclesiastica sic ut magistri improvide svaserant, committeretur potestati brachii saecularis nec ad hoc consentire volens, ut personae ex utraque parte electae ad dictam sacerdotalem synodum dirigendum divisione orta inter partes habeant potestatem et auctoritatem secundum legem Dei et doctores se veraciter fundantes in eadem inter partes decidendi et modo quo condecet terminandi. Sed hoc synodus ex instigatione magistrorum praedictorum habere voluit, ut orta divisione inter partes illa ex parte utraque conscripta ad synodum proxime futuram deferatur et per synodum secundum legem Dei et doctores se in eadem veraciter fundantes diffiniatur et determinetur non advertentes, quod causa ecclesiastica

per judicem saecularem tractari non debet sed per ecclesiasticum, nisi in defectu spiritualis propositi, ut habetur 7. distinct. Nec licuit in glossa 96. distinctione. Benequidem 11. q. 1. Si quis cum clerico; et in pluribus aliis locis juris ecclesiastici. Hoc videntes praedicti videlicet dominus Bedericus cum Nicolao antedicto, quod aequitas ab eis oblata non suscipitur, nolentes cum aliis eorum sociis in mala permanere suspicione pluribus ex causis necessitati consenserunt ad comparendum in montibus Cuthnis temporo per synodum limitato praeordinata prius cum parte adversa super praedicta eorum comparitione concordia.

C. 10.

Concordia partium utrarumque super comparitione in montibus Cuthnis tempore per synodum praefatam limitato.

Cujus concordiae ex parte una tenor sequitur et est iste: Nos dominus Bedericus et Simon fratres de Straznicz, Joannes Sudlicze de Bestwin capitaneus in Colonia, Joannes Sikora de Hluczin magister civium et consules et tota communitas civitatis novae Coloniae super Albea recognoscimus praesentibus coram omnibus banc paginam visuris aut auditaris, quia fecimus concordiam cum baronibus, militibus, clientibus, terrigenis et civitatibus regni Boemiae et magistris magistro Joanne de Rokyczana, magistro Joanne Pržibram ac aliis magistris et sacerdotibus in Synodo generali in festo benedictae Trinitatis Pragae congregata ad quam et talem penes nos concordiam istos suscipimus: dominum Nicolaum Episcopum Rectorem in Pieska et cum illa civitate et communitate Piesk, dominum Wenceslaum Corandam Zaczensem et illam civitatem Zacz cum tota eorum communitate, dominum Wenceslaum Raiowetz rectorem in Glatowia et cum civitate Glatow et eorum communitate, dominum Rohlikonem rectorem in Thabor et cum illa civitate et communitate Thaboriensi, dominum Laurentium Theutonicum de Rychmpach rectorem castri Lanspergensis cum Sarowczonibus, Czenkone Joanne et Wenceslao fratribus de Sarow et nos supradicti promittimus, quod sacerdotes praescripti comparebunt in montibus Sabbatho post festum Prokopii proxime venturi et concordias ad hanc comparitionem ex utraque parte facta tenebunt et totaliter observabunt. Quae concordiae inter praedictas partes sunt istae:

Ego dominus Nicolaus de Pelhřimow una cum sacerdotibus partis meae taliter cum magistro Joanne Rokyczana et cum aliis magistris et sacerdotibus praenominatis unanimiter residemus utinam in unanimi confessione fidei catholicae de corpore Christi in sacramento altaris secundum evangelium et sanctos doctores se in eodem veraciter fundantes resideamus. Secundo ut libere unus alium impetere possit sacerdos sacerdotem et magistrum et magister sacerdotem et sic unus alium quicunque quidquid tetigerit alicujus praedicationes doctrinas tractatus praesertim de corpore Christi de illis ut satisfaciat et juxta excessum prohabilem reformet. Tertio residemus, ut contra omnes illos, qui fidei catholicae, in qua residemus, contradixerint, aut qualitercunque recalcitraverint, unanimiter stemus nos mutuo vere et fideliter juvantes modis licitis ac ordinatis. Circa quam synodum in montihus duae personae debent eligi, una a tota synodo, et secunda a domino Bcderico et suprascriptis, de quibus personis ista est concordia: Illi duo qui ah utraque parte fuerint deputati, synodum sacerdotalem dirigant, etsi aliqua orta fuerit divisio, illi a parte utraque recepta ad synodum proximam generalem referant et ad Synodum debet dici, ut Deum respicientes et hominum salutem et hujus terrae pacificationem commendent partem veram secundum legem Dei et sanctos doctores se in eadem veraciter fundantes, et quidquid tunc jam Synodus taliter commendaverit, quod fidem catholicam aut legem Dei non destruit, hoc a parte utraque suscipiatur. Et nos suprascripti dominus Bedericus et Simon fratres de Straznicz, Joannes Sudlicze de Bestwin, Joannes Sikora de Hluczin magister civium et consules ac tota communitas novae Coloniae super Albea promittimus hanc commendationem secundum praescriptam concordiam acceptare et in actu observare suh poena fidei et honoris et hujus causae perditione, si sacerdotes nostri et specialiter evocati in Montihus non comparuerint et comparentes securitatem talem in verhis eisdem sicut est unanimiter concordatum et sigillatum, non fecerint litteram in pergameno cum sigillis pendentibus aut aliquid concordati et cum communitatibus et omnihus eorum sacerdotibus non ohservaverint, aut si quis commendationem factam per Synodum suscipere noluerint et in actu observare; ex tunc nostra bona fide et honore promittimus a talibus aut a tali nos abstrahere et in hoc eos non protegere et eis privari et parti, cui hic promittimus, consilio et auxilio suffragari collis et facultatibus nostris et

sacerdotes suscipere et eos apud se tenere, qui hoc edictum per Synodum factum sicut praetactum est, susceperint et observaverint. In quorum omnium testimonium et robur sigilla nostra propria praesentibus fecimus appendi.

Datum Pragae in Synodo anno Domini MCCCXLIII proxima feria III. post festum Joannis Baptistae cum hoc concordatum fuit, ut littera correspondens huic detur a parte Synodi pro se ac magistris et sacerdotibus eorum. (23. Juni, 1443).

C. 11.

Concordia de litteris communitatum partis utriusque.

In hoc etiam recessum erat, ut procurentur litterae a communitatibus, quarum magistri aut sacerdotes impetiti fuerant super aliquo aut impetendi cum sigillis pendentibus ut videlicet quaelibet communitas det litteram pro se et suo magistro vel sacerdote impetito aut impetendo super aliqua nota infamiae sub hac forma.

C. 12.

Copia litterarum communitatum.

Nos magister civium et consules ac tota communitas B. B. C. recognoscimus praesentibus universis hanc litteram visuris sive audituris, quod concordiam, quam fecit dominus Bedericus de Straznicz cum Baronibus, Militibus, Clientibus, terrigenis et civitatibus in generali synodo Pragae nunc die Sanctae Trinitatis celebrata et nos cum nostris sacerdotibus in eandem suscepit concordiam, et pro observatione horum pro nobis promissum fecit, nos suprascripti hanc concordiam amplectimur promittentes praesentibus sub poena nostra fidei et honoris et causae hujus perditione totaliter integraliter plenarie observare et in actu fideliter tenere; et in casu aliquis noster sacerdos vel nos in aliqua clausula concordiam per dominos Barones, Milites, clientes, terrigenas et civitates cum domino Bedrico factam integraliter non observaverit aut non observaverint, talem promittimus non sustinere apud nos, sed tales habere sacerdotes, qui edictum factum per Synodum generalem suscipiant et observent sicut ex utraque parte factae concordiae attestantur. In cujus testimonium sigillum nostrae civitatis praesentibus appendimus. Datum etc. Et de parte alia litterae correspondentes pro se et sacer-

dotibus eorum dari debuerunt. Istae praedictae litterae juxta concordiam cum parte altera factam per dominum Bedricum et partem sibi adhaerentem sub formis praemissis sunt consumatae et in loco debito et congruo repositae. Synodus autem litteram correspondentem litterae domini Bedrici juxta concordiam factam non reposuit nec civitates de parte eorum, in quibus sunt magistri et sacerdotes, quibus datae sunt culpae a sacerdotibus partis domini Bedrici reposuerunt litteras corespondentes litteris civitatum partis alterius. Sed utrique per litteram magistrorum Rokyczanae et Pržibram evadere volunt, quam pro se et pro aliis magistris et sacerdotibus eis adhaerentibus dederunt sub hac forma: Nos Magistri Joannes de Rokyczana et Joannes de Pržibram recognoscimus praesentibus generaliter coram omnibus hanc paginam visuris aut audituris, quia fecimus concordiam cum domino Bedrico et Simone fratribus de Straznicz, Joanne capitaneo Coloniae de Bestvin, Joanne Sikora de Illuczin, Magistro civium et consulibus et tota communitate civitatis novae Coloniae super Albea et communitatibus et sacerdotibus eis adhaerentibus cum domino Nicolao de Pelhřimow Rectore in spiritualibus civitatis et communitatis Piesk, domino Wenceslao Coranda Rectore in spiritualibus civitatis et communitatis Zacz, domino Wenceslao Raiowetz rectore in spiritualibus civitatis et communitatis Glatow, domino Wenceslao Rohlikone Rectore in spiritualibus civitatis et communitatis Hradist Montis Thabor, domino Laurentio de Richmpach Rectore in spiritualibus castri Lanspergensis cum Sarowkonibus Cenkone Joanne et Wenceslao fratribus de Sarow in Synodo generali in festo sanctae Trinitatis Pragae congregatis et nos suprascripti promittimus, quia in montibus et cum nostris sacerdotibus comparebimus sabbato post festum Prokopii proxime venturum et concordias ad hanc comparitionem ex utraque parte factas tenebimus et totaliter observabimus, quae concordiae sunt istae: Nos magistri Joannes de Rokyczana, Joannes de Pržibram cum aliis magistris et sacerdotibus nobis subditis et in hac causa adhaerentibus taliter cum domino Nikolao de Pelhřimow et cum aliis eorum praedictis sacerdotibus resedimus, ut in unanimi confessione fidei catholicae de corpore Christi in sacramento altaris secundum evangelium et sanctos doctores se in eodem veraciter fundantes resideamus. Secundo ut libere unus alium impetere possit sacerdos sacerdotem et magistrum et magister sacerdotem et sic unus alium

quicunque, quidquid tetigerit alicujus praedicationes doctrinas, tractatus praesertim de corpore Christi, de illis ut satisfaciat et juxta probabilem excessum reformet. Tertio residemus, ut contra omnes illos, qui fidei catholicae, in qua residemus, contradixerint aut qualitercunque recalcitraverint, unanimiter stemus nos mutuo vere et fideliter juvantes modis licitis ac ordinatis. Circa quam Synodum in Montibus duae personae debent eligi, una a toto Synodo, et secunda a domino Bedrico et suprascriptis, de quibus personis ista est concordia: Illi duo, qui ab utraque parte fuerint deputati, synodum sacerdotalem dirigant, et si aliqua fuerit orta divisio, illi a parte utraque conscripta ad Synodum proximam generalem referant et ad Synodum debet dici, ut Deum respicientes et hominum salutem terraeque hujus pacificationem commendent partem veram secundum legem Dei et sanctos doctores so in eadem veraciter fundantes. Et quidquid tunc jam Synodus taliter commendaverit, quod fidem catholicam aut legem Dei non destruit, hoc a parte utraque suscipiatur. Et nos magistri suprascripti cum magistris et sacerdotibus aliis promittimus, hanc commendationem secundum praescriptam concordiam acceptare et in actu observare sub poena fidei et honoris et hujus causae perditione; si autem nos vel aliqui aut aliquis suscipere noluerint, aut noluerint hanc commendationem per synodum generalem factam in actu observare, tunc praesentibus nos met ipsos abjudicamus, aut a talibus aut a tali omnes probi homines se abstrahant et in hoc unum ex nobis protegant, sed a nobis privetur et parti nobis adversae contra tales aut talem consiliis et auxiliis collis suis propriis et facultatibus suffragentur. In quorum testimonium nostra propria sigilla praesentibus appendimus, et in majus robur petimus generosos, robustos, famosos, ut eorum propria sigilla praesentibus appendant dominum Ulricum de Rožberg, dominum Hyneze de Pergstein, Joannem de Rusinow, Joannem de Smyržicz, Bobuslaum de Postupicz et Joannem de Sutycz. Datum Pragae in Synodo anno Domini MCCCCXLIII feria III. post festum Joannis Baptistae. (25. Juni.)

C. 13.

De comparitione partium utrarumque in loco per Synodum generalem et tempore limitato secundum concordiam super hoc prius factam.

Istis se sic, ut praemissum est, tunc habentibus postea tempore limitato magistri praescripti cum quibusdam aliis magistris et sacer-

dotibus eis adhaerentibus parte ex una, et dominus Bedrlcus cum sacerdotibus sibi adhaerentibus parte ex altera cum quibusdam partis utriusque saecularibus a communitatibus ad hoc deputatis sabbatbo videlicet proximo post festum sancti Prokopii (6. Juli) in Montibus Cuthnis, ut concordatum erat, convenerunt, et mox in crastino in curiam Monetae per dominum Ptačzkonem praefatae partes sunt convocatae, ubi inprimis praefatus dominus Ptaczko monuit communitates partis domini Bedrici de repositione litterarum, quas debuerant facere sub sigillis pendentibus earundem ut videlicet quaelibet communitas, quae stare voluerit in concordia per dominum Bedrtcum cum synodo generali facta det litteram sub sigillo pendenti pro se ac suo magistro vel sacerdote impetito aut impetendo super aliqua nota infamiae sub forma in capitulo praecedenti expressa, quemadmodum Pragae tempore quo supra fuerat concordatum. Ad quod communitates partis domini Bedrici responderunt dicentes: Dedimus domino Bedrico et Nicolao de Pelhřimov episcopo potestatem limitandi et eonstituendi cum parte adversa locum pro synodo cleri congreganda. Non videntes autem litteras partis adversae correspondentes litteris, quas a nobis expetitis, praeter litteram Magistrorum Rokyczanae et Přibram, quam pro se tantum dederunt sub forma in capitulo praecedenti expressa, non ocurrit ratio, quare nos debeamus proscribere nescientes contra quem hoc facere debeamus; sed si viderimus correspondentiam a parte altera, non fieret de boe nostri ex parte difficultas, ideo videtur nobis, ex quo magistri pro se tantum fecerunt litteram, sufficit, ut sacerdotes nostri illi correspondentem faciant pro se, pro nobis autem suffieiat littera domini Bedriei, quam fecit promittendo pro nobis cum amicis suis et civitate Coloniae, cum nulli potestatem dedimus ad nos taliter obligandum, et praesertim cum obligationem a parte altera non videamus correspondentem. Interim Mathia de Chlumczan dicto Lauda ex parte Glatowiensium protestante et proditorie prorumpente, quia Glatowienses praefatam obligatoriam litteram reposuerunt, specialis erat difficultas de tali littera obligatoria dominorum Zaczensium et de littera domini Wenceslai Corandae eorum in spiritualibus directoris; domini enim Zacenses ad praefatam synodum destinati dixerunt se non habere potestatem ad se et communitatem eorum submittendum ad talem obligatoriam litteram reponendum; dominus autem Weneeslaus Coranda primo ex parte sui omnes et singulos hortatus est, ne fidem creditivam adhibeant

magistro Pržibram injuste et temerarie proclamanti ipsum fore haereticum in ducentis articulis haereticis et dicenti, hoc se velle in eundem Corandam deducere, dixit enim tunc praefatus Coranda: Ego legem Dei et propriam attendens conscientiam in spe de me certus sum nec mihi sum conscius de aliqua haeresi, cum non sim pertinax, paratus existens in quolibet fidei articulo obedire veritati. Secundo idem Coranda quaesivit tunc a magistro Pržibram, ut dicat veritatem, si ipsum dixit fore haereticum in ducentis haereticis articulis, et si vult hoc in eum deducere. Qui respondit: Bene rescies, de quo te inculpabo; simulare hoc quodammodo intendens; sed inclamatus a domino Ptaczkone et ab aliis ne ponat negativam, cum hoc dici ab ipso audiverunt, confessus est se dixisse hoc, quod ab ipso a Coranda quaerebatur. Et cum ab ipso Coranda petebatur, ut det pro se litteram sub suo sigillo pro acceptando illo et tenendo, ad quod secundum concordiam per Bedricum cum synodo generali factam, erat obligatus, ad hoc praefatus Coranda respondendo ista subscripta quatuor ipsis offerebat, ut aut dimittatur circa promissum domini Bedrici, quod fecit pro eo et aliis se et amicos suos cum civitati Coloniae proscribendo, aut ab ipso suscipiant litteram correspondentem litterae magistrorum Rokyczanae et Přibram, quam pro se fecerunt, aut Pržibram de novo faciat cautionem et ipse Coranda similiter super isto: si Přibram lege Dei et doctoribus sanctis se in eadem veraciter fundantibus probaverit Corandam fore haereticum in ducentis haereticis articulis, patietur Coranda ut haereticus; sin autem Přibram in probatione defecerit, ut subeat poenam talionis, aut ponat Přibram super isto cautionem et Coranda similiter, donec Přibram sic ut tactum est, Corandam non probaret fore haereticum in ducentis articulis haereticis, non revertatur Pragam; sin autem Přibram modo praedicto Corandam talem probaverit haereticum, Coranda non revertatur in Zacz. Insuper praefatus Coranda voluit facere cautionem super illo, quod Přibram prius quam probabit eum fore haereticum in ducentis articulis haereticis, ducenties mentietur. Et nihil horum Coranda potuit a parte adversa obtinere, sed illis cogitantibus ipsum Corandam velle ab aliis sibi adhaerentibus separare, dictum est sibi à domino Ptaczkone et aliis partis suae, ut equitet Zacz, ex quo domini Zaczenses nolunt dare litteram cum sigillo eorum pendenti talem, qualem pars adversa ab eis et aliis partis domini Bedrici habere voluit. Ad quod Coranda

respondit: Ego dominos Zaczenses non possideo, ut talem litteram mandem eis dare aut dimittere; hoc pendit in eorum voluntate. Illo praemisso Coranda dixit: Ego ex quo nulla me potest sequi justitia, quo voluero liber existens equitabo. Postquam autem de illis praemissis factis longa fuisset fere per duos dies inter partes concertatio, priusquam actus inceptus est, finaliter electae sunt duae personae, una ex parte Synodi generalis et magistrorum et ipsis adhaerentium, Magister Wenceslaus de Drachow, et alia ex parte domini Bedrici et sibi adhaerentium, Magister Petrus Anglicus, ut Synodum cleri dirigant, et si aliqua fuerit orta divisio, illi conscripta ab utraque parte capta ad Synodum proximam generalem referant, secundum quod fuerat concordatum, et a communitatibus Thaboriensi, Pisensi et Glatowiensi litterae obligatoriae sub sigillis eorum pendentibus, de quibus fuit antea concertatio, sunt repositae in manus domini Bedrici de Straznicz sub illa conditione, ut illas in sua servet potestate et ipsas non praesentet in potestatem partis adversae, nisi domini et communitates, apud quos resident magistri aut sacerdotes, quibus a sacerdotibus partis Bedrici culpae fuerint assignatae correspondentes reponant litteras sub sigillis pendentibus eorum in manus et potestatem ejusdem Bedrici aut alicujus alterius notabilis partis suae, quemadmodum taliter fuit concordatum. Et ibidem tunc in curia monetae a domino Ptaczkone magistro Rokyczana et ab aliis partis eorum dictum est, quodsi a parte Bedrici ipsorum magistris aut sacerdotibus assignatae fuerint culpae, quod factum sic ut dictum est transeat in effectum. Dominus etiam tunc Wenceslaus Coranda dedit litteram obligatoriam pro se sub sigillo proprio in potestatem domini Ptaczkonis, qualem ab ipso habere exoptavit.

C. 14.

Inchoatio actus partium ad Montes pro tempore per Synodum limitato conductarum.

Illis sicut praemittitur praedispositis proxima feria II. post festum Prokopii anno quo supra partes ambae magistrorum et sacerdotum saepe nominatorum pro inchoatione negotii conductae sunt ad ecclesiam parochialem in medio quasi civitatis sitam, ubi locus pro audientia partium erat ordinatus, ibique magister Joannes Rokyczana praemissa exhortatione ex parte sui et aliorum magistrorum ibidem praesenti-

um ac sacerdotes eis adhaerentium obtulit propositionem in materia corporis Christi in sacramento altaris pro fide ut dicebat confitendam; ubi per multos dies ma eria sacramenti Eucharistiae est tractata et specialiter de modo corporis Christi in sacramento longum tractatum inter se habuerunt modo post in processu exprimendo, quamvis non per viam indifferentiae sed favoris processum sit, et pars domini Bedrici antedicti minus juste sine efficaci probatione est multipliciter diffamata, nec parti eidem data est tanta libertas perhibendi testimonium ac suum negotium peragendi, quanta alteri est indulta, prout quilibet vir indifferens pro tunc ea, quae et qualiter agebantur, audiens atque videns, potuit judicare.

C. 15.

Post consummationem actus partium quid actum est, et in quo residentes ad propria redierunt.

Peracto autem jam dicto partium tractatu ad hoc finaliter ibidem pro tunc conventum est, et partibus injunctum, ut materia in qua partes manserunt divisae, de qua ibidem est tractatum ab utraque parte conscripta, reponatur infra certum tempus ibidem expressum in potestatem magistri civium et consulum civitatis Montium Cuthnis et postea per personas ad dirigendam dictam synodum electas ad Synodum proximam generalem regni referatur secundum tenorem et formam concordiae super hoc Pragae factam. Quia autem magistri Pragenses et sacerdotes eis adhaerentes pro tunc in certis punctis sacerdotes Thaborienses inculpaverant, quibus culpis iidem sacerdotes ibidem responderunt et satis fecerunt, et sacerdotibus Thaboriensibus tunc non affuit opportunitas temporis et loci pro recompensa eisdem ibidem impendenda, ideo in eodem loco servarunt sibi jus et potestatem dandi ipsis culpas viceversa, quas postea in synodo proxima generali regni notificaverunt, optantes ut magistri praenominati respondeant, ut satisfaciant culpis contra ipsos tunc lectis cum pluribus, et si oporteat repetendis, sicut sacerdotes Thaborienses antedicti culpis ipsis objectis in Montibus responderunt et ipsis satisfecerunt.

Dictum tunc et pronuntiatum a domino Ptaczkone et a Rokyczana ab eis postea non est observatum.

Quamvis autem tunc in discessu partium ab invicem per dominum Ptačkonem et magistrum Joannem Rokyczanam pronuntiatum sit,

quod proposita et tratata in illa synodo in secreto et sub silentio haberentur usque ad futuram synodum generalem, ubi deberet illorum fieri decisio secundum concordiam altrinsecus limitatam; sed quodam monente spiritu non sancto ut supponitur, hoc a domino Ptačzkone magistro Rokyczana, Přibram et Mathia de Chlumčzan non est observatum, quia aliqui ex ipsis circa recessum sacerdotum Thaboriensium de Montibus quasdam litteras et articulos in deteriorationem et praejudicium causae sacerdotum praefatorum, prout ipsis placuit sed non ut fas fuit, scribere minime formidarunt et ipsos ac ipsos ad varias hujus regni partes retardatione postposita destinarunt in tantum, quod antequam Thaborienses ad partes proprias redierunt, jam antedictae litterae praecesserunt, quorum et quarum verba praetendebant, quod sacerdotes Thaborienses de haeresi sint convicti, quod minime erat verum, quod et multi sacerdotes per destrictus reversi de Montibus ex dictorum instigatione in eorum praedicationibus false confirmabant. Et haec erat una ratio, quare scripta non sunt reposita in Montibus ex parte sacerdotum Thaboriensium, quamvis de hujus modi repositione facta erat in discessu partium ab invicem mentio, ut praetactum est, satis plane.

C. 16.

De repositione scriptorum partis utriusque materiearum tractatarum in Montibus, in quibus partes praetactae non concordaverunt.

Postquam autem pro decisione materiae, in qua partes praetactae discordarunt, indicta est synodus generalis Pragae anno Domini MCCCCXLIV. circa festum Epiphaniae, tunc venit tempus reponendi scripta partium utrarumque in ejusdem synodi potestatem. Pro cujus facti in effectum deductione ex parte Thaboriensium communitatibus electae fuerant certae personae et ad dictam Synodum destinatae, quibus ab eisdem communitatibus commissum erat, ut in negativo eis injuncto infra scriptum observent processum. Ante omnia habuerunt in commissis, ut obtenta sibi a synodo grata benigna et attenta audientia sermonibus ipsorum accommodanda, inprimis istud insinuent, quod communitatibus praetactis in hac parte consonum non videtur, multas personas et praesertim spirituales ad hanc synodum dirigere, propter illa quae facta sunt in Montibus, et cum notabili gravamine et injuria irrogata. Primo enim

ut patuit oculariter, ipsa synodus ibidem celebrata censenda non erat sacerdotum synodus, secundum quod determinatum fuerat Pragae in concordia parte inita ex utraque, sed potius factus est ibidem quidam *congressus saecularium* satis confuse procedentium in materia illo loco et tempore pertractanda, et ex intentione etiam de civitatibus adversariorum passim sunt admissi. Secundo personae ad praesidendum electae ibidem exequi non potuerunt, quae eis secundum tenorem et formam concordiae pertinebant, sed ingesserunt se ad hoc opus *saeculares*, et prout eis placuit una cum aliis spiritualibus partis adversae ipsam synodum direxerunt. Item admissi sunt ibidem inimici et aemuli capitales sacerdotum nostrorum pro suis excessibus notariis a civitate Thabor expulsi ad infundabiliter eosdem diffamandum, quibus a proposito permissum est recedere, antequam ipsis satisfactorium datum est responsum. Item admissum est in ipsa synodo, quod in infamiam sacerdotum nostrorum ibidem legerentur articuli ante hunc diem per elapsos jam annos 20. vel plures per *tortorem* sed non humilem confessorem exacti, cujusmodi enormitas facta in synodo celebrata in causa spirituali cito in toto historiali speculo non legetur. Item non per viam indifferentiae sed favoris ibidem processum est, nec data est tanta libertas parti nostrae perhibendi testimonium de aliquibus, quanta parti alteri est indulta; imo dum sacerdotes nostri optarent quandoque prorogationem temporis ad respondendum, non fuit eis admissum, sed sicut parti alteri placuit, sic actum est, sibi autem ad placitum tempus captabant loquendi, quando et ad quantum ipsis videbatur. Nimis etiam injuriose admissum fuit magistro Joanni Přibram contra magistrum Anglicum loqui Boemice, *ipso idioma Boemicum ignorante*, in latinis autem cum ipso certari scholastice minime fuit ausus. Ex quo ergo ista sic ut praeceditur contra nostros acta sunt sacerdotes, non intendimus absque condigna emenda ad hanc synodum nec ad aliam talem ipsos transmittere, timentes, ne talia quae in Montibus sub pulchris verbis et promissionibus cum ipsis acta sunt, similia experiantur. Si autem appareret alicui, quod sacerdotes nostri in aliquo excesserunt contra fidem Christi, scribant eis de hoc bis vel ter et ipsi circa haec suam intentionem debent rescribere, ut in factis hujusmodi veritas appareat et declaretur. Secundo personae antedictae a communitatibus praedictis habuerunt in commissis dicere causas, quare scripta non fuerunt reposita in Montibus ex parte

sacerdotum nostrorum, quamvis de hujusmodi repositione facta sit ibidem mentio satis plane; quarum una fuit ista: quia domini Montani, dum illa scripta ad eos fuissent delata, noluerunt promittere, ut illa inviolate ad tempus synodi generalis, in qua reponi debuerunt, sine apertione aut alicui alteri praesentatione conserventur. Altera causa hujusmodi non repositionis fuit, quia ut in praecedenti capitulo tactum est, qualitur hoc, quod a domine Ptačzkone et Rokyczana in Montibus adinventum fuit et pronuntiatum in recessu partium ab invicem ad propria de habitatione in secreto horum, quae tunc tractata erant in Montibus usque ad futuram synodum generalem, non fuit ab eis et aliis eorum subditis observatum. Ex illis causis non videbatur illis illa scripta tunc in Montibus reponere. Ne tamen dicatur sacerdotes nostros velle uti propriis capitibus non obstantibus praetactis advertendo scripta in concordia Pragae de hoc facta, quae secure et utiliter fieri possunt, praesentantur ipsa scripta huic synodo isto fine, ut si congruentius ac scripturae propinquius medium reperiri non poterit, quam in concordia positum est, tunc juxta illud debite procedatur.

C. 17.

Scriptum Sacerdotum Thaboriensium repositum in Synodo generali Regni Pragae anno Domini MCCCCXLIV celebrata circa festum Epiphaniae et coram eadem integraliter lectum continens materiam utriusque partis antea in Montibus ventilatam.

Postquam per personans a communitatibus Thaboriensibus ad synodum praefatum Pragam destinatas scripta sacerdotum Thaboriensium in potestatem ejusdem synodi sunt praesentata, statim in crastino coram tota congregatione sunt lecta. Quibus finitis lecta sunt etiam scripta Magistrorum Pragensium, scripta autem sacerdotum Thaboriensium tangentia materiam partis utriusque istam subscriptam de verbo ad verbum contiuebant. Anno Domini MCCCCXLIII. in synodo cleri celebrata in Montibus Cutbnis circa festum Procopii in die Kyliani magistri ibidem tunc praesentes cum sacerdotibus eis adhaerentibus obtulerunt ex parte sui istam fidem in materia corporis Christi in sacramento: credendum est, quod in divinissimo eucharistiae sacramento est totus Christus, verus Deus et verus homo, sua propria natura et substantia suae naturalis

existentiae, quam sumpsit de Virgine Maria, et qua residet in dextera Patris.

Prius autem, quam nos sacerdotes Thaborienses ad illam magistrorum fidem respondimus, primo praemisimus protestationem dicentes: Quia desideramus super omnia honorem Dei, profectum proximorum, et quod simus fidelia membra Jesu Christi Domini, ideo ad cautelam et magnam securitatem istam praemittimus protestationem, quod tenuimus, tenemus, et tenere firmiter desideramus omnem credibilem veritatem confitentes corde integro totam legem Christi tam firmae veritatis existere, quod nullum jota aut apex ipsius fallere potest, cujus singulos credimus articulos ad illum intellectum, ad quem benedicta Trinitas praecepit illos credi, prompti in spe mortis dirae potius sustinere supplicium, quam elective aliquid dicere aut asserere, quod foret Christi sanctorumque doctorum sententiis se veraciter in lege ipsius fundantium contrarium voluntati. Insuper quia percepimus, nos coram vobis ac aliis fuisse sinistre tamen, ut supponimus, super quadam nota infamiae maculatos, quod videlicet male de corpore Christi crediderimus, et alios docuerimus, quae praemissa sunt, protestamur publice coram omnibus, quod quidquid unquam in materia sacramenti altaris cogitaverimus, dixerimus, scripserimus, aut praedicaverimus vel hic vel in posterum cogitaverimus, dixerimus, scripserimus aut praedicaverimus, quod haec facimus et fecimus salva semper et ante omnia veritate sacramenti ejusdem secundum Christi institutionem et eam traditionem, quam Apostolus a Christo accipiens tradidit sufficientissime usque ad diem judicii Christianis ad ejus finem principalissimum et effectum, salvo etiam honore ipsi sacramento debito, salvo quoque omni modo possibili, vero naturali, sacramentali ac spirituali, concedibili juxta evangelium a quolibet christiano corporis Christi in eodem honore sibi ibidem debito, et alias ubicunque, quodque per omnia praedicta non fuit unquam nostrae intentionis nec adhuc est quemquam abducere a vera fide sacramenti eucharistiae, aut ab honore ejus debito abstrahere quovis modo, sed ejus magnificationem et excellentiam competentem promovere, fovere; etiam nunquam intendebamus, nec intendimus, aliquem in errore quoquam circa materiam venerabilis sacramenti sed citius ab omni excessu et exorbitatione revocare juxta posse, sed totus noster labor circa illam materiam fuit et est ad excludendum sensus impertinentes et extra-

neos per quosdam doctores scholasticos et novellos introductas, ut homines illos cognoscentes declinent, et sacramento venerabili utantur ad finem et effectum a Christo principaliter institutum; scimus enim, qnomodo apostolus incipiens loqui de sacramento Eucharistiae 1. Corinth. 11. spiritu prophetico dicit: Oportet haereses esse, ut qui probati sunt, fiant manifesti. Quare quilibet fidelis debet caute attendere, ne circa hoc sacramentum hinc occasione male accepta in viam peccatorum impiorum declinet. Deberet autem quilibet ad hoc faciendum se excitare his ex causis, tum quia etiam tempore Christi et in ejus praesentia multi discipulorum ejus fuerunt in hoc scandalizati, ut patet Joannis 6. in tantum, quod ab eo recesserunt, tum quia tempore apostoli Corinthii post sufficientem informationem hinc judicium sibi sumpserunt, patet 1. Corinth. 11. tum quia notabiles doctores cum inumerabili multitudine eorum discipulorum per plura curricula saeculorum in sententia Eucharistiae criminose variarunt ut patet in multis passibus decreti, tum etiam, quia quasi omnes doctores moderniores nedum discordant in hoc puncto ab apostolis, sed etiam a doctoribus primaevis, imo si quis eorum sententias recte inspexerit, discordant etiam a se ipsis. Et ideo necessarium est circa hoc evangelium maxime attendere, et ejus verum sensum scrutari seductionem callidam diaboli in hoc summopere declinando, quia Doctor evangelicus spiritu prophetico dicit, quomodocunque spuria vitulamina antichristi praecidantur, tamen non cessabunt iterum pullulare, nisi eorum radix fuerit suffossa, quae est haeretica seductio circa Eucharistiae sacramentum; ad cujus seductionis seclusionem, prout tactum est, noster labor fuit et est. Et si tunc, quod absit, in hoc vel alia quacunque materia quidquam talium diximus, vel scripsimus, quod foret contrarium fidei orthodoxae, apostolicae, aut ex quavis circumstantia inordinata nos deviare contigerit, vel contiget, hoc melius informati vellemus reformare et haberi petimus illud pro non dicto sive scripto, parati obedire veritati et permanere cum illa, scientes, quia veritas super omnia vincit.

C. 18.

Suppositiones pro materia subjecta.

Secundo, antequam respondimus ad fidem praemissam magistrorum, praemisimus suppositiones tres, quarum prima est ista:

Supponimus ex fide scripturae, Christum in sui ascensione a nobis corporaliter recesisse, seu suam nobis corporalem praesentiam abstraxisse; pro qua suppositione probanda adduximus primo illud Math. 26. Christi verbum: Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis. Super quo verbo beatus Jeronymus loquens dicit: Oritur autem hic quaestio: quare Dominus post resurrectionem dixit discipulis: ecce ego vobiscum suum usque ad consummationem saeculi, et nunc loquitur: Me autem non semper habebitis, sed mihi videtur in hoc loco de praesentia corporali dicere, quod nequaquam cum illis ita futurus sit post resurrectionem, quomodo nunc in omni familiaritate. Haec ille. Ad idem glossa ordinaria super eodem textu docet: Me autem non semper habebitis, scilicet corporali praesentia; alioquin dicit alibi: omnibus diebus vitae vobiscum sum usque in consummationem saeculi divinitate. Haec ibi; et iterum eadem glossa super eodem textu dicit: magna patientia arguit Judam de avaritia et non causa pauperum dixisse, sed ex ratione monstrat, non esse culpandos illos, quia ipsi inter honores conversanti de facultatibus ministrant, qui parvo tempore corporaliter apud illos est mansurus. Haec ibi Remigius super eodem verbo Christi dicit: ipse non brevi tempore corporaliter erat mansurus cum illis; unde sequitur, Me autem non semper habebitis. Haec ille. Beda super eodem textu dicit: Me autem non semper habebitis corporaliter in propria persona egentem, et non contrariatur illi verbo: Vobiscum sum usque in consummationem saeculi; istud enim ad divinitatem et gratiam accipiendum est, illud autem de humanitate, secundum quam non semper habuerunt conversantem. Haec ille. Lyra super eodem textu dicit: Sed contrarium videtur Mathaei ultimo, ubi dicit discipulis suis: Ecce vobiscum sum usque in consummationem saeculi; sed hoc intelligitur, de esse cum hominibus per gratiam et etiam sacramentaliter in sacramento altaris. Sed istis modis non possunt sibi corporalia obsequia exhiberi. Haec ille. Item Chrysostomus: Vobiscum sum omnibus diebus usque in consummationem saeculi protectione virtutis, cooperatione laboris, et praesentia sacramentali corporis mei. Haec ille. Augustinus Homilia 4. 40. super Joannnem super eodem textu dicit: Loquebatur enim de praesentia corporis sui secundum majestatem suam, secundum providentiam, secundum ineffabilem et invisibilem gratiam. Impletur ab eo, quod dictum est: Ecce ego vobiscum sum

usque in consummationem saeculi, secundum carnem vero, quam verbum assumpsit secundum id, quod a Judaeis apprehensus, quod in ligno crucifixus, quod de cruce depositus, quod in linteo involutus, quod in sepulchro conditus, quod post resurrectionem manifestus, non semper habebitis vobiscum; quia quomodo conversatus est secundum corporis praesentiam illis diebus cum discipulis suis eum deducentibus videndo non sequendo ascendit in coelum, non est hic; ibi est enim scilicet ad dexteram Patris, et hic est; non enim recessit praesentia majestatis. Semper habemus Christum. Secundum praesentiam carnis recte discipulis est dictum Me autem non semper habebitis; habuit enim illum ecclesia secundum praesentiam carnis paucis diebus, modo fide tenent, non oculis vident. Augustinus ibidem super iisdem Christi verbis: Me autem non semper habebitis, sic scribit. Quid est: non semper, et quid est: semper? Si bonus es, si ad corpus pertines, quod significat Petrus, habes Christum et in praesenti et in futuro, in praesenti per fidem, in praesenti per signum, in praesenti per baptismatis sacramentum, in praesenti per altaris cibum et potum, habes Christum in praesenti, sed habes semper, quia, cum hinc exieris, ad illum venies, qui dixit latroni: Hodie mecum eris in paradiso. Si autem male versaris, videris in praesenti habere Christum, quia intras ecclesiam, signas te signo Christi, baptisaris baptismo Christi, misces te membris Christi, in praesenti habes Christum, sed male vivendo non semper habebis. Haec ille. Secundo pro praedicta nostra suppositione probanda adduximus illud Christi verbum Joannis 16.: Expedit vobis, ut ego vadam, si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. Super quo verbo loquens Beda dicit: Expedit, ut forma servi vestris subtrahatur aspectibus, quatenus amor divinitatis vestris infigatur mentibus; expedit, ut notam vobis formam coelo inferam, quatenus majore per hoc desiderio illuc suspiretis, sicque suspensis ad superna cordibus vestris ad accipienda Spiritus sancti dona capaces fiatis; si enim non abiero, Paraclitus non adveniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Non quia non poterat ipse in terra positus dare spiritum discipulis, haec loquitur, cum aperte legatur, quod post resurrectionem suam appropians eis insuffavit et dixit: accipite Spiritum sanctum, sed quia ipso in terra posito et corporaliter conversante cum eis non valebant illi erigere mentem ad sitienda munera gratiae coelestis,

ascendente autem ipso ad coelos et illi pariter omne desiderium suum illuc transferebant juxta hoc, quod alibi audierunt: ubi est enim thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Haec ille. Tertio pro praedicta nostra suppositione probanda adduximus illud Joannis 16: exivi a Patre, et veni in mundum, et iterum relinquo mundum. Super quo glossa ordinaria: Et iterum relinquo mundum corporali discessione, non gubernationis praesentia. Haec ibi. Quarto pro praedicta nostra suppositione adduximus illud Lucae 24. ubi dicitur: dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in coelum. Glossa ordinaria: recessit ab eis, scilicet quantum ad praesentiam corporalem in passione et ascensione in coelum. Haec ibi. Gregorius in Homilia ascensionis super illo Marci 16.: Exprobravit incredulitatem eorum, dicit: tunc discipulos Dominus increpavit, cum corporaliter eos reliquit, ut verba, quae recedens diceret, in corde audientium illa impressa remanerent. Haec ille. Ex quibus auctoritatibus scripturae et testimonis sanctorum doctorum se in eisdem veraciter fundantium evidenter patet, quod Christus in sui ascensione a nobis corporaliter recessit, seu suam nobis corporalem praesentiam abstraxit, quod erat probandum. *Secundam* suppositionem praemisimus istam: Supponimus ex fide scripturae, Christum post sui in coelum ascensionem corporaliter et dimensionaliter circumscriptive et localiter ex communi lege usque diem judicii non esse nobiscum hic in terris. Quam suppositionem diximus patere primo ex illo Actuum 3. quod Petrus Apostolus de Christo dicit: quem oportet quidem coelum recipere usque in tempora restitutionis omnium, quae locutus est Dominus per os sanctorum a saeculo prophetarum; super quo Marcus in historiis dicit: quem oportet quidem coelum suscipere, id est: ad dexteram Patris sedere usque ad tempus restitutionis omnium, quae locutus est Dominus per os sanctorum a saeculo prophetarum, id est: ad communem omnium resurrectionem. Haec ille. Secundo illam suppositionem diximus patere ex illo Actuum 1. ubi angeli dicunt: viri Gallilaeï, quid statis aspicientes in coelum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum; super quo Marcus historiarum: viri Galilaei, quid hic statis aspicientes in coelum? quasi dicat: recedite, nec expectetis Jesum, ut modo redeat, cum in fine sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum bajulis scilicet angelis descendentibus in aëra. Haec ille. Nicolaus de Lyra: Quem-

admodum vidistis eum euntem in coelum scilicet in forma humana, cui competit videri oculis corporalibus et de loco ad locum moveri; ita veniet, scilicet in eadem forma ad judicandum mundum. Haec ille. Idem super eodem textu sic loquitur: viri Gallilaei quid statis aspicientes in coelum; quasi dicat, non expectetis, quod Jesus amplius habitet corporaliter vobiscum, sicut ante fecit; videbitis enim eum in fine mundi venientem ad judicium; ideo sequitur: sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum, id est: sicut ascendit in forma humana gloriosa, sic veniet ad judicandum. Haec ille. Quam ejus absentiam sicut praemittitur usque diem judicii duraturam spiritus sanctus per os Salomonis praenuntiavit, Proverbiorum 7. ubi dicitur: non est vir in domo sua, abiit via longissima, saccum pecuniae secum tulit, in die plenae lunae reversurus est in domum suam. Quod exponens Hugo super Luca dicit: non est vir in domo sua id est: Christus in ecclesia corporaliter; abiit via longissima, id est: in coelum, quod multum distat a terra; saccum pecuniae secum tulit, id est: corpus suum glorificatum, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi; in die plenae lunae reversurus, id est, in fine saeculi. Haec ille. Et ad hoc est fides nostra expressa in symbolo, ubi credimus ipsum ascendere in coelum, et sedere ad dexteram Dei Patris, et inde venturum judicare vivos et mortuos. Pro eodem est Augustinus, qui dicit: donec saeculum finitur, sursum est Dominus, sed tamen etiam hic nobiscum est veritas Domini, corpus enim, in quo resurrexit, uno loco esse oportet, veritas autem ejus ubique diffusa est. Haec ille. Idem super Joanne Homilia 2. super illo: vado, et venio, dicit: si a quibus homo abscedebat, Deus non recedebat, et idem ipse Christus Deus et homo: ergo ibat per id, quod homo erat, et manebat per id, quod Deus erat, ibat per id, quod uno loco erat, et permanebat per id, quod ubique erat. Haec ille. Idem in sermone de Ascensione dicit: utinam igitur hujus beatitudinis capaces esse possimus expletis omnibus, quae evangelicae praedicationi et novi testamenti mysteriis congruebant, Dominus noster Jesus Christus post resurrectionem quadragesimo die coram discipulis elevatus in coelum corporalis praesentiae motum fecit mansurus in dextera patris, donec tempora multiplicandis ecclesiae filiis divinitus praestituta peragentur, et ad judicandum vivos et mortuos in eadem carne, in qua ascendit, adveniat. Haec ille. Ex

quibus auctoritatibus scripturae et testimonio sanctorum doctorum se in eisdem veraciter fundantium patet, Christum post sui in coelum ascensionem corporaliter et dimensionaliter, circumscriptive et localiter communi lege usque diem judicii non esse nobiscum hic in terris, quod fuit probandum. *Tertiam* suppositionem praemisimus istam: supponimus corpus Christi de beata Virgine natum, passum etc. in uno loco tantum esse secundum ipsius esse naturale. Et quod hoc sit verum, testes sunt doctores infrascripti. Primo patet hoc per Petrum de Tarento, et omnes ejus sequaces super distinctione 10. quarti articulo primo, qui respondendo ad hoc motivum: Nihil potest esse extra terminum suae substantiae; sic scribit: duplex est esse corporis Christi, scilicet naturale, prout est in coelo, et sacramentale, prout est in sacramento, et utroque modo habet terminum suum, sed terminus primi esse est unicus in coelo, terminus secundi diversus in diversis altaribus. Haec ibidem. Idem ibidem super praedicta distinctione sed articulo 2. sic scribit respondendo ut ait Innocentius tertius: Sicut filius Dei per divinam naturam babet triplicem modum existendi in rebus; est enim in omnibus per essentiam, in justis per gratiam, in natura assumpta per unionem, ita corpus ejus habet triplicem modum essendi; est enim in coelo localiter, in verbo personaliter, in altari sacramentaliter, secundum quidem ejus esse naturale est in coelo in uno tantum loco, secundum esse personale non est in loco, secundum esse sacramentale est in pluribus locis; ipsum enim corpus Cbristi est unum individuum, in quod multa individua transmutari possunt; secundum quod est unum individuum in se, sic non potest esse nisi in uno loco, sicut nec angelus vel aliud quodlibet corpus secundum quod in ipsum multa individua transmutari possunt, sic potest esse in locis pluribus. Haec ibidem. Pro eodem est et illud dictum Augustini super Joanne, Homilia 13. super illo: vado et venio, superius allegatum, ubi dicit inter caetera: Ibat per id, quod uno loco erat. Et illud etiam superius allegatum ejusdem Augustini, et ponitur de Con. distinctione 2. Prima haeresis, donec saeculum finiatur, ubi inter caetera dicit: Corpus enim, in quo resurrexit, uno loco esse oportet. Ideo Petrus de Tarento ubi supra respondendo ad eandem auctoritatem Augustini, ubi dicit: corpus Christi, in quo resurrexit, uno loco esse oportet, sic dicit: Loquitur scilicet Augustinus de corpore Christi secundum ejus esse naturale, non

sacramentale; haec ibidem. Idem super distinctione 8, quarti sententiarum articulo in responsione ad 3. sic scribit: tempus instituendi hoc sacramentum scilicet Eucharistiae fuit conveniens coena multiplici ratione, una, propter corporalis praesentiae subtractionem; non enim fuit conveniens, ut simul habeatur in corporali praesentia et sacramentali, nec ut deesset in utroque, sed cum discipulis suis perpetuo maneret in sacramentali quidem usque ad judicium, in corporali post judicium. Haec ibi. Ad idem Nicolaus de Lyra super illo verbo Joannis 9. me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est; ita scribit: donec dies est, id est: quamdiu sum praesentialiter super terram in humanitate assumta; sicut enim praesentia solis super terram facit diem, sic praesentia Christi, qui est sol justitiae, in humanite assumpta fecit quandam diem gratiae spiritualem, quae dies duravit a Christi nativitate usque ad ejus ascensionem, licet postea remanserit nobiscum sacramentaliter usque ad finem mundi; haec ille. Thomas de Argentino super distinctione 10. quarti articulo 1. respondendo ad tertium de verbo quasi ad verbum scribit de modo essendi corporis Christi triplici sicut Petrus de Tarento. Nec potest se juvare *Rokyczana* per hoc, quod conatur evadere auctoritates Augustini per nos suppositioni nostrae tertiae annexas per illa adverbia: visibiliter et invisibiliter, per magistrum sententiarum memorata, quando non vult dicere secundum quod esse est hic corpus Christi invisibiliter, et ibi scilicet in coelo visibiliter; nam doctores super quarto sententiarum satis subtiles exponunt, ut nos, unam partem auctoritatum, quas posuimus, intelligi corpus Christi sic esse in coelo scilicet secundum esse naturale, et alias auctoritates sonantes ipsum esse hic intelligi secundum esse sacramentale, et cum corpus Christi esse alicubi dicunt doctores hoc vel hoc debere intelligi, scilicet vel secundum esse naturale vel secundum esse sacramentale, debuit magis condescendere ad propositum Rokyczanae, si sibi placuisset in dictis suis. Ex istis auctoritatibus sancturum patet distinctio existentiae corporis Christi naturalis a sacramentali ejusdem, et quod corpus Christi de beata virgine natum in unico loco tantum est secundum ipsius esse naturale; quod fuit probandum. Praemissa igitur protestatione nostra praedicta cum suppositionibus nos sacerdotes Thaborienses respondentes ad fidem praefatam per magistros oblatam primam ejus partem concessimus, videlicet, quod in divissimo

Eucharistiae sacramento est totus Christus, verus Deus et verus homo; secundam ejus partem, videlicet quod in eodem sacramento sit corpus Christi natum de virgine sua propria natura et substantia suae naturalis existentiae, qnam sumpsit de virgine Maria, et qua residet in dextera Dei Patris, etiam volumus concedere, ad hoc idem et bodie se submittentes, si magistri sensum primarium per ipsos applicabilem ad verba, quae dixerant in scriptura sacra et doctoribus se in eadem fundantium veraciter fundare possint, illum parati fuimus sicut et hodie sumus animo libenti suscipere, secundum quod ponitur in pactatis. Non habito autem stabili fundamento scripturae pro illa parte dictae fidei magistrorum, nec ipsa per eosdem nobis declarata non eramus ausi festine ipsam concedere, tum primo quia notum est ex fide catholica et fide scripturae ac testimonio sanctorum doctorum se in eadem veraciter fundantium, Christum secundum suam corporalem propriam naturam et substantiam suae naturalis existentiae corporaliter et dimensionaliter post suam in coelum ascensionem sedere in dextera Dei Patris, et ipsum ex communi lege usque diem judicii sic non esse nobiscum hic in terris, corpusque ejus de beata virgine natum, in cruce pro nobis passum, quod residet in dextera Patris, in unico loco tantum esse secundum ipsius esse naturale, quamvis secnndum ejus esse sacramentale, spirituale, virtuale et verum sit hic nobiscum in sacramento altaris venerabili, prout patet ex tribus nostris praemissis suppositionibns et earum solidis probationibus; tum secundo, quia periculum includitur in terminis, qui eorum inseruntur fidei in hac parte absque scripturae stabili fundamento, cum multa intelliguntur in termino: naturalis existentia, quae non capit multa pars cleri neque vulgi in orbe generaliter conversantis, quornm aliqua, si necessitas fuerit, et requisiti fuerimus, suo tempore exprimemus. Ubi autem magister Joannes Rokyczana in scripto, qnod praesentavit tunc temporis deputatis ab utraque parte ad dirigendum synodum dicti cleri, scribit, quod sacerdotes Thaborienses istud concedere noluernnt, cum Christus dixit: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; an fuit corpus Christi in sacramento sua natura propria et substantia suae naturalis existentiae, quod in crastino pependit iu cruce; ad illud nos sacerdotes Thaborienses sic respondimus: cum Christus dixit: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, credimus, quod corpus Christi pro nobis traditum fuit in sacramento

venerabili sacramentaliter spiritualiter, virtualiter et vere, quod et hodie concedimus; sed ubi nos tunc petebamus a magistro Rokyczana declarationem illorum terminorum: suae naturalis existentiae, et an idem sit sensus istarum duarum propositionum apud eum: corpus Christi natum de Virgine passum in cruce, et quod hodie residet in dextera Dei Patris est in sacramento altaris sua propria natura et substantia suae naturalis existentiae, et corpus Christi natum de Virgine, passum in cruce etc. est in sacramento secundum suam naturalem existentiam, idem magister Rokyczana terminos suae propositionis declarare noluit, et identitatem aut diversitatem quo ad sensus propositionum sibi ut (fides?) propositarum exprimere dissimulavit, dicens, se nolle intromittere de terminis reduplicativis, quos vulgus et multi clerici non intelligunt, dicens, hanc dictionem secundum terminum esse reduplicativum contra modum communem loquendi logicorum, et nobis ascribens illius termini circa subjectam materiam introductionem, quamvis postea multipliciter vexatus idem magister Rokyczana concessit, in divinissimo Eucharistiae sacramento esse corpus Christi natum de beata Virgine, passum in cruce sua existentia naturali et secundum suam existentiam naturalem loquendo Boemice, latine autem loquendo concessit corpus Christi esse in praefato sacramento sua naturali existentia sed non secundum suam naturalem existentiam; per hoc discrepans a fide Přibram credentis, corpus Christi praetactum esse in sacramento altaris venerabili sua existentia naturali et secundum ejus existentiam naturalem, et hoc loquendo tam Boemice quam latine. Sed mira res est, cur magister Rokyczana non vult se intromittere de terminis reduplicativis propter difficultatem, ut dicit inclusam in eisdem; nobis autem sacerdotibus Thaboriensibus pro malo habet, quod non petimus declarationem terminorum in eorum fide positorum, circa quos tantam habemus difficultatem vel majorem, quamvis non per nos sacerdotes Thaborienses sed per ipsum magistrum Rokyczanam cum aliis suis sodalibus ille terminus *secundum* circa subjectam materiam ante plures annos est introductus, ut patet in quampluribus propositionibus annis retroactis in materiis, sacramenti eucharistiae per magistrum Rokyczanam cum magistris caeteris sacerdotibus Thaboriensis ad confitendum oblatis, illam dictionem *secundum* notabiliter includentibus, sicut in montibus in synodo praefata ocularitor et exemplariter est ostensum; et esse deberet Christianis mirabile, cur Rokyczana

simulat se nescire ad populum illum terminum secundum quomodolibet pro termino reduplicativo exponere, cum indubie interrogatus, utrum Christus verus Deus et vere homo natus fuit de beata Virgine secundum humanitatem vel secundum divinitatem, sciret dare responsum, quod bene populus intelligeret.

C. 19.

Confessio sacerdotum Thaboriensium de sacramento Eucharistiae.

Postea nos sacerdotes Thaborienses istam fidem de sacramento eucharistiae venerabili confitebamur: Credimus, credebamus, et credere intendimus, quod in divinissimo Eucharistiae sacramento est totus Christus verus Deus et verus homo, cujus corpus natum de beata virgine, passum in cruce et quo residet in dextera Dei Patris, unitum personaliter verbo Dei, credimus esse in sacramento praefato sacramentaliter, spiritualiter, virtualiter et vere.

Et cum magister Rokyčzana fuisset a nobis sacerdotibes Thaboriensibus requisitus, an istam propositionem fidei nostrae nomine suo et aliorum, quorum nomine loquebatur, vellet concedere et populo Christiano promulgare, ad hoc idem magister respondit, quod illam concedimus, sed non in sensu *piccardico* illos terminos sacramentaliter et spiritualiter extra nostrum sensum, prout sibi placuit, ampliando.

Ad quos nos sacerdotes Thaborienses respondimus: Si vos, ut ex processu vestro patet manifeste, sensum hujusmodi Piccardorum abhorretis et detestamini, parcatis nobis, si nos etiam cavemus sensum grossum et Deo displicibilem de existentia corporis Christi seu modo naturali et quantitativo in ipso venerabili sacramento, cum notum sit, quosdam hoc habere pro fide, quod corpus Christi natum de beata Virgine est aeque grossum, aeque longum, et modo extensivo in qualibet parte sensibili sacramenti, sicut est in coelo residendo in dextera Patris; alii autem sunt sublimantes humanitatem Christi ad omnes proprietates divinitatis, ratione cujus sublimationis ipsam humanitatem ut divinitatem dicunt ubique esse in tantum, quod in hoc regno quidam non verebantur asserere, corpus Christi se comedere in piso, et sic in caeteris cibis; aliis asserentibus corpus Christi esse sub qualibet specie hujus mundi. Istos sensus sinistros nos sacerdotes Thaborienses vitare volentes et veritatem cognoscere diximus: Sicut vos magistri declinatis propositionem

nostrae fidei concedere in sensu picardico, hoc est haeretico, qui non est noster, in quo sensu haeretico nullus nisi vesanus concederet evangelium Jesu Christi ipsum in sensu bono simpliciter concedendo. Sic et nos non habito stabili fundamento non festinamus concedere propositionem vestrae fidei, ipsa nobis minime declarata, ne per nostram concessionem in populo Christiano currat haeresis detestanda.

Postea magistri volentes contentari in confessione nostrae fidei istam nobis sacerdotibus Thahoriensibus propositionem ad confitendum porrexerunt: An credimus, quod ipse Christus est in sacramento Altaris non solum spiritualiter per quandam gratiam solam ab ipsa corpore naturali Christi condistinctam, nec solum sacramentaliter et figuraliter, sed ultra hoc quantumque est Christus Jesus per resurrectionem suam gloriosus spiritualis et divinus, veritate tamen sui corporis et natura permanente est in eodem sacramento.

Ad quam propositionem terminis exclusivis intricatam, nec. in Christi Jesu evangelio expressatam nos sacerdotes Thaborienses taliter respondemus: Cum ciffra (?) Christus sit nomen suppositi in natura duplici, quod ipse Christus non solum spiritualiter per quandam gratiam solam ab ipso corpore Christi naturali condistinctam, nec solum sacramentaliter et figuraliter, sed ultra hoc, quantumcunque est Christus Jesus per resurrectionem suam gloriosus et divinus, veritate tamen sui corporis et natura permanente est in eodem sacramento, istam propositionem nos sacerdotes antedicti concedimus, sed non ad falsum sensum haereticorum, nolentium concedere naturalem distinctionem inter sacramentum altaris visibile et corpus Christi naturale. Ubi autem magister Rokyczana audiens, dictam nostram responsionem dixit, nos ad illam propositionem nobis per eum oblatam sophistice respondisse, ad hoc nos sacerdotes Thahorienses diximus: Scire debet quilibet homo, quod, cum illam in propria forma concessimus, non sophistice contra sententiam scripturae, quae scribitur: qui sophistice loquitur, odibilis est Deo, loquebamur, sed si illa propositio ut illis diximus, non sufficienter expressit sensum eorum sed sufficienter, poterunt expressionem nobis praesentare; videte ergo, si impudenter ipsam nobis obtulerunt, et indubie timemus ex modo eorum procedendi, quod sophistice et Deo odibiliter ipsam nobis obtulerunt, volentes nos specialiter ad hoc trahere, ut concederemes, corpus Christi natum de Virgine secundum suam

naturalem existentiam esse in ipso venerabili sacramento, quibus dicimus: Si non probabitis melioribus et efficacioribus mediis, quam probare vos praetendistis, non cito propter exclamationes nimias, aut alios gestus apud homines reputatos concedemus, hoc notabiliter adjungentes, quod per omnes auctoritates per magistrum Rokyczanam allegatas non est probatum veraciter, quod corpus Christi sua propria natura, et substantia suae naturalis existentia, quam sumpsit de Virgine Maria, et qua residet in dextera Patris proprie capiendo esse naturale, sicut doctores capiunt, sit in ipso venerabili sacramento habendo pro eodem loquendo boemice substantia suae naturalis existentiae, et secundum existentiam naturalem ejusdem; nam quamvis magister Rokyczana tempore praefatae synodi sacerdotum in Montibus pro illo adduxit evangelium, verba apostoli, glossam ordinariam, et verba plurimorum doctorum, suum volens probare propositum, non tamen hoc probavit veraciter, nec illa sibi ad suum serviunt propositum, nec sensum, quem trahit ex doctorum scriptis, fundavit veraciter in scriptura, et hoc quilibet potest intelligere ex infrascriptis. Primo magister Rokyczana nitebatur probare substantiam corporis Christi esse vel fuisse secundum ejus existentiam naturalem in altaris venerabili sacramento per illud Evangelii verbum Math. 26. et Luc, 22. quo Christus accipiens panem praecepit ex illo discipulis suis manducare dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, ubi idem magister dicebat, illud relativum *quod* esse relativum substantiae et non accidentis, innuens eandem substantiam corporis Christi in sacramente fuisse et esse, quae substantia sive quod corpus traditum est vel tradita pro nobis in cruce, et quod habet ibi existentiam naturalem, quia hoc', quod pro vobis tradetur, est tale, quod substantiam et naturam in se continet, addens, quod haec omnia non essent vera, videlicet: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, nisi hoc, quod praesupponebatur demonstratione esset verum corpus Christi. Haec Rokyczana. Ad quod nos sacerdotes Thaborienses respondimus, quod illud motivum magistri Joannis Rokyczanae per hoc dissolvitur, quod creditur, Christum panem demonstrasse, quando dixit. Hoc est corpus meum et quamvis ciffra *quod* sit relativum substantiae, cum referatur ad ciffra corpus meum, et non ad ciffra hoc, non potest bene inferri ex istis, nisi quod demonstratum per ciffra hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, sed non substantiam corporis Christi esse vel

fuisse secundum ejus esse naturale vel existentiam naturalem in altaris venerabili sacramento, imo secundum eos, qui ponunt Christum demonstrasse corpus suum sub specie panis, non sequitur corpus Christi esse ibi secundum esse naturale vel existentiam naturalem sed secundum esse sacramentale aut sub modo sacramentali; et sic non habet magister Joannes Rokyczana, quod probare nititur ex hoc loco. Concedimus tamen secum, quod hoc quod demonstratur pronomine, est verum corpus Christi et quod taliter haec propositio: Hoc est corpus meum, non esset vera, nisi hoc, quod demonstratur pronomine, esset corpus Christi verum; sed non ex illo sequitur, quod sequi praetenditur per magistrum Rokyczanam, videlicet quod corpus Christi sit t ibi secunum esse naturale.

Secundo magister Rokyczana nitebatur probare substantiam corporis Christi esse vel fuisse secundum ejus existentiam naturalem in sacramento per illud apostoli verbum 1. Corinth. 10. Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis domini est? subdens, quod illa verba apostoli non essent vera, nisi sub forma panis sumeretur verum corpus Christi, et sub forma vini verus sanguis Christi. Ad quod nos sacerdotes Thaborienses taliter respondimus: quod illa verba apostoli scilicet: Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est, vera non essent, si non sumeretur ibi corpus Christi verum sub forma panis modo illo, quo est ibi ipsum corpus Christi; sed bene possunt illa verba apostoli esse vera, quamvis non sumatur ibidem corpus Christi modo, quo non est ibidem. Non enim ibidem est sub modo naturali sed sacramentali, et sic tollitur motivum secundum magistri Joannis Rokyczanae, cujus loco utilius fuisset eundem magistrum declarasse, ad quem sensum panis, quem sacerdos frangit, post verba consecrationis est participatio corporis Domini, cum ex illa auctoritate veraciter non concluditur corpus Christi esse in sacramento altaris secundum ejus naturale.

Tertio magister Rokyczana pro eadem sua intentione adduxit glossam ordinariam super illo 1. Corinth. 11. Accipite et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, ubi sic habetur: Hoc, quod aliud videtur, est corpus meum illud idem substantialiter, quod pro vobis tradetur, Per quod idem magister vult, quod illud idem corpus Christi, quod pro nobis traditum est, est substantialiter in sacramento altaris.

Ad quod nos sacerdotes Thaboriensis respondentes diximus: Utinam magister ipse hic declarasset, quid sit illud, quod aliud videtur, et tamen est corpus Christi? Sed ad illud, quod videtur facere ad propositum magistri, dicitur, quod illud, quod aliud videtur, scilicet panis sacramentalis est corpus meum. Sed quia posset fieri circa verbum corpus meum haesitatio, an hoc intelligendum esset de corpore Christi nato de beata Virgine aut de corpore Christi mystico, ideo glossa innuit, quod hoc corpus meum, de quo fit mentio, est substantialiter illud corpus, quod pro vobis tradetur, et non aliud corpus. Sed ex hoc toto non habetur, quod corpus Christi sit in sacramento secundum esse suum naturale.

Postea magister Rokyczana pro eadem sua intentione adduxit Hilarium 8. de Trinitate, ubi scribit: Si vere verbum caro factum et vere nos verbum carnem in cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui et naturam carnis nostrae ad naturam jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, et naturam carnis suae ad naturam aeternitatis sub sacramento communicandae carnis admiscuit etc: Quantum ad illud Hilarii, quod videtur inter caetera maxime facere pro intento magistri Joannis Rokyczanae, nos sacerdotes Thaborienses respondentes dicimus, quia hoc vult doctor Hilarius, quod homo natus, qui secundum ipsum doctorem naturam nostrae carnis assumpsit ad naturam inseparabilem naturaliter in nobis manere existimandus est, et hoc propter hypostaticam unionem, sed non naturaliter in vobis manet ad illum sensum, quod ipsa natura corporea, quam assumpsit de beata Virgine coexistit secundum ejus esse naturale corporibus nostris indubie, hoc ex illo non habetur, et quamvis secundum Hilarium alia de causa dicitur: Christus in nobis naturaliter manere scilicet qui naturam carnis suae ad naturam aeternitatis sub sacramento communicandae carnis admiscuit; ex hoc non habetur, quod corpus Christi sit modo, quo praemittitur, in altaris venerabili sacramento; sed quod dicitur in nobis naturaliter manere, quia naturam naturae admiscuit sub sacramento, quod fecit quando primum sacramentum illud instituit et antequam aliquis ipsum sacramentum actualiter sumpsit, nec sequitur naturam carnis naturae aeternitatis admiscuit sub sacramento, ergo naturam carnis secundum ejus esse naturale admiscuit sub sacramento naturae aeternitatis, et per hoc refellitur, quod probare intenditur. Ubi autem in sequentibus canit Hilarius, quod

carnem Christi sub mysterio, id est: sub sacramento: hoc oportet omnino intelligere de carne Christi secundum illud esse, quod habet in sacramento, quod non est esse naturale. Praeterea ubi Hilarius in consequentibus dicit, naturalem Christi veritatem in nobis et de veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus; totum hoc intelligitur de naturali veritate, quae facta est per hoc, quod Christus naturam nostram assumpsit, et de veritate carnis et sanguinis secundum illud esse, quod habet hic in sacramento, quod per hoc patet, quod subdit doctor. Haec accepta atque hausta efficiunt, ut nos in Christo et Christus in nobis sit; quomodo enim nos sumus in Christo, nonne nostrum esse naturale singulare corporeum coexistit humanitati Christi naturali assumptae de beata Virgine, imo juxta opinantem carnem Christi et sanguinem secundum ejus esse naturale esse in stomacho hominis, sub speciebus sacramentalibus adhuc homo nec secundum corpus nec secundum animam coexistit carni Christi, ut praemittitur considerate; sed cum dicitur, Christum aut naturam carnis ejus in nobis esse, hoc semper intelligendum est secundum tale esse, quale in nobis habet, sicut cum dicimur non esse in Christo aut naturam nostram, oportet hoc intelligere secundum hujusmodi esse, quale in ipso natura nostra habet, quia natura assumpta ejusdem in specie cum natura nostra, et hoc notari potest per verba Hilarii, cum dicit: Ille, scilicet Christus in nobis per sacramentorum inesse mysterium crederetur, sed cum adverbium naturaliter ab auctore inducitur, magna difficultas apud intellectum humanum oritur; dicitur autem Christum esse naturaliter in Patre per naturam divinitatis, et nos naturaliter insumus Christo per corporalem ejus nativitatem; quod enim hoc sibi vult, nisi quod nostra natura convenit specifice cum natura a Christo assumpta ipso corporaliter nato; non enim intelligendum est, quod natura singularis corporea alicujus puri hominis coexistit naturae Christi corporeae assumptae; ipse autem Christus dicitur in nobis naturaliter permanere, quia natura humana a Christo assumpta admixta est naturae aeternitatis sub sacramento, et sic Christus est in nobis per sacramentorum mysterium, quod sumimus ipsum sacramentum, sed secundum tale esse, quale potest habere in ipso sacramento. Ex istis potest quilibet intelligere, quod magister Rokyczana non probat suum propositum per dictum Hilarii, quod inter caetera videtur maxime facere pro ejusdem intento. Et per hoc potest responderi et ad

anctoritatem Paschasii et ad omnes alios conformem inculcautes sententiam.

Postea magister Joannes Rokyczana pro eadem sua intentione adduxit Damascenum Libro X. suarum seutentiarum capitulo 5.: consvetudo!, inquit, hominibus est panem comedere et aquam et vinum bibere, coujugavit eis ejus divinitatem, et fecit ea corpus et sanguinem ejus etc. Ad hoc nos sacerdotes Thaborienses: si librum originalem Damasceni videremus, sciremus cum Dei auxilio respondere, quia non videtur nobis, quod magister Joannes Rokyczana vere eliciat sensum, quem praetendit, ex verbis Damasceui, si correctum originale videremus, patere tamen potest ad dictum Damasceni responsio per praedictam, quia quamvis pani et vino conjugavit deitatem faciens ea corpus et sanguinem suum, non tamen conjugavit deitatem suam personaliter carni suae existenti secundum esse suum naturale in sacramento altaris saepius ante dicto, cum ibi taliter non existat.

Demum magister Joannes Rokyczana pro existentia corporis Christi in ipso sacramento altaris secundum ipsius esse naturale adduxit beatum Bernardum in sermone ad Petrum de corpore Christi in sacramento altaris, qui sic scribit: si res ibi veraciter et substantialiter praesens creditur, cujus species non cernitur. Et infra: creditur autem substantia corporis et sanguinis Christi, et tamen species non cernitur.

Et infra: cum enim unum sit sacramentum, tria ibi discreta proponuntur, scilicet species visibilis, et veritas carnis et virtus gratiae spiritualis; usque ad speciem panis pertingit sensus exterior, et ad veritatem carnis fides interior, et ad veritatem gratiae spiritualis charitas superior; speciem panis rodit aliquando corex parvissimus, veritatem carnis recipit etiam pessimus, virtutem gratiae spiritualis non recipit nisi praedestinatus. Quod itaque videmus, species est panis et vini, quod autem sub specie illa credimus, verum corpus et verus sangnis est Christi, quod pependit in cruce, et qui fluxit de latere hominis. Haec Bernardus per magistrum Rokyczanam adductus; ex cujus verbis idem magister Joannes eliciens dicit: ecce iste sanctus dicit, quod ibi, scilicet in sacramento altaris creditur esse substantia corporis et sanguinis Christi, et per consequens ejus existentia vel natura, et ibi veraciter et substantialiter praesens corpus Christi credi debet, cujus species non cernitur.

Ad quod nos sacerdotes Thaborienses respondentes et propositum tangentes dicimus, quod res illa, quae secundum beatum Bernardum veraciter et substantialiter ibi creditur, cujus species non cernitur, corpus Christi est; sed quomodo ibi corpus Christi veraciter et substantialiter creditur, est videndum, pro quo praefati sacerdotes habere volunt pro notato, quod secundum doctorem evangelicum corpus Christi est ibi substantialiter, id est: modo substantiae; secundum Petrum de Tarento corpus Christi et sic substantia corporis Christi est ibi secundum esse sacramentale; et secundum doctorem subtilem corpus Christi et sic existentia corporis Christi et ibi sub modo sacramentali, sed secundum doctorem evangelicum corpus Christi non est substantialiter ibi ad istum sensum, quod non est ibi in quantum substantia; secundum vero Petrum de Tarento non est ibi corpus Christi secundum esse naturale ejus; secundum doctorem subtilem non est ibi corpus Christi sub modo naturali; et idem doctor ipsum corpus sub illo modo vocat saepius existentiam naturalem corporis Christi, et sic negat corpus Christi esse in sacramento existentia sua naturali. Et per haec dicta praedictorum doctorum patere potest, ad quem sensum concedi potest corpus Christi esse substantialiter in sacramento et ad quem negari et cum alternatim conceditur, quod corpus Christi est veraciter in sacramento, quamvis una pars hoc dicat se concedere, sed non ad sensum Piccardorum, altera parte dicente se nolle hoc concedere ad sensum haereticorum, praetereundum esse videtur in hoc puncto. Sed ex dictis Bernardi eliciat adversarius sane, et videbit, quod ex ipsius doctoris verbis non sequitur ipsum corpus Christi esse in altaris sacramento sua existentia naturali; et mirandum est, cur magister Rokyczana non elucidavit verba Bernardi, ubi sic scribit: virtutem gratiae spiritualis non recipit nisi praedestinatus, cum praescitus existens in gratia secundum praesentem justitiam sacramentum sumens, ut communiter tenetur ab omnibus, recipit virtutem gratiae spiritualis.

Adhuc magister Joannes Rokyczana pro suo proposito adduxit aliud dictum Bernardi ibidem in sermone ad Petrum: in altari quippe sacerdotum ore et manu corpus Christi conficitur, non creatur, non nascitur, sed totum est in dextera Patris, totum est in manu sacerdotis, totum est in ore sumentis, unus in multis, idem in diversis. Haec Bernardus per Rokyczanam adductus, ex cujus dicto

idem magister nititur elicere, Christi corpus totum esse in sacramento secundum ejns esse naturale. Ad quod nos sacerdotes Thaborienses respondentes concedimus, totum corpus Christi esse ad dexteram Patris, sed ibi secundum esse naturale, et totum corpus Christi esse in manu sacerdotis, sed sacramentaliter secundum esse sacramentale, vel sub modo sacramentali, non autem secundum existentiam naturalem.

Insuper adhnc magister Rokyczana adduxit pro suo proposito eundem Bernardum in alio sermone de coena Domini, ubi scribit: sed tantum intelligendum est, quod in sanguinis acceptione solam animam et non corpus, vel in acceptione corporis solum corpus et non animam accipimus, sed in acceptione sanguinis totum verum Christum Deum et hominem, et in acceptione corporis similiter totum. Haec ibi. Ad illa verba Bernardi nos sacerdotes Thaborienses respondentes dicimus, beatum Bernardum non dicere, quod in acceptione sanguinis Christi secundum ejus esse naturale in sacramento totum Christum verum Deum et hominem sumimus, nec in acceptione corporis, sic ut praemittitur, ibi existentis similiter totum Christum; sed cum corpus Christi sacramento sacramentaliter secundum esse sacramentale, et sub modo sacramentali, sic potest coucedi, quod totum Christum sumimus, secundum quod est in ipso sacramento, non autem ipsum ibi sumimus aliter, quam est ibi.

Et per haec jam dicta potest fieri responsio et ad dictum Anshelmi, tractatu de corpore Christi sic dicentis: est ergo in mysteriis vera substantia Dominici corporis sed absque visibili specie sua; et ad dictum Hugonis de sacramentis inquientis: quando in manibus sacramentum tenes, corporaliter tecum est, quando ore suscipis, corporaliter tecum est: quando manducas et quando gustas corporaliter tecum est: et ad quaecunque dicta sanctorum doctorum conformem tangentium sententiam, quod ubi ponunt substantiam veram Dominici corporis vel ipsum substantialiter vel corporaliter esse in mysteriis, intelligunt, quod est ibi modo substantiae, vel modo corporis, vel secundum esse sacramentale, aut sub modo sacramentali, sed non secundum esse naturale, aut sub modo naturali, ut bene patere potest ex praemisis. Et quibus omnibus cuilibet indifferenti oculo probationis magistri Joannis Rokyczanae et responsiones sacerdotum Thaboriensium diligenter trutinanti patere potest, qnod per omnes auctoritates per magistrum Rokyczanam allegatas non est

probatum veraciter, quod corpus Christi sua propria natura et substantia suae naturalis existentiae, quam sumpsit de Virgine Maria et qua residet in dextera Patris proprie capi de esse naturali, sicut doctores praemissi capiunt. Sic in ipso venerabili sacramento nec illi sibi ad suum serviunt propositum nec sensum, quem trahit ex dictorum doctorum scriptis, fundare potest veraciter in scriptura. Postea magistri sacerdotibus Thaboriensibus duas propositiones infra scriptas ad confitendum porrexerunt, quarum prima est ista: corpus Christi in sacramento est vivum, in quo est sanguis et anima, quam pro nobis emisit in cruce, quod est unitum deitati in sacramento altaris. Secundo est ista. In sacramento altaris corpus Christi vivit, in quo est sanguis et anima, quam in cruce emisit, quod est unitum deitati in hoc sacramento. Quas propositiones ad eandem materiam fidei pertinentes nunc sub una forma, et nunc sub alia magistri proposuerunt, ratione cujus variationis in proponendo magnam difficultatem ac involutionem cordibus hominum injecerunt. Ad quod nos sacerdotes Thaborienses taliter respondimus: non videtur nobis, quod populus Christianus sit onerandus tali fide, quae non potest probari nostro judicio ex scriptura, ac ex qua sequuntur difficultates quasi insolubiles cuilibet viatori; unde cum corpus Christi natum de Virgine secundum adversarium ponitur esse in sacramento altaris suo esse naturali, et secundum ejus naturalem existentiam loquendo Boemice, sed non secundum idioma latinum, et per consequens ibi vivere vita creata oportet, quod ibi exformetur eadem anima, qua praesens, cum hic Christus fuerat in terris, cum hominibus conversatus et per consequens anima vegetativa, sensitiva et intellectiva ejusdem speciei specialissime cum anima hic viantis, et sic haberet hic omnes potentias cognitivas et incognitivas correspondentes animae tali, quo posito sequitur omnes sensationes, quae insunt vero alicui sensui Christi, ut in coelo inesse eidem sensui, ut in sacramento respectu ejusdem objecti, et si Christo vidente suo oculo corporali in coelo objectum corporeum inmoderata distantia proportionatum videret illud objectum oculo corporeo in sacramento, ubi scitur distantiam inproportionatam esse, imo praesupposita veritate praedictorum oportet ponere corpus Christi in sacramento vivere vita animali, quia vita ejusdem speciei specialissime cum vita nostra, quae essentialiter actu vel aptitudine est vegetativa, sensitiva et intellectiva, quod ut videtur condemnat Fulgentius de divinis officiis

illam sententiam capiens a beato Ambrosio dicens: quia vita animalis, quae quinque sensibus fungitur, quia caro est, si in corpore Domini adesset, nihil nobis prodesset ac per hoc istam requirere superfluum est. Illa autem vita, quae per adversarium praetenditur divina, qua corpus Christi vivere dicitur, aut est ista, quae praedicitur scilicet vegetiva, sensitiva et, intellectiva vel aliud ab ipsa procedens, aut vita gratiae aut gloriae, sed de vita gratiae aut gloriae hic loqui non videtur ad propositum pertinere; si autem sit ipsa anima praetacta, aut aliud ab ipsa procedens, incipitur in inconveniens quod vitatur. Et ergo nos sacerdotes notantes illas et multas alias circa hoc difficultates respondentes ad dictas magistrorum propositiones nobis nunc sub una et nunc sub alia forma propositas diximus: Non videtur nobis, quod populus Christianus sit onerandus tali fide, quae non potest probari nostro judicio ex scriptura sacra, ac ex qua sequuntur difficultates quasi insolubiles cuilibet viatori; nolumus enim dare occasionem somniatis quaestionibus extra scripturam. Nam posset quis aeque quaerere: ultrum corpus Christi in sacramento sedet aut jacet, aut ad quas partes vultum convertit, aut an factorem, si ante sacramentum candela extinguitur, sentit, et caeteris multis. Circa hoc tamen nos sacerdotes Thaborienses concedimus pro fide, quod corpus Christi vivit habens sanguinem et animam, quam emisit in cruce, quod unitum et ipsi deitati, et est sacramentaliter, spiritualiter, virtualiter et vere in ipso venerabili sacramento.

Postea magister Joannes Rokyczana impugnavit modum trifarie sumendi corpus Christi verbis satis latis. Pro ista tamen sententia fundanda nos sacerdotes Thaborienses adduximus prius scripturas, quibus ostenditur, corpus Christi aliquando accipi pro corpore Christi naturali, ut illud Isaiae 55.: dedi corpus meum percutientibus: vel illud Math. 26, Mittens autem hoc unquentum in corpus meum ad sepeliendum me fecit; aliquando pro corpore Christi mystico, ut illud 1. Corinth. 12.: vos autem estis corpus Christi, et aliquando pro sacramento, ut illud 1. Cor. 11.: qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. Post hoc adduximus verba sanctorum doctorum, primo Paschasii Tractatu suo de corpore Christi, qui sic scribit: trifarie corpus Christi dicitur, primo de Virgine incarnatum, in ara crucis pro nobis immolatum, et morte devicta in coelum elevatum, et in dextera collocatum: secundo corpus Domini dicitur, quod ob pignus

ecclesiae est traditum spiritu sancto consecrante ex substantia panis et vini ministerio sacerdotum cotidie conficitur, ac divinitate operante in praedictum corpus suffertur; tertio corpus Domini tota ecclesia praedicatur, quae de omnibus electis ut de membris in unum compingitur. Haec ille. Pro eodem est Remigius super illo Roman. 7. declarando hoc verbum: mortificati estis legi per corpus; ubi sic habetur: de quo corpore loquar? nam corpus Christi est, quod assumpsit de utero virginali, corpus Christi est tota ecclesia fidelium corpus Christi et quod cotidie consecratur in ecclesia: apponit ergo de illo corpore dixisse apostolum, quod assumpsit de utero virginali. Haec ille. Ex istis patet, tales inaniter exacerbari, qui murmurant absque fundamento contra triplicem modum sumendi corpus Christi; cum ipsimet concedentes ex scriptura manifeste dandum esse corpus Christi mysticum communiter appellant ipsum sacramentum sensibile corpus Christi, sicut multi sancti ante haec tempora taliter appellarunt: scribit enim Origenes Homilia 13. super Exodo: nostis, qui divinis mysteriis interesse consvevistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur: Haec ille. Ex cujus verbis evidenter patet, quod sacramentum, de quo potest aliquid dejicere, vocat corpus Domini, et quod ipsum sacramentum venerabile sit caro Christi sive corpus ejus, patet expresse per verba Augustini in Libro sententiarum Prosperi et habetur de Conciliis, distinctione 2. ubi sic habetur: caro carnis et sanguis sacramentum est sanguinis; imo de Conciliis, distinctione E. Corpus et sanguinem, si chabetur: corpus et sanguinem Christi dicimus illud, quod ex fructibus terrae acceptum et prece mystica consecratum recte sumimus ad salutem in memoriam dominicae passionis. Et ibidem: Si per negligentiam, sic habetur: si per negligentiam aliquid de sanguine stillaverit in terram, lingua lambetur, tabula radetur; ubi expresse sacramentum sanguinis Christi vocat sanguinem Christi; imo Apostolus 1. Corinth. 11. vocat sacramentum venerabile corpus Domini, quando dicit: qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit non dijudicans corpus Domini. Super quo Lyra generalis glossator bibliae non dijudicans corpus Domini, id est, non discernens ab aliis cibis, sumens scilicet sacramentum sicut alios cibos; ubi corpus Domini indubie vocat sacramentum. Et pro eodem est doctor subtilis distinc-

tione 8 4. quaest. 3 qui dicit, quod aliquis potest percipere hoc sacramentum ut non sacramentaliter ut qui accipit hostiam consecratam, quia ibi vere est sacramentum, sed non accipit ipsam ut sacratam, sed omnino non discernens eam a communi cibo, et talis inquit, secundum apostolum judicium sibi manducat, et bibit, non dijudicans corpus Domini, id est, non discernens a communibus cibis, et hoc potest esse vel ex infidelitate, sicut paganus, si daretur sibi cummunio, vel ex contemptu stante fide, sicut in malo Christiano. Haec ille. Ex cujus verbis patet, quod ibi apostolus sacramentum vocat corpus Domini, et illud sacramentum auctor de divinis officiis, qui ab aliquibus dicitur esse Fulgentius, ab aliis autem Ambrosius, vocat terrenam substantiam et corpus sacrificii, quando sic scribit: quapropter qui visibilem panem sacrificii comedit et invisibilem a corde suo non credendo expellit, Christum occidit, qui vitam a vivificato sejungit, et dentibus suis laniat mortuum corpus sacrificii, atque per hoc reus est corporis et sanguinis Domini. Haec ille. Ex illis jam quilibet potest videre, inaniter magistrum Joannem Rokyczanam exacerbari, et absque fundamento murmurare contra triplicem modum sumendi corpus Christi. Quando autem Nicolaus de Pelhřimov fatebatur illam propositionem tropicam et figurativam, qua sacramentum sensibile suscipit praedicationem corporis Christi aut e contra, et dicebat, se non ponere panem sacramentalem frangibilem visibilem et manducabilem esse identice corpus Christi, cum inter illud sacramentum sensibile et corpus Christi natum de beata Virgine sit distinctio essentialis inquiens: nescio, qua praedicatione convenientiori panis esset corpus Christi, quam tropica et figurativa, habens tamen in hoc sacramentali figura veritatem corporis Christi, quod non contingebat in figuris veteris testamenti. Et si magister praesens aptiorem scit dicere, illam dicat pro salvatione animae suae manifeste, quia non sacramentum, prout magister dixit, sit sacrae rei signum, ipsum sacramentum significat verum corpus Christi natum de beata Virgine, ne illam significationem poterit aliquis theologus efficaciter impugnare, qui sacramentum, ut sacramentum est, ponit essentialiter esse signum. Et pro illa sententia confirmanda idem Nicolaus adduxit beatum Augustinum in epistola ad Bonifacium, qui sic scribit, quod hoc sacramentum non secundum substantiam, sed secundum significationem est corpus Christi. Ego, inquit, dico vobis hoc debere intelligi secundum quemdam tropum et secundum identificationem, vel

naturam. Haec ille. Et ad hunc sensum loquitur Anselmus in tractatu de corpore Christi: illa, inquit, visibilis species panis non est corpus Christi per se considerata, nisi quod hoc nuncupatur ea consvetudine in scriptura, quia plerumque sacramenta sortiuntur nomina earum rerum, quarum significationem gerunt, ideoque earum rerum sacramenta sunt; si enim sacramenta aliquam similitudinem rerum earum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Haec ille. Hinc est, quod magister sententiarum distinctione 10. 4. capitulo 3. postquam aliquot dicta sancti Augustini ante capitulum illud 3. recitavit, quibus sacramentum sensibile suscipit praedicationem corporis Christi aut e contra, sic subjungit capitulo antedicto: attende his diligenter, quia tropo quodam hic utitur Augustinus, quo solent res significantes rerum sortiri vocabula, quas significant; hinc enim visibilis species panis vocatur nomine carnis et visibilis species vini nomine sanguinis. Haec magister sententiarum. Ex quibus verbis patet locutionem illam, qua sacramentum sensibile suscipit praedicationem corporis Christi esse tropicam aut figurativam. Et certum est, propter terminos isti dicto nesciet meliores aptare terminos ad exprimendum naturam signi rerum signati quam qui sunt isti antiqui et viri satis illuminati. Et in majorem adhuc horum confirmationem est Augustinus in libro Sententiarum Prosperi et ponitur de Conciliis, distinctione 2.: hoc est quod dicimus; ubi sic habetur: sicut ergo coelestis panis, qui vere Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cum revera sit sacramentum corporis Christi illius videlicet, quod visibile, quod palpabile mortale in cruce est positum; glossa suo modo, id est non rei veritate sed significanti mysterio, ut sit sensus, vocatur corpus Christi, id est significat illud, unde subdit cum revera sit sacramentum. Haec ille. Hoc idem tenuit magister Joannes Hus super distinctione 10. 4. et magister Jacobellus tractatu de materia sacramenti. Hinc doctor evangelicus in multis locis suorum librorum inculcat istam sententiam et quasi concludens eam in magno tractatu de Eucharistia capitulo 4. scribit: et qui ignorant istam praedicationem tropicam vel figurativam, nedum male intelligunt sanctos doctores et decreta ecclesiae sed fidem scripturae: nam Christus dicit Joannis 14. ego sum via; et Joannis 10 : ego cum pastor, et Joannis 15.: ego sum vitis vera: et Lucae 21. dicit: coelum et terra transibunt, sed verba mea non transibunt; ubi non dubium intelligit per

verba quae sunt signa inconstantissima signatam sententiam; et isto tropo saepius utitur Augustinus, sicut post ipsum utuntur sancti doctores, et leges ecclesiasticae. Haec ille. Quando ergo praefatus Nicolaus illam praedictam sententiam loquebatur, tunc magister Joannes Rokyczana recipiens unum dictum in tractatu praefati Nicolai, ubi inter caetera ponit, quod in tali sensu panis sacramentalis est corpus Christi, pro nobis in cruce oblatum, quamvis in gradu altiori, sicut petra erat Christus, quia dictus Nicolaus circa hoc se in eodem suo scripto exponens infra dicit, quod ille panis sacramentalis est propinquius signum corporis Christi pro nobis in cruce oblatum, quam petra erat Christus, cum panis sacramentalis aliquomodo contineat corpus Christi in se praesens. Contra hoc dictum praefati Nicolai Rokyczana allegat magistrum sententiarum assimilans Nicolaum praefatum in hoc dicto hominibus erroneis, quos magister sentiarum 10. Distinctione 4. redarguit; ad quod ego Nicolaus de Pelbřimow ibidem respondi, quod legente mature textum magistri sententiarum loco praedicto patere potest, ipsum reprehendere asserentes in altari non esse corpus Christi et sanguinem, nec substantiam panis et vini in substantiam corporis Christi et sanguinis converti, sed ita Christum dixisse: Hoc est corpus meum, sicut Apostolus dicit: petra erat Christus; cujus sensus contra me Nicolaum de Pelhřimow non est, cum ego in altari assero corpus Christi et sanguinem esse sacramentaliter, spiritualiter, virtualiter, et vere, sed non secundum existentiam naturalem, imo et conversionem quandam panis in corpus Christi, et vini in sanguinem, nec praecise. Ego Nicolaus dicoque propinque petram esse Christum sicut istum panem esse corpus Christi natum de Virgine, quod assero praesentialiter in eodem ut ex praefato meo evidet scripto. Sed per omnia dicta magistri sententiarum per magistrum Rokyczanam allegata non sequitur, quin ista praedicatio: Hoc est corpus meum, sit praedicatio tropica, sive figurativa, velut illa: Petra erat Christus; altiori tamen gradu, et ad hoc tendebant verba mea, et absque fallo miror, ad quod magister Joannes Rokyczana hanc praedicationem impugnat figurativam, quam *ejus pater spiritualis magister Jakobellus* non solum in hoc regno sed aliis ampliavit scribens in suo tractatu de remanentia panis, quod post prolationem verborum sacramentalium virtute divina panis in altari existens et manens, quem frangimus, secundum quandam praedicationem non identicam sed tropicam et figurativam est vere et sac-

ramentaliter corpus Christi. Consequenter magister Joannes Rokyczana sermone diffuso dixit, me Nicolaum de Pelhřimow tenere, gratias spirituales esse corpus Christi natum de Virgine, dicens non est conveniens proprie loquendo illis verbis evangelii: Hoc est corpus meum, corpus Christi vocare gratias, plurima argumenta licet satis inutilia in hac materia, ut sibi placuit, adducendo. Ad quaeego Nicolaus saepedictus respondendo dixi, quod nunquam recolo me dixisse, scripsise aut cogitasse, quod corpus Christi natum de beata Virgine esset gratia gratum faciens, quamvis his verbis incipit fragmentum *Lobkovicianum*; concedo ex fide scripturae juxta sententiam apostoli Hebraeor. 2. dicentis: eum autem, qui modico quam angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum, ut gratia Dei pro nobis omnibus gustaret mortem. Super quo Remigius scribit: gratia Dei Patris appellatur Filius, eo quod nobis a Deo Patre gratis sit datus, et quod gratis pro nobis mortem sustinuit; non enim debebatur nobis nostro merito, ut Filius Dei pro nobis gustaret mortem, sed ineffabilis gratia haec fecit. Haec ille. Et beatus Augustinus etiam ipsum corpus vocat gratiam super Psalmum 4. prout in de Concil. distinctione 2. *Prima quidem haeresis*, patet, ubi sic habetur: gratia ejus non consumitur morsibus, ubi glossa: gratia, id est: corpus suum gratis nobis datum; et sanctus Gregorius allegat quosdam non improbabiliter de hoc loquentes, qui veritatem carnis Christi et sanguinis ipsurum efficaciam vocant, id est, peccatorum remissionem, patet in de Concil. distinct. 2. *Species et similitudo*; et Augustinus super Joannem Homilia 13. super illo verbo: Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi, scribit: nemo enim implet legem, nisi quem adjuverit gratia id est, panis, qui de coelo descendit. Haec ille. Pro malo ergo non habeat quis, quod doctor evangelicus uno modo speciali propter mirandam excellentiam, quam credunt fideles corpus Christi habere in ipso digno sacramento, vocet ipsum virtutem sicut Augustinus gratiam; etiam nulli Deum diligenti hujusmodi modus loquendi deberet displicere, praesertim cum sicut per totam hostiam consecratam est Christus virtuosus, sic est per illam virtus Christi et sacerdos magnus in tempore iracundiae factus est reconciliatio. Christus etiam dicitur propitiatio pro peccatis nostris et ut videtur ad modum loquendi auctoris de divinis officiis, vita nobis administrata in sacrificio appellatur sanctificatio, benedictio, misericordia et veritas. Postea quando magistri condescenderunt ad

unam sententiam positam in uno scripto Nikolai de Pelhřimow ipsam impugnantes, ubi sic inter caetera scribit, quod secundum legem evangelicam fideles Christum non necessitantur in sacramento Eucharistiae adoratione latriae adorare. Ad hoc ego Nicolaus saepe dictus respondendo tria praemisi, primo praemisi distinctionem adorationis dicens, quod quaedam adoratio est latriae, quae debetur rei pro excellentia, quam ex se habet, et est cultus soli Deo debitus, sicut mandatum datur hominibus: Dominum Denm tuum adorabis et illi soli servies. Math. 4. Alia adoratio a doctoribus vocatur adoratio duliae, quae puris impenditur creaturis: alia hyperduliae, quae humanitati Christi impenditur, ratione qua excellit caeteras creaturas; alia vero est adoratio vicaria seu reverentiae, quae debetur rei pro excellentia, quam a Deo participat, et exhibetur rei non propter naturam ejus absolutam, sed propter rationem, qua ipsa est figura rei adorabilis, qualiter antiqui sancti Patres quibusdam debitis reverentiis figuras Christi, licet non propter sese, sed propter Christum, quem repraesentabant, adoratione vicaria adorabant, qualiter voluit Deus arcam adorari, sicut dicitur in Psalmo: adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. Hoc dicitur ad litteram de arca, quae erat posita sub propitiatorio tanquam scabellum sub sedili secundum Nicolaum de Lyra, super quam sedebat Deus et responsa dabat, quae fuit Christi figura, quam in reverentia magna habebant propter ejus figuratum, sicut legitur de David, 2. Regum 6. cum duceret arcam, percutiebat in organis, et saltabat totis viribus ante Dominum, et omnis Israel clangebat tubis: quae reverentia plus respiciebat figuratum quam figuram illam. Similiter Jacob virgam Joseph adoravit, ut scribitur Hebraeorum 11. quia illa virga fuit figura regni et sceptri Jesu Christi. Secundo praemisi suppositionem istam; Christus est tres naturae incommunicantes, scilicet, Deitas, corpus et anima; ista suppositio patet ex ista: Christus est Deus et homo perfectus, ut ex fide supponitur, omnis Deus est Deitas, omnis homo perfectus est tam corpus quam anima, ergo Christus est tres naturae incommunicantes, scilicet, Deitas, corpus et anima, et scriptura quamlibet ex his Christum Jesum quandoque appellat, ex quo sequitur Christum secundum humanitatem esse creaturam, quia cum omnis natura corporea, vel spiritus creatus est creatura, Christus est tam natura corporea quam spiritus creatus, cum sit homo perfectus, ergo Christus est creatura, quod sub scriptis testimoniis comprobatur; scriptura enim sacra

annuntiat Christus simpliciter vere factum, ut Gallat. 4.: misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Et credo quod nullus dicit hoc determinativum *ex muliere* esse terminum distrahentem, quia sequitur compositus ex corpore et anima, ergo compositus. Item Hebraeor 3. scribit apostolus: considerate apostolum et Pontificem confessionis nostrae Jesum, qui fidelis est ei, qui fecit illum. Ecce hoc dicit absolute, quod Deus fecit Jesum. Item Ephes. 1. Dominus Domini nostri Jesu Christi Pater gloriae dedit vobis spiritum sapientiae. Et 1. Cor 3.: vos esti Christi, Christus autem Dei, et infra 11.: caput Christi Deus. Et ad hoc sonat tota scriptura de humanitate Christi, et specialiter illud veritatis: Pater major est me: et illud Philippens. 2.: semet ipsum exinanivit formam servi accipiens, ut exponit Augustinus libro 1. contra Maximum, et pro eodem est idem Augustinus Euchyridion 29. dicens: illam creaturam, quam virgo concepit et peperit, quamvis ad solam personam filii pertinentem tota Trinitas fecit et illam creaturam esse Filium Dei capitulo immediate sequente. Idem dicit in sermone de vigilia Epiphaniae: magnum mysterium fuit, quod creator creari voluit; et in de Sermone Domini in monte: voluit esse creatura, qui est creator, et in signum istorum praemissorum symbolum ecclesiae continet de Christo homine, quod incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est; et per consequens est creatura, quod doctor evangelicus in de incarnatione capitulo 6. probat, Christum esse univoce hominem cum aliis hominibus. Et respondendo objectionibus declarat, quod Christus est secundum multorum doctorum testimonium creatura, et satisfaciens objectionibus in oppositum allegandis de incarnatione capitulo 1. scribit: sed quia sunt multae scripturae, quae videntur isti sententiae repugnare, ut recitat magister sententiarum distinctione 11., ideo ut omnes convenienter dissolvantur, sub uno epilogo dicitur, quod omnes recte intelligentes Christum non esse creaturam concipiunt, quod Christus secundum Deitatem non est creatura, sicut omnes recte concedentes Christum esse creaturam concipiunt, eum secundum humanitatem esse creaturam. Et illa glossa satisfacit sub communi involucro omnibus auctoritatibus in oppositum allegandis. Haec ille; et idem pro majori illius materiae decisione in de compositione hominis capitulo 1. inter caetera scribit: homo aliquando accipitur pro persona, quae est quaelibet trium naturarum vel rerum. Et isto modo loquitur fides ex testimonio scripturae, quod ille homo,

qui creavit coelum et terram, fuit natus de Virgine, conversatus cum hominibus, passus sepultus et mortuus, descendit ad inferos, et ascendit ad coelos, non autem secundum assumptam naturam creavit saeculum, nec secundum Deitatem patiebatur, nec secundum animam fuit mortuus, aut sepultus nee secundum corpus aut aliam naturam integram descendit ad inferos; sed cum eadem persona sit haec omnia, secundum aliud fecit unum, et secundum aliud fecit reliquum; et sie loquitur apostolus de se ipso: scio, inquit, hominem hujusmodi sive in corpore sive extra eorpus, nescio, Deus seit, quoniam raptus sit in paradisum. Ecce, quod scivit se vere raptum, et nescivit in illo raptu esse se corpus vel animam, ideo sequitur, quod scivit se esse commune ad corpus et animam.

Haec ille. Tertio praemisi intentionem meam circa hoc praefatum dietum meum, quare videlicet sic scripserim,. licet hoc nunquam praedicaverim; laboravi enim ad hoc, sieut et hodie laboro, qualiter excludatur a sacramento illa grossa et dimensiva existentia corporis Christi secundum ejus esse naturale in eodem, volens ut homines sic se sciant habere ad Christum, ubi est, ut ibi est, ne secus se ad eum habentes, quam ihidem est, sibi indebite afficiantur, et sic errent, cum errorem intellectus sequitur error affectus; intelligo, quod Deus non acceptat laudem alicujus, si homo non cognoscens jam, secundum quod ipse cognosei vult, ipsum laudet; scribit enim sententialiter beatus Chrysostomus opere imperfeeto super illo Math. 19. magister hone, quid faciendo vitam aeternam possidebo; qualiter Christus repulit laudem illius, qui dixit illum honum, non quod non esset honus, sed quia non cognoscebat ipsum esse Deum; sicut nec coelestis, inquit, susceperit laudem illorum et cultum, de quibus apostolus ait: quem vos ignorantes colitis, hunc ego annuntio vobis; eo quod non cognoscebant eum, secundum quod ipse cognosci volebat. Haec Chrysostomus, pro quo videtur esse et illud Christi verbum, quod post sui resurrectionem dixit ad Mariam Magdalenam: Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum, ut scribitur Joannis 20. ubi ideo eam indignam esse ad se tangendum videtur innuere, quia non plene credidit, et non cognovit eum, hinc est, quod Augustinus super illo textu loquens exponit eum de tactu cordis seu fidei, unde dieit: Noli me tangere, id est, noli me sic credere, quemadmodum modo sapis, quasi adhuc carnaliter in eum eredebat, quem flebat sicut hominem, et hoc dicit sequens litteram: nondum enim

ascendi ad Patrem, id est, ad Patris aequalitatem in corde tuo. Haec ille. Secundum vero Gregorium intelligit de corporali tactu; sed hoc Dominus non prohibet, cum scriptum sit, accesserunt mulieres et tetigerunt pedes ejus, sed in hoc voluit indignam ipsam ad tangendum ostendere tanquam non plene vel recte credentem, et hoc probat per litteram sequentem: nondum enim ad Patrem ascendi in corde tuo, tunc enim Jesus ascendit ad Patrem, cum aequalis creditur patri. Haec ille. Ex quorum doctorum verbis patet aequaliter ille, qui dixit Christum bonum, quia aliter ei afficiebatur, ex ignorantia, quam debuit, erravit; similiter et illorum ipsum non cognoscentium et in ignorantia colentium laudes non suscepit, sicut et Mariam Magdalenam indignam se ad tangendum ostendit ex eo, quod non plene cognovit eum, ut debuit. Sic et ego Nicolaus antedictus timens, ne homines credentes sine fundamento scripturae, grosse et dimensive corpus Christi existere in sacramento Eucharistiae secundum ejus esse naturale, non ponentes ipsius distinctionem a persona verbi divini, ex ignorantia aliter ei affecti quam debent, errent, dixi ista verba, quod fideles secundum legem evangelicam Christum non necessitantur in sacramento Eucharistiae adoratione latriae adorare, intelligens Christum sic adorandum non esse in sacramento secundum corpus suum taliter, ut praemittitur, a divinitate naturaliter condistinctum, sicut verba sanctorum doctorum una cum decreto manifestant, nunquam intelligens, quod illa persona verbi non deberet in illo sacramento a fidelibus cultu latriae adorari. Et non est contradictio, Christum in sacramento Eucharistiae esse adorandum adoratione latriae et Christum in eodem sacramento non esse adorandum adoratione latriae, quamvis adversarii contradictionem esse praetendant. Sed si magistri suam logicam tenerent memoriter, dicerent cum Aristotele, quod contradictio est unius et ejusdem oppositio non nominis tantum sed rei et nominis secundum idem et ad idem, similiter et in eodem tempore, et cognoscerent, si aliquod horum defecerit in praetacta materia, contradictionem non esse; ideo subtiliter doctor evangelicus pro talibus negationibus limitandis ad sensus contrarios naturam contradictionis attendens tractatu suo de attributis scribit: contradictoria enim appositio est, quando intellectus affirmat et negat idem praedicatum de eodem subjecto pro eisdem signatis et secundum idem et pro eodem tempore et mensura, et si aliquid illorum defecerit, non est contradictio, unde hic non est contradictio: canis currit et nullus

canis currit, posito, quod intellectus aequivocet in subjecto; nec est hic contradictio: Petrus peccat tunc et ipse non peccat nunc; quia non astringitur affirmatio et negatio ad eandem mensuram temporis vel naturae; nec est hic contradictio: Christus est mobilis, et Christus non est mobilis, quia non est affirmatio et negatio secundum idem, ut suppono; nam secundum humanitatem est mobilis, et secundum divinitatem est immobilis. Ideo sicut homo secundum unum suppositum currit, et homo secundum aliud suppositum non currit, sic persona verbi divini, quae est duae naturae, secundum unam naturam est variabilis. Unde videtur mihi absolute et simpliciter concedendum praesupposito sensu, quod Christus non est passibilis, quia natura divina, quae est Christus, non est passibilis, et idem Christus est passibilis, quamvis non secundum idem, quia illa humanitas, quae est Christus, est passibilis. Scio tamen, quod innitentes apparentiae sophisticae horrerent illa concedere, quia putant potenter hominem redargutum, si concederet, se non fecisse datum opus, referendo ad unum tempus, et alias concedit se fecisse referend oad illud; sed gaudeant captiosi de suis apparentiis sophisticis, quia non decet senes vel sapientes inniti talibus. Haec doctor evangelicus; ex cujus egregii doctoris verbis patere potest veritas scripti mei, scilicet, quod Christus, qui est nomen suppositi in duplici natura, secundum unam naturam est in sacramento Eucharistiae adorandus adoratione latriae, et secundum aliam naturam ut condistincta in eodem sacramento non est adorandus adoratione latriae; et illa in praedicto scripto meo mea fuit intentio.

Quod autem naturae humanae, ut sic intellectae, non sit latria exhibenda, hoc tenet glossa expresse in capitulo: *Accesserunt* de Concil. distinctione 2. super verbo *nemo*, ubi sic habetur: adoramus quidem humanitatem Christi quadam veneratione majori quam universas creaturas, illa tamen, quae dulia est, non latria. Haec glossa. Ad idem loquitur de quibusdam magister sententiarum super 3. distinctione 9. ubi sic scribitur: quibusdam videtur, non illa adoratione, quae latria est, carnem Christi vel animam esse adorandam, sed illa, quae est dulia; si enim, inquiunt, animae vel carni Christi exhiberetur latria, quae intelligitur servitus sive cultus soli creatori debitus, cum animae Christi vel caro creatura tantum sit, creaturae exhiberetur, quod creatori debetur, quod facienti in idololatriam deputatur. Haec ille; ad idem est Chrysostomus de officio missae:

orat sacerdos sic: gratias ago tibi rex invisibilis, quoniam immensa clementia tua omnia fecisti, et multitudine misericordiae tuae a non esse in esse omnia producens solus, Domine de coelo prospice super inclinantium capita sua; non enim carni et sanguini inclinaverunt se, sed tibi terribili Domino. Haec ibi. Ideo de opere imperfecto super illud Math. 2.: procidentes adoraverunt eum scribit: putas adorassent infantem non intelligentem adorationis honore, nisi aliquid credidissent divinitatis in eo; ergo non pueritiae detulerunt honorem nihil intelligenti, sed divinitati ejus omnia cognoscenti. Haec ille. Ad idem Nicolaus de Lyra super eodem textu sic dicit: cognoverunt ipsius divinitatem per divinam revelationem; cum enim viderunt puerum pannis vilibus involutum in gremio pauperis matris positum nullum regiae dignitatis habentem signum, non est verisimile, quod talem reverentiam ei exhibuissent, nisi in eo aliquid supra hominem cognovissent, et hoc est, quod dicit: et procedentes adoraverunt eum adoratione scilicet latriae. Haec ille. Pro eodem est Ambrosius super illud Romanorum 9.: qui est super omnia Deus benedictus; qui sic scribit: haec sunt omnia, super quae Deus Christus est, neque exceptis his sunt aliqua, ut non super omnia Deus Christus est; nec potest genu flecti ab omni creatura nisi Deo. Denique Joannes apostolus inscius cum angelum voluit adorare, audivit ab eo: ne feceris, quoniam conservus tuus sum, Deum inquit, adora. Nec Dominus utique se adorari permisisset, nisi quia Deus est; si quominus usurpasse dicendus est et peccasse, quod absit, cum Jesus diabolum increpans Dominum Deum adorandum et ipsi soli serviendum ostendat. Haec ille. Ex quibus quilibet potest intelligere, quod Christus secundum corpus suum sicut praemittitur, a divinitate naturaliter condistinctum non est a fidelibus in sacramento Eucharistiae adorationo latriae adorandus, quamvis illa persona verbi in eodem sacramento est a fidelibus adoratione latriae adoranda. Et haec circa illum punctum fuit mea, id est Nicolai praedicti intentio, sicut superius tactum est et affectarem, ut homines plus ad sensum attenderent quam ad verba cum non est multum in hoc casu curandum de verborum ordine, ex quo constat de mente, 2 libro Decretalium de confirmatione utili vel inutili, capitulo Venerabiles. Non enim intentio sermoni sed sermo intentioni deservit: extra. de verborum significatione. In his; et 22. quaestione 5. Humane; et plerumque cum proprietas terminorum attenditur, sensus veritatis amittitur. Extra. de verborum significa-

tionibus: *praeterea.* Item intelligentia dictorum, id est, verborum prolatorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed res est sermo subjectus. Extra. de verborum significatione: *Intelligentia.* Et facit. 1. Causa quaest. 1. capitulo *Marcion*, ubi dicitur: non in verbis scripturarum esse evangelium sed in sensu, non in superficie, sed medulla, non in sermonum foliis sed radice rationis. Item, ubi fraus ex parte recipientis versatur, verba ad intentionem proferentis sunt referenda, cum verba propterea sunt instituta, ut non per ea se homines fallant, sed ut eis quisque in alterius notitiam cogitationes suas proferat. 22. quaest. 2. Is autem. Et Aristoteles: voces sunt notae earum passionum, quae sunt in anima. Et sicut anima praefertur corpori, ita sententia verbis 28. distinctione: Sedula non statim debemus intelligere, ut verbum prima facie sonare videtur, maxime ubi ambigua sunt, sed debemus recurrere ad intentionem loquentis; articulo: *Extra.* de praebendis capitulo ultimo ff. de verborum significatione: *Nepos.* Et aestimo magistrum Rokyczanam conformem sensum adaptare debere, si vult Charybdim evadere, propositioni, quam nuper publice affirmavit in Montibus coram omnibus et inscribi mandavit pro memoriali, et est ista: Ubicunque est Christus personaliter plena sua personalitate, ibi est cum omnibus membris suis. Ex quo articulo sequitur, quod, cum plena personalitas Christi sit ubique, quod in omni loco mundi est Christus cum omnibus membris suis, quod asserere auditui est horrendum, quia ex hoc crederetur, quod in qualibet minima particula hujus mundi ambae manus corporis Christi coexisterent oculo, pedesque ambo crinibus visceribus et toto corporis residuo coexisterent occipiti; quod est impossibile et risu dignum. Sed quia forte magister ipse negare voluerit plenam personalitatem esse ubique, illud sic svadetur, cum persona Christi una sit increata, aeterna, immensa et infinita, quae absque conformi personalitate esse non potest, sequitur ipsam personalitatem pariformiter et veraciter nominandam. Ex quo patet, illam non defectibiliter plenam, aut semiplenam esse censendam, sed personalitatem plenam aeternam, increatam, infinitam et immensam a Christicolis confitendam. Nullus igitur sanae mentis, qui ponit Christi personalitatem indivisibilem et non partibilem esse, neget ipsam personalitatem plenam Christi ubique esse; quae ipsam personam nullibi relinquere potest aut absque ea esse. Christus enim cum sit Dei Filius naturalis, filiationem, quae proprietas est constitutiva filii secundum sententiam

doctorum, oportet ubique esse, ubi est Pater, et filiatio proprietas est personalis, sicut paternitas, prout ponunt Theologi; sequitur ergo, quod personalitas antedicta plena, aeterna, infinita et immensa sit ubique ad denominandum illam filiationem esse personalem, aliter aliquid esset personalem, aliter aliquid esset personale ubi non est personalitas. Item omnis essentialitas in divinis est plena, ergo omnis personalitas ibidem nominibilis est etiam plena, vel oportet dare causam diversitatis, quam assignare erit nimis difficile homini Christiano, et per consequens si magister Rokyczana vult salvare et justificare hoc praedictum suum dictum, oportet ipsum adaptare sensum, si vult Charybdim evadere, conformem propositioni praefatae, quam ego Nicolaus antedictus propositioni meae, quam ipse impugnat, adaptavi. Ad hoc autem, ubi magister Rokyczana ex illa Nikolai de Pelhřimov ad praedictum scriptum suum responsione voluit ipsum per hoc notare, esse de numero illorum haereticorum, de quibus loquitur Joannes apostolus in Canonica dicens: qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est antichristus, ego Nikolaus antedictus ad hoc respondendo dixi, quamvis scripturam beati Joannis dixerim esse veram, ex hoc tamen non sequitur, si ego ex fide pono in Christo condistinctam esse naturam humanitatis a natura divinitatis, quod ego solvam Jesum, et sic sim antichristus; cum quamvis credam corpus Christi naturale de Virgine Maria sumptum unitum esse deitati in eodem supposito, est tamen naturaliter condistinctum ab eadem, et sic consideratum, quamvis non actualiter separatum, quoad locum nec soluto Christo Jesu contra sensum scripturae ipsum corpus minoris honoris capax esse, quam illud suppositum, divinum, et pro illo est Cowton super Tertio sententiarum, tractans illam quaestionem: Utrum cultus latriae sit soli Deo debitus; qui imprimis arguendo contra hoc, quod dicitur, quod naturae humanae ut includitur in ratione objecti cum divina natura, debetur cultus latriae isto modo; nam, inquit, est possibile, quod aliquis diligat aliquod totum, et quidquid est in eo, non tamen diligat eodem modo quamlibet partem in eo; sic si aliquis diligat totum hominem et animam et corpus, non tamen eodem modo, nec aeque intense diligat corpus sicut animam, alioquin erraret, ergo animam, cum sit nobilior, magis diligit quam corpus: ergo ut videtur, licet aliquis diligat totum Christum et quidquid est in eo, non tamen debet aeque intense diligere naturam humanam in eo et divinam, sed magis debet diligere divinam naturam, eo quod

nobilior est, et eam cultu magis nobili adorare, quam humanam. Ergo, ut videtur, naturae humanae in Christo debetur minor cultus, quam sit cultus Deo debitus, et sic humanae naturae in Christo non debetur cultus latriae. Illo argumento praemisso idem doctor respondendo ad ipsum et quasi pro finali suam circa hoc sententiam exprimendo scribit: dico, quod si quis velit in Christo naturam humanam distinguere a divina et divino supposito, ei non debetur cultus latriae. Sed ferendo intuitum super Christum, ut est unum suppositum in duabus naturis, et ut habet rationem unius objecti, uno cultu debet natura humana adorari cum divina; et ideo simplices talem distinctionem, cum adorant, non debent facere nec etiam litterati; alioquin si talem condistinctionem faciunt, videant, quid faciunt, quia sic distinguendo naturam humanam a divina in Christo, si eam cultu latriae adorarent, idolatrae essent, sicut si aliam creaturam adorarent. Haec Cowton ubi supra. Ex cujus verbis sequitur, quod est condistinctio naturae humanae a divina natura in ipso Christo, et per consequens ipsi naturae humanae ut sic intellectae et consideratae non est latria exhibenda, ut patet ex auctoritatibus sanctorum antescriptis, ne, ut iste praefatus doctor innuit, idolatria committatur. Imo si magister Rokyczana non ponit condistinctam esse naturam humanitatis a natura divinitatis in Christo, quamvis ponat corpus Christi naturale unitum esse deitati in eodem supposito; non tamen crederet, pro cujus dicti veritate inducitur textus, qui hoc probat de Concil. distinctione E. *Si credis*, ubi sic habetur: si credis a Christo carnem esse assumptam, et offeras transfiguratum corpus in altari nec tamen distinguis naturam verbi, *dicit Archidiaconus*, id est divinitatis vel deitatis et corporis Christi, *dicitur: si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti.* Et sunt verba beati Ambrosii in sermone Abel et Cain; et dicit glossa: qui igitur in altari Patri Filium immolat, recte immolat, sed si in eadem *natura* duas naturas non intelligit, non recte dividit; et dicit archidiaconus super eadem littera, nec tamen distinguis inter naturam verbi et corporis Christi, id est, si non discernis inter naturam deitatis et humanitatis, sed dicas fuisse commutabilem naturam in naturam non assumptivam, naturam naturae peccasti. Haec ibi. Ex quo canone et dictis glossae Archidiaconi patet, quod non est commutabilitas naturae in naturam, sed assumptio, et quod peccat ille, qui inter corpus Christi et divinitatem non distinguit.

Item Primenallis glossator decreti super illum eundem textum de Concil. distinctione 2. Si credis, a Christo carnem esse assumptam, neo tamen distinguis naturam verbi, id est, si non discernis inter naturam divinam et bumanam, sed credens commantabilitatem naturae in naturam esse factam, ita scilicet, quod altera vel utraque desineret esse, vel credens de una, quidquid credat de altera, et quidquid contingat circa unum, contingit circa reliquum. Haec ille.

Postea magister Joannes Rokyczana impugnando scriptum Nicolai de Pelhrimow, ubi inter caetera scribit, quod fideles nedum Christum in sacramento, sed et ipsum sacramentum possunt licite adoratione vicaria adorare affectu ipsorum sursum, ubi Christus est, ad dexteram Dei sedens principaliter terminato, multa subsannando hoc dictum loquebatur dicens, quod baec est mirabilis et inaudita doctrina Christianis publicata, et quis unquam ita scivit hanc adorationem tangere, ut caveat sibi ab adoratione latriae Christi in sacramento, et ibi eum adoret adoratione vicaria, sed affectum convertat sursum, ubi ipse ad dexteram Dei sedet, utrum aliquis aliquando audivit ex scriptura, ut hoc in veritate dicatur adoratio, cum qua non stat affectus. Haec Rokyczana. Ad quod ego Nicolaus saepedictus dixi respondendo, quod hoc scriptum meum non exprimit, quod Christus in sacramento debeat adoratione vicaria adorari sine affectu, ut magister Rokyczana exponit; sed scriptum meum praesupponit Christum in sacramento, sicut praetactum est, honore sibi debito esse adorandum; ipsum vero sacramentum posse licite adoratione vicaria adorari; contra creaturae digniores adorantur non propter naturam suam absolutam, sed propter aliquid melius repraesentandum, affectu fidelium, sacramentum sio ut praemittitur adorantium sursum, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens, principaliter terminato. Et circa hoc pro confirmatione dicti mei introduxi sententiam certorum doctorum ponentium duplex esse corporis Christi, scilicet naturale, prout est in coelo, et sacramentale, prout est in sacramento; et distinctionem inter Christum ut in coelo et ipsum ut in sacramento, adducens specialiter Thomam super distinctione 9. quarti sententiarum, articulo 3. respondendo ad 1. artic. quaest. 3. ejusdem articuli, qui sic scribit: quomodo peccatum commissum in propriam personam Cbristi est majus, quam peccatum commissum in ipsum, secundum quod est in sacramento. Haec ille. Ex quo patet, quod si nulla esset distinctio inter Christum ut in coelo, et ipsum ut in sacramento, tunc

idem et non majus foret illud peccatum sic commissum, et illud sic commissum; ergo ponendo dictam distinctionem opportet illum dictum suum verificari, et ergo corpus Christi prout babet modum dimensivum, quem scilicet babet in coelo, sustinuit tribulationes, poenas et dolores pro humano genere redimendo, quas et quos non creditur sustinuisse, prout est in hostia consecrata, ubi non est taliter. Ideo consideraudo ipsum taliter magis accenditur devotio hominis, quam considerando ipsum, ubi non est taliter; et per consequens non deberet Rokyczana hoc dictum meum taliter subsannare, quo praesupponendo Christum in sacramento honore sibi condigno adorandum dico, ipsum sacramentum posse licite adoratione vicaria adorari, affectu sursum, ubi est Christus ad dexteram Dei sedens, principaliter terminato, cum Tbomas super distinctione 11. quarti sententiarum articulo 12. scribit: Devotio populi non sistit in specie sacramenti, sed fertur usque ad Christum, secundum quod est in coelo in specie propria per desiderium. Haec ille. Absit autem, quod ipse intelligat per haec verba, quod verum corpus Cbristi 'non sit suo modo in sacramento ad sensum Cbristi, sed intendit, quod ibi devotio sistat per desiderium, ubi mens bumana ex certis circumstantiis magis accenditur et elevatur in Dei laudem, honorem et dilectionem. In cujus confirmationem doctor evangelicus in De apostasia capitulo 14. scribit: pastis sensibus exiliter quantum oportet circa sacramentum, et suspensa consideratione circa naturam materialis substantiae sacramenti tota sollicitudo fidelium debet esse in cogitatione, affectione et imitatione corporis Cbristi, quod sursum est, intendere, et ipsum fide formata spiritualiter manducare. Haec ille. Idem in Tractatu magno de Eucbaristia capitulo 7 ad idem scribit: nam ut dictum est cogitatio nostra principaliter debet esse corpore Christi in coelo, et cogitatio de natura Eucbaristiae est propterea suspendenda. Haec ille. Idem tractatu minori de Eucharistiae scribit: multi religiose adorant conditionaliter istam vel banc hostiam, et in corpore Cbristi, quod substantialiter et infallibiliter sursum est, gradiendo coelestia sunt infallibiliter quietati. Haec ille. Ex quorum dictis sequitur, quod magister Joannes Rokyczana illud dictum non deberet taliter subsannare, ubi pono, quod fideles ne dum Christum in sacramento sed ipsum sacramentum possunt licite adoratione vicaria adorare, affectu ipsorum sursum ubi est Cbris-

tus ad dexteram Dei sedens, principaliter terminato. Post hoc magister Rokyczana impugnando aliud scriptum Nicolai de Pelhřimow, ubi inter caetera scribit, quod Deus, qui est major corpore Christi, est multo realius in quacunque re mundi, quia essentialiter et substantialiter quam corpus Christi in sacramento, multam ex hoc sibi coram auditorio voluit capere apparentiam, conando dictum Nicolai propter hoc suum dictum omnibus, quantum in eo fuit, *exosum* reddere, arguendo ex hoc dicto Nicolai nimis irregulariter quodlibet ens, quod dici potest sacramentum, esse utilius sacramento, et sic ranam, lutum, ignem in hyeme, imo et falsos prophetas in nomine Christi venientes et multos seducentes et sic de multis aliis, quae enumeravit, dixit ex hoc esse venerabiliora ipso venerabili sacramento; quae omnes ejus consequentiae apud intelligentem theologum nullius sunt valoris, pro quibus vereri deberet ad ruborem, et nisi de tam scandalosa diffamatione fratris finaliter poenituerit, timere deberet de sua damnatione, quia quamvis multae res mundi hujus in natura praecellunt naturam sacramenti, ac tamen hoc sacramentum, in quantum sacramentaliter est corpus Christi de Virgine natum, ut sic consideratum, illas res praecellit; sic Doctor evangelicus scribit: licet agnus Paschalis in natura sua praecellebat sacramentum nostrum, quod recipimus in memoriam veri agni, tamen figuraliter et ad sensum mysticum hoc sacramentum infinitum excedit sacramenta veteris tentamenti. Haec ille. Idem alibi scribit: concedo, quod hoc sacramentum in natura sua sit imperfectius, quam agnus paschalis in lege veteri ipsum figurans, sed est sacramentaliter longe ipso perfectius, quia realiter corpus Christi. Haec ille. Ex cujus magistri sententia magister Joannes Rokýczana in se recollectus cognoscens illas probationes, quas in confusionem et damnationem fratris multiplicavit, esse invalidas, et insufficientes, vereatur agens de hoc poenitentiam, si non vult incurrere damnationem, ad quae ego Nicolaus saepedictus respondendo pro stabilienda veritate scripti mei praemisi notabile de transcendentibus dicens, quod transcedentia sunt ista: ens, verum, bonum, res, quae omnia nomina transcendunt, et habent adverbia ipsis correspondentia, et ipsa modificantia, sicut alia nomina eis inferiora ut bonus habet adverbium ipsum modificans bene, malus male, sic dicta transcendentia habent adverbia eis correspondentia, et ipsa modificantia, ens entiter, res realiter, et verum vere; Deus autem a quo omnia dependent, est magis ens, magis res, verum aut

bonum, quam omnia alia ab eo dependentia; et per consequens in qualibet re mundi est magis entiter vel entitativus secundum grammaticam magistri Přibram realius, verius et melius quam corpus Christi existens creatura, est in sacramento, quod potest sic persvaderi: Deus seu Trinitas increata habet majorem habitudinem ad quamlibet creaturam, in qua est, quam habet sacramentum ad corpus Christi sibi praesens; ergo si propter habitudinem aliquam corpus Christi asseverari debet esse realiter in sacramento, tunc propter majorem habitudinem increata trinitas dici debet esse realius in qualibet creatura; assumptum patet theologis noscentibus multos modos essendi ipsius Trinitatis in creatura, qui non competunt corpori Christi in sacramento. Et miranda res est, cur illa verba a me dicta debent alicui inconvenientia reputari, qui credit illis Christi verbis: Pater major me est; quorum est iste sensus, quod Christo secundum humanitatem, secundum quam est creatura major est Pater existens creator secundum divinitatem, quia quilibet percipere potest, quod creator, qui major est creatura, et existens essentialiter et substantialiter non solum in sacramento sed in qualibet re creata non tantum coelesti sed et terrestri, in quolibet tempore et loco sicut dicit per Jeremiam Dominus: nunquid non coelum et terram ego impleo. Ex quibus verbis potest quilibet cognoscere, quod multo realius est Trinitas increata in qualibet re mundi existens ubique, et quolibet tempore essentialiter et substantialiter, quam corpus Christi in sacramento existens ibi sacramentaliter et nullibi alibi sic existens. Item sic actualius, independentius, magis entiter, ut sic loquar, est Trinitas praedicta in qualibet creatura, quam corpus Christi in sacramento, ergo Trinitas increata realius est in quacunque re mundi, quam corpus Christi in sacramento, assumptum patet per hoc, quia ipsa Trinitas, ubicunque est, majoris est actualitatis, majoris independentiae et majoris extitatis, quam ipsum corpus, ubicunque fuerit; ergo assumptum verum; cum enim ens prius et magis de Deo dicitur quam de aliqua creatura, sequitur, quod magis entiter vel magis realiter sit in qualibet creatura, quam aliqua creatura possit esse in aliquo; imo Deus intimior est cuilibet creaturae, quam quaecunque creatura sibi ipsi; et pro illo sonant scripturae; unde Actorum 17.: in quo vivimus, movemur et sumus. Super quo Lyra. In ipso vivimus, movemur et sumus, tanquam in causa efficiente, nam causat in nobis vivere, moveri et esse, èt sic est intimior nobis, quam nos ipsi, quia conjungit praesentia intrinseca. Haec ille.

Idem tractans illud sapientiae 13. Quorum si specie delectati Deos putaverunt, sciant, quanto his dominator eorum speciosior est; ibidem sententiat, quod existit res excellentius in saeculi conditore, quam in se ipsa.

Pro illo est illud 1. Corinth. 15.: ut sic Deus omnia in omnibus. Et illud Romanorum 11.: ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. Gorra: Ex ipso tanquam causa efficiente per potentiam, quae appropriatur Patri, et per ipsum tanquam causam exemplarem et disponentem per sapientiam, quae appropriatur filio, et in ipso tanquam causa finali et conservante per bonitatem, quae appropriatur spiritui sancto. Item sapientiae 8. attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia svaviter. Item sapientiae 7.: candor enim est lucis aeternae et speculum sine macula Dei majestatis et imago bonitatis illius; et sequitur: omnia potest; et permanens in se innovat omnia, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit. Ex jam dictis potest quilibet ratione utens cognoscere, quomodo Deus est realius in qualibet creatura, quam corpus Christi in sacramento; cum Deus illis modis per scripturas praenominatis est in qualibet creatura, quibus corpus Christi existens in sacramento non potest universaliter ibi esse, imo ut ratio ostendit, ipse taliter intimatur ipsis rebus omnibus creatis, quod nisi ipse illas res conservaret, sicut ex nihilo facta sunt, ita in nihilum redigerentur, ut claret ex hac scriptura Actorum 17.: Deus, qui fecit mundum, et omnia, quae in eo sunt, hic coeli et terrae cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, neque manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia. Super quo Lyra: Deus qui fecit mundum et omnia, quae in eo sunt, quia est prima causa omnium non clausus in aliquibus locis determinatis, quia hic coeli et terrae cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat quasi ibi contentus, sed magis continet omnia tanquam causa dans eis esse et conservans. Et ex hoc concluditur ulterius, quod non indiget sacrificiis humanis et oblationibus (fidelium?) nec manibus humanis colitur, id est, sacrificiis humanis sibi oblatis, indigens aliquo, cum sit per se sufficiens et omnia alia eo indigentia: ideo subditur: cum ipse det omnibus vitam, quantum ad spirituales creaturas, cujusmodi sunt angeli et inspirationem quantum ad alia, quae vivunt per respirationem aëris ad refrigerium cordis, in quo consistit vita, vel per aliud supplens vicem respirationis, ut sunt pisces et hujusmodi, et per

hoc intelliguntur homines, qui vivunt vita spirituali quantum ad animam et corporali per respirationem et omnia, quia quidquid boni est in creatura quacunque, totum est ex Dei dono. Haec ille. Ideo qui haec pensare vellet, non deberet videri sibi hoc dictum Nicolai ita fore mirabile; nec magister Rokyczana talia convenientia ex hoc elicere deberet. Adhuc magistro Joanni Rokyczana non placuit aliud scriptum Nicolai de Pelhřimow, quo inter caetera scribit, quod modus ille, quo Christus est in anima fidelis hominis per gratiam, est realior et perfectior illo ejus modo essendi, quo est in sacramento. Ad quod ego Nicolaus saepe dictus respondendo dico intentionem meam, quare sic scripserim; volui enim per dictum hoc monere homines, ut non solum pensent sibi dignitatem venerabilis sacramenti, sed etiam pensent sibi dignitatem animae hominis fidelis, quia sicut Christus vere dicitur esse in sacramento venerabili, sic dicitur esse vere et in anima digna hominis boni. Sed ubi dico Christum esse realius et perfectius in anima fidelis hominis, quam in sacramento, hoc dico ex istis causis; tum primo, quia sacramentum altaris, in quo est Christus secundum corpus suum sacramentaliter, spiritualiter, virtualiter et vere, tantum ad diem durabit judicii; anima autem hominis fidelis, in qua est Christus per gratiam, durabit in aeternum; tum secundo, quia Christus in anima fidelis hominis est per formalem inhaerentiam gratiae ad ipsam animam facientem ipsam gratam Deo, quae in se recipiens ipsam gratiam formaliter; animam hominis Deo gratam facit; rationem ejus scientia et consilio illuminat, voluntatem ejus charitate et devotione inflammat; quale est sacramentum in se non suscipit, nec illorum donorum sic potest esse capax; cum tertio Christus est perfectius in anima hominis fidelis quam in sacramento, quia perfectio, qua anima hominis perficitur per existentiam gratiae gratum facientis in homine est finis, ratione cujus corpus Christi existit in sacramento; nam ad hoc nobis Christus suum corpus reliquit secundum suum esse sacramentale in sacramento, ut per dignam sacramenti sumptionem habitat per gratiam in animabus fidelium hominum, et per consequens est ibi Christus perfectius, ubi finis hujusmodi attingitur, quam ubi existit modo medio ad illum finem, cum propter quod unumquodque tale et ipsum magis et finis secundum theologos est metrum et mensura horum, quae sunt ad finem et per consequens est majoris veritatis loquendo de perfectiva veritate, quam est aliquod medium respectu ejusdem finis. In quorum confirmationem, quod scilicet Deus excellen-

tius est in sanctis quam in aliis rebus. Magister 1. sententiarum distinctione 3. sic scribit: sciendum est igitur, quod Deus incommutabiliter semper in se existens praesentialiter, potentialiter, essentialiter est in omni natura sive essentia sine sui diffinitione et in omni loco sine circumscriptione et in omni tempore sine mutabilitate. Et praeterea etiam in sanctis spiritibus et in animabus est excellentius scilicet per gratiam inhabitans, et in homine Christo excellentissime; in eo enim Deus habitavit non per gratiam adoptionis, sed per gratiam unionis; est etiam Deus in sanctis specialius quam in aliis rebus in ipsis non tantum existens sed habitans. Ideo magister sententiarnm inferius subdit: in sanctis vero etiam habitat, in quibus est per gratiam; non enim ubicunque est, ibi habitat, ubi vero habitat, ibi est, in solis bonis habitat, qui sunt templum ejus et sedes ejus. Unde per Isaiam Dominus ait: coelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum; quia in electis, qui sunt coelum, habitat Deus, et regnat, qui ejus voluntati devoti obtemperant; malos vero, qui sunt in terra, judicii discretione calcat. Unde etiam in libro sapientiae: thronus sapientiae anima justi, quia in justis specialius est, quam in alils rebus. Est etiam Deus in sanctis plenius, quam in aliis rebus; ideo magister sententiarum ubi subdit: Deus cum sit in omnibus essentialiter ac totus, in illis tamen plenius esse dicitur, quos inhabitat, id est, in quibus ita est, ut faciat eos templum suum; et hi tales cum *eo sunt* jam ex parte sed in beatitudine perfecti erunt. Imo Deus in sanctis excellentiori modo est, quam in aliis rebus; ideo magister sententiarnm quasi concludendo materiam istam in consequentibus subdit: fatendum est igitur, ubique esse Deum per deitatis praesentiam, sed non ubique per inhabitationis gratiam; propter hanc enim inhabitationem gratiae non dicimus Pater noster, qui es ubique, cum et hoc verum sit, sed qui es in coelis, id est, in sanctis, in quibus est quodam excellentiori modo. Haec ille. Ad idem loquitur Lyra super illo Math. 6.: Pater noster, qui es in coelis; qui sic scribit: licet Deus Pater est in omnibus per essentiam, praesentiam et potentiam, est tamem specialis in justis per gratiam, tamen specialissime excellentia ejus relucet in beatis per gloriam. Haec ille. Remigius super illo 1. Corinth. 15.: ut sit Deus omnia in omnibus, id est, in omnibus electis erit Deus omnia, quia erit satietas illorum et laetitia, gaudium, exultatio et vita, sicut ipse per Isaiam dicit: ero illis Deus, id est, ero unde satientur, unde laetentur, quia

ita ditabuntur patientia Dei, et implebuntur omnes electi Dei omnibus bonis, omnibusque virtutibus, ut in ipso omnia bona possideant singuli; erit enim Deus tunc in unoquoque patientia, sicut fuit in Job, obedientia uti in Abraham; mansvetudo ut in Moyse, virginitas ut in Daniele, sapientia ut in Salomone, et reliqua dona, quae modo divisa sunt electis, tunc possidebunt omnia singuli. Haec ille. Ex quibus omnibus colligitur, quod Deus in sanctis est excellentius, specialius plenius et modo excellentiori, quam in aliis rebus. Non ergo mirari deberent adversarii quod Nicolaus dicit, Christum in anima fidelis hominis per gratiam esse realius et perfectius, quam in sacramento. Inter caetera etiam magister Rokyczana magnam vim faciebat circa tractatum Nicolai de Pelhřimow, quem scripsit contra *Petrum dictum Caniss,* illum ejus tractatum commendans et quaerens ab eo, si velit eum in eodem sensu, quo scripsit, hodie praedicare, et illum ejus tractatum dicens contrarium in sententia in pluribus punctis aliis ipsius tractatulis. Ad quae ego Nicolaus antedictus respondi, quod non video, quod aliqua propositio scripta in illo tractatu sane intellecta repugnet sententiae scriptae in aliis meis tractatulis prout vir indifferens volens meam intentionem percipere posset faciliter judicare; et pro tunc petivi mibi dari omnes articulos de tractatulis meis, si qui magistro Rokyczana vel aliis videntur eronei, et *non* est factum, quod ego videns istud notabiliter subjunxi: quilibet prudens potest intelligere habita notitia terminorum, ad quam sententiam et ad quem finem mei tractatuli et praedicationes in materia sacramenti tendebant temporibus retroactis, et brevitatis causa illam ibidem in synodo expressi sub his verbis: omnes meae praedicationes, tractatuli et collocutiones vadunt ad hoc de venerabili sacramento altaris, sensibili, primo: quod sacramentum altaris sensibile corporis Christi non est substantialiter, naturaliter, seu indentice corpus Christi pro nobis oblatum in cruce; secundo: quod sacramentum altaris sensibile corporis Christi est vere sacramentaliter seu figurative corpus Christi pro nobis oblatum in cruce, habens praesentialiter in se contentum corpus Christi sacramentaliter, virtualiter, spiritualiter et vere, quod non contingebat in figuris veteris testamenti; tertio: corpus Christi post ejus in coelum ascensionem non est in sacramento corporaliter et dimensionaliter cum omnibus proprietatibus tam essentialibus quam accidentalibus consequentibus ipsum idem corpus Christi in coelo in dextera Dei sedens, nec illo

modo ex communi lege alicubi in terris erit usque diem judicii. Quarto: quod quamvis illud corpus Christi, quod corporaliter et dimensionaliter sedet in dextera Dei Patris in coelo post sui in coelum ascensionem non sicut praemittitur ex communi lege est nobiscum hic in terris, verum tamen hic in terris est nobiscum specialiter in sacramento altaris sacramentaliter, spiritualiter, virtualiter et vere. Quinto: modus essendi corporis Christi in sacramento est alius ab illo modo, quo est in coelo in dextera Dei sedens vel in anima hominis fidelis. Et ergo non sine causa illam alietatem homines debent notare et advertere. Ista praesupposita sententia hic sub compendio recollecta non video, quod in omnibus meis tractatulis eidem oppositum inveniatur; nec video, quod sententiam a me intentam in praedicationibus meis et tractatulis antedictis magister Joannes Rokyczana efficaciter impugnasset, nec *magnam diversitatem percipio inter ipsum et me* quoad sententiam fundabilem in scriptura, quam ipse innuit una mecum, hoc inter caetera excepto, quod ipse ponit corpus Christi natum de Virgine, passum in cruce, et quod residet in dextera Patris, esse in ipso venerabili sacramento secundum ipsius existentiam naturalem; ac etiam excepto illo, quod ex illo sequitur, cujus sententiae in hac parte obviaut Petrus de Tarento et omnes ejus sequaces, ac etiam Doctor subtilis cum suis sequacibus, quorum magnus est numerus et contra quem pugnare erit nimis difficile magistris omnibus hujus regni, si eorum multitudo tanta esset, quanta unquam fuerat temporibus retroactis. Ego autem dico ipsum idem corpus Christi ibidem esse secundum ipsius esse sacramentale seu sub modo sacramenti. Quia magistri Pragenses et sacerdotes eis adhaerentes in certis punctis nos sacerdotes Thaborienses in Montibus Cuthnis inculparunt, et nobis tunc non afficit opportunitas temporis et loci pro recompensa eisdem ibidem impendenda, ideo in praefato loco reservavimus nobis jus et potestatem dandi ipsis culpas viceversa, quas jam in hac synodo generali, secundum quod congruit vestris reverentiis, innotescere intendimus. Ista omnia dicta sunt stante vigore et robore plenariae et completae protestationis in hujus scripti principio exaratae; et sic est finis scripti repositi ex parte sacerdotum Thaboriensium in synodo generali regni celebrata in Praga circa festum Epiphaniae sub anno Domini MCCCCXLIV [1]).

[1]) Vide p. 833.

C. 20.

Fides sacerdotum Thaboriensium de venerabili Sacramento.

Post lecturam scripti sacerdotum Thaboriensium coram praefata Synodo generali continentis materiam partis utriusque, quia notum est omnibus, qualiter adversarii sacerdotum Thaboriensium non expectantes decisionem eorum, in quibus discordes manserunt, ut secundum concordata rite discernantur, diffamati sunt de hoc specialiter, quod nullam fidem haberent de corpore Christi, ideo personae a dictis communitatibus ad praefatam synodum distinatae tertio habuerunt in commissis, ut fidem sacerdotum suorum coram tota Synodo publicent in haec verba, quae sequuntur: Cum autem quilibet talis negligens et incusabilis reputetur, qui pro vera sua fama apud fideles conservanda vires suas debite non apponit, hinc est, quod nos sacerdotes Thaborienses nolentes permanere in sinistra suspicione populi hujus regni de altaris venerabili Sacramento fidem nostram in hac parte publice profitemur eo fine, ut Deus omnipotens collaudetur, parsque nobis adversa suam juxta ponat fidem in hoc articulo, si voluerit maculam evitare haereticae pravitatis, et ut sic cognoscatur, quae pars in sua sententia proprinquius sequitur Dominum Jesum Christum. Inprimis credimus, quod panis et vinum, quae in altari ponuntur, post verba consecrationis rite prolata sunt virtute praedictorum verum corpus Christi natum de Virgine, passum in cruce et quo residet in dextera Dei Patris, et verus ejus sanguis de suo effusus latere, dum pendebat in cruce pro humano genere redimendo. Ad quod credendum movent nos infra scripta, primo illud Math. 26. quod Jesus accepit panem, benedixit ac fregit, deditque discipulis suis et ait: accipite et comedite, hoc est corpus meum etc. Idem testatur. Marc. 14. Luc. 22. et apostolus 1. Corinth. 11. capitulis. Secundo ad sic credendum movent nos dicta doctorum; scribit enim beatus Hieronymus in epistola ad Elvidiam: nos audivimus panem, quem Dominus fregit, deditque discipulis suis ad manducandum, esse corpus domini Salvatoris ipso dicente ad eos: accipite et manducate, hoc est corpus meum. Haec ille. Pro eadem scribit Bernardus in sermone de corpore Christi: Christus regressus ad mensam ordinavit sacrificium corporis et sanguinis Domini seorsum panem et seorsum tradens et vinum, de pane ita dicens: Accipite et commedite,

hoc est corpus meum; de vino: bibite ex hoc omnes, hic est calix novi testamenti, qui pro multis effundetur. Haec ille. Sed proh dolor! aliqui nobis de parte adversa negant constanter, quod virtute verborum Christi panis est, aut fuit, aut erit, potest, aut poterit esse corpus Christi, et sic de vino respectu sanguinis Jesu Christi, nec volunt dicere, quod virtute verborum sacramentalium facta consecratione est illud corpus Christi, quod prius non erat corpus Christi, imo negant Christum panem demonstrasse, dum dixit: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Cujus oppositum Deo juvante, quamdiu vixerimus, nos dicemus. Secundo credimus, quod Christus verus Deus et verus homo volens ex terrae fructibus scilicet frumento et vino constare sacramentum altaris integrum, majorem contulit vim et efficaciam eidem pro commodo et salute generis humani, quam mente sufficimus plenarie cogitare, aut distincte et totabiliter exprimere linquis nostris. Ad quod credendum, nos movet illud, quod Paulus, qui accepit suam sententiam a Domino, et tres evangelistae commemorant, quomodo Christus dixit panem et vinum corpus suum et sanguinem. Ex quo datur intelligi, cum oportet Christum meliorando procedere, quod hoc sacramentum est efficacius et rei sacramenti propinquius, quam sacramenta antiqua; aliter non foret ratio, quare illa cessarent novo non excedente superflue introducto; notum enim est, quod istud sacramentum non solum est signum invisibilis gratiae, sed etiam est causa, per quam tanquam per instrumentum gratia datur sumenti ipsum digne; Christum enim qui venit implere et perficere legem, decet ex majori miraculo, pietate et gratia efficacius procedere in novo testamento, quoad sacramentum finale, in quo fit memoriale suorum mirabilium consummatum, cujus efficaciam innuens apostolus 1. Corinth. 11. ostendit, quod virtus est efficacia hujus sacramenti. Horribiliter laedit suos temerarios contemptores, qui indigne audent ipsum frequentare in tantum, quod etiam infirmitatem vel debilitatem aut mortem incurrunt. Sicut ex opposito digne sumentes ipsum sacramentum virtutibus roborantur contra insultus diaboli, corpori et sanguini Christi incorporantur, peccatorum remissionem adipiscuntur et vitam aeternam consequuntur. Et potest videri ex auctoritatibus infrascriptis; scribit enim beatus Ambrosius libro 5. de mysteriis, et ponitur de concil. distinct. 2.: quotiescunque. Si, quotiescunque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo cum merito semper accipere, qui semper

pecco, semper debeo accipere medicinam. Haec illo. Ad idem est Chrysostomus in suo dialogo Libro 3. capitulo 1.: illud est mysterium, sine quo nobis nec salus nec ea, quae bona sunt, promissa bona reddnntur: nemo enim valebit ingredi in regaum coelorum, nisi ex aqua renatus fuerit et spiritu, et qui non manducat Domini carnem nec bibit ejus sanguinem, non habebit vitam aeternam, quae per nullius alterius quam sancti efficiuntur manus sacerdotis. Haec ille. Imo Innocentius in sua summa de hoc sacramento loquens capitulo 9. ita scribit: quia eucharistia augmentum dat gratiae; ideo dixerunt quidam, quod *parvulis* esset danda eucharistia; infra, quia si eis subtraheretur, de gratia aliquid ibi minueretur, et ita minus haberent in coelo praemium. Haec ille. Hinc beatus Dionysius de ecclesiastica Hierarchia capitulo 4. scribit, quod omnia alia sacramenta ab eucharistia accipiunt suam perfectionem, quia nullum sacramentorum aliorum vere celebratur, in quo sacra communio non sumatur. Haec ille.

In quo articulo ab aliquibus partis nobis adversae discrepamus negantibus panem et vinum esse materiam hujus venerabilis sacramenti, dum est actualiter sacramentum, sed dicentibus ejus materiam, dum est, ut praemittitur, sacramentum esse rem, quam non audent, nesciunt, aut nolunt distincte et specifice exprimere populo Christiano, ne ipsorum venosa seductio a fidelibus patule cognoscatur, vim autem operativam, qualem ponunt, ipsum habere integrum sacramentum, jam penitus ignoramus, cum novimus certitudinaliter ipsos magnum adhibere conatum, quod parvulis baptisatis et capacibus minime dispensetur; ad cujus appositum ante tempora modis et mediis variis laboraverunt. Tertio credimus, corpus Christi natum de beata Virgine, passum in cruce, et quo residet in dextera Patris unitum personaliter Verbo Dei esse in ipso venerabili sacramento sacramentaliter, spiritualiter, realiter et vere; ratione quorum modorum sic existendi ibidem talis est virtutis et efficaciae ipsum sacramentum, quod in ejus narratione non sufficiunt linquae nostrae. Ad quod credendum movet nos primo illud Christi verbum Math. 28.: ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque in consumationem saeculi; quod secundum Bedam ad divinitatem et gratiam accipiendum est; secundum autem Lyram intelligitur de esse cum hominibus per gratiam et etiam sacramentaliter in sacramento altaris usque ad finem mundi; secundo movet nos illud Christi verbum Joannis 6.: verba, quae ego

locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Et illud apostoli 1. Cor. 1.: os praedicamus Christum Dei virtutem et Dei sapientiam; virtute enim corporis Christi existentis, sic ut praemittitur, in sacramento fideles contra insultus diaboli roborantur; unde et tunc suis discipulis hoc sacramentum tradidit, dum sicut triticum per tentamenta erant cribrandi, ut contra illa essent validiores. Unde et Psal. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. De virtute autem et efficacia praemissis sunt auctoritates scripturae et sanctorum doctorum circa articulum immediate praecedentem allegatae, ex quo sequitur correlarie, magistrum Rokyczanam false venenose et malitiose de nobis scripsisse litteram mittendo *Moraviam*, qua inseruit, nos ponere tantum frustum panis et guttam vini in Altaris venerabili sacramento. In quo articulo discrepamus notabiliter ab adversariis nostris, ponentibus pro fide explicata et de necessitate salutis requisita corpus Christi natum de beata Virgine, passum in cruce, et quo residet in dextera Dei Patris, esse in ipso sacramento secundum ejus esse naturale carnaliter, sensibiliter et dimensionaliter et per consequens ita longum, latum, profundum el conformiter figuratum, sicut modo residet ad dexteram Patris; et etiam in hoc, quod dicunt, licet falso, cum audiunt nos dicere, corpus Christi esse spiritualiter in sacramento, quod velimus exspirare totum, sic quod nihil sit ibi. Sed utinam notarenter viri duplices verbaliter et apparenter extollentes ipsum venerabile sacramentum, et usum ipsius ab apostolis praticatum sub duplici specie nitentes subdole conculcare.

Quarto credimus et tenemus usum hujus sacramenti integri eodem sub praecepto Christi, quod singulos baptisatos capaces ipsius sacramenti integri secundam legem Christi et praticam ecclesiae primitivae praescindendo et certum scribendo in hac parte dicta, scripta, consvetudines et alia hujusmodi per Romanam curiam adinventa. Ad quod credendum movet nos illud Math. 26.: coenantibus illis accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: accipite et comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit et dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Et idem ponitur Marci 14. Lucae 22. Ubi apponitur ad propositum: haec facite in meam commemorationem. Quae verba Christus dicit praeceptive, cum dicit: Hoc facite; in his enim verbis: accipite et manducate et bibite, Christus instituit usum

seu communionem sacramentalem ecclesiae; quam et praecepit illo verbo: hoc facite in meam commemorationem, et per consequens usus seu communio sacramentalis hujus integri sacramenti est a Christo toti ecclesiae instituta et praecepta: quod autem Christus dicens: hoc facite, intellexit per hoc non solum confectionem; sed etiam acceptionem, manducationem et aliis dationem; et per consequens quod usus communionis sub duplici specie sit institutus non solum sacerdotibus sed et toti ecclesiae fidelium et quod sic communicare sub duplici specie cadit sub praecepto Christi quoad omnes baptisatos capaces ipsius integri sacramenti: sunt ad hoc sufficientes auctoritates scripturae et sanctorum doctorum, quas magistri non solum in hoc regno a tempore, quo incoepit dicta communio sub specie utraque practicari, sed et coram Basileensi concilio ad probandum dictam communionem allegarunt, quas hic causa brevitatis inserere non curamus, cum alibi sufficienter sunt expressae. In quo articulo ab aliquibus partis nostrae adversariis notabiliter discrepamus non solum cassantibus usum hujus integri sacramenti *quoad parvulos*, sed adultos proh dolor! non reverenter jam sub *una specie* communicare, quibus Deo duce non consentiemus spontanee aut aliter, hic dum erimus viantes, sed ad Dei laudem, ac ut ita ora falsidica obturentur dicentibus nos vilipendere sacramentum saepius antedictum, etiamsi oporteat pro hoc articulo mortem subire satis diram, *ministrabimus ipsum integrum sacramentum baptisatis parvulis* et conformiter adultis communicare volentibus modo digno. Et si operibus debet credi, ut Christus docet, ex hoc liquebit Christicolis nos ipsum sacramentum non contemnere, ut asserunt falsi viri, sed ipsum secundum dona concessa approbare, commendare, et justificare, non obstante aliqua traditione frivola, obvia Jesu Christo.

Quinto credimus personam verbi divini et sic Jesum Christum Deum et hominem perfectissimum in ipso sacramento honore, qui latria dicitur, veraciter adorandum ab hominibus fidelibus discretionem habentibus, credentibus ipsam personam realiter ibi esse. Ad quod credendum movent nos istae scripturae; primo illud Jeremiae 13.: nunquid non coelum et terram ego impleo ait Dominus. Secundo illud Psal. 138.: quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero ad infernum; ades etc. Et illud Sapientiae 1.: verum illius testis est Deus et cordis, oris scrutator et verus et linquae illius auditor, quoniam spiritus domini

replet orbem terrarum: et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis. Per quas scripturas secundum Lyram domini praesentia ostenditur esse ubique, et quod affectiones, cogitationes et locutiones peccatoris non latent Deum, quia spiritus ejus est ubique per essentiam praesentiam omnia conservans in esse, sic Pater et Filius; nam indivisa sunt opera Trinitatis, cum in ipso Deo, ut actorum 17. dicitur, vivimus, movemur, et sumus. Ex quibus patet Deum unum in essentia et trinum in personis esse ubique, et cum nullibi sit divinitas sine personis, liquet omnes tres personas confirmiter se habere; et per consequens Jesus Christus Deus verus et homo perfectissimus est ubique. Sed quia ab aliquibus posset dubitari, utrum totus Christus est ubique, dicendum est, quod totus Christus ubique est, sed non totum, cum autem ad naturam refertur, totus autem ad hypostasim sive personam, ut vult magister sententiarum libro 3. Distinctione 22. ad hoc allegans Augustinum et Damascenum; et per consequens cum persona Verbi divini et sic Christus Jesus Deus verus et homo est ubique, justum et sanctum est, aequum ac salutare, quod Christiani attendentes illud Malachiae 1. Domini verbum: ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus. Et illud Ecclesiastici 43. Benedicentes dominum exaltate illum, quantum potestis; major est enim omni laude. Et illud apostoli Philippens. 2.: propter quod Deus exaltavit illum et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quoniam dominus Jesus Christus est in gloria Patris; ipsum qui secundum apostolum heri et hodie ipse et in saecula, ubique habeant in summa reverentia et honore; in summo desiderio et amore super terram, honore, qui latria dicitur, eum veraciter adorantes; et ex quo ille honor sibi ubique debetur, in ipso venerabili sacramento pro memoriali potissime ab eodem instituto est specialiter sic a Christicolis adorandus, cum summa bonitas ejusdem, quae adorationis est ratio, ibi sibi inest. Quamvis Christus secundum corpus suum naturale prout a divinitate secunda persona in divinis est condistinctum, *non est* a fidelibus in eodem sacramento adoratione latriae *adorandus*, sed honor secundum hoc inferior sibi debetur, prout patet de Concil. Distinct. 2. accesserunt, ubi glossa super verbo: *nemo*, sic habet: adoramus quidem humanitatem Christi quadam veneratione, majori quam universas creaturas, illa tamen, quae dulia est, non latria. Haec glossa. Et ad idem

magister sententiarum Libro 3. Distinctione 9. de quibusdam sic scribit: quibusdam videtur, non illa adoratione, quae latria est, carnem Christi vel animam esse adorandum, sed illa, quae est dulia; si enim inquiunt, animae vel carni Christi exhiberetur latria, quae intelligitur servitus sive cultus soli creatori debitus, cum anima Christi vel caro creatura tantum est, creaturae exhiberetur, quod creatori debetur; quod facienti in idolatriam computatur. Haec ille. In quo articulo discrepamus a nostris adversariis, qui volunt nos artare ad colendum ibi ex fide honore latriae corpus Christi secundum ejus esse naturale, sic ut praemissum est consideratum nolentes audire aliquid de condistinctione corporis Christi ab ipso verbo divino, nec advertentes, quod illi non bonam habent fidem, qui non ponunt condistinctam esse naturam humanitatis et naturam divinitatis in Christo, quamvis ponant corpus Christi naturale unitum esse Deitati in eodem; quia de concil. distinctione 2.: si credis sic scribitur: si credis a Christo carnem esse assumptam et offeras transfiguratum corpus in altari, nec tamen distinguis naturam verbi, dicit Archidiaconus, id est divinitatis vel deitatis et corporis Christi, dicitur ter, si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti. Et sunt verba beati Ambrosii in sermone Abel et Cain; ubi dicit glossa, qui igitur in altari Patri filium immolat, sed si in eadem persona duas naturas non intelligit, non recte dividit. Haec glossa.

Ultra praedicta in hac materia populum Christianum non intendimus onerare quaestionibus difficilibus et impertinentibus expressae fidei scriptura; haec dicta sunt humiliter et cum protestatione matura et utili consveta fieri in scholis theologicis generalium studiorum.

C. 21.

Culpae, quas sacerdotes Thaborienses quibusdam magistris Pragensibus objecerunt et eas coram praefata synodo generali Pragae notificarunt, subsequuntur.

Quia ut in praemissis tactum est, magistri Pragenses et sacerdotes eis adhaerentes in congregatione cleri habita in montibus Cuthnis anno Domini MCCCCXLIII circa festum Procopii in certis punctis sacerdotes Thaborienses inculparunt, quibus culpis idem sacerdotes ibidem responderunt et satisfecerunt, sacerdotibus autem Thaboriensibus, quia tunc non afficit oportunitas loci et temporis

pro recompensa eisdem ibidem impendenda reservantibus sibi potestatem dandi ipsis culpas viceversa in proxima synodo generali celebranda, ideo personae a communitatibus Thaboriensibus ad synodum anno Domini etc. XLIII. (1434?) circa festum Epiphaniae Pragae celebratam destinatae quarto habuerunt in commissis, ut verba talia, quae sequuntur, coram tota synodo proponant dicentes: ne autem magistri sestiment, quod alios volentes quamvis sine efficaci probatione maculare, soli velint sine maculis inveniri, habemus in commissis, ut culpae magistrorum, quas sacerdotes nostri ipsis objiciunt, coram vestris reverentiis notificentur, quibus notificatis, si copia illorum optetur, dentur nobis litterae obligatoriae sub conformi poena ex parte Pragensium pro magistris Joanne Přibram et Procopio de Plzna cum eis adhaerentibus, Graecensibus pro magistro Joanne Rokyčzana, et a Lunensibus pro magistro Wenceslaw Drachow cum eis adhaerentibus conformes, quales habere volunt a communitatibus nostris pro sacerdotibus eorum et magistri praenominati respondeant et satisfaciant culpis contra ipsos legendis, sicuti sacerdotes nostri culpis ab eisdem ipsis objectis in Montibus responderunt et ipsis satisfecerunt, et ultimo in scriptis vestris reverentiis obtulerunt, quibus sic ut praemittitur propositis personae antedictae culpas magistrorum coram dicta synodo legi procurarunt, quarum licet non modicus fuerat numerus, hic tamen causa brevitatis aliquae ex illis exprimentur, et primo contra aliquos eorum simul, et secundo contra aliquos eorum singulatim et in speciali.

C. 22.

Culpae magistri Joannis Rokyczanae cum aliis magistris secum in Montibus Cuthnis temporibus retroactis existentibus et aliis omnibus sibi adhaerentibus, in quorum omnium persona pro tunc ibidem loquebatur, eisdem per sacerdotes Thaborienses postea in generali synodo objectae.

In materie ex fide sacramenti tenent et assentive dogmatizant, corpus Christi natum de beata Virgine esse in antedicto sacramento secundum existentiam suam naturalem, cui a multis notabilibus doctoribus sententialiter contradicitur, et in forma illa non exprimit in scriptura. Item illi praedicti nondum sufficienter probantes corpus Christi esse in ipso sacramento altaris secundum ejus esse naturale; hoc ut praetactum est negato a doctoribus satis solemnibus, ipsi non

formidant asserere, nullum sacerdotem conficere, qui non credit corpus Christi esse in ipso sacramento altaris secundum suum esse naturale; sed taliter asserentes non deliberarunt mature, si Christus primus sacerdos conficiens hoc sacramentum illam fidem habuit, quam asserunt ad ipsius sacramenti confectionem necessario requisitam.

Item Rokyczana cum praedictis sibi adhaerentibus contra sententiam multorum solemnium doctorum non videtur tenere, illam propositionem esse tropicam et figurativam, qua sacramentum sensibile suscipit pretium corporis Christi et sanguinis, habens tamen in hac sacramentali figura veritatem corporis Christi, quod non contigebat in figuris testamenti.

Item Rokyczana cum antedictis sibi adhaerentibus magistris et aliis sacerdotibus absque fundamento vero scripturae inaniter exacerbatur et in praedicationibus invehit contra triplicem modum sumendi corpus Christi, cum ipsimet ex scriptura manifesta concedentes dandum esse corpus naturale et corpus Christi mysticum communiter appellant ipsum sacramentum sensibile corpus Christi, sicut multi sancti ante haec tempora, taliter appellarunt. Qui ergo corpus Christi negant sic trifarie accipi posse, aut oportet ipsos credere, corpus Christi mysticum a suo naturali corpore non distingui, aut negare, corpus Christi naturale condistingui naturaliter a sacramento sensibili.

Item ipse Rokyczana cum aliis magistris Pragensibus in synodo tunc celebrata in Montibus Cuthnis istam propositionem subscriptam fassi sunt palam et publice, et ipsam pro memoriali ex divina permissione inscribi fecerunt: ubicunque est Christus cum plena sua personalitate, ibi est cum omnibus membris suis; ex quo periculosissime dicto sequitur, quod cum plena personalitas Christi sit ubique, quod in omni loco mundi Christus sit cum omnibus membris suis, quod asserere auditui est horrendum, quia ex hoc crederetur, quod in qualibet minima particula hujus mundi ambae manus corporis Christi coexisterent oculo, pedesque ambo crinibus, visceribus et toto corporis residuo coexisterent occipiti, quod est impossibile et risu dignum.

Item magister Rokyczana cum aliis sibi adhaerentibus magistris non mature deliberavit, nec dedecus regni futurum advertit inducendo synodum ad commendandum multa puncta, quibus a doctori-

bus sententialiter contradicitur et in forma illa non exprimuntur in scriptura, circa quae, ut supponitur, melius fuisset ipsos magistros ori digitum imponere, quam dominos Barones et caeteros nobiles et civitates regni hujus involvere et provocare ad probandum vel improbandum quidquam in materia theologica ab ipsis penitus *ignorata*.

Magister Rokyczana cum aliis magistris sibi adhaerentibus, ut in Montibus Cuthnis ex ipsius proprio ore auditum est, negat *Christum esse creaturam* contra fidem scripturae et testimonia sanctorum doctorum se in eadem veraciter fundantium, dicens Photium propter hoc esse haereticum, quia Christum dixerat esse creaturam.

Item ubi jam materia de corporis Christi existentia in venerabili sacramenta mota est in hoc regno: iste magister Rokyczana cum aliis sibi adhaerentibus magistris populo non declarant neque clero ex infra scriptis modis tenendum est fide catholica, ipsum corpus Christi esse in sacramento, videlicet an ex vi conversionis substantialis in Christi corpus pane illo priori nullatenus remanente in ipso sacramento, aut per viam identificationis panis cum ipso corpore Christi, vel per impanationem corporis Christi vel si ibidem ipsum corpus Christi per modum aliquem alium assignandum et christiano populo publicandum, quia multitudo ponentium corpus Christi esse in venerabili sacramento asserit, corpus Christi esse non posse nisi uno trium modorum jam proxime praedictorum. Petendi ergo essent ex parte omnium volentium in hoc regno illius propositionis sacramentalis noscere veritatem, quatenus ipsi ad hoc teneantur, ut dicant veraciter et in scriptis praesentent, quid ex fide scripturae illo pronomine *hoc* in antedicta sacramentali propositione demonstratur, et quo ex illis praedictis modis tenendum est ex fide catholica, ipsum corpus Christi esse in venerabili sacramento, ut per hoc populus valeat se stabilire, et non sicut prius in hoc articulo fluctuare.

Item magister Rokyczana cum aliis sibi adhaerentibus magistris antedictis tenet, et assertive dogmatizat, corpus Christi, ut est in sacramento altaris, vivere et ipsum Christum, ut est in sacramento altaris nos hic oculo corporali videre, aure corporea nos audire, et sic de olfactu corporeo respectu objecti ipsum naturaliter immutantis; cui a multis notabilibus doctoribus in sententia contradicitur et nostro judicio ex fide scripturae probare non possunt.

Item Rokyczana cum praefatis sibi adhaerentibus magistris nimis grosse infundabiliter et periculose docens populum, ut credant, cor-

pus Christi natum de beata Virgine esse in sacramento altaris secundum existentiam suam naturalem, eandem penitus in numero substantialiter et naturaliter, quam sumpsit de Virgine Maria, et secundum quam residet in coelo in dextera Patris; per hoc *primo* de se et aliis sibi adhaerentibus praestans occasionem vehementer suspicandi, quod credunt corpus Christi naturale esse in sacramento altaris localiter, circumscriptive et dimensionaliter, sicut sedet ad dexteram Patris et quod credunt, corpus Christi naturale sacramento consumpto animam hominis ingredi secundum ejus existentiam naturalem, et sic alibi quam in coelo esse localiter contra sententiam omnium doctorum tenentium, corpus Christi localiter esse solum in coelo, sed sacramentaliter, spiritualiter, virtualiter et vere esse in diversis altaribus. Et ex hoc statim *secundo* praestant de se occasionem evidenter suspicandi, quod credunt Christi corpus in ipso sacramento corporaliter manducari, a quocunque sumitur ipsum sensibile sacramentum credentes, quod carnem Christi concidere et vorare sicut carnem agni possent, vivam integrumque absorbere, sicut cetus maris vivum absorbit Jonam, quod videtur nimis grossum et a Christianis credere nimis horrendum, quia sic credere est magnus error et prima de corpore Christi tempore ipsius haeresis; in quam inciderant discipuli ab eo discedentes secundum testimonium beati Augustini positi in Decreto de Concil. Distinctione 2. *Prima haeresis.* Et per hoc immediate *tertio* occasionem de se praestant vehementer suspicandi, quod credunt, quia quaecunque Christi corpus consequuntur in coelo, illa eadem consequuntur ipsum in sacramento; et sic sequeretur, quod corpus Christi videatur in sacramento oculo corporali, sicut videtur in coelo, et quod ita sedeat hic, sicut ibi sedet, et ita hic extendatur, sicut ibi est extensum, quod doctores renuunt communiter affirmare.

C. 23.

Culpae magistri Rokyczanae in speciali sibi a sacerdotibus Thaboriensibus objectae.

Magister Joannes Rokyczana, ut patet suo tractatu, quem scripsit de 7. sacramentis, scribit, quod cum Christus verus Deus et verus homo, qui mentiri non potest, nec aliquem decipere, dixit de pane, quem manibus cepit et benedixit, quod ipse est corpus suum, et de vino, quod est sanguis suus, et hoc est fide credendum et con-

stanter tenendum, quod ille panis vere esset corpus suum, et illud vinum vere sanguis suus.

Sed quomodo jam se habet ad illam sententiam, si cum dicta sententia concordat propositio, quam Pragae concessit coram Imperatore, tam ipse quam alii fideles, (ne)judicent ad sinistram aut dexteram minime declinantes, quae in propria forma erat ista: Credimus panem et vinum post consecrationem in sacramento altaris materialia non manere, secundum quod in scripturis sacris manifestatur et doctrina ecclesiae sane intellectis; quia nou dubium, si psalterium concordat cum cythara, judex aequissimus judicabit.

Et haec videtur, ratio quare idem Rokyczana in suae animae detrimentum postea in Montibus simulavit veritatem evangelicam, quam magister Jacobellus in articulo mortis suae confessus est, et hoc sibi et aliis suis discipulis moriendo pro testamento reliquit, scilicet, quod ipsum sacramentum altaris post verba consecrationis est panis in natura sua, secundum quod verba Christi sonant, et sui apostoli sancti Pauli. In cujus signum nuper requisitus in Montibus coram toto auditorio vicibus iteratis, quid Christus demonstravit dicens: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, non obstante, quod illa propositio est evangelica, renuit ad ipsam modo competenti per intervallum dierum plurium respondere. Et per hoc occasionem praestat de se evidenter suspicandi, primo, quod credit sacramentum altaris venerabile in natura sua esse tantum albedinem, rotunditatem aut aliud accidens panis sine ejusdem substantia, cujus nomen ignorat, et sic minoris perfectionis, quam est quaecunque substantia hujus orbis. Et ex illo 2. statim aliam occasionem de se praestat vehementer suspicandi, quod non credit panem et vinum virtute verborum Christi esse corpus et sanguinem ejus secundum ipsius institutionem, nec quod post verba consecrationis rite prolata ejusdem corpus et sanguis sit in pane sacramentali sacramentaliter, spiritualiter, virtualiter et vere.

Et si Rokyczana ex hoc tenet panem sacramentalem esse identice corpus Christi, ex illa statim occasionem de se praestabit violenter suspicandi, quod non credit sacramentum Christi venerabile post consecrationis verba rite prolata quoquo modo distingui ab ipso corpore Christi naturali de beata Virgine sumpto, et quod credit corpus Christi recipere denominationes et transmutationes nimis ineptas, quas sacramentum hoc visibile reciperet, quae fidem horren-

dam cunctis redderent christianam, et ad sacramentum sensibile in natura sua eodem modo se babendum sicut ad verum corpus de Virgine natum, crucifixum, quod a mortuis resurrexit, et modo residet ad dexteram Patris.

Item ipse Rokyczana ut patet ex tratatu suo, quo nititur confirmare articulos quosdam per ipsum et caeteros magistros admissos tenet, quod Jesus crucifixus post mortem suam illud, quod erat divinitatis, transtulit in naturam humanitatis, quae translatio non bene poterit sustineri absque alicujus increati in illud, quod creatum est, translatione. Et si hoc audebit ponere, ipse videat. Item ut patet ex ejus eodem tractatu, tenet, quod post mortem Christi ipse Christus solutus est a legibus corporis, dum tamen sua caro modo occupat locum ita magnum sicut prius. Et cum corpus illud non ponitur corpus indivisibile a natura sua, sequitur, quod adbuc est divisibile, quamvis divisioni actuali non subjacet, plus quam coelum, et ad judicium finale veniet, descendens localiter juxta illud Actor 1. quemadmodum vidistis euntem in coclum; et videbit eum omnis oculus. Apocal. 1.

Item ut patet ex eodem suo tractatu, tenet, quod totum carnale in Christo post ejus mortem factum est spiritus et vita. Sed proh dolor! nescit aut non vult declarare, quis est ille spiritus, qui post mortem Christi sic de Christo praedicatur; imo grave erit sibi ex scriptura ostendere vel probare, quod caro Christi sit spiritus loquendo de spiritu creato vel aliter ad propositum pertinenter; cum beatus Augustinus scribat de quantitate animae: licet quodlibet corpus potest mutari in quodlibet, sed non corpus in spiritum. Grave etiam erit sibi ostendere, quod ipsa caro Christi sit transformata in spiritum et in vitam, prout tenet ipse magister eodem suo tractatu, nisi voluerit in conceptus nimis periculosos ipsius magistri *Mathiae* Parisiensis incidere dicentis, quod humanitas Christi perfecta omnes proprietates naturae divinae et omnes attrributiones cum omni plenitudine est induta, ct quod nihil aliud cogitandum sit de corpore et sanguine Christi secundum esse existere, nisi sicut de divinitate sapientia et virtute; sed quia baec sunt ubique sine ulla divisione vel minutione vel contagione; ex quo sequuntur inconvenientia nimis multa.

Item Rokyczana secundum formam periculosam se et alios sacerdotes hujus regni obligavit obedientiae curiae Romanae, aliis, heu! quos causa concernebat praefata, inconsultis et minime requisitis, praesertim cum, quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. 66.

Distinctione. Archiepiscopus in glossa super verbo ab omnibus 8. quaest 1. *Licet.* Extra de: temporibus ordinationem. *SiArchiepiscopus*; et hoc inter caetera tempore Cardinalis sancti Angeli est sibi objectum, quod promittens obedientiam concilio Basileensi et Pontifici Romano illam hucusque *non* observat.

Item Rokyczana tempore Imperatoris non habito super hoc consilio spiritualium vel deliberatione secundum exigentiam canonis et humanae rationis ipse admisit articulos XL vel plures in praejudicium magnum veritatis et diffamationem fidelium hujus regni de resumendis multis in fide scripturae non verum habentibus fundamentum, quae a tota fere parte 4 articulis adhaerente rationabiliter fuerunt omissa contra unum articulum in generali synodo cleri hujus regni statutum de anno Domini MCCCCXXI de non resumendis quibusdam ritibus rationabiliter omissis, nisi magis notabilis et magis utilis causa interveniret pro talibus resumendis.

C. 24.

Culpa magistri Wenceslai Drachow in speciali a sacerdotibus Thaboriensibus sibi objectis.

Magister Wenceslaus de Drachow in hac parte degener discipulus magistri Jacobelli *falsificavit* ex timore mundano aut alia circumstantia deordinata tractatum de remanentia panis in ipso venerabili sacramento per antedictum magistrum *Jacobellum* compilatum, in cujus primo capitulo ponit manifeste, Christum verum Deum et hominem in hac sacramentali propositione: hoc est corpus meum, per pronomen *hoc* panem demonstrasse, cujus oppositum nuper in Montibus asserebat praefatus magister Drachow dicens: Christum illo pronomine corpus suum demonstrasse in propositione sacramentabili superius antedicta.

Item non pausans in hoc, quod tractatum falsificavit antedictum in Christo legem offendens, non credit Christum demonstrasse panem, quando manibus suis tempore coenae suae ultimae panem cepit, benedixit et fregit et discipulis suis dedit dicens: manducate ex hoc omnes: hoc est corpus meum; sed tenet et asserit Christum per pronomina antedicta demonstrasse corpus sub re una, quae cujus sit naturae specificae ex fide scripturae post consecrationis verba, ipse non audet, nescit vel non vult vel ignorat populo Christiano declarare.

Item credit, quod panis, quem Christus in ultima sua coena manibus suis cepit, benedixit et fregit, post verba consecrationis rite prolata *non* fuit corpus Christi verum de beata Virgine natum, imo credit, quod nullus sacerdos conficiens his diebus facit, quod virtute verborum sacramentalium rite prolatorum praetactus panis sit veraciter et realiter corpus dominicum, cum secundum eum totaliter per illam consecrationem desinat esse secundum totam ejus materialem essentiam atque formam.

Item quod Christus nunquam praecepit apostolis manducare ex ipso illo pane, quem suis manibus cepit, fregit et benedixit dicens: manducate ex hoc omnes; nam si ipsum panem manducassent post consecrationis verba, tunc indubie panis illius substantia remansisset, quod habet pro haeresi secundum ipsum ecclesia sacrosancta. Et sic Paulus apostolus secundum fidem ipsius Drachow dicens 1. Corinth. 11.: probet autem se ipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat, non praecepit Corinthiis de pane illo edere aut vino bibere. Sed non vertatur hoc in dubium, quia biberunt ex eo omnes.

Item suspectus est in fide, quia, cum tenet, quod demonstratio pronominis in propositione sacramentali est impertinens illi pani, non poterit docere pertinenter, quomodo virtute illorum verborum sacramentalium fiet panis in corpus Christi conversio aliqualis. Sed non dubium, quin huic sententiae in hac parte repugnant verba Christi in his locis Math. 26. Marc. 14. Luc. 22. verba sancti Hieronymi, Bernardi; beatus enim Hieronymus in epistola ad Elvidiam scribit: nos audivimus panem, quem Dominus fregit, deditque discipulis suis ad manducandum, esse corpus domini Salvatoris ipso dicente ad eos: accipite et comedite. Hoc est corpus meum. Haec ille. Bernardus autem ad idem in sermone de corpore Christi sic scribit: Christus regressus ad mensam ordinavit sacrificium corporis et sanguinis seorsum panem, seorsum tradens et vinum, de pane ita dicens: accipite et comedite, hoc est corpus meum; et de vino: bibite ex hoc omnes, hic est calix novi testamenti, qui pro multis effundetur. Haec ille.

Item cum secundum doctores sanctos quicunque imposuerit fidei scripturae aliquem sensum extraneum, quem spiritus sanctus non flagitat, ut sic est haereticus, et iste sensus horum verborum: hoc est corpus meum, quem magister Drachow ipsis applicat, nec ex fide scripturae, nec ex revelatione vel ratione ostendi poterit, videtur praefatum magistrum nota pravitatis haereticae maculatum.

C. 25.

Culpae magistri Procopii de Plzna in speciali a sacerdotibus Thaboriensibus sibi objectae.

Magister Procopius de Plzna! Primo notorium et manifestum est qualiter tempore, quo incepit communio utriusque speciei curam magnam gessit ad ipsam sub Christo praecepto promovendum, prout singulos baptisatos capaces ipsius sacramenti integri secundum legem Christi et practicam ecclesiae primitivae procurando litteras sub pendenti sigillo Rectoratus studii Pragensis et quasdam manu propria scribendo, et per hoc regnum dispergendo in promotionem communionis antedictae; imo Basileae existens praetendit se ipsam velle communionem specialiter *parvulorum* probare justam et sanctam.

Sed heu jam domum veniens in parte venenum evomit, quod latebat; *nam modo ab illa communione cessat*, volens per hoc alios retrahere ab eadem, nec adhuc videtur sibi sufficere istud facinus in Boemia perpetratum, sed tanquam unus proditor praefatae communionis, ipse cum quibusdam aliis magistris unam litteram ad Marchionatum Moraviae destinaverunt, qua non sunt veriti conscribere suum propositum venenosum, hoc scilicet, quod tantum illis debet ministrari communio utriusque speciei, qui se ordinate ad hoc disponunt cum corde contrito et confessione ordinate facta sacerdoti; volentes per hanc clausulam parvulorum communionem totaliter conculcare, qui nec contritionem nec confessionem exercere valent. Sed speramus in Deum, quod ipsa conteretur et cassabitur ordinatio fraudulenta. Item suspectus est notabiliter in fide, cum interrogatus, quid in natura sua specifica sit ipsa hostia consecrata, frangibilis et visibilis post verba consecrationis rite prolata, vel non vult, vel non audet hoc exprimere verbo vel scripto, sic quod in hoc fidei puncto populus se non stabilit, sed periculose fluctuat hinc et inde.

Item tenet, quod omnes, *qui abstulerunt bona cleri*, sunt tanquam *sacrilegi judicandi* 16. quaest. 6.: si quis Principum, et de jam bona ecclesiae recipientibus, occupantibus, et non restituentibus. Quid sentiendum est secundum ipsum, patet eos esse excommunicandos usque ad condignam satisfactionem 12. quaest. 2. *Nulli liceat* et *capitulo: Quicunque*, et capitulo: *Praedia;* et extra. de foro competenti. *Cum sit generale*, et quamvis non sunt excommunicati ipso jure, tamen

sunt excommunicandi, quousque satisfecerint tam de injuriis quam de damnis et de foro competenti conquestus et illi coram ecclesiastico judice sunt trahendi. Extra. de foro competenti. *cum sit generale*; in glossa.

Item iste magister quondam praesidens synodo generali cleri celebratae in civitate Pragensi statuit: ut nullus sacerdotum Christi pro sacramentis et pro ministerio sacramentorum, aut aliis omnibus spiritualibus annexis pecuniam aliquam aut dona recipiant, aut exigant, nec sub obtentu religionis cujuscunque pro orationibus recipere audeant. Sed proh dolor! contra hujus articuli sententiam modo in oppositam versus qualitatem, haeresim symoniacam propria in persona exercere et aliis sibi adhaerentibus ad publice exercendum permittere non formidat. Item offertoria mali speciem habentia, quae olim postposuerat, et contra quae articulum in praefata Synodo formaverat, jam amplectitur et promovet.

Item qui olim in praefata synodo generali, cui praesiderat, statuerat, ut circa ritus ecclesiasticos illa, quae fuerunt rationabiliter ex certis causis obmissa in communitatibus Pragensibus, quod haec habeantur et teneantur pro obmissis, nisi magis rationabilis et magis utilis causa interveniret pro tali ritu resumendi, jam autem filium obedientem ecclesiae se exhibens, illa sine causa rationabili in praejudicium legis Dei, pro qua se fideles Boemi exposuerant, resumit, et ad *conformandum se in omnibus ecclesiae Romanae*, quantum in eo est, omnes alios trahit.

C. 26.

Culpae magistri Joannis Přibram in speciali a sacerdotibus Thaboriensibus sibi objectae.

Magister Joannes Přibram velut instabilis et nimium in sua vocata fide fluctans seminavit in hoc regno nunc unum scriptum suae fidei diffusum alias inauditum et nunc aliqua scripta breviora in magnum detrimentum et involutionem fidelium animarum, in signum, quod fidelibus clareat ipsum esse *inconstantem virum* in omnibus viis suis. Ipse enim offendens in divinitatem, quae juxta sententiam sacrae scripturae est communis tribus personis, scilicet Patri et Filio et Spiritui sancto, ipse illam divinitatem asserit personalem, et per consequens non esse communem tribus personis antedictis, sicut hoc

patet esse suam sententiam in vocata sua fide extracta et merito de libro antiquae civitatis Pragensibus.

Item non contentus hac malitia subversiva, si possibile esset totius fidei christianae non veretur temere praefatam divinitatem pati, sitire, et esurire tractatu suo contra articulos Piccardorum articulo 5 et tractatu suo proxime allegato ponit humanitatem Christi creatam post hanc vitam sic transformatam et transmutatam totaliter in vitam divinam, quod caro Christi Deiformis secundum esse existere per verbum Dei est omnia in omnibus.

Ipse quamvis nuper in Montibus Cuthnis coram toto auditorio asseruit, se nunquam mutasse fidem in materia venerabilis sacramenti, quod quotidie sumitur in altari, tamen in sua fide uniformis non fuit, sed mutabatur ut luna, ut ex ipsius propriis scriptis et dictis sibi saepius objiciebatur; unde ipse in uno scripto suo scribens, quomodo credit errorem esse et haeresim et scripturae manifestae et rationi contrarium, qui diceret, Christum non demonstrasse panem et vinum sed corpus suum et sanguinem, quando dixit: hoc est corpus meum; sed postea mutatus in qualitatem aliam in Montibus coram toto auditorio asseruit, quod tenens et dicens Christum panem et vinum in propositionibus sacramentalibus demonstrasse, est major haereticus illo, qui cunctos articulos teneret, et defenderet contrarios fidei Christianae.

Ipse tractatu suo, qui sic incipit: exsurgat Deus et dissipentur inimici ejus, quamvis catholice a Christianis creditur, ipsum Dei filium naturalem semel in utero beatae Virginis incarnatum, credit, quod inter manus sacerdotum praetactus Dei filius velut in utero Virginis incarnatur.

Ipse credit, ut patet eodem suo tractatu, tantum esse sacerdotum dignitatem, quod eorum lingua de coelo deponit Dei filium, ubi tamen manet continue in dextera Patris, et eorum oculi vident omnia videntem nondum adepta beatitudine, et manus ipsorum intinguntur Christi sanguine, qui perpetuo venis Christi clauditur, quibus clausis non est verisimile, quod manus Přibram naturali Christi sanguine intingantur.

C. 27.

De edicto, quod factum est inter partes saepe nominatas per synodum generalem Pragae anno Domini MCCCCXLIII celebratam.

Istis sicut praemittitur terminatis synodus generalis Regni Pragae pro tunc celebrata statim sine omni protelatione considerans tam nocivam partium discrepantiam in fide certas ex se deputavit personas, ipsis committens, quatenus pensantes ex utraque parte discrepantiam ante omnia Deo, fidei et partibus injuriam non faciant, sed cum diligentia et cum consilio, prudentium hoc, (quod) faciendum est, faciant omnia secundum legem Dei et doctores, sc in eadem vere fundantes agentes, quidquid ipsis in his visum fuerit, conscriptum ad synodum referant, quemadmodum hoc factum est. Quo facto synodus in causa partium jam saepe nominatarum edicens laudavit primo, quod securior, melior ac certior est professio fidei de corpore Christi magistrorum Joannis de Rokyczana et Joannis de Příbram et aliorum magistrorum ac sacerdotum, quam Nicolai Episcopi cum aliis sibi adhaerentibus. Secundo laudavit, quod vere credunt magistri et sacerdotes tenentes, quod in sacramento altaris corpus Christi vivit unitatum Deitati sicut in dextera Patris, et quod ibi Christus vivit, in cujus corpore ibi et sanguis et anima in cruce emissa. Tertio laudavit fidem magistrorum et sacerdotum et pro certa veritate confitetur, quod Christi fideles Dominum Jesum, qui est in sacramento venerabili, debent adorare sicut Deum, et ipsum honorare et ejus ibidem sanctum corpus. Quarto synodus laudat et laudando hoc habere vult, ne aliquis sacerdos praedicet ad populum puncta infra scripta, quod Deus sit major corpore Christi et ergo multo realius et perfectius est in qualibet creatura, quam corpus Christi in sacramento, et quod homo justus multiplicius est honorandus, quam sacramentum corporis Christi; et quod panis sacramentalis in natura sua est minoris perfectionis essentialis quam talpa vel vespertilio et quod remissiores erant idolatrae, qui quondam adorabant talpas et vespertiliones, *quam Pontifices Romani* illum panem adorantes tanquam Deum; et quod Christus non est hic in terris substantialiter, localiter in illa magnificentia, in qua resurrexit a mortuis et sic dimensionaliter cum extensione membrorum, sicut sedet in coelo. Quae tamen puncta doctores expressa ponunt in scriptis suis, et quae inevitabiliter sequuntur ex

scriptura sacra. Post hoc synodus edictum ibidem fecit de multis punctis, de quibus in Montibus Cuthnis nulla inter partes specialis facta est mentio nec in scriptis ab utraque parte synodo praesentatis aliquid de his est repositum, ut puta de 7. ecclesiae sacramentis, de purgatorio, de sanctorum invocatione, de jejuniis, auriculari confessione, et de ritu missandi, et pro quolibet puncto, quae synodus laudavit, talem qualem ex scripturis sacris et doctoribus allegavit probationem, secundum quod a magistro Joanne Rokyczana et ab aliis sibi adhaerentibus fuit edocta. Sed qui vellet vere pensare, et indifferenti oculo videre omnes probationes, quas synodus ex informatione magistrorum applicat punctis, quae laudat, cognosceret, quod illae non vere probant ejus propositum, et cui placeret legere causam sacerdotum Thaboriensium in anterioribus late descriptam, et positionem in manus synodi in scriptis praesentatam et coram tota synodo generali Regni Pragae lectam, inveniret sufficientem responsionem ad omnes auctoritates scripturae sacrae et sanctorum doctornm, quas ex instructione magistrorum synodus praedicta applicat punctis, quae laudat, quas causa brevitatis hic non oportet refricare. Et non mature deliberavit magister Rokyczana cum aliis magistris sibi adhaerentibus, nec dedecus regni futurum advertit inducendo synodum ad commendandum multa puncta, quibus a doctoribus sententialiter contradicitur, et in forma illa non exprimuntur in scriptura. Circa quae ut supponitur melius fuisset, ipsos magistros ori digitum imponere, quam dominos Barones et ceteros nobiles et civitates regni hujus involvere et provocare ad probandum vel improbandum quidquam in materia theologica ab *ipsis penitus ignorata.*

C. 28.

Responsio ad praefatum edictum Synodi communitatis Thaboriensis cum eorum sacerdotibus et communitatum et sacerdotum et omnium aliorum eis adhaerentium sequitur sic in forma.

Responsum ad edictum per synodum Pragae factum anno a nativitate Domini MCCCCXLIII circa Epiphaniam Domini (1444) communitatis Thaboriensis cnm eorum sacerdotibus et Zacensium specialiter in littera concordiae ex nomine positorum ac eis adhaerentium adhaerereque volentium saecularium et spiritualium est hoc, circa quod ista praemittuntur. Primo quod littera concordiae ostendit, qua-

liter anno Domini MCCCCXLIII. in synodo generali Pragae circa festum Trinitatis indicta fuit synodus sacerdotibus in Montibus Cuthnis, quatenus proximo Sabbatho post festum sancti Procopii anni ejusdem ibidem compareant magister Joannes Rokyczana, magister Joannes Přibram ac alii magistri, et cum sacerdotibus aliis ex una, dominus Nicolaus de Pelhřimow Episcopus cum sacerdotibus jam nominatis parte ex altera, et comparentes tractent inter se materias necessarias in fide specialiter, ut in unanimi confessione fidei catholicae de corpore Christi in sacramento altaris secundum evangelium et sanctos doctores se in eodem veraciter fundantes resideant, quemadmodum hoc est factum. 2. Quod in eadem littera concordiae istud ponitur, ut libere unus alium impetere possit, sacerdos sacerdotem et magistrum, et magister sacerdotem, et sic unus alium quemcunque, quidquid tetigerit alicujus praedicationes, doctrinas, tractatus, praesertim de corpore Christi, de illis ut satisfaciat, et juxta excessum probabilem reformet. Deinde in eadem littera concordiae istud publice exprimitur, quod orta divisione inter partes, illa a parte utraque conscripta ad synodum proximam generalem regni praesentetur, quemadmodum hoc ita factum est. Iterum in eadem littera concordiae ponitur, quod quidquid Synodus in his commendaverit, secundum legem Dei et doctores sanctos se in eadem veraciter fundantes, quod fidem catholicam aut legem Dei non destruit, hoc a parte utraque suscipiatur. Illa promissa notans quilibet, qui non esset acceptor personarum, posset dijudicare, si sunt illa sic, quemadmodum concordiae ex utraque parte testantur, adimpleta a personis, super hoc a synodo ad hoc deputatis, ut pensent haec, de quibus inter partes est discrepantia, ante omnia Deo, fidei et partibus injuriam non facientes, omnia ordinantes secundum legem Dei et doctores se in eadem veraciter fundantes. Ex quo nec litterae a parte nobis adversa secundum concordata sunt factae obligatoriae sub poena conformi ex parte Pragensium pro magistris Joanne Přibram et Procopio de Plzna cum eis adhaerentibus; a Grecensibus pro magistro Joanne Rokyczana et a Lunensibus pro magistro Wenceslauo Drachow cum eis adhaerentibus conformes quales Thaborienses, Piesenses et cum Sarowkonibus fecerunt. Nec magistri satisfecerunt culpis contra ipsos Pragae in synodo generalis lectis, quibus in recessu de Montibus Cuthnis, dum tunc non afficit opportunitas loci et temporis pro recompensa eisdem ibidem impendenda, reservatum fuit

jus et potestas notificandi, illas magistrorum culpas praesertim tunc, quando discrepantia partium in notitiam synodi deduci debuit, pro quibus, ut timendum est, adhuc *sunt et erunt lites plurimae* in hoc regno inter magistros et sacerdotes simplices, sicut nos sacerdotes Thaborienses culpis nobis ab ipsis in Montibus objectis respondimus et eis satisfecimus, quae responsiones post hoc in synodo sunt lectae et in manus domini *Mainhart* in scriptis repositae; et de culpis magistrorum in synodo lectis synodus nullam mentionem nec aliquam discussionem in edicto fecit, sed indeterminatas reliquit; nec personae a synodo deputatae ad pensandum ea, in quibus partes discordarunt, fecerunt discussionem de cunctis punctis synodo oblatis, pro quibus orta est discordia patula in Montibus; sed multa puncta ex his indiscussa contra litteram concordiae relinquentes fecerunt edictum de multis punctis, de quibus in Montibus Cuthnis nulla inter partes specialis facta est mentio, nec in scriptis ab utraque parte synodo praesentati aliquid de his est repositum. Finaliter tunc ad edictum per personas a synodo deputatas factum accedentes istud primum protestamur, et notum esse omnibus exoptamus, quod nos praescripti omne verbum scripturae sacrae in edicto positum in sano sensu spiritus sancti concedimus, etiam et omnem sensum sanctorum doctorum ibi positum in eadem scriptura sacra et vere fundantium. Nos autem habentes fundamenta multa ex sacra scriptura et doctoribus in eadem se vere fundantibus, quae nostris sensibus videntur huic edioto in certis punctis contraria, eidem edicto non audemus consentire, et praesertim in hoc puncto, ubi commendant professionem fidei de corpore Christi magistrorum tanquam securiorem, meliorem et firmiorem, cui a doctoribus sententialiter contradicitur et in forma illa non exprimitur in scriptura. rejicientes non dubium in hoc professionem et consensum fidei securiorem et firmiorem, in quam pars utraque in montibus consensum praebuit, cui nec verbis nec sententia obviat scriptura sacra, nec doctor aliquis eidem contradicere invenitur, etiam salvo honore quorumcunque nobis nimis videtur grave prohibere quaedam puncta in edicto posita praedicare, et specialiter ubi synodus hoc vult habere, ne ab aliquo sacerdote ad populum praedicetur, quod Deus sit major corpore Christi, cum expresse in evangelio legatur, quod Christus dixit: Pater major me est; quod oportet populo ad intelligendum declarari, ad quem sensum hoc protulit Christus. Quidquid

autem in hoc edicto tangit ritus, et consvetudines, quibus nos sacerdotes antedicti et nobis adhaerentes circa divina utimur et usi sumus, ab illis et cum nobis adbaerentibus ex concordia inter dominum Imperatorem ex una et nos parte ex altera facta per Illustrem Principem dominum Ulricum Comitem Cilliae ac per quam plures generosos dominos Regni Boemiae, ut patet ex littera eorum, quam sub pendentibus ipsorum sigillis super hoc habemus, nec ab ipso scilicet Imperatore nec ab ejus successoribus per violentiam trabi debemus. Et cum boc etiam in bac parte in compactatis cum legatis concilii Basileensis factis ita scribitur: et si aliqui in divinis celebrandis non statim suscipiant ritus, qui generaliter observantur, propterea non fiat impedimentum pacis et unitatis, nec dici possit tales non esse de regno vel Marcbionatu nisi de nostra libera voluntate ad aliquid talium consentire voluerimus. Sed involuntariam coactionem ab illis ad alia contra jus et libertatem a domino Imperatore ex ejus munificentia nobis data declinare intendimus, nec etiam de illis inter partes de Montibus fuit discordia et tractatus, nec in scriptis ab utraque parte synodo praesentatis de his est aliqua mentio; nihilo minus sicut nuper a magistro Rokyczana est oblatum, ut edictum supradictum in sano sensu teneamus, ille sanus sensus (sic), dum fuerit nobis vere ex sacra scriptura et doctoribus in eadem vere fundantibus ostensus, contradicere non intendimus Deo duce.

Anhang zu der Taboritenchronik.

I. Verzeichniss der Capitel nach dem Zittauer Manuscripte.

Chronica causam Thaboriensium continens et magistrorum Pragensium ejusdem impugnationes.

MS. bibl. sen. Zittav. B. 10. Pergamenthalbfranzband mit Schlössern, 318 Folien.

Fol. 1. Prologus incipit:

Cum igitur primitiva et orientalis ecclesia ab origine sua instar illius reginae quae a dextris regis in vestitu...

„ 3. Initium et occasio populi Bohem. pro libertate legis dei instantis, primum insimul, dehinc in bellum conventus atque congregationis ac causae IV articulorum, pro quibus se deposuerunt inchoationis.

„ 6 *b.* Sollicitudo sacerdotum Thaboriensium.

„ 14 *b.* Scriptum primum quod Thabor. in causa eorum quam contra quosdam magistros Pragenses...promovebant, reposuerunt in praetorio maj. civ. Pragensis.

Fol. 17 *b*. Correspondentia quatuor.
„ 20 *b*. Responsa ad objecta magistrorum.
„ 30. Rescriptum et replica magistr. Prag. contra... Thabor.
„ 31. Questio magistrorum.
„ 75 *b*. Responsio sacerdotum Thabor... et injuria magg. Prag.
„ 103 *b*. Quibus ex causis et quando audientia fuit magg. Pragensibus et sacerdd. Thabor. in castro Konopisae limitata.
„ 105 *b*. Protestatio sacerdotum Thabor.
„ 107. De questione Thaboricnsium sacerdotum magistris facta.
„ 108. Inconvenientia ritus sacrificandi magistrorum.
„ 115. Modus quem sacerd. Thabor. observaverunt in propositt. in materia sacramenti.
„ 117 *b*. Quibus ex causis et quando indicta fuit audientia magg. Prag. et sacerdotibus Thabor. in castro Prag.
„ 126. Causa quam sacerdd. Thabor. promoverunt et pro qua . . . se opposuerunt.
„ 128. Suppositiones per sacr. Thabor.
„ 129 *b*. De VII sacramentis ecclesiae quid sacr. Thabor. sentiant.
„ 169. Responsi sacr. Thabor. ed culpas ipsis . . . objectas per J. Rokizanam.
„ 218 *b*. De differentia inter ritum missandi Magg. et beati Dionysii.
„ 221 *b*. Quando, qua occasione et qua prius facta dispositione data est Bohemis et Moravis in causa IV articulorum, pro quibus se opposuerunt in concilii Basil. audiencia.
„ 222 *b*. Concordia in Egra facta.
„ 224 *b*. Condescensus magg. c. sacerdotibus Thabor.
„ 225. Mag. Petri Payne... pronunciatio (cr. resp. sacerd. Thabor. in singulos articulos.)
„ 241. Prima oblatio a sacr. Thab., Sigismundo oblata. 1435.
„ 242 *b*. Concordia facta 1436.
„ 243 *b*. Literae recognitoriae Magg. Prag. et sacerdotum Thabor. super condescensu in arbitros secundum judicem compactatum (indicem compactatorum) in Egra.
„ 246. Continuatio materiae ventilatae inter magg. Prag. et sac. Thabor. quid specialiter actum sit inter eos post mortem... Sigismundi... ac deinceps quid factum sit. Hanc Chronicam sacerdos Nicolaus dictus episc. de Pelhrzimow conscripsit et finivit Annorum 1442° feria II. post festum St. Mathiae apostoli quae fuit dies 28, Mensis Februarii.
„ 246 *b*. Prima evocatio sacerdd. Thabor. et resp.
„ 249 *b*. Evocatio secunda sacerdd. praedictorum et resp. et copia rescripti communitatum et sacerdotum.

Fol. 255. Concordia ... in Montis Cuthnis...per synodum...limitata, cum copiis literarum.
„ 258. De comparitione partium.
„ 264. Scriptum sae. Thabor. in synodo generali regni Pragae 1444 celebrata.
„ 266. Suppositiones pro materia subjecta.
„ 273. Confessio sacerdd. Thabor. de sacramento Eucharistiae.
„ 303. Fides sacerdd. Thab. de venerabili sacramento corp. et sanguinis Christi.
„ 309. Culpae quas sacerdd. Thabor. quibusd. magistris Prag. objecerunt...in sinodo gener. Prag.
„ 310. Culpae Mgr. Johannis Rokecanae.
„ 316. Culpae Mag. Procopii de Plzna.
„ 317. Culpae Mag. Johannis Przibram.
„ 318 *b*. Finitur mscr.

Nach Aufzeichnungen aus Zittau.

2. Articuli Episcopi Thaboriensis (Nicolai de Pelhřimow) de tractatu suo, quem scripsit Petro in Chelczicz in vulgari.

Cod. Cap. Prag. D. 119.

Circa sacramentum Eukaristiae multi currebant et currunt errores usque in diem hodiernum, de quibus Apostolus: necesse est haereses esse. Doctores loquentes de sacramento eukaristiae non concordant, sed diversimode locuitur ab apostolis, ymo sibi ipsis contradicunt nec suos sermones intelligunt et quomodo in eis potest se quis fundare. Nam sunt sicut domus debilis indigens reformatione.

Signum saepe nominatur nomine signati ut Johannes est Helias, petra Christus, septem spicae septem anni et in hoc modo loquendi sunt multi gradus.

Illa verba Christi hoc est corpus meum quatuor modis adversis intelligitur: primum dicunt quod Christus ita panem dicit esse corpus suum, quod nihil de pane materiali remaneat, sed totus transit in corpus Christi et hi (qui hoc) dicunt, quodamodo stant sine subjecto.

Et ita tenuit et tenet ecclesia Romana et clerus ejus cantans, non est panis sed est Deus et ita panem verum ut Deum adorant.

Alii similiter negant verba Christi nullatenus volentes concipere, quod panis ille sit corpus Christi, sed quod in hoc pane est corpus

Christi verum naturale corporaliter et cum membris suis prout sedet ad dexteram patris, propter quod canunt: ibi sunt res mysticae corpus (cum) sangnine cum ossibus venis et cum crinibus et hii adorant Christum in sacramento adoratione latriae.

Alii dicunt non negando verba Christi sicut secundi nec sicut primi dicunt, quod desinat panis, sed tenent sicut secundi, quod vero pane est verum corpus Christi ibidem adorandum cultu latriae. Et isti omnes tres sensus reprobandi sunt et reprobantur, quod non recte sentiunt putantes se devorare integrum corpus Christi sicut cetus integrum et vinum uvam et ab hiis tota inordinatio adorationis illius vel coram illo sacramento processit non pensantes scripturas, quod Christus illo vero corpore recessit a nubibus ad coelum et non est alicubi super terram nec erit ad diem judicii. Isti etiam omnes non bene considerant, quod Christus non dixit haec adverbialiter in hoc, hoc est in pane isto est corpus Christi nec dixit ibidem est Christus sed dixit hoc, i. e. panis est corpus meum et illi doctores male considerantes immiscuerunt nobis illos sensus, hoc est corpus Christi ibidem esse corpus Christi (sic) vel sub hoc esse corpus Christi.

Sunt igitur alii quarti proprius considerantes illa verba Christi concedentes et tenentes quod Christus illum panem nominat corpus suum sed non in sensu primorum. Et isti dicunt, quod in eodem sensu Christus dicit, illum panem esse corpus suum, in quo sensu scriptura vocat petram Christum et Johannem Eliam, hoc est, quod *ille panis significat corpus Christi et est corpus Christi in figura* nec propter hoc ille panis desinit esse panis sicut nec Johannes desiit esse Johannes propter verba Christi vel hoc quod prius fuit. Et isti concedunt quod vero pane est corpus Christi aliquo modo, sed non illud naturale, quod non concedunt secundi et tertio, quod nec est nec erit ad diem judicii super terram. Et isto modo discipuli erraverunt credentes, quod daret eis corpus suum illud naturale ad manducandum, quibus dixit non est sic, alioquin quid manducaretis, cum videritis filium hominis ascendentem in coelum, ubi fuit prius spiritus, est, qui vivificat, caro non prodest quidquid. Et ad huno sensum loquitur Ambrosius dicens, Christum dedisse nobis carnem, non illam animalem seu corporalem sed spiritualem, quod est benedictio sanctefiratio viva veritas justitia pax et haec ista in sacramento est sine vita corporali Christi sicut radius solis est hic sine corpore solis.

3. Articuli Johannis de Zacz Teutonici.

(M. Przibram Apologia p. 187—188.)

Secuntur articuli aliorum haereticorum sodalium et complicum praefati episcopi Taboriensis et primo Johannis de Zacz Theutonici viri inter omnes sacerdotes Taborienses in libris Wicleff plus provecti et ejus doctriuis et sententiis sollicitius applicati. Hic enim ab Anglico Petro libros ipsos studuit et postea episcopum et alios Taborenses sacerdotes tanquam magister haeresium primarius docuit, scribens primus eis quendam tractatulum latine et vulgariter, qui sic incipit: cum spiritus veritatis obediens omne mendacium etc. in quo secutus est sententias Wicleff de verbo ad verbum, a quo perversus episcopus traxit paene omnes sententias una cum verbis in unum suorum tractatulorum ut haec ego reperi per proprium oculum, hinc non mirum quod praefatus episcopus promittebat ipsius Theotonici tractatum defendere a primo verbo ad ultimum velut unus daemon alterum diabolum, cujus articuli hic pauci inseruntur, quia alibi in vulgari latius describuntur et in articulis supradictis episcopi pro parte majori.

Secuntur articuli *Johannis de Zacz theotonici* praedicatoris de Zacz viri inter omnes sacerdotes Taborienses in libris Wicleff plus provecti et ejus doctrinis et sententiis sollicitius applicati. Hic enim ab Anglico Petro libros ipsos studuit et postea episcopum et alios· Taborienses sacerdotes tanquam *magister haeresium primarius* docuit, scribens *primus* eis quendam tractatulum latine et vulgariter qui sic incipit: „Cum spiritus veritatis odiens omne mendacium etc. apertus loquitur in quo secutus est sententias Wicleff de verbo ad verbum, a quo perversus episcopus traxit pene omnes sententias una cum verbis trium suorum tractatulorum ut hoc ego reperi per proprium oculum. Hinc non mirum quod praefatus episcopus permittebat ipsius *Theotonici* tractatum defendere a primo verbo ad ultimum veluti unus daemon alterum dyabolum cujus articuli hic pauci inseruntur quia alibi in vulgari lacius describuntur et in articulis supradicti episcopi pro parte majori.

Discipuli Christi in tantum erant excaecati, quod putabant, Christum se debere substantialiter et corporaliter manducare.

Haeresis latissima plena idolatria, quae dicit Christum substantialiter et corporaliter secundum naturale corpus, quo in coelo dimensionabiliter residet, esse in sacramento altaris.

Stolida haeresis quae negat panem manere post consecrationem.

Haeresis asserens quod panis transsubstantiatur in carnem Christi naturalem.

Vnde in fide hujusmodi sacramenti praelati Romanae ecclesiae crebrius variarunt et specialiter dum fuerint per dotationem temporalium excaecati.

In hac materia doctores moderni ut Hugo, Thomas de Aquino, magister sententiarum cum eorum coetaneis contradicunt antiquis sanctis Augustino, Jeronymo, Ambrosio et eorum scripta sunt sicut aqua turbida et horrida.

Primo ergo caveant fideles hunc fortissimum antichristi laqueum, quo suos involvit. Secundo sic tenet Romana ecclesia et tota universitas de hoc puncto et ergo securissimum est tibi quiescere in illo et periculosissimum est amplius scrutari. Tali enim principio perfidus Machomet cum Sergio monacho maximam partem christianismi seduxit.

Fides Christi potest scriptura vel ratione secundum quemlibet ejus punctum deduci.

Fidelis tenetur credere et confiteri, quod ille panis, qui frangitur, qui videtur, est vere corpus Christi non hic (hoc) quod sub illo latet vel quod ibi latet.

Mendax fantasia est quod Christus secundum corpus substantiale totus ibi substantialiter et corporaliter contineatur.

Sensus katholicus est quod ille panis est corpus Christi sacramentaliter aut figurative i. e. illud quod in natura sua manet panis materialis licet ille jam sanctificatus, illud est corpus Christi secundum figuram et significationem. Est i. e. efficaciter figuratur corpus meum quia alias foret nimis falsum eo, quod certum est, quod illud visibile non sit idemptice illud corpus, quod residet in coelo et ad hoc probandum trahit et ducit multas locutiones figurativas de scripturis.

Talis modus est loquendi scripturae quo figura exprimitur nomine figurati et ejus figuratum nomine figurae et sic fideles possunt idem nunc sacramentum appellare, nunc corpus Christi nunc vero panem.

Et alii possunt dicere in fidelibus verum quamquam aliquis secundum quod viderit.

Ex hoc per factum potest etiam quisquis negare in fidelibus dicendo quod panis non est corpus Christi, exemplo Johannis, qui negavit se Heliam et Christus appellat eum Heliam.

Et sic faciliter intelligerent laici quomodo unus Christus habet multa corpora in multis locis, quia quodlibet sacramentum in qualibet ecclesia fideliter credimus corpus Christi figurative, sed tamen nullum eorum est corpus Christi, quod naturaliter et personaliter actualiter per animam suam in coelo, sed tamen unum aliud corpus quod satis equivoce dicitur corpus Christi.

Sed sicut cautius fuit Johanni negare se Heliam, ne Judaei infideliter errarent, sic cautius est modo loqui, quod id sacramentum est panis ut sic populus devitet ydolatriam quam credat hoc sacramentum ydemptice Deum suum.

Nam non erit innocens coram Domino qui videns tantam idolatriam tam in sacerdotibus quam in populo si voluerit simulate loqui ut manus idolatrarum non incurrat.

Revera nec prophetae baal, de quibus 3 Rom. XVIII. nec sacerdotes Bod, de quibus Daniel XIII. fuerunt magis haeretici idolatrae quam moderni sacerdotes sic abjectam creaturam dicentes Deum.

Christus secundum humanitatem habet multos modos essendi, primum modum et principalisssimum essendi habet essentialiter et corporaliter. Et illo corpore scilicet naturali Christus corporaliter est in coelis et non in sacramento, ideo nec in terris, non enim descendit ante judicium finale propter multas scripturas ut supra probatur ipsius ab eo hic extractis.

Christus corporaliter hic vians in terris non potuit pro eodem instanti corporaliter esse in diversis locis localiter distantibus, cum ergo nullibi dicit scriptura, quod deus velit aliquod corpus pro eodem instanti esse in diversis locis, ergo hoc non est a nobis deductum.

Sic ergo cum fuit in corpore mortali, necesse unum certum locum occupabat. Sic modo est de corpore glorioso Christi, quia ipsum necesse est esse in uno loco corporaliter, ideo corpore naturali quo ad coelos ascendit, ita quia non in animo, praeter per Augustinum modo conformi sicut supra Episcopus.

Augustinus concorditer scripturis dicit: Christum manere sine sensu, quia nunquam descendit ad quodcunque altare illo corpore, etiam si sanctus Petrus missaret.

Salvator praemuniens suos electos, ne taliter credant cum alicubi in terris dicit: Tunc si quis vobis dixerit: ecce illic ne credideritis.

Tanta enim est gloria et claritas super Christum, quod si substantialiter et corporaliter foret hic nobiscum, sicut caece homines sentiunt de sacramento, humana fragilitas non valeret hanc gloriam sufferre, nec quavis potestas valeret ipsam abscondere nec celare, sed cunctis praesentibus excessum vel extasmum incuteret habundantius quam Petro, qui ex transfiguratione Christi quasi mortuus jacebat.

Alium habet Christus modum essendi alicubi spiritualiter i. e. per gratiam suam fideles famulos promovendo protegendo etc.

Tertio Christus humanitus habet modum essendi alicubi virtualiter aut potentialiter sicut rex est potentialiter in regno suo juxta illud: data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.

Quarto Christus habet modum essendi sacramentalem, ubi est sacramentaliter, quia quaelibet pars panis *figurat* efficaciter corpus Christi, dicente Christo, hoc est corpus meum, quod oportet intelligi sacramentaliter aut figurative.

Animalis vita quae quinque sensibus fungitur, quia caro est, si in corpore Domini adesset, nihil verbo prodesset ac propter hoc illam requirere superfluum est.

Secundo notet fidelis, quod homo fidelis est multum dignior quam hoc sacramentum et Christus est habundantius dignus et perfectius in fideli homine quam in sacramento.

In sacramento est Christus multum (in) inferiore modo sicut lux solis in corpore lunae.

Et sic ex Dei multiplici mandato homo plus debet diligere fidelem hominem quam sacramentum.

Item juxta illum tractatum annexae erant istae propositiones: periculosum est asserere Christum esse substantialiter in sacramento secundum suum corpus naturale.

Secundo quia non potest a fideli substantialiter manducari et substantialiter non est in sacramento.

Item flagitiosum esset Christum corporaliter manducare.

Et ex hiis omnibus patet quomodo Johannes Theutonicus post Wiclef et Anglicum auctor haeresium primarius concordat in verbis et in sententia cum episcopo et ambo similiter in dogmate Wicleff perversissimo. Joh. Příbram.

4. Articuli Martinconis.

(Scripl. I. p. 431, 499.)

Sequitur tractatus sacerdotis Martinkonis haeretici ordinatoris Nicolai episcopi, quem sacerdotes Thaborienses alii angelum exercituum Thaboriensium alii Danielem prophetam alii angelum propter ingenium et facundiam vocitabant. Ille praedicavit et scripsit in literis, quod sacramentum eukaristiae est supremum idolum daemoniosissimum et magistros extollentes fidem sacramenti, appellabat maximos seductores.

Item scripsit in vulgari tractatus aliquot ad Piescam blasfemos hujus sacramenti, primum qui sic incipit: Martinus servus Jesu Christi In quo ponit istas haereses et errores dum sic scribit: primus est error dicentium quod coena Dominica debeat in pane azymo confici assumentes pro probatione ritum Judaeorum. Item Christus comedit agnum die tredecima, in qua adhuc panes comedebantur fermentati et quod nec scriptum est quod Christus azymos panes frangeret vel frangi praeciperet nec apostoli sic tenuerunt nec nos tenere praeceperunt. Igitur nec nos haec observare tenemus.

Similis error est volentium commemorari coenam Domini in parvo frustro panis et parvo gustu vini, cum Christus inter alia fercula dedit illam coenam.

Tertius error est eorum, quod quinque verba debeant dici super pane, credentes, quod virtute illorum verborum et signo crucis panis convertatur in carnem et quamvis hoc credat tota Romana ecclesia cum omnibus doctoribus, tamen non habent quo istud mendacium probarent.

Christus illa verba dixit ad apostolos et per illa verba demonstravit corpus suum, in quo sedebat. Mirum est, quod sacerdotes reprobantes benedictiones et sortilegia et soli more sortilegorum benedictiones super vino et pane faciunt et benedicentes putant, quod possent Christum quasi avem super pane ad descendendum provocare.

Papae tradiderunt panem et vinum benedicendi (facultatem?) non Christus.

Quartus error eorundem est, quod debent flectere coram illo pane putantes, quod ille panis esset verus Christus Deus et homo. Alii putant quod in illo pane est, alii quod sub illo, alii quod post illum panem, alii quod cum illo pane vel juxta illum panem. Nulla

creatura debet erigi ut in ea Deum adoremus aut requiramus praeter solum Christum, quem, qui quaerit alibi, quam in patre, est idolatra. Christus abscessit ab apostolis et sedet ad dexteram patris, sed in illo modo, quo mendaces dicunt, non est in pane neque sub pane illud corpus, quod sedet ad dexteram patris. Talibus Christus non ascendit in coelum, certe tales non intelligunt quid dicunt, dicentes ibi est corpus Christi. Panis coenae Dominicae ad manducandum datus est non ad flectendum vel adorandum, propterea Apostoli sedentes manducaverunt. Diabolus introduxit per suos, ut ibi idolatria exerceretur.

Quintus error, quod non dando ad manus populo, porrigunt eis ad os parva frusta, hoc Christus non instituit nec apostoli sed papa Sixtus.

Sextus error est, quod non habent differentiam intér panem aeternum de, quo Johannes VI°, et inter panem temporalem, qui non descendit de coelo nec dat vitam mundo nec vivit nec est Christus et illum comedunt boni et mali. Coenam papae quae est idolatria (diaboli), fideles debent cavere. Poscere debent ab eis fideles probationem ex scriptura, quis mandavit coram illo pane flectere, quis ad monstrantiam ponere, quis super altare exponere, quis ecclesias altaria archas illi pani astruere, quis ad infirmos deferre et cum campanula eum praecedere, quis mandavit credere, quod ibi est verus Christus, quis quinque verba dicere, quis fideles comburere pro eo, quod nolunt illum panem pro Deo habere et sicut Deum colere, quis avis nec (vel) bestia similis agno. Haec singula non habent a lege Christi sed a papis antichristis, quorum coena valde mala est, ex qua omnia mala prodeunt. Papae statuentes hanc coenam partim imitantur idolatrias gentiles, q i suis idolis altaria construebant, partim Judaeos, qui coram altaribus immolata comedebant. Christianis statutum est altare non habere, sed Sixtus papa hoc instituit, ut illa idola in altaribus exponant, quae vocant corpus Christi et imagines. Paparum coena est erronea et haeretica.

Item idem Martinus ante mortem combustionis suae in Rudnicz cum suo socio Procopio istam fidem professi sunt in qua et combusti sunt: profitemur quod papae permutaverunt ordinem coenae Dominicae et loco ejus missam infundabilem introduxerunt. Item profitemur quod sufficit ad salutem vivere vita Christi sine papis et doctoribus. Item profitemur, quod illa frusta panis, quae dant sacerdotes populo flectenti, quod hoc non est institutio Christi, sed institutio

paparum. Item profitemur quod apostoli non manducaverunt coram illo pane flectere ad monstrantias exponere et caetera ut supra. Item profitemur, quod sacerdotes nec habent nec sciunt illa verba quibus Christus benedixit panem. Nam per illa verba: hoc est corpus meum, ostendit Christum suum corpus, quod pro nobis est traditum.

Et in hiis articulis mortui sunt et combusti.

Et tanta dicta sint de illo primario post Johannem (Theotonicum praedicatorem de Saez) haeretico.

5. Zur Synode von Kutenberg.

Ex tractatu Johannis Rokyzanae de existentia corporis Christi in sacramento contra tractatum bohemicum Nicolai de Pelhrzymow vocat. Episc.

Cod. Bibl. Univ. III. G. 8.

F. 1 *a*. Nuper in montibus Chutnis anno Domini quo immediate supra dum propositio katholica erat sacerdotibus Taborensibus ista oblata; credendum est quod Christus Jesus Deus et homo integer est in sacramento altaris non solum spiritualiter per quandam gratiam solam ab ipso corpore Christi naturali condistinatam nec solum sacramentaliter et figuraliter sed ultra hoc quantumcunque est Christus Jesus per resurrectionem suam gloriosus spiritualis et divinus veritate tamen sui corporis et natura permanente est in eodem saeramento.

Istam propositionem simpliciter concedere noluerunt quam sophisticatione nitebantur evadere, sed Deo favente eorum sophisticationem percepit ibidem auditorium totum. Sophisticabant enim sic: veritati sui corporis et natura permanente scil. in coelo est in sacramento altaris per gratias scil. et dono. Quam sophisticationem plane in faciem eorum declaravimus illis diximusque, quatenus qui sophistice loquitur, odibilis est Deo.

F. 15 *b*. In alio tractatu suo quem fecit in *latino de non adorando Christo* in sacramento scribit sic: Christus inferiori modo est in sacramento quam in fideli homine vel in coelo.

F. 36 *b*. In synodo in montibus Chutnis unus illorum Wenceslaus scilicet Coranda publice respondit, quia corpus per eos ministratum laici accipiunt corpus Christi sacramentale.

F. 27. M. Jacobus de Miza [1]) in sua positione, quam ante mortem suam fecit de corpore Christi in scola Pragensi, scribit, quod illi

[1]) Fol. 30 *b*. divae memoriae praedicator, in sua positione contra errores modernorum scribendo dicit etc.

qui praesumptuose dogmatizant ponentes distinctionem de triplici corpore Christi scilicet naturali mystico, tertio de ipsomet sacramento visibili in forma panis et vini, hoc in se esse et solum corpus Christi et quod ibi non esset corpus illud de virgine natum et passum in cruce; hic errant et errare faciunt alios a fide plurimos et sunt in periculo dampnationis nisi poenitentiam egerint.

F. 30 *b*. Istius campi ductor Nicolaus Biskupez in tractatu de corpore Christi quem fecit contra *Caniss in Tabor combustum* [1]) scribit quod verba Christi Joh. V. quae de pane vivo sunt prolata de coena sacramentali sunt intendenda. — (Hujusmodi sacerdotes) condempnant invehendo contra sacramentum, quod popnlus adorat *panem papalem* tanquam Deum et tamen soli illum panem purum atque consecratum populis in monstrantia exponunt populo ministrant et populus sicut corpus Christi sumit.

F. 37 *b*. Proponam jam in medium propositiones quaedam ex tractatulo Nicolai contra Caniss facto [2]) et luce clarius apparebit quod multum distant a propositionibus in modernis tractatulis per eundem factis.

Ut ad Nicolaum sacerdotem condescendam de Pelhrzimow saepe fatum spiritu vertiginis indutum: ipse nempe *ante annos 20 vel citra* quod hod e solus tenet in suis tractatulis scribit, in aliis detestabatur, quia dum quidam sacerdos *Petrus dictus Caniss in civitate Tabor* cum sibi adhaerentibus contra sacramentum altaris in sententia, quam fides docet orthodoxa, consurrexerant, *iste Nicolaus* contra eundem se exponebat verbis factis et scriptis suas doctrinas reprobando, cui dum resistebat, *a certis personis sibi adhaerentibus praefatus Caniss ignis voragini traditus est.*

Penset qui vult dicta et scripta istius sacerdotis priora et posteriora comparetque ea ad invicem et comperiet manifestam contradictionem et quod prius tenuit et docuit, jam hodie reprobat et vilipendit.

---

[1]) Siehe über ihn script. rer. hus.t. I. S. 511.

[2]) Fol. 316—336. Vide p. 796.

6. Copia epistolae quam magister Johannes Borotin [1]) scripserat Rokyzanae occulte anno Domini 1437.

Cod. Univ. XVII. F. 2. Fliegendes Blatt.

Verbum edo nec te laedo
Si ostendo faveas
Verbum edo sed te peto
Non hoc male capias.
Lege recte age juste
Quod sit dei sapias.
Primum ave post hoc cave
Luporum insidias,
Rectis haere pravos tere
Quod lex jobet facias.
Recta doce vita loce
Ne et oves pereas,
Vade caute salva tute
Vide istas foveas.
Episcopus electus es,
Sed qui te elegerint,
Pars fuerunt,
Divisi fuerunt contra canones fecerunt,
Cave ne divisorum sorte irregularis forte
Paucorum episcopus sis.
Episcopum te elegerunt
Quid habuerunt tibi contulerunt
Quod si nihil habuerunt,
Tibi nihil contulerunt.

Sed ex nihilo nihil in nihilum nil posse reverti, pastorem te fecerunt, sed hostium ad oviculas ovium tibi non aperuerunt, quia forte claves non habuerunt, quo oviculas congregabis aut unde educes eas ad pascuas. Si hostiarius hostium tibi aperuerit, si ad ovile per hostium venis, verus pastor eris. Si aliunde quamvis per hostium ad ovile intraveris, tanquam fur et latro summo pastoris baculo frueris; pastorem te fecerunt, sed baculum pastoralem tibi non dederunt, quo monstrabis gregem in deserto errantem per devia

[1]) Cfr. Libr. decanor. philosophicae facultatis I, p. 407 ad 1410.

pastorem te fecerunt, sed lupos ululantes canesque veneficos de grege ovium non expulerunt, canes bene latrare valentes tibi non dederunt, quo insidias luporum deterrebis. Quomodo a morsibus canium veneficorum oviculas conservabis? quomodo cum lupis et canibus veneficis pasces oves? quomodo eas salvas reddes domino tuo? Vere gravia ista sunt et horrenda nimis. Pastorem te fecerunt, sed capsam pastoralem distraxerunt et partem quamquis potuit sibi usurpant. In quo panem tibi et canibus tuis bajulabis, in quo et conservabis? pastorem te fecerunt, sed panem pastoralem rapuerunt et abstulerunt et ferro adamantino sibi affixerunt, quo tu te nutries et canes tuos? videsne et consideras quid tecum egerunt, quid tibi fecerunt, vide ne peccata eorum concedas, si eis caveas, si peccatis eorum consentias. Cave ne sis pastor et idolum. Quis sis, quis eris per signum — quod in vilae tuae vexillo gestaveris, apparebit. Si agnum Dei portaveris, bene abibis, recte ibis, recte duces, bene pasces. Quodsi lupus leo ursus draco in te fuerint, vae tibi vae miseris qui te duce sic sequentur. Episcopum te elegerunt, electores qui fuerunt, futura non prospexerunt, quod ex hac electione possunt

sequi ratione in bohemica natione.

Si vero eris confirmatus
per praelatos consecratus
ex isto quod sequitur
prout solus non tacebas
ad populum sed dicebas
cum electus fueras
non me certe consecrabunt
nec alium vobis dabunt
defraudati eritis.
Cum sim ego maculatus
Et maxime diffamatus
toto in concilio
falsi surgent sacerdotes
non sacrati sacras dotes
invadent haeretice
fingentes se consecratos
infestabunt sic praelatos
et veros presbyteros
parochias occupabunt
sacramenta ministrabunt

falsa et sophistica
Quae non erunt sacramenta
Sed fidei detrimenta
Crescent in bohemia.
Nec baptismus neque crisma
tunc dabuntur, *erit scisma*
priore deterius.
Confirmatus quis tunc erit
Episcopus dum deerit
Cum suffraganeis forsan multi morientur
ut gentiles nee sequentur
Sacramenta fidei.
Surget secta pigardorum
Quis destructor erit horum
Aut quis bos dejiciat?
Mala creseunt infinita
Sic eleete tu devita
ne sis causa talium.
Vide corde vide visu
loquor omni absque risu
ne hoc regnum persat
Nam patebunt in futurum
quantum malum et quam durum
emerget assidue,
Nam barones et prelati
toto malo incitati
bellum reincipient.
Summus pater cardinales
exectantes vias tales
hoc regnum dejicient.
Imperator atque reges
advertentes sacras leges
principesque ceteri
in hoc signum subintrabunt
bello ipsum devastabunt
pro errore veteri.
Quorum pacta destruentur
Et bohemi devidentur
unus sic ab altero.
Igne consumetur terra
tam horrenda atante guerra
per malum consilium.

Omnis gradus atque status
nimis erit aggravatus
usque vilipendium.
Ut patebit hoc profecte
respice tu elacte
quid tunc vis efficere?
forte velis tuis telis
apparere tunc fidelis?
Non valebis perficere.
Quoties sub te mutabis,
tuos ritus variabis,
in sectis errantium
In hoc te docti notabunt
tuum errorem devitabunt
errantem per devium
donec deus dabit finem
istis malis.

Pugnabit contra hos hypocritas ecclesia, reflorescet haec secta tecum.

Vide quid jam faciat, vir videas quid tunc jubeas, dum magnus haberis perspicies, quem despicias, dum laedere quaeris. Et metuas ne ruas, dum stare videris.

Dat varias fortuna vias non ergo mireris
Ave dei dux sis ei
ne ruas ad tartara
Quo tu vadis ipse vadat
Sic ibis ad ethera
Gregem istum per Christum
Sic educite.

Ut deducat in aeterna pascua, ubi nulla tristitia, semper est laetitia, angelorum pascua et sempiterna gaudia Amen.

7. Epistola anonymi.

Cod. Univ. Prag. VI. F. 22. Rosenb. Cod. Saec. XV.

Pax vobis fratres karissimi. Obsecro vos per misericordiam J. Ch. quatenus constantes sitis et populum non deseratis imminentibus periculis antichristi. Caeterum karissimi nolite omni spiritui (credere), sed probate spiritus, si ex Deo sint, nam mirabiles nunc perdentur spiritus, miranda sed non credenda prophanantes verbum,

vehementer timeo ne populus per eorum fantasias in gravissima dampna inwolvatur. Scripturas quidem propheticas, quas allegant, pro fide accipite, sed sensus, quos inde eliciunt fugite. Sompniant. Adhortamini populos publice vel private ut de locis habitationum non exeant sed domi manentes agant poenitentiam salutarem et quidquid evenerit bene illis erit. Sustinete modicum, cito enim prophetiarum illarum veritas vel falsitas apparebit. Timeo valde ne fratres nostri de suis spiritibus praesumentes adulterent verbum. Vos autem karissimi nolite plus sapere quam oportet. Sed capite ad sobrietatem et unicuique sicut Deus distribuit mensuram, quam qui excesserint, periculosissime oberrabunt. Insuper non concitetis fratres laycos ad . . . mia carnalia et ad bella ut quidam faciunt. Haec est enim via securissima christianis. Estote fideles usque ad mortem et dabit vobis dominus coronam vitae quam se diligentibus repromisit.

Scriptum Rakownik feria II. in die Vincencii etc.

8. Auszüge aus den Predigten Johann's von Rokycan.

Vita Magistri Johannis Hus deprompta ex sermone Johannis Rokyzanae electi archiepiscopi Pragensis.

Cod. Capituli Prag. F. CXV.

In die gloriosorum martyrum magistri Johannis Hus, magistri Jeronymi et aliorum Boemorum sanctorum et in spe Dei etc.

Charissimi! hodie memoriam agimus nostrorum fidelium Boemorum in spe Dei sanctorum martyrum scilicet M. Johannis Hus, M. Jeronymi et aliorum omnium qui in istis temporibus et securis (sic) et novissimis passi sunt diversa tormenta et dira(m) mortem pro nomine Jesu Cristi, pro lege evangelica, pro veritatibus ejus in civitate Conttansiensi (pertulerunt) et incinerati sunt a secta cardinalium episcoporum sacerdotum canonicorum monachorum. Etiam quanti in *plzna* ad fontem projecti sunt, quanti in *montibus* ad foveas, in *Olomuc, Pragae* sunt decollati, quanti etiam istis temporibus sunt occisi pro veritate Christi, quanti infantes et mulieres praegnantes a theotunicis cruciferis sunt occisi ut in Nayesko Colowcz Turuow Broda theotonicali et in sanguine occisorum lavabantur et ibi reponebant eis remissionem suorum delictorum et indulgentias fundabant ex instinctu pessimorum sacerdotum et monachorum sicut et hodierna die non cessant haereticare excommunicare et persequi viam domini specialiter communionis duplicis speciei. Etiam sacerdos *Michael* solemnis

praedicator veritatis sacrae et legis evangelicae in Cicirstin (sic) passus est diversa tormenta et diram mortem pro fide et veritate Jesu Christi.

Ideo hodierna die debemus Deum laudare unde psalmus; laudate etc.

Ideoque hodiernos sanctos martyres aspicientes laudemus Deum non quia passi sunt, sed quia causam justam habuerunt ut fidem veram in veritate evangelica et sanguinem pretiosum Domini Jesu Christi quem reliquit omnibus christianis fidelibus ad bibendum de calice sancto et tunc propter eum passi diversa tormenta. Ideo spes certa et firma quod sunt sancti in communione Dei et de numero illorum quorum animae sunt subultae (sic) et clamantes: usque quo Domine non vindicas sanguinem nostrum qui effusus est.

Et si diceret aliquis, vnde scis, quod sunt sancti et in coelo, tamen eos nullus canonisavit nec papa nec ecclesia sancta etc. Dicendum quod sunt canonisati a summo pontifice et principe pastorum Domino J. Christo et non solum ipsi sed omnes qui propter nomen eius propter fidem propter verbum evangelicum vitam perdiderunt, omnes sunt canonisati a Cristo.

Quamvis autem a suis inimicis et hominibus mortalibus sunt abjudicati et condempnati pro haereticis et scismaticis et excommunicati et animas eorum committebant daemonibus, sicut dixerunt M. Johanni Hus sanctae memoriae: animam tuam committimus daemonibus ad infernum, tamen hoc non est in eorum judicio et condempnatio non est in eorum potestate. Vnde dicit Dominus: nolite judicare etc. nolite mirari si odit vos mundus etc. Math. 27. Et rogo, dicite quis sanctorum Apostolorum passus est et abjudicatus pro bono et innocente justo, sed omnes pro seductoribus nequacibus haereticis condempnati. Act. 24. — Ideo non mirum si isti fideles et sancti bohemi sunt abjudicati pro haereticis, sed tamen causa justa et vera, quam habuerunt, pia et virtuosa conversatio, lex evangelica, illa fecit eos sanctos et justos in conspectu Dei. Et cum haec vicia constanter et intrepide arguebant praesertim M. Johannes Hus hodiernus, qui *primum praedicavit contra peccata populi communis et post dominorum militum clientium civium et tunc ab omni clero laudabatur quasi bonus praedicator.* Postea autem *incepit praedicare contra vicia spiritualium* ut sacerdotum monachorum symoniacorum avarorum concubinariorum superborum elatorum, volens omnes ab iniquitati-

bus et peccatis abducere et ad vitam aeternam adducere. Ipsi autem incorrigibiles intangibiles unde Gregorius in pastorali: nemo amplius in ecclesia nocet quam qui perversa agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo arguere praesumat et si quis argueret yalobi urso in — podumul. Et igitur isti nolentes quod eorum malitia divulgetur, odio receperunt eum propter correctionem et ideo citabant eum Romam, faciebant interdictum missarum per totam Pragam *propter ecclesiam* sancti Michaelis in antiqua civitate Pragensi et in *capella Bethlehem*. Et tunc composuerunt et summam pecuniae per totum regnum ab hominibus extorserunt et 3 millia florenorum et dederunt in concilium in Constantia ut finaliter combureretur. O quam in caro foro ta honska [1]). Ipse vero in angustiis magis positus propter veritatem sanctam et sanam doctrinam et fidelem correctionem equitavit Constantiam volens rationem reddere coram omnibus de sua fide juxta dictum Petri parati etc. habens etiam salvum conductum (Cleyt) a Sigismundo Caesare et rege Vngariae. Sed ille non est sibi conservatus, sed cum venit, statim incarceraverunt nec sibi voluerunt dare audientiam nec in aliqua haeresi poterant eum reperire, cum optaret semper meliorem doctrinam ab eis, et nullam causam justam habentes contra eum, combusserunt et facti sunt homicidae ejus.

Sic nec *hodierni adversarii* habent causam justam contra nos et contra fideles bohemos nec volentes approbare aliquam haeresim in eis, sed sola malicia ducti haereticant, confundunt, abjudicant et condempnantur abominantur et libenter eos in cocleari submergerent aut omnes occiderent. Et hoc est quasi magnum in conspectu Dei: unde beati estis. Non sunt condignae passiones. Vnde Augustinus etc. extollit martyrium super baptismum aquae dicens etc.

Ideoque hic sanctus Johannes Hus dicebat frequenter: neni wohoře, là pecenka, komu dá pan buoh trpěti pro jmeno swe a pro prawdu ctenie a zákona swatého. Y protož dal si jemu okusiti [2]).

Et felix homo cui hoc donum dederit.

Propter quod laudandas Deus in istis sanctis et fidelibus Boemis quibus dedit dominus cognitionem fidei et veritatis suae evangelicae

---

[1]) O wie theuer diese Semmel gebacken wurde.

[2]) Es ist dies kein abgebraenler Braten, den Gott zuliess, dass er dulde um seines Namens und der Wahrheit, der heil. Schrift und des heil. Testaments willen und darum gab er sie ihm zu kosten

et in illa fide Constantiae usque mortem quod est ad honorem et consolationem. — Quare intuentes exitum conversationis imitemur fidem *specialiter circa sacramentum altaris* eucharistiae sub utraque specie *circa quam est magna difficultas et dissensio.* Sed nos imitemur hunc M. Johannem Hus in fide quam habuit, tenuit et pro illa est passus. Nam fecit tractatulum de corpore Christi cuidam Roberto ad affectum et doctrinam ejus, in quo quidem tractatulo quatuor posuit: 1. quare sit institutum hoc sacramentum a Domino J. Chr. — in commemorationem ejus Dominicae passionis et mortis et omnium beneficiorum et ideo elevatur circa confectionem a sacerdote; 2. quod est credendum quod idem corpus naturale est quod cepit de beata Virgine quod est traditum passum et surrexit ascendit in coelum, sedet ad dexteram Dei patris, est in sacramento altaris post probationem verborum consecrationis a sacerdote ubi sacerdos facit mysterium, Christus vero sua virtute et potestate et *non solum bonus sacerdos sed etiam malus.* Et ponit quod *hanc sententiam tenui docui scripsi et praedicavi anno 1401*; 3. quod est sumendum a fidelibus quam devote reverenter cum probatione sui ipsius. Unde probet etc.; 4. quod est sumendum sub utraque specie. Et hoc erit *contra fraterculos* novae sectae et contra *adversarios praeclari calicis,* quia fraterculi discedunt de corpore Christi naturali in sacramento nec volunt communicare sub utraque specie, sed ipse de utraque tenuit docuit scripsit et in illo mortuus est. Imitemur ergo eum et non debemus nos seducere decipere, etiam si angelus de coelo veniret et aliter nobis diceret. Sit ergo anathematizatus et pro illa fide veritateque evangelica simus parati et mori et si commorimur, convivimus, hic in gratia et post in aeterna gloria, ad quam nos perducat etc.

Sermo in die S. Johannis Baptistae.

Multi sunt qui Christum postponunt — sanctos autem nimis honorant exaltant ad eos principalem respectum et refugium habent ut ad B. Virginem ad S. Petrum ad S. Katerinam Barbaram Leonardum a *nimzy volfkanka* [1]) et in eis spem suae salutis reponunt.

[1]) Den deutschen Wolfgang.

Vicini et cognate congratulabantur ei (Elizabeth) sic qui sunt vicini et cognati gratiae Dei — laetantur — etiam si verbum Dei praedicatur distribuitur fidelibus eukaristia utriusque species, *canitur in vulgari*, in omnibus gaudent quia sunt vicini christi et gratiae ejus. — Sed qui videntes aut audientes aliquid boni orari vel peragi ad laudem Dei et salutem hominum et ex illo tristantur, turbantur ut sunt *adversarii*, qui tristantur et turbantur *cum fidelibus porrigitur eukaristia utriusque speciei adultis et parvulis*, cum canitur in vulgari invitus (sic) vident jakoby jim hrdlo řezal [2]). Vel erronei *fraterculi* invitus vident quando corpus Christi in missa elevatur aut exponitur in monstrantia ad adorandum a fidelibus. Ideo irascuntur abhominantur Deo, rident, confunduntur. Signum ergo quod non sunt vicini gratiae Dei nec cognati Christo sed alieni et inimici capitales. — Utrique faciunt discordiam in hac terra circa sacramenta Christi. *Vni* non credunt de *existentia corporis Chr*isti in *sacramento* altaris et omnimode contradicunt adorationi seu expositioni et omnia quae fiunt ad laudem et honorem Domini Jesu et ejus corporis et sanguinis pretiosi, *omnia illa blasphemant confundant* derident. Alii autem veritatem Domini J. de communione sacramentali sub *utraque specie ad communem populum* seu ad *parvulos blasfemant* derident haereticant blasfemant etc. et sic utrique volunt quod sic fiat teneatur credatur communicetur sicut eis et eorum *fantasiis* placet et libet. Sed *nos* dilecti credamus teneamus et communicemus ut *Christus* Dominus instituit *praecepit* et secundum quod *ecclesia primitiva* vera sponsa ejus credidit tenuit et communicabatur. — Videant ergo omnes *adversarii* et *secta papae* aut *fraterculi novae sectae* quod contradicunt ordinationi Christi et de constantia corporis Christi naturalis in sacramento, qui dicit panis quem ego dedero [1]) etc.

Sermo in vigilia Petri et Pauli App.

Videant ergo *fraterculi* et *apostoli tenebrarum* ac noctis, qui subterfugiunt ecclesias et templa Dei contra orationem et modum apostolicum et potius conveniunt in occultis domibus per *cellaria*, *cameras*, *aestuaria*, *stubas* ad *orationes*, ecclesiam autem et domum

---

[1]) Wie wenn man ihnen die Gurgel abschnitte.

[2]) Fraterculi sine verecundia vocant se abor bozie filios Dei populum Dei. Adversarii, etiam qui sunt columpnae ecclesiae et ecclesia sancta et omnem potestatem sibi attribuant. (Ex sermone: Misit Herodes.)

Dei vocant speluncam latronum et tunc in suis domibus, ubi *fornicationes alunt* adulterium illa nocte peragunt et latrocinia et alia opera mala, et tunc conveniunt ibi sicut noctuae nocturnae.

Sermo: Venit Jesus in partes Cesareae.

Nos sumus filii Dei zvor bozi *genus electum.* Videas christiane ne seducaris aut decipiaris, ne pro nomine ecclesiae sanctae aut z bom buozo invenias ecclesiam diaboli et synagogam sathanae et antichristi sicut multi jam invenerunt recedentes a *veritate evangelica* quae est de communione duplicis speciei, inciderunt in errorem et sacrilegium *arianorum* et *manichaeorum* haereticorum *quae fuit de communione unius speciei.* Alii a fide Christi et evangelica ceciderunt sic quod de venerabili sacramento non credunt nec de aliis sacramentis, sed eucharistiam habent pro idolo ac putánt se bene stare tenere credere et maxime confidunt in se ipsis.

Tu es Petrus.

Ecclesia sancta non consistit nec est fundata in Petro seu in hominibus positis in dignitate ut papa, cardinales, sed in quibus est *vera confessio* fidei et veritatis nec non in omnibus fidelibus et electis Dei qui habent veram fidem de omnibus credendis, illa profitentur nec verentur nec timent profiteri sed per confessionen verae fidei parati sunt et mori et illi sunt per *totum mundum diffusi.* — Et non clauditur nec comprehenditur in uno loco aut angulo huius mundi ut *Romae,* Jerusalem, Pragae, Viennae, Plznae, Glatoviae aut inter *fraterculos novellos in Lichnow Bocek Brandys Lithomyssl.* — Ecclesia sancta in fide Christi fundata nunquam cecidit, quia est fundata in firma petra in Christo et a Christo firmata et munita orationibus Domini. Sed *romana* ecclesia multotiens *cecidit* — ut dictum est de multis papatibus. Ideo non sunt ipsi vera ecclesia sancta — sed baec omnino contrariatur verae fidei et veritati evangelicae quae est de communione praeclari calicis — propter (quem) praecipit occidere fideles Boemos [1]). *Ideo est synagoga sathanae* antichristi et sine *ea etiam quilibet potest salvari.* Sed *sine ecclesia universali, quae est congregatio electorum, non est salus.* Christus omnibus apostolis dedit *ean-*

---

[1]) Dieses, sowie gar manche andere Stellen dürften auf die Zeit hinweisen, als der Kreuzzug gegen K. Georg Podiebrad als Häretiker gepredigt wurde.

dem et *aequalem potestatem cum Petro.* — Petrus quasi principalis et senior pro omnibus respondit — et modo datur aequaliter omnibus episcopis et sacerdotibus eadem potestas officii. Olim *idem* erat *episcopus et presbyter* ejusdem potestatis et auctoritatis. Claves duae (St. Petri) sunt potestas officii et scientia discernendi inter bonum et malum. Propter quod multi sacerdotes male faciunt sibi ipsis et animabus fidelium, cum sibi ascribunt nimiam potestatem dicentes: ego habeo auctoritatem papalem episcopalem absolvendi a poena et culpa et dimittere peccata et tunc *aliam clavem scilice scientiam legis Dei abjiciunt* cumque parum vel nihil habent agere, rarissime legunt et discunt in lege, unde verbum Dei projecerunt, ideo sapientia dei non est in eis ad discernendum bonum et malum. Sed ubi deberent sedere circa libros et discere legem Dei potius spatiantur ad thabernam vadunt et capiunt loco bibliae vrhcabnici [1]) loco papyri wrhcahy [2]) loco pennae et incaustri alias et ludunt w sachy *welehy* [3]) inebriantur. Potius sedent penes pulchram ancillam dominae quam circa biblia, magis diligunt bonum equum quam testamentum et qui eis daret pecuniam, illum solvunt, qui autem non dat, tunc amittunt claves dicentes: Ego non habeo potestatem etc. et ligant haereticant excommunicant et tamen gloriantes de potestate decipiunt se et alios.

Ecclesia *sancta* quae est congregatio electorum omnium; *universalis* quia est per totum mundum diffusa, dicitur *sancta* quia regitur spiritu Sancto qui sancte vivit. Dicitur *Romana* quia principes illius ecclesiae et principales lectores (sic) illius ecclesiae passi sunt Romae ut Petrus Paulus Sixtus et eam suo sanguine confirmaverunt. *Et sine illa non est salus, sed sine Papa potest esse.*

In terra Bohemiae et in multis civitatibus hujus regni, in quibus est confusa communitio fidelium cum adversariis, sacerdotes fideles Deo et legi evangelici illi Christum praedicant extollunt et ad Christum ducunt, monachi autem et alii pilicati illi papam et statuta *humana*(s)

---

1) Dameobret.

2) Dameostein.

3) Eine ähnliche Beschreibung des böhmischen Clerus folgt in der Predigt in divisiooe spusluiorum. Monachi tekari (Vagabundeo), ludaei (Betrüger) jakobiel wie die allere nnn reelusi jakz sorne wie eine Sau sutoniowe prase, wie ein Schwein in der Lake Schwein, s klise (Füllen) semper per pascos (sie übergeben sich, schwärmen herum) et hoc est valde malum.

adinventiones decretalia. — Uni dicunt quod communio duplicis speciei Christus est in veritate, alii autem quod hoc est error. Atij so hrdlo (schau die lügen in den Hals hinein) et haec discordia praedicantium est Deo displicibilis, hominibus nociva et per *hoc populus distrahitur agitatur quasi arundo circa fidem et sacramenta.* — Hinc vellent pacem habere in hac terra et ideo disposuerunt compactata *in Basilea* pro unitate et concordia. Alii autem rumpunt, destruunt; ideo tales sunt filii et servi diaboli nequam.

In divisione apostolorum.

Causa totius mali sunt sacerdotes mali qui multo aliter praedicant, docent ducunt et distribuunt quam Christus praecepit aut quam lex evangelica ostendit.

Verbesserungen zum Urkundenbuche von Altenburg im XXI. Bande der II. Abth. der Font. R. Aust.

L i e s : Seite 2, Zeile 19 Rosfespach. 17, 19 Wilpereh. 22, 7 amice. 23, 8 comparauimus. 25, 33 Rotenstein. 30, 7 et 23 Puigen. 36, 29 Freitslarn. 42, 5. ist wegzulassen: Ypolito. 62, 15 bainlo. 67, 1 Slevntz. 67, 5 Zemlevb. 104, 20 Chrafte. 107, 16 Chraft. 120, 6 v. u. Wolfkanch. 121, 9 sidem. 122, 10 excilatus. 126, 17 Rapot. 129, 6 jung. 137, 8 Ceynraten. 167, 6 gut ze. 175, 4 subentzeehen. 186, 19 Tet. 196, 24 Janseus. 199, 2 Trebecensis. 207, 24 Sebenkchner. 220, 12 enirricht. 221, 6 statt (des Pfarrers) lies (des Grvnnpech). 223, 11 ricter. 223, 12 Prostnik. 240, 5 Fürwald. 241, 13 Mairynnhof. 246, 6 siben. 259, 13 Samptztag. 270, 2 statt Pfarre Strögen lies Pfarre Röhrnbach. 272, 4 CCCVI. 289, 8 eygens. 289, 9 Chalileyten. 291, 4 Forwald. 292, 4 statt Rorenpach lies St. Marein. 294, 3 mul (Mühle). 295, 4 Fukls. 305, 2 Alantsteyg. 325, 12 possessionem. 326, 19 suscipere. 360, 14 geschtns. 364, 12 impertiri. 370, 7 libere.